SOMNIORVM

SYNESIORVM, OMNIS GENEris insomnia explicantes, Libri IIII.

PER

HIERONYMVM CARDANVM MEDIOLANENSEM Medicum ac Philosophum.

QVIBVS ACCEDVNT, EIVSdem hæc etiam:

De libris propriis.
De curationibus & prædictionibus admirandis.
Neronis encomium.
Geometriæ encomium.
De uno.
Actio in Thessalicum medicum.
De secretis.
De gemmis & coloribus.
Dialogus de { Morte. / Humanis consiliis, Tetim inscriptus.

Item ad Somniorum libros pertinentia:

De minimis & propinquis.
De summo bono.

TENEO VENETO
VENEZIA

Cum gratia & priuil. Cæs. Maiest.

BASILEAE, PER HENricum Petri.

CAROLO BONROMEO CARDINALI, ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI, LEGATOQVE BONONIENSI ac Romandiolæ, Pijque Quarti Pontificis Maximi nepoti,

HIERONYMVS CARDANVS MEdiolanensis Medicus S. P. D.



AVD DEMIROR, CAROLE Bonromee, aliquos fuisse Philosophos, qui omnem humanarum rerum prouidẽtiam à Deo sustulerint: quandoquidem ij etiam magnitudinem à corporibus ipsis ademerint, existimantes Solem haud multo maiorem esse quàm nobis uideatur. Verùm cùm perspicuum sit, sidera, astra, cœlum, solem, lunam tantę esse magnitudinis, ipsum orbem tanta uelocitate rapi, ut cogitatione nostra hæc maiora sint: nescio quo pacto fieri possit, ut de tam parua re, quarum est humanum genus, quod in superficie sola terræ habitat, ullam Deo esse prouidentiam, negare audeant. Et qui tantæ molis ac penè infinitæ rationem exquisitissimam teneat, & ad amussim temperet: hoc solum quod minimum est, ad normam redigere non possit: aut speciosissimum cùm sit, negligat. Quapropter stultum sit, atque temerarium omnino, quicquam cogitare factum hic, seu maximum, seu minimum, quod deorum prouidentia non antea uiderit, & benignitas nobis non significauerit. ob idq; eos

quos nos Sapientes uocamus constituit: quorum cura par regibus, amor diuinus etiam erga illos longè maior est. Si quis cogitet humanas res quàm fluidæ, quàm labiles sint, quamq; nulla solertia regi possint, nulla ui contineri, maximam & sapientiæ dignitatem esse intelliget, & necessitatem. Cùm tot fuerint ætate Alexandri Magni, Traianiq;, & antè & pòst, reges potentiores, quorum nulli gloriam sibi tam immortalem peperêre, quàm hi duo, quòd unus Aristoteles, alter Plutarchi discipulus fuerit. At Alexander Seuerus Mammeæ, etiam his illis glorioſior fuit, quòd sapientiæ maximè fuerit studiosus: ut contrà Commodos, Caligulas, Vitellios, Caracallas, monstra humani generis, & maiorũ suorum uirtute solùm Imperio dignos, quàm infelices exitus oppressêre? Neque potior pars est literarum peritia: uerùm sapientiæ studium, atq; iusticiæ cultus. Eruditi fuêre Tiberius, Claudius: & maximo exitio humani generis nati. Traianus & Seuerus Alexander parum periti, magnam lucem mundo tamen præstiterunt: quòd bonos, quòd sapientes euexerunt, quòd studijs fauerunt. Non est cogitandũ quali fortuna nunc utamur, sed quali digni simus, qualemq; expectare conueniat: imò etiam qualem possimus subire. Stultum est non metuere aduersa, cùm in infidis rebus nostram spem collocauerimus. Regna maxima euertit Deus, minimis consilijs: contrà, è priuata conditione multos ob uirtutem ad maximum fastigium euexit. Ille solus omnia digito temperat. A' mortalibus persuasum est, nostris uiribus atque solertię omnia subijci. Quapropter minus malum est odisse sapientes & eruditos, quàm contempsisse: hoc enim uitium est cum maxima ambitione atque stulticia coniunctum: illud humanæ impotentiæ argumentum, aut tyrannis quædam. Non est quòd quisquam hanc

mortalem

mortalem noſtram conditionem ex præſentibus metiatur, ſed quàm perennis ſit cogitet. Digna potius miſeratione ac fletu, & multo calamitoſior quàm belluarum, ſi ſapientiam ademeris. At ſi cum potentia ſapientiam coniungas, ſupra mortalem ſtatum euehitur. Itaq; hæc duo hominibus ſumma ſtudia eſſe debent, quamplurimum poſſe atq; ſcire. Quorum cauſa Deus multipliciter nos inſtruxit prudentia, artibus, ſcientijs, diſciplinis, literis, exemplis. At futurorum cognitio eſſe quid diuinius uidebatur, quæ non ſolùm ſcire doceret, ſed etiã potentiæ plurimũ faueret: quamobrem eam in cacumine quarundam artium, & quaſi pro ornamento earum collocauit agriculturæ, medicinæ, nauticæ, militaris ac ciuilis gubernationis. Quid enim ſpecioſius, quàm hominem uidere uelut ſacrum quoddam oraculum, rectè de futuris prædicentem? ſeu nauis euaſura ſit naufragium, ſeu æger morbum, ſeu candidatus magiſtratum obtenturus, aut de tempeſtate aut alio euentu prædixerit? Verùm cùm non omnibus hæc genera diuinationum ſatisfacerent, ſed ſolis his qui diſciplinis eiuſmodi operam darent: multa quoq; genera præcognitionis futurorum generalia indulſit diuina liberalitas, Aſtrologiam, Phyſiognomiam, Chiromantiam, Metopoſcopiam: ſed cùm & hæ omnes ſolùm eſſent eruditorum uirorum, placuit & quandam ſubminiſtrare rationem generalem, quę omnibus & omni tempore mortalibus communis eſſet: eámque nobis nulla arte ſubijcere. Verùm ne ab omnibus contemneretur tam uulgaris diſciplina, eam inuolucris quibuſdam atq; ambagibus ita implicuit, ut nec contemptoribus deſpectui atq; irriſui, nec inertibus obuia, nec cupientibus ignota eſſet. Sic ille qui tantam molem, tam obſcuras rationes temperauerit, & hanc diſciplinam moderatus eſt, ut nemo ſuperſtitioſè eam amplectatur, ſed

ita de illa statuat, ut de quauis naturali disciplina atq; humana arte. Quòd si superstitiosum est præscire futura, & homini denegatum, cur licet medicis & nautis atq; agricolis, prudentibusq; militum ducibus illa prænoscere? Sin modus ipse damnatur, qui solus in sacris literis probatur, quis nam eo magis religiosus erit? At male licet huiusmodi disciplina uti, temerè credere, stultè fidere, perperam interpretari. Quæ nam ergo alia disciplina hac ratione periculosa non erit? nam & medicus occidere ægros, & iurisconsultus iniquè iudicare, & tonsor iugulare homines poterit. At non est (dicent) tam obuia errandi parata uia illis, ut scelerí: ad scelus nulli præcluſa est uia. Satis est non pronam esse ad errandum uiam: uelut in diuinatione omni, præsertim somniorum, quæ per uulgus uersatur. Sed falluntur. Omnibus errandi patet uia: multiplices ubiq; sunt anfractus, & nos in obscuro uagamur. Sed est etiam unum aduersus errandi pericula præsidium facile, certumq;: quod si quis cõtemnat, non est quòd queratur: si amplectatur, non dolebit. Id uerò est, ut cognoscat omnia hæc naturalia esse & cauenda & procuranda, non execranda & deploranda ut certa. Si domus fastigium corruat, si canis ululet, naturale est utrunq;: sed quali animo excipitur, ita statuendũ est. Consydera uitam tuam, mores, facta. Sæpe hęc aut irrita sunt, aut monentis Dei. Si nascatur prunus in domo, expectabis fructus. non tamen semper fructus euenient: aut enim antequam floreat arbor, peribit: aut siderata, non floreſcet: aut si floruerit, fructus non succedent, uelut nostris sycomoris: aut si ediderit, non matureſcent: aut antequam maturuerint, fur abripiet illos. Ita & somnia naturaliter significant, quæcunque significant: multis tamen modis, quæ naturaliter significantur, impediri possunt. Enata est superstitio, ob necessitatem atq; diuinita-

tem,

tem: quorum unum nos eis adimimus, reliquum ostendimus adimendum esse. Sunt naturalia somniorum significata, & omni necessitate uacua: sed naturalibus cautis coniuncta, non superstitioni obnoxia, non diuino quodam peculiari præcepto metuenda. Illud semper demiratus sum, quod mihi euenit de profitendi munere Bononiæ, nedum cogitanti: cùm uno somnio sic monitus sum, ut omnino conditionem non essem acceptu-rus: altero, tamq; omnino admissurus: ut aliquando existimauerim esse eiusmodi diuinationem tanquam illius qui moneatur non de futuris, sed præsentibus tantùm, coniecturam uerò ex eis faciat futurorum. Sed cur hoc suspicari cogimur, cùm iam palàm sit nobis, naturales causas ad futuros euentus coniecturalẽ facere noticiam. Quapropter cùm nihil sit tam bonum, quo non quis malè utendo sibi exitium parare soleat, seu opes, seu potentia, seu gloria, seu sapientia esset: ita nihil tam sinistrum, quo non feliciter uti possimus. Et quemadmodum medici ex uenenis alexipharmaca, ex asperis mitia medicamenta componunt: contrà alij bona ineptè miscendo, intempestiuè admouendo, imprudenter tractando, magna incommoda & sibi & suis parant: ita ediuersò, somniorum diuinatione quanquam naturali & obscura, atque ancipiti, si quis opportunè utatur, non mediocre ad actiones humanas dirigendas auxilium sibi cõparabit. Sin oscitanter, aut per incuriam, aut nimis curioſè, iactu ram potius quàm utilitatem consequetur. Id ergo totum in prudentia & dexteritate utentium constitutum est. Periculosum est fidere coniecturis. Fateor: sed quotusquisque est, qui non omnes suas actiones coniectura dirigat? Quamobrem melius est multis simul fidere, & cũ iudicio: quàm paucis, & temerè, tam firmioribus quàm exilibus. Eorum qui somnijs fidem adhibuerint, nemi-

nem

nem prȩcipitem actum aut uidimus, aut legimus: quemadmodum illorum maxima copia est, qui uel astrologiȩ, uel alterius generis diuinationi operam dederunt, aut nimium in uiribus ac potentia aut dolis confisi sunt: uel qui monita somniorum contempserunt. Verùm his hæc erunt propitia, qui res humanas rectè nouerint tractare, quorum non mediocris est numerus: & æstimare, quorum perquàm exiguus est. Magna solertia, magnis animi æstubus, magnis fortunæ successibus euehimur: moderari fortunam, tueri gloriam, nostram intelligere conditionem, non nisi eius esse potest, qui pro sapientiæ admiratione in omnibus temperat actiones suas, ducitq; optimum quod tutissimum est atq; honestissimum. Meditentur mortales, quot secula præterierint, quotq; futura expectemus: quot claros homines secum illa inuoluerint, inuoluturaq; sint. Solos hos eximet ab interitu, quos sapientum penna defenderit. Cogitent illud Poetæ tam clarum:

Ereptum stygijs fluctibus Aeacum
Virtus, & fauor, & lingua potentium
Vatum, diuitibus consecrat Insulis.

Alexandrum Magnum per tot egregia facta celebrem, ac orbis dominum, iam plus Aristotelis fama tuetur, quàm sua ipsius facta, aut gesta, etsi inclyta fuerint. Ille enim in angusta domo, exul, in Chalcide obijt: hic tot gentiũ uictor & dominus, in aureo & gemmeo throno mortuus sedebat. Fortuna Virtutis ancilla est, nõ Virtus Fortunæ: hæc enim in superficie hac exigua terræ, breui tempore nobis abblanditur, ut decipiat: illa uerò se attollit in cœlum, caputq; inter astra condit. Fortuna quibuscunq; ætatibus reges nouos ac duces prȩstat: Virtus soles quosdam, sed diuersis temporibus nobis concedit. Quamobrem nescio quid infelicius sit, aut conari

eos

eos tollere, uel indignis æquare. Latè patet omnis beatorum sedes, angusta est hæc mortalitatis conditio. Non est arbitrij mortalium, quenquam ad supremas sedes euehere: hanc facultatẽ solus sibi delegit altissimus. Obstare, prodere, euertere, concessum est omnibus: ut non sit glorioſum quod commune non solùm est cum reliquis animalibus, sed etiam cum plantis, lapidibus atque tegulis. Inconcussa est sapientum fortuna; & quanquam multis externis labefactari uideatur, seu luctibus, seu iniurijs, seu contumelijs, acerbitatéue dolorum: ipsa tamen non tangitur. Sed ut solis species obnubilari potest nobis, illo nihilo secius suum splendorem illustrem retinente: sic & optimorum atq; eruditorum uirtus, splendore proprio clara, innocentia stabilis, munita firmis genijs, afflata Diuino numine, illustris per ora uirûm fulget. Quamobrem scitè admodum laudatur Socrates à Cicerone: sed non tam scita intelligitur eius sententia, nec quàm grauiter eam retulerit cognoscitur. Id inquam scilicet, quod Socrates, ut eius uerbis utar, (quandoquidem non sperem posse melius dicere Cicerone) ita in iudicio capitis pro se dixit, ut non supplex, aut reus, sed ut magister & dominus uideretur esse iudicum. Itaque tibi, uir amplissime, tanquam ter beato, hoc Opus nuncupare statui: quòd & nobilitate generis summa Bonromeorum splendeas, & uirtute atq; eruditione singulari: cùm quia te & orantem & docentem, ac disputantem etiam in ipso iuuentę flore summa cum omnium admiratione audiuimus: tum uerò prudentia amoreq; erga studioſos insigni, ac Deorum dono ornatum splendidissimo sacerdotio, simulq; propinquitate Pontificis Maximi intelligamus: adeò ut per te sperare liceat firmam concordiam inter Christianos, maioremq; in religionis Christianæ cultoribus auctoritatem atque tranquillita-

tem. Et quæ in alijs pro maxima laude ac decore commemorari possint, in te uno ob summam omnium claritatem locum nullum obtineant: ut qui immortalibus dotibus conspicuus iam sis, mortalibus autem eminentissimus. Vale.

TABVLA LIBRORVM

De Somnijs.

Primi libri, qui est De differentia somniorum per res uisas.

1. Somnia apud omnes gẽtes & leges, ac sapientes accepta: Et de eorum usu, & auctorib. 1
2 De diuisione somniorũ, & ordine tractatiõis 2
3 De insomniorũ causis. 3
4 Vnde insomnijs ueritas. 8
5 De cognitione insomniorum uerorum. 10
6 De utilitate cognitionis somniorum uerorũ. 12
7 De sua cuiusque prouidentia. 15
8 De cognitione temporũ in quibus futura euenient. 16
9 De modo habendi somnia uera 18
10 De distinctione somniorum generali. 19
11 De Generali ratione interpretandorum somniorum. ibid.
12 De partibus hominis, & quæ ad illũ spectãt. 21
13 De partibus mundi. 22
14 De communi ratione cõparãdi partes mũdi ad partes hominis, & partes mundi atq; affectus ad hominũ affectus 24
15 De generalib. regulis interpretandi somnia. 36
16 De dijs. 40
17 De diuis. 41
18 De statuis & imaginibus deorum & diuorum. 42
19 De dæmonibus & heroibus. 43
20 De Tartaro, & sedib. beatis, Elysijs campis, & pœna temporaria. ibid.
21 De mortuis. 44
22 De cœlo, sole, luna, stellis. 47
23 De aere, uentis, iride, cometa, parelijs, inani, nebulis. 48
24 De aqua, mari, lacubus, paludibus, stagnis, fluminibus, fontibus, riuis, piscinis, puteis, cisternis, pluuia. 50
25 De igne, fulgure, & tonitru. 51
26 De niue, & grandine, pruina, glacie. 52
27 De terra, & terræmotu. 53
28 De montibus, collibus, uallibus, pratis, campis,

ATENEO VENETO VENEZIA

nemoribus, desertis. 54
29 De gemmis, lapidib. metallis, & figuris. 56
30 De plantis, & earum partibus 60
31 De his quæ ex plantis colliguntur, fructibus, floribus, succis. 63
32 De plantarũ materia. 65
33 De generali animaliũ diuisione. ibid.
34 De animalib. minutis. 67
35 De animalibus q̃ repũt. 69
36 De piscibus. 71
37 De auibus. 73
38 De quadrupedibus. 76
39 De feris & cicuribus animalibus. 29
40 De materia & excrementis animalium, pellibus, cornibus, stercore, urina, ungulis. 83
41 De generalibus hominũ differentijs. 84
42 De proprijs hominis partibus. 85
43 De affectionibus. 89
44 De actiõib. & passiõib. 92
45 De sensilibus omnib. 103
46 De uerbis auditis & scriptis. 107
47 De cibis, carne & ouis. 113
48 De potu omni, tum lacte & sanguine. 115 (117
49 De piscibus salitis, & sale.
50 De artibus & sciẽtijs. 118
51 De artibus faciẽtibus aliquid. 120
52 De uestibus. 124
53 De ornatu. 126
54 De armis & machinis. 128
55 De uasis, & reliqs instrumentis domesticis. ib.
56 De magistratibus & honoribus. 130
57 De uitæ cursu. 131
58 De urbibus. 133
59 De domibus. ibid.
60 De morbis & uulneribus. 135.
61 De morte. 136
62 De sepulchro. 137
63 De domesticis omnib. 138
64 De notis. 145
65 De incognitis. 148
66 De regibus & principibus. 149
67 De peregrinatione, nauigatione, & naui. 151
68 De damnatiõe, exilio & carcere. 153 (156
69 Senarij auctoris ignoti.

Libri I I. qui est de somniorũ proprijs differentijs.

1. Non posse hanc scientiã deduci ad exactã perfectionẽ: nec debere. De animi immortalitate. Quòd tantum abest maximum, quantum minimum. Responsio ad Ciceronis obiecta. 158

2 De somnijs obscuris. 169
3 De sõnijs obliuiosis. 170
4 De somnijs impfectis. 171
5 De somnijs in quibus eui gilare uidemur. 173
6 De somnijs medijs. 174
7 De sõnijs meridianis. 176
8 De ecstasi ac tremore. ib.
9 De seipso duplicato. 179
10 De expositione somnij in somno. 180
11 De somnijs terribilib. 181
12 De somnijs magnis. 188
13 De somnijs fatalib. 187
14 De somnijs repetitis. 189
15 De somnijs cõsuetis. 190
16 De somnijs cõpositis. 191
17 De somnijs perfectis. 194
18 De idolis. 196

Libri III. qui est de differentia somniorum ratione somniantis.

1. De uatis necessitate. 200
2 De dignitate. 202
3 De moribus 204
4 De conditione, seruo, exule, uincto. 206
5 De fortuna, seu opib. 207
6 De uxorem habẽte, sacerdote, cœlibe. 209
7 De orbo, & habente filios. ibid.
8 De artificio. 210
9 De proprietate naturę. 211
10 De ætate. 213
11 De sexu. 214
12 De ualetudine. ibid.
13 De mutatione. 215
14 De cognitiõe maiorum, & posterorum succesione, & fama post mortem. 218
15 De oraculis. 220
16 De somniorum usu. 223

Libri IIII. De exemplis.

1. In quo utilia sint exẽpla, & qualia esse debeant. 227
2 De exemplis idolorum. 3 231
4 De exemplis uisionũ. 237
De exemplis propriorũ somniorum. 251

Hos sequebantur:

De minimis & propinquis, Liber.
Item, De uita beata. *Sed hi duo Libri ad calcem aliorum Opusculorum sunt positi.*

FINIS TABVLAE.

DE TABVLAE SVPERIORIS usu.

HAec quidem Tabula sufficiet, propter excellentem illius ordinem. Vt tamen in interpretando facilius te explicare possis, ordinem hunc qui sex constat præceptis, obseruabis. Primùm

in singulis quæsitis quatuor illa considerabis, quæ proposita
Lib. 1. cap. 14. sunt in Capite de Comparatione partium mundi & hominis. & sunt, Homo, & partes eius, seu quæ in nobis: Quæ ad nos, uxor, liberi, & reliqua: Affectiones & causæ. Inde considera omnes affectiones rei. uelut si uideris pruni arborem in atrio tuo, eamq; florere animaduertas, inde fructus edere, quos adhuc acerbos edas: primùm uidebis quid arbor generaliter, deinde pruni specialiter significet, in Capite de plantis. Inde in Capite de Actionib. quid significet fructus colligere, quidq; edere. Quia uerò colligere fructus non adest, per similia & per regulas generales disces. consules pòst Caput de Sensilibus, ob acerbum fructum: & de his quæ ex arboribus, quod est post Caput de Plantis: item Caput de Cibis: quid demum Florere. ut sint octo: Arbos, prunus, florere, fructus acerbi, colligere, cibus, & edere. Tertiò transferes te ad Caput
Lib. 1. cap. 11. generale interpretandorum somniorum, ut consideres generalia Capita, quæ tria sunt in omnibus considerandà, præter propriam expositionem: ibi etiam specialiter doceberis de ratione interpretandi diffusius, quàm hic. Pòst considerabis proprias differentias somniorum ex Secundo libro, si sit somnium imperfectum, obliuiosum, repetitum, consuetum: & præcipuè si sit idolum anamnesticon aut mistum, si magnum aut fatale. Quinto loco conditiones somniantis: ut, ego sum senex, pauper, cum filijs, doctor, professor, inuisus in patria, & parũ gratus magistratibus, cum magna inuidia, cognitus per totum orbem: somnium idem longè diuersa significabit mihi, & medico iuueni, diuiti, artẽ solum exercẽti, perfunctorieq;. Demum ad Quartum librum accedes, atque ibi curabis inter centum quinquagintaunum exempla, aliquod tuo simile inuenire. uixq; cõtinget, ut si diligens sis, non unũ aut plura, ex parte saltem similia inuenias: quorum interpretatione uel similitudine eò deuenias, ut solet dici, ut scilicet rẽ acu tangas. plurimùm enim ultra rationem exempla monent, iuuantque actum.

RERVM

RERVM ET VERBORVM IN LIbris Synesiorum Somniorum INDEX.

ABstinentia ciborum 220
accipiter quid in somnio significet 74. item accipiter geminus in lapide sculptus 58. item accipitris plumæ 84
accubitus 24
acerbus sapor 104
acetosus sapor ibid.
Achates 58
Achilles 43
acidus sapor 104
acquirere 102
acris sapor 104
acria edere 38
actio 24. actiones 92
actus potentia præstabilior 38
adamas quid posit 18. in somnio quid significet 57
adeps 88
aduersum quot modis dicatur 20
adulari 98
adulterari. ibid.
ædificare in somnio 123
Aegyptij de somnijs scripserunt 2
Aeluri in somnio significatio 66. 81
aer 23. qualis sit 48. in somnio quid significet 48
aer clarus aut turbidus 49
aerē nubilosum uidere in somnio, qd 48
aere semper ad uitam egemus. ibid.
aerei numi 57
Aesculapius iratus 43
æstate ueriora fiunt somnia 10
aes quid in somnio indicet
aes Cyprium ibid.
ætas florens 58
ætas in somnijs obseruanda 213
ætatum in somnio significatio 29
æternitas in Deo 40
affectio 24. affectiones quæ 89
affectiones passiuæ 25
affectiones corporis, animi & externorum bonorum 25
affectus in mundo 23
affectus boni aut mali qui 34
affectus somniorum causa 3
affectuum genera 24
affines, agnati 23. 143
agni 79
agnos pascere 79
agricultura de quibus prædicat 13
agriculturam exercere 122
agrum colere in somnio 194
Aiax 43
alaudæ significatio 75
albus color 105
alea 28
Alexander Magnus 43
Alexandrina herba 218
amarus sapor 104
ambulare 100
amethystus 57. amethysti uis 18
amici

amici 6. 56. 55. 25. 145
amici reconciliati 147
amicos mortuos uidere in somnio, melius quàm inimicos
amor somniorum causa 3
amor qualis affectus 36
amphimala quid in somnio indicet 125
anas in somnio id quod anser 80
anchoræ 121
anguilla 59
anima 28. 148
anima hominis Deo assimilatur 23
anima pura uidet ueriora somnia 12
animam quæ insomnia plus afficiant 4
animal solidorum cornuum 97
animalis caput & cor 77
animalia 23. maximè homini aduersantia quæ 67
animalia repentia pleraq; uenenum habent 66
animalia ex putredine nata 67
animalia exanguia, mala in somnijs 66
animalia mansueta 78
animalia usu & natura fera 78
animalia gregalia 66
animalia muta ibid.
animalia pinguia macilentis meliora 77
animalia fœminina à masculinis differunt quod insomnia attinet 66
animalia nocturna ibid.
animalia & plantæ in quo differant quod somnia attinet 62
animalia fera & incognita quid in somnijs indicent 78
animalium sex genera. ibid. differentiæ
animalium brutorum pugna cum homine 77
animalium pellis 83
animi affectiones 25
animi affectus maximi qui
animi affectus quid in somnio indicent 92
annularis 22. annularis digitus 27
annulus in somnio per se uxorem significat 32
annulorum uariorum uariæ significationes 126 & 127
anseris significatio 80
anserum pinguem comedere ibid.
anteriora in somnio quomodo referenda 29
anus 6. 22 26
aper 78
apes 67
apis mel conficiens 60
apothecæ 23. 134
Apollo uisus in somnio quid portendat 43
aqua 23. 50
aqua clara per somnium uisa in domum fluere. ibid. 51. item uisa per somnium è muris domus erumpere. 50
aqua turbida in domum fluens. ibid.
aqua per canalem defluens in domum. ibid. 51.
aqua exiccata ibid.

aquam ex urceo fracto nō effundi 51
aquam in cribro ferre 51
aquam è pedibus fluere 85
aquam multam bibere 115
aquila 74
aquila indomita, & domita ibid.
aranearum telæ multæ in domo 217
araneus in lapide sculptus 59
arare 121
arbor 61
arbor fracta 60
arboris generosæ significatio 217
arborem abscindere 99
arbores 23
arbores erectæ & spinosæ 160.
arbores latæ fronde & floribus 62
arbores in domo nasci 60
arborum fructus 63
arborum lachrymæ 64
arborei fructus parum durantes 62
arbusta 23
arces ibid.
arcus 23
arcum inuenire 128
ardea hostis rapacium auium 75
argentum 57.
argentum furtiuus auferat 45
argentum uiuum 57
arida 105
aries excoriatus in domum delatus 79
arietis in somnio significatio. ibid.
arietem equitare 79
Aristoteles de somnijs scripsit 1
arithmetica in somnio quid 119
arma 23.128
arnoglossæ uis 109
ars lucrosa. 55.
ars fabrilis 122
artis de somnijs maximum principiū quod 15
artes quomodo in contemptum ueniant 1
artes exercere 120.121
artes & scientiæ 118.119.120
artium differentiæ 122. quadruplex genus 210
Artemidorus Daldianus de Somnijs 2.
arteriæ quid in somnio indicent 85
articularis 22
articulus 22.28
artifices 23
ascendere per gradus 134
asinus calcitrans 81
asini cauda ibid.
asinum disrumpi ibid.
aspera quid somnianti portendant 105
astringens sapor 102
astra 23. si uideantur nobiscum in somnio loqui 47
astrologia sæpe autoribus suis exitialis 12
astrologiæ contemptus causa 1
astrologum factum esse
asturconem equitare 85
atria 28
aucupari 100
audire 98
auditus obiecta 106.107
auellanæ fractæ 62
auis Indica 75
auis timida 74
aues 23.38

aues & flores 194
aues clamantes 73
aues rapaces. ibid.
aues comedentes 73.74
aues alligatæ 74
aues agminatim uolantes 66
aues fabulosæ 75
aues monstrosæ. ibid.
aues oua fouentes 75
aues canoræ seu quietæ 73
aues in somnio futurum ostendere 67
auium genus quadruplex 73
auium colores 73
auium tulli 74
aura placida 49
aures 26
aurium partes 21
aurum
aurifabrum esse 121
austerus sapor 104
Bacchus 43
balena 73
balneari indutum uestę 97
barba 21.
barba longa 86
basiliscus 7
berberis 61
bibere 215
bilis atra quorum somniorum causa 2. Item flaua 2
bilem abundare quæ in somnia significent 5
bilem atram generantia 2.5
blandiri 103
bombyces alit morus 62
bonitas in Deo 40
bos cum tribus cornibus 82
bos sine cornibus 84
bos si pede percutere uideatur 82
boues pinguedo 82
boues alacres, item dormientes 82
brachia 22.25
brachiorum partes 22
brachia habere lignea uel lapidea. 88
bubonis significatio in somnio 66
buccæ 22.28
buccas habere inflatas 88
bufonis magni significatio 217
buprestis 69
butyrum cum melle 314
C
Cacare in locis publicis 97
cacodæmones 43
Cæsar dictator ibid.
Caij Gracchi somnium 233
calcanei 22.28
caliganum in somnio significatio. 124
Caligulæ somnium quod ipsius necẽ præcesserit 35
camela & camelus 81
campi 23.54
campi cum aristis. ibid.
campi squalidi 55
candelæ 52
candelæ extinctæ, uel accensæ plures cum risu. ibid.
candelæ accensæ iuxta somniantem. ibid.
canere sine arte 98
canis stella 47
canis in lapide sculptus 59
canem lacerare uestes 80

canes albi. ibid.
canes nigri ibid.
canes rubri 80
canes domestici. ibid. melitei. ibid.
canes rabidi ibid. uenatici. ibid.
canum carnes ibid. lac ibid.
canum ulusatus ibid.
[illegible] 132
capilli 21.25
capra aurea 8
capras ueras uidere 79
caput 20.25 85
caput amputari 206
caput purgare elleboro bonum 19
capitis quatuor partes 21
capitis magnitudo 87
capite plecti 96
carbasus 124
carbunculus gemma 57
carcer 23.153 154
Cardani socer & pater 30.31
cardueles 75
carina 151
carneoli 58
caro 23
Carolus Magnus 43
Carpus 22
cartilaginei 71
castrare 273
casus ex alto 217
Catachismus 51
cauponæ 23
caupo 122.211
cedrus 62
Centauri 169
ceræ somnium 183
ceraſa 62
cercopytheci 76
cerebri significatio 27
cerui 39.76
cerui cornua inuenta. ibid.
cete 27
chlamys 126
ciborum differentiæ 113.114
ciborum genus quod in somnia fa-
cit 5
ciborum genera quid in somnio indi-
cent 113.114.
cicadarum significatio 68
Ciceronis somnia 243
ciconia pia & diuina 75
ciconia sculpta in lapide 59
ciconiam masculum párere in som-
nio quid prægnanti indicet
214
ciconiæ apud multos legibus tutæ
76
cicures animantes 79
cilia 21.27
cimices 67
Cimeæ memoria 159
cinereus color inauspicatus 73
cinerij coloris significatio in somnijs
106
cisterna cisternam expurgare 50
clamare 100
claritas 24
claudus 85
claui 23
cæcus 85
cœlum 25.47
cœlum inhabitare purum 48
cœleſte somnium 33
cœnoſa loca 152

cogitare 92
cognati 23
colles 54
collum 25
colli partes 21
colli magnitudo 87
coloni 48
color 24
colores quantum momenti habeãt in insomnijs 18
colorum uariorum uaria in somnijs significata 106
columba in gemma sculpta 59
columnæ 23
comere 103
cometæ 23
comitiales curare leporis coagulum 169
commigrare ad inferos 212
commoticæ in somnio significatio 211
comparatio 24
conculcari 93
conditiones personarum in somnijs obseruandæ 205
coniectoris ars in quo consistat 33
coniecturalis est disciplina de insomnijs 14
construere bonum 37
conueniens quot modis dicatur 20
conuiciari in somnio quid indicet 122. 211
coquus 122
coralius 58
cornix 59
cornices 74
corona 28
coronæ deorum 61
coronæ spiceæ 208
coronæ ex hædera 128
coronæ é floribus 127
coronariæ plantæ 61
coronari 32
corpus hominis 85
corporis affectiones 25
cor 26.85
cor in lapide sculptum 59
cortex plantarum 60
cortices 23
coruus 66
corui plumæ 84
costæ superiores & inferiores 21
costarum significatio 27
coticula 58
cotonea 62
cothurni 125
coturnix 74
coxa 22
coxarum significatio 27
crabrones nouem pungendo perimere hominem 68
crabrones quid in somnio significent 67
creditor si exigat ab ægrotante 214
creditorem in somnio uidere 146
crocodilus 59
crocus 62
croci usus mouet insomnia 11
crus hominis 86
crura, crurum partes 22
crustati pisces 71
crux 60
crystallus 56

cubitus 22
cubiti 26
cuculus 125
cucumeres 63
cucurbitæ 63
culus, culi partes 22
cuniculi 77
cupere 91
cupressus 62
curæ, somniorum causæ 3
currere 100
currere in equo 77
currus ducens boues 217
cutis 27
cyclas 155
cyclopem factum esse 87
cylindrus 105
cynocephalus 59
Cyri memoria 159

D

Dæmones qui 43
dæmones pugnantes 43
dæmones in somnio aliquando affectus nostros significant 43
dæmones esse somniorum causam qui dam uoluerunt 8
damnari 153 254
damnari pœna capitis 155
decipiens duplex est 179
dedecore affici 154
delphines 72
demonstratiua somnia quæ 33
dentes 26
dentes hominis 85
dentes ægris si cadere uideantur 86
dentes ferrei 86
dentibus stridere 103
deportari ad metalla 155
deportatus in exilium 206
deserta 23
deserta in peregrinatione 152
deterrens somniorum genus 2
Deus pro anima 23
Deus in somnio quæ significet 30. 40
Dei cultus & sapientia 91
Dei & regis conuenientia 33
Dei dona gratuita 19
Deo dexteram iungere 40
Deum quando homines spernant. 41
dij irati & tristes 42
dij plorantes 41
deorum statuæ 42
deorum statuas moueri 42
deorum cultum mutare 41
dijs quæ insint 40
deos spernere 41
deæ in somnijs quæ bona malaq; decernant 43
dextra in somnio masculis attribuenda 29
dies 24
digitus medius 27
digiti auricularis significatio. ibid.
digiti partes 22
digiti pedis 22.29
digiti plures 85
diruere malum 37
diui 25
diuos inter se pugnantes uidere. 41
diuis supplicare cũ solicitudine. ibid.
diuinatio de quibus rebus sit 16
diuinationis ex somnijs utilitas 12

diuinationum genus somnia interpretari 1
diuinitatis expers nullum genus rerum 9
diuinitatem præ se ferentia animalia. 77
Diuinum somnium 33
diuitiæ 25
Dominium somnium 240
domus 23.133
domus fastigium 231
domestici 138
dormire 101
dormire in uia, uel templo 173
dorsum 22.26
draco insculptus lapidi 59
draconis pellis 83
dracones in homines conuersi 160
ducere uxorem 29
dulcis sapor 104
dura somnianti quid indicent 105

E

Ebrium fieri 115
ebur 84
edere 40 99
effectum in insomnijs quæ celeriter nuncient 39
egestio 98
elephas 78
ellebori purgatio 220
Elysij campi in somnio quid significent 44
emere 103
endromis 125
ensem nudum ab alio accipere 128
ephemeris 61
ephippia 23

Epicteti lucerna 129
epistola 59
equus respirans 83
equus sine ungulis 84
equus calcitrosus 83
equus mortuus sculptus 59
equi calce percuti 102
equi cursores parati 82
equuleus 83
equum in somnio amittere ibid.
equinus fimus quibus utilis ibid.
equitare 29
equitare canem 77
eradi 217
eructare 101
esurire 40
euigilare 173
eumetris gemma in Bactis nata 18
eumetris ad somnia quas uires habeat
excubiæ in somnijs quid 208
exilium 51 52
exilij species quatuor 206
exitum non inuenire 152
exstasis ex quibus causis 176 à somno differat 176. 177 178
exstasis deprehensos audire 178
extrema, media indicant 39

F

Faber lignarius in somnio quid significet 122
faces 52 facies 21.27
faciei partes 21
falco 60
familiares 23.145
farcimina 218

fatorum obseruatio 2
fauces 27
febris 135
feles caudam mouens 59
fellis uesica 27
ferrarij fabri significatio in somnijs. 122
ferrum comedere 57
ferrum rubiginosum ibid
ferrum splendidum ibid.
fiber 59
ficedula 74.
ficus 62.63
fide digni qui 39
filius in insomnio per quæ significetur 30
filij 23
flamma super caput uisa 51
flores 20.23.16
flores flammarum 64
flumen totum bibere 50
flumen diruens domum, aut prædium rapiens 50
flumen è domo diuitis aut pauperis exiens ibid.
flumine detineri ibid.
flumina 23 50.
focus extinctus 52
fodere in somnio 212
fœmina 214
fœmina iuuenis 214
fœminæ in masculum mutatio ibid.
fœminam fieri ibid.
fœminalia 124
folia 23.60.61.63.65
folia arborum arida 65
fontis siccati in somnio significatio. (217
fontes 23
fora ibid
formæ uiuentium 65.66
formicæ alatæ 67
fornax flagrans 58
fornicis ruina 234
fortunæ bonorum affectiones 25
forum 123
fraga 62
frater 139.140. fratres 23
fricari 103
frigus 105.216
frutillus 23
frenum ibid.
frondes arborum sparsæ 64
frontis significatio 28
frutices 23
fructus 60. ibid. fructus arborei 60.
fructus arborei quid præcipuum habeant in somnijs 63
fructus arborum acerbi 63
fructus ante maturitatem ex arbore cadentes 64. in somnio colligere quibus bonum, quibusq; malum 63
strepitum edentes collisi. 64. rubri, nigri 64
fructus intempestiui 63. infausti. ib.
fructuum diuisio ibid.
fulgura cum tonitru 52
fulgura 23.52. sine tonitru ibid.
fulminis casus super pedes 217
fulmine feriri lectum
fulmina quæ aliquid diruunt ibid.
fullonia 210
fulloniam exercere 123
fumus 59

fungi 23
fungorum in somnio significatio. 216
funes 23
funus 219
furcula 22
furculæ significatio 27
furari 97
furto amittere aliquid 69
fuscus color 106
futura naturaliter scire 13
futurorum imagines 220

G

Galenus multum tribuit somnijs 1
Galeni somnia 231
galerita in insomnio 25
gallinæ 80
gallus ibid.
gallorum calcaria 84
gannire 71
gariophyllus 61
gemmæ 23.56.
gemmæ aureæ. ibid. cæruleæ. ibid.
gemmæ magni precij 57. non pre/
cioſæ 58
gemmæ albæ 56. nigræ. ibid.
gemmæ rubræ ibid.
gemmæ rubiginoſæ ibid
gemmæ uinoſæ. ibid. uirides. ibid.
gemmæ in oculis draconis 7
gemmarum figuræ cælatæ 58
gemmis ſi quid inſcriptum uideatur.
ibid.
gemmas ſe quid poſſit 18
gemmeus homo 56
genæ 21
genarum ſignificatio 28
genarum partes ſinuoſæ 22
genij triſtis in ſomnio ſignificatio
217
genitalia 219
genu 22
genua 26
geographia 119
Geomantia 229
geometram factum eſſe 119
gibbus 85
Gigantes 43
glacies
gladiatorum munus exercere 124
glans 22
gloria per quæ in ſomnijs ſignifice/
tur 32
glis 78
goſſipium 23
goſſipij arbor 62
graculi 66
grana 23
grandines 23.52
gratus 36
grauia 105.210
grilli 68
grus uigilans 59
guſtare 98
gutturis ſignificatio 29

H

Habenæ 23
habitus 24
habitu nouo uti
hæreſis cauſa bellorum 51
Hector 43
heliotropij herbæ ſignificatio.
217
herba arida 54
herbæ 23.60

INDEX.

Hercules 43
Herculem aut statuã eius uidere. 204
Heroes qui 43. quid in somnio. ib.
Heroes male induti & minantes. 43
Heroum significata clara esse. ibid.
Heteromalla 125
hiacynthi uis 18
Hippocrates somnijs plurimum tribuit 1
hircus 79
hircus in uinea 80
hircus in lapide sculptus 59
hirundo 66
hirundo sculpta in lapide 59
hœdi 79
homo 29
homo præciso capite 59
hominis ætas 31. partes externæ 21
hominis partium exteriorum duæ differentiæ 21
hominum differentiæ generales 84
hominum uerba 63
honorari 103
honores 25
hordeum 61
horologij significatio 129
humani corporis partes 21
humeri os 22
humeri significatio 27.88
humerum habere aureum ibid.
humida somniare 105
humor 22
humores somniorum causæ 2
hyacinthus 57
hyæna 59
hydromantia 229
hydrops 135
hyeme ueriora fieri somnia 10
hypochondria 22
hypopia 28

I

Iacere 103
icterus auis 74
idolum uerum quid à uisione differat 198
idola somnia quæ 19
idola principum somnia 38
iecur 208.26.85
ignis 23.38.39
ignis supra caput qui lædat somniantem, quid portendat 51
ignis domesticus 52
ignis in domo 65
ignis ex lineis uetustis 210
ignis in gemma sculptus 59
ignem magnum odoratum adorare. 52
ignem in olla ex carbonibus accendere 206
ignes fortuiti in somnio uisi 52
ichneumon 78
ilia 22.28
imago 23
imagines ibid.
imaginem suam in aqua per somniũ uidere 51
imaginem in sole uidere 48
imagines in somnijs quid moueat 6
imagines quæ mouent somnia, in quo sint ibid.
imagines, materia somniorum. ibid.
imagines deorum moueri in somnio 42
imaginum somnia 39

imaginari qd significet in somnio. 92
impellens somniorum genus 2
imperfectum non est bonum 37
increpare 103
index 22.27
index in lapide sculptus 59
infamiam portendunt omnia somnia contra leges 39
infantem loqui 213
infantem uidere in cunis quid iuueni portendat ibid.
infantia 29
inferiora ibid.
inferna 23
inferna petere, nec reuerti 44
infinitas in deo 40
inimicus potens in domo tua cum honore exceptus 217
inimici 25
innocens 36
insidere ceruo 76
insipidus sapor 104
insomnium quid 3
insomnia quomodo fiant ibid.
insomniorum materia ibid.
instrumenta omnis generis 23
intellectus animi operatio 91
intestinorum significatio 27
interfici in somnio quid indicet 101
interstitium 22
interula 124
inuidere 91
iocari 102
Iosephi somnium 1
irasci 25
irasci in somnio 99.91
iris qualis 48. quid significet in somnio 28.49
irides 23
irrideri à populo 210
iter agere insidendo aui 153.
Iupiter 52.43
iustus 67.36
iustitia in deo 40
iustitia qualis uirtus 36
iuuenis pulcher in solitudine 56
iuuentus
quid 40

L. Labrum. 61.

Labia 21. superiora et inferiora. ib.
labiorum significatio 28
lac 63.64
lac bibere 115
lac canis 116
lacerari ab animalibus 101
lacus 23.50
lachrymæ arborum 64
lachrymales anguli in oculis 28
lætari 25. lætitia 24.89
lætitia somniorum causa 3
læua quid in somnio indicent 105
lamentari 100
Lamiæ apparentes in somnio 169
lampades 52.
lana 23
lanio 122. laniones 214.
lapis Herculeus 58
lapidem frangere in uesica leporem combustum 169
lapides 56.23

lapides magni in somnio quid refe/ rant 56
lapides iacti 56
lapidibus impeti 56.210
lapides magnos cadentes uidere 58
lapilli diuersorum colorum, sed nul/ lius precij ibid.
laquearia 23
laqueus 59
laquei 23
lacerna 125
laterum structura 210
latratus canum 80
latrinæ 23
latrunculi 23
latrunculis ludere 97
lauari ex parte 37
lauream consequi 137
laurus 61.62
lecti 23
legumina 23.61
lenta 210
leo & ursus in quo conueniant 78
leo insculptus gemmæ 59
leo simiam deuorans ibid.
leo si aliquem morsu apprehende/ rit 78
leonis significatio in insomnijs ua/ ria 56. ibid.
leonis catuli ibid.
leonis pellem gestare ibid.
leonis pellem inuenire 83
leonis pili 84
leonis ungues habere 78
leonem edentem simiam uidere 214
leporem canem persequens 217
lepus insculptus gemmæ 59.65.66
leporis in somnio significatio 78
leporis pili 83
lethum læta somnio portendunt ægris 214.215
liberalis 36
liber gemmæ insculptus 59
libri 23
libros ædere 123
lienis significatio
ligna
ligna cum uidentur deesse ibid.
ligna si uidentur ardere ibid.
lignorum usus proprius ibid.
lilij si[illegible]catio 61
ling[illegible] & lapidea 88
lingua exerta in lapide insculpta 59
lingua excoriata ibid.
lingua ferrea 88
lingua tumefacta 86
linguarum multitudo 142
limum 23
literæ infaustæ quæ 108. faustæ quæ. ibid.
lithozeutica 210
loca tenebrosa in somnio uidere, ma/ lum 44
locus 24
locustarum significatio 66
loligines 71
loqui in somnio quid significet 100
lotos 62
lumbi 22
lumborum significatio in somnio 28
lucẽ multã somnianti quid indicetur. 10
lucerna 128.52.
lucernæ diuiti apparentes

luctari 100
luna, speculum uerum 48
luna inuersa quid in somnio 59
lunæ significatio in somnio 47
lunam, senatorem significare. ibid.
lupi significatio 66
lupum equitare. 77
Lydius lapis 58
lyncei significatio 78
lyra 60
Machinæ 23
mactari publicè 206
magistratus 23.130
magnitudo 24
maiales 80
mala ingentia quæ 184
malleolus 22
malus 63.62
mali medici significatio 63
malua 214
mamillæ 22.29
mandibulæ 21.29
mandibulæ duæ 87
manus 59.22.26
manus humana 60.85
manus sinistra compressa 60
manus dolsum 28
manus partes 22
manibus impediri 210
mansueta animalia quæ, & quæ non. 79
mare proprium 23
mare quid in somnio 30.51
mare purpureum ibid.
mare quas partes hominis significet. ibid.
mare tempestuosum uidere. ibid.
maris tranquillitas ibid.
maris imago ibid.
mari mergi ibid.
margaritæ 57
margaritas calcare ibid.
marmor 58
Mars 43
mater 138
masculina animalia 66
masculi in fœminam mutatio 214
Mauritij imperatoris somnium. 233
media extremis cognoscuntur 39
media in somnio quò referenda 29
medicamentũ mortiferum bibere. 206
medicina de quib. prædicere posit. 13
medicinæ contemptus unde 1
medicum discedere 215
medici 23
medicos uidere 121
melancholiam quæ somnia indicẽt. 5
melancholici plura somniant 211
meles 77
membrum 22
memoratiua somnia quomodo fiãt. 6
memoria in quo. ibid. duplex 6
memoria hominis 159
mendacium insomnia 38
mentiendi licentia quotuplex 195
mentiri in somnio quid 97
mentula 22. mentum 21.27
Mercurius 43
meretrix, mare multa monstra alens. 51
mergi in aqua 212
metalla 57.23
metalla incognita uenalia uidere: 58

INDEX.

metalla omnia corrumpuntur argento uiuo 57
metallozeutica ars 210
miluus 59.76
miluus superuolans 217
Minerua 43
mingere 98
misereri 90
misericordia affectus 34
misericordia dijs tribuitur 40
mœror in somnio 89
mola 129
mollia somniare 105
moloßi 80
Momus 43
monasticæ uitæ significatio 217
monitorium genus somniorum 2
monitoria somnia quib. accidant 36
monstra 23
monstra ficta triplicia 70
mons arenosus in somnio 54
montem nouiter oriri 54
montes 23
montes si pugnent 54
mora in somnio 62
morbum uenturum timentes quid facere debeant 223
morborum in somnijs significationes 135.136
morbos quæ in somnia præmonstrent 5
mores interpretandis somnijs obseruandi 204.205
mori in somnio 217
morientia quid portendant 52
moritur solus quicunq; moritur 56
mortarium in somnio 129
mortua genera quid in somnio 136
mortua duis 74
mortuum dormientem uidere 46
mortuum tangere 45
mortuum tristem uidere 46
mortui domestici 23
mortui resurgere uisi 46
mortui si dederint aliquid 45
mortui in quibus casibus mortem præsagiant 45
mortuorum tria genera 44
morus 62
Moses uulgarem usum somniorum interdixit
motus 24
muccus 22
mugire terram 53
mula si párere uideatur 82
mulier persicum uisa in somnio párere 61
mulier crinibus expaßis 217
mulam aut mulam equitare 82
mundi partes 22
mundi partes inconstantes 24
mundo & homini partes communes 23
musca in lapide sculpta 59
musculus 22
mus[illegible] 28
musica 119
musici 23
mus 59
mus alpinus 78
murē in somnio fures significare 66
mures erodentes 217
mustela maior 78
mustelæ urbanæ 81

INDEX.

mutatio 24
mutatio in deterius triplex 215
mutatio in insomnijs obseruanda 215. 216
mutus in somnio 85

N

Nares 21
naribus carere 87
nasus 26
nasus hominis 87
nasi pars amputata ibid.
natare 97
nates 22.26
naturæ proprietas in somnio obseruanda est 211
naturalia representantia 23
nauclerus in somnio 152
nauigandi ars de quibus prædicere poßit 13
nauigare 152
nauigare in torrente 153
nauigatio 151
nauis 152
nauis malus 151
nauim gubernare 121
naui uehi secundo flumine 153
naues 23
nauium partes ibid.
nebulæ albæ 49
necromantia sæpe autoribus suis exitialis 12
nemora 23.55
Neptunus 43
nere 123
nerui 85
Nicephori Gregoræ de somnijs scriptum 2
Nicoli gemmæ uis 19
niger color somniantibus quid significet 106
nix 24.55
nobilis origo 38
nobilitatis maiorum ratio in somnijs habenda 218
nobiles in somnio uidere 218. noctua in lapide sculpta 59
noctua pugnans in somnio 74
nocturna animalia in somnijs omnia mala 66
nocturnas aues infaustas esse 73
nodus 22
nolam pulsare 97
nolæ quid in somnio 119
nomen amittere 37
nomen proprium in somnio quid 29
nouerca 138
numerus 24
numeri quomodo scribātur 109. 110 quid in insomnijs significent 110.
numerorum uires 110.111
nux unde dicta 62
nux in somnio quid 60
nucis umbra nocet 62

O

Obscuritas 24
obstetrices 22
occipitium 22
occiput quid in somnio 28
occulta casu deteguntur 36
Oceanus pro aqua 23
ocreæ 125
oculus 15
oculi 25

oculi partes 21
oculi albedo 28
oculi ferrei 40
oculorum anguli lachrymales 21
oculorum sensilia quæ sint 105
oculos habere in auribus 193
odium qualis affectus 36
odium somniorum causa 3
odor iucundus in somnio 194
odorũ significata quæ in somnijs 107
officinæ 23
olea in somnio 61
olea longam uitam indicat 63
oleum 64
olfacere 98
oliua in somnio pessimæ 63
olor in lacte 75
olor si uideatur esse sculptus 59
olor in somnio Platonem significauit 16
onagri quid in somnio 82
ὄνειρον unde dictum 10
onocrotali significatio 75
opes omnes e terra 53
opes per quæ in somnio mõstrẽtur 32
opes seu fortuna in insomnijs obseruanda 207.208
oraculum somniorum genus 2
oracula Delphica quibusdam magna mala attulerunt 14
oraculis, quibus hominibus intendendum 220
orbi & filios habentis somnia 209
orcas 73
orcus quid in somnio 59
orichalcum 57
Orlandus 43
ornamenta 23
ornatus 24
Orpheus 43
orto iam sole quæ fiunt somnia, præteritas aut præsentes res significant 61
oscitare in somnio quid 102
osculari 93
os 26
oris partes 21
ouis lana 84
oues in macello uidere 79
oues ferre uidere 79
oues tondere 79
ozæna morbus in maribus 87
ozimum in somnio quid 216

P.

Palatum quid 27
pallidus color 106
pallium in somnio 125.126
pallium regale 127
palma in somnio 60.63
palmæ manus significatio 28
paludamentum 126
paludes 23.51
palumbi 75
pandiculari 101
pania 23
panthera 78
paliurus 61
papaueris caput 60
papiliones picti 68
papilionum significatio. ibid.
pappi 64
paradisus 43.44.
pardalis 59
pareliæ 49

parentes 26
parentes mœstos uidere 138
parentes mortuos uidere 46
parentes uerberare 133
partes in corpore humano quot 22
passer 60
pastinaca 71.217
patrem mœstum uidere 138
pauo ova deuorans 60
pauo uolans 80
pauonis plumæ 84
pauonum significatio 80
pectus 26.30
pectus aperiri 85
pectus ferreum esse factum 88
pectus hominis 85
pectus uitreum & aureum 88
pectoris partes 21
pecuniaria pœna 154
pedere cum malo odore, & sine malo odore 101
pediculos multos uidere supra se 67
pellis animalium 83
pellem animalis induere 83
peluis 129
penula 125
pepones 63
perdicis significatio 59.66
peregrinatio 151
peregrinationis differentiæ 152
Persæ de somnijs scripserunt 2
personæ publicæ 23
personæ incognitæ 148
pes 22
pedis partes. ibid.
pedes 85
pedum læsio in somnijs 217
pedum significatio 95.26
pestem quod insomnium portendat 49
petasus 124
phanatici homines 177
phasianus 75
philomena 74
phœnicopterus auis 76
phœnix 59
physiognomia de quibus prædicere possit 13
phyllissa uirgo 220.221
pica 75
picæ plumæ 84
picæ significatio 66.
pictura 23
picus Martius 75
pietas dijs tribuitur 40
pileus 124
pili 21
pili narium 86
pili animalium 83
pili ursini 83
pilos in lingua habere 86
pinguis sapor 105
piperis significatio 216
piscari 100
piscis in lapide sculptus 59
pisces 23.67
pisces saliti ibid.117
pisces candidi 72
pisces marini 66
pisces in fluminibus & torrentibus 72
pisces in terra. ibid.
pisces loquentes audire. ibid.
pisces monstrosi. ibid.

piſces mortui 71
piſces omnii & uarij coloris 71
piſces reſpirantes 72
piſces edere ibid.
piſcium diuerſitas in quibus 71
piſcium mortuorum in ſomnijs ſignificatio 216.217
piſcium multitudo in ſomnio mala 71
piſcina 51.55
piſtillum 129
piſtoris ſignificatio 211
pituita quorum ſomniorum cauſa 2
pituitam quæ ſomnia indicent 5
pituitoſorum ſomnia 211
pius 36
placentam cum butyro edere 114
planetæ quid in ſomnijs 46.47
planta 22
planta pedis 29
plantæ inſitum eſſe 63
plantæ ſine trunco 60
plantæ hortenſes 61
plantæ ſolitariæ ibid.
plantæ bene olentes ibid.
plantæ abſq; radice 61
plantæ exorientes ex corpore. ibid.
plantæ ſpinoſæ 61.62
plantæ diu uiuentes 61
plantæ ictæ fulmine 62
plantæ ardentes fulmine. ibid.
plantarum aliæ bonæ, aliæ malæ in ſomnijs 63
plantarum foliorum caſus ſuper dormientem 60
plantarum ſuccos in ſomnio ſignifi- 61
care idem, quod ſanguinem animalium 64
plaſtices omne genus in ſomnijs quid ſignificet 210
plaſticen exercere 122
platanus 62
Platonis diuinum ingeniũ ſomnio Socratis præmonſtratum 16
plumæ 84
plumbum 63.57
plumbum album nigr. ibid.
pluuia 23.24.
pluuia in domo 50
pluuia clara 60
pluuia ſi bibatur ibid.
pollex 22
polymita pluribus licijs intexta 125
polypus 59
polypus narium morbus 87
polypi caput inſomnia facit 5
poma roſea 61
pompæ publicæ 206
poplitis ſignificatio 28
poplites 22
porcus 81
porci 77
porphyrio rara auis 76
poßibilem rem reddentia quæ 28
poſteriora in ſomnio quibus tribuenda 29
potentia 25. quibus in ſomnio indicetur 56.
poteſtas in Deo 40
præcordia
præcordiorum ſignificatio in ſomnio 28

prædla quibus in somnijs significentur 208
prætexta 125
prætorem esse 131
prata 23. in somnio quid
principum somnia 38
probi qui 36
prora 151
proscriptus 206
pruina 53
psallere 100
psittacus 66
psittaci pluma 84
pubes 22
publicanus 123
pudenda 22.26
puella 214
puer 56
puer in solitudine 56
puer si senem se uideat 213
puerum se factum somniare 123
pueritia 29
pugnare cum dæmonibus 43
pulchra fœmina 214
pulmo 26
pulpita 23
pulsum cordis & arteriarum percipere 101
pupilla 28
puppis 151
purpuræ 71
purpurei coloris significatio 106
putei 23
puteus siccatus 51
puteum in agro fodere ibid.
pyra 63
pyromantia 229

Q

Quadrigæ 23
Quadrupedia 23.67.
Quadrupedia homini similia 76
quercus Apollini sacra 62
quercus in somnio quid 61.
quercus lachryma 64
quercum uidere in somnio crescere 63
quies 24

R

Radices 23
rami 23
rana in gemma insculpta quid 59
Raphani significatio 216
recipiendi in somnio necessaria est
recordari 92
regalis pompa 38
regiones 23
regulus auis 75
relegatus in exilium 206
religionem aere in somnio significari 48
remi 152
renasci 217
renes 22.26.219
repentina animalia 69
repueraſcere 217
repugnantia triplex 29
resinæ arborum 65
Rex à Tyranno in quo differat 151
reges 23

regum et principum significata. 149. 150. 151
Rhetorica 120
Rinaldus 43
riui 23
riuuli 51
robur 25
Romani somniorum obseruatores 1
rosa 61
rostrum 84
rostra 23
rostra nauium 151
rota 60
rotæ 23
rotæ inseri 63. 155
rubus 61
rudentes 151
ruere ædificia 212
Satyrum edere 114
sacerdotes 56. 49. 23
sacerdotum insomnia 209
sacerdotium 38
sagittas colligere 128
sagum 125
salire super montem 94
salis in somnijs uaria significatio 117. 118
saliua 22
salix Græca 61
Salomon Iudæus de somnijs 2
salsus sapor 105
saltare 97
saltus 23
sandalia 125
sanguis 22. qualium somniorum causa 3
sanguis & humores per mare in somnijs significantur 30
sanguinem bibere 115
sanguinea & exanguia animalia differre, quantum ad somnia pertinet 66
sapientia in Deo 40
sapor amarus 39
sapores iucundi qui, item tristes, misti 104
sapores quid in somnijs 104
saporum species 104
sapphirus 57
sarda piscis 72
Saturnus 43
scalæ 23
scalarum descensus 217
scarabeus 58
scaturigines 23
sceptro à rege uerberari 94
Sciruachan Indus de somnijs scripsit 2
sciuri 78
scopuli 151. 152
scrofa 81
scrofa prægnans ibid.
scrotum 22
scutum pulchrè elaboratum quid 128
sedere 102
seges aurea 55
senem 22
semen se in cunis uidere 213
Senecæ memoria 159
senectus 29. 132
senex si euadat puer 213

Senem saltare quid in somnio significet 26
senes decrepiti 217
sensilium differentiæ 103.104.
sepia 60
Septimij Seueri somnium 13
sepulchrum .56.53.47.219.137
serere 121
seria in somnio qualia 210
sericum .68.22
sermo .57. ibid.
serpens sculptus in gemma 59
serpentum significatio 69.66.56.55.69
serpentia animalia 23
seruum ab hero occidi 206
serui 23
sexus in somnio obseruandus 214
silex 58
silici similis eumetris gemma 18
siligo in somnio quid 61
simia 59.bis
Simonidis poetæ somnium 233
sinapis 104.216
sinistra fœminas in somnio notant 29
smaragdus 57
smaragdi uires 18
socij in peregrinatione 157
Socratis somnium de Platone 16
solanum somnia turbulenta facit 5
sol quid faciat 9
sol uerum speculum 48
sol cruentus 36.48
sol sanguineus imminens domui somniantis 47
sol euanescens 48
sol obscurus, latêre uolentibus bonum 47
sol si surgēs in occidente uideatur surgere 47
sol niger 47
sol purus exoriens ibid.
sol turbidus apparens ibid.
solis significatio in somnijs 47.bis.48
solis & regis conuenientia 33
solis ortus & occasus 10
solis ortum præcedentia somnia futuras res significant 16
solem aliquid dare 48
solem alloqui 48
solem in domo uidere ibid.
solem occidere in oriente 47
sole oriente somnia facta cuiusmodi 16
solitariæ aues 66
solitudo .66/55/56.
solitudo, in qua sit domuncula. 56
somniare se cognoscere 173
somnium Cæsaris 13
somnium fatale 187
somnium Græcis ὄνειρον 10
somnium omne terræ, magnum 53
somniū Philippi medici Augusti Cæsaris 231
somnij proprium 38
somnij notabilis exemplum 30
somnij rectè interpretati signum 35
somnij expositio in somno 180
somnio qui admoniti 1
somnia interpretari quibus conce[illegible] demum [illegible]

dendum 1
somnia Machumeti cultores obser/uant. 1. Turcæ. ibid.
somnia ab humoribus qualia 4
somnia ex cibo qualia ibid.
somnia monitoria quo pacto fiant 8
somnia ueriora qui uideant 10
somnia principum ueriora ibid.
somnia multis profuerunt 13
somnia quomodo sint obseruanda 15
somnia uana & uera quorum hominum sint 15
somnia ueriora quæ reddant 18
somnia uera eumetris gemma ostendit ibid.
somnia abdita docentia 19
somnia aut publica, aut priuata 21
somnia demonstratiua quæ 33
somnia bona, mala, & mediocria quæ ibid.
somnia monitoria probis accidunt 36
somnia transferuntur ad quatuor 37
somnia de principibus 38
somnia obscurorum causæ quæ
somnia obliuiosa 170.171
somnia ex ecstasis genere 174
somnia media quæ 174
somnia meridiana 176
somnia terribilia 180
somnia magna, quo[illegible] adue/niant 186
somnia parentum in filiorum ortu 188
somnia quæ repetuntur 189
somnia consueta 190
somnia composita 191.192
somnia perfecta 194
somnia Iosephi 196
somnia idola dicta quæ 196
somnia supra mentem humanam. ibid.
somnia quæ congruunt artibus acquisiticijs 211
somnia læta 214
somnia quæ mutant in deterius 217
somnia belluarum 230
somnia Galeni 231
somniorum obseruationem religiosam habuerunt Romani 1
somniorum interpretatio utilis 1
somniorum causæ efficientes 2
somniorum scriptores ibid.
somniorum causæ corporeæ aut incorporeæ 2
somniorum quatuor species 2
genera multa 2
somniorum turbulentorum causæ 5
somniorum uerorum indicia 53.21
somniorũ disciplina de omnibus prædicere potest 15
somniorum significata distinguenda 16
somniorum tempora 17
somniorum magnitudo ex quibus rebus intelligatur

somniorum interpretibus quibus credendum, quibus non 108
somniorum imperfectorũ genera quatuor 171.172
somniorum terribilium differentiæ 182
somniorum diuinorum differentiæ 161
somniorum perfectionis causæ 196
somniorum genera obseruanda ijs qui in uinculis sunt 206
somniorum genera tria ægrorum 251
somniorum usus 223
somniorum exempla in quo utilia 227.228
somnijs qui plurimum tribuerint 1
somnijs quid tribuerit Socrates, & Philosophi omnes. ibid.
somnifera uigilia 174
somnus quid 3
sonus 24
soni quid somniantibus indicent 107
Sophoclis somnium 232
sorores 23
sphæra in somnio quid 105
spartum 23
spatulæ 22
speculi in somnio significatiões 129. 130
speluncæ 23
spes alacris 24
spes in somnio quid 89
Stabilis. 61.
Spicula. 55.
Squalor. 54. 55 bis.
Status. 52. 61.
σφίγγω 169
sphinx 169
spinosa loca in somnio 152
splendorem solis in domo uidere 48
splendores 23
spoliari ui 102
squamosi pisces 71
squatina 71
stagna 23
stagna pura, turbida 51
stagnorum pisces 72
statua 23
statuam dei in caput cadere 42
statuæ 23
statuæ Heroum 43
stella cadens in domum somniantis 47
stella in caput alicuius cadens 48
stella in sepulchrum cadens ibid.
stellæ diuinæ sunt 48
stellæ sub tecto ibid.
stellæ errantes 47
stellæ lucidiores ibid.
stellarum significatio ibid.
stellarum casus in mare ibid.
stellas uenerari 203
stellas transferre 47
stellas furari 48
stercus 22
stercus animalium 83
sternutare 101
stertere 102
stola 125
sturni 66
Stru-

Struthiocamelus 60
Submentum quid significet 27
Substantiarum tria genera 24
Succi crocei 64
Sudare 102.215
Suggestum 23
Sulphur 58.210
Supercilia 21.27
Superiora in somnio dominos notãt. 29
Supplicare 102
Sura 22. Suræ 26
Surdus 85
Suspendi 96
Suspensos faciem ad Solem uertere. 37
Suspicari 100
Sus 60
Sus cornutus 80
Suum pili quid in somnio indicent. 83
Sycabantes. 77
Syluæ 60.23.55
Synesius de somnijs 2
Synesiorum somniorum interpretatio unde dicta 2

T

Tabernæ 23
Tali 26
Talis ludere 97
Talpa in sculptura, in somnio 59
Talpa super terram ueniens 77
Talparum è terra emergentium significatio 217
Tangere 100
Tapeta explicari si uideantur principi. 204
Tartarus 23
Tartara in somnio quid significent. 44. 55 pius.
Taurus columnæ alligatus ut genu 59
Tegulæ 23
Tela 23
Temones 251
Templa 23
Temperamentum corporis boni quæ in somnia monstrent 5
Temperantia bonorum patens 166
Tempestates
Tempus 24. 58. 59 tempora 21. 28
Tergus quid significet 26
Terra 23.53
Terra esse uisa 54
Terra si bene uideatur olere 53
Terra si uideatur scatere uermibus. 53
Terra trifariam offerri potest in somnio 53
Terra tota saxosa apparens 58
Terra si fiat specus tegens 54
Terra si colorem mutet, quid faciendum ibid.
Terræ significatio 30
Terræ sapores
Terræmotus 23.53
Terram tremere ibid.
Terreri à feris 21
Themistoclis somnium 23
Thetis 43
Testacei pisces 72
Testamentum condere 96
Testes 22
Thorax ferreus 128
Tibia 22. tibia hominis 86
Tibiæ 20

tibiæ partes 22
timor qualis affectus 34
timor somniorum causa 3
timor in somnio quid 89
titillare 93
tondere 124
tondere dimidio 124
tonitru 52 tonitrua 53.23
tonitrua pugnantia 52
tonitrua audita per somnium. ibid.
59
torrentes differunt a fluminibus, quã tum somnia attinet 50
trementes 103
triremes 153
tristicia, affectus 34
tristicia somniorum causa 3
triticum 61
truncí 23
trochus ibid.
Trophonium antrum 221
tubera 23. tuguria. ibid. tur res ibid.
turtur 59. turtur sola 66
tussire 101. tussi uexari 88
tyrannum oriturũ quæ præmonstrẽt 44.
tyranni in somnio quid significent. 149
Tyrannus. 69.

V

Venundari 208
ualetudo 24.25
ualetudinis ratio habenda in somnijs 214
ualles 53.23.54
ualles floridæ & amœnæ cum riuulis & fontibus 55
uapulare senes 214
uasa 23.128.129
uaticinium, somniorum genus 2
uehiculo ferri 93
uela 151
uenæ 85
uenari 100
uenari animalia domestica 101
uendere 103
uenenatũ potum aut cibum sumere in cibo 20
uenter 26. uentriculus 26
uentus qualis sit 43
uenti in somnio quid 49
uenti si arbores euertere uidẽtur euertere. 49
uentos pluuerem uidẽtur aduehere. ibid.
uerba occulta audire 122
uerberari 40.93
uerberari se 213
ueritas in Deo 40
uermes 22.68
uertex 21. uertex capitis 28
uesica 26
uesparum significatio 67.68
uespertilio 66. si uideatur in sculptura 59
uestis 214.63. uestis picta. 215
uestes 23.124
uestes exuere 124
uestes induere ligneas, aut lapideas. 183
uestium differentiæ 124
uestibus nouis indui 215
uicini 29
uigilare 59.101
uigilia 3.178
uinea 48.
uirginia 95.
uirgines 45.
uirgis 95.
uirginea 48.
uirginitas 48.
uirgo 48.
uirgo Vestalis 48.
uirgo Dea 48.
uirgo Deipara 48.
uirgo Dea Cælestis 48.
uirgo Dea Cælestis Syra 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ Iris 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ Iris Arcus 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ Iris Arcus Cælestis 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ Iris Arcus Cælestis Halo 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ Iris Arcus Cælestis Halo Parelij 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ Iris Arcus Cælestis Halo Parelij Parhelia 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ Iris Arcus Cælestis Halo Parelij Parhelia Cauda 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ Iris Arcus Cælestis Halo Parelij Parhelia Cauda Trabes 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ Iris Arcus Cælestis Halo Parelij Parhelia Cauda Trabes Fulgura 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ Iris Arcus Cælestis Halo Parelij Parhelia Cauda Trabes Fulgura Fulmina 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ Iris Arcus Cælestis Halo Parelij Parhelia Cauda Trabes Fulgura Fulmina Tonitrua 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ Iris Arcus Cælestis Halo Parelij Parhelia Cauda Trabes Fulgura Fulmina Tonitrua Terræmotus 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ Iris Arcus Cælestis Halo Parelij Parhelia Cauda Trabes Fulgura Fulmina Tonitrua Terræmotus Tuba 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ Iris Arcus Cælestis Halo Parelij Parhelia Cauda Trabes Fulgura Fulmina Tonitrua Terræmotus Tuba Turbo 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ Iris Arcus Cælestis Halo Parelij Parhelia Cauda Trabes Fulgura Fulmina Tonitrua Terræmotus Tuba Turbo Tympanum 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ Iris Arcus Cælestis Halo Parelij Parhelia Cauda Trabes Fulgura Fulmina Tonitrua Terræmotus Tuba Turbo Tympanum Vrna 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ Iris Arcus Cælestis Halo Parelij Parhelia Cauda Trabes Fulgura Fulmina Tonitrua Terræmotus Tuba Turbo Tympanum Vrna Vrbs 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ Iris Arcus Cælestis Halo Parelij Parhelia Cauda Trabes Fulgura Fulmina Tonitrua Terræmotus Tuba Turbo Tympanum Vrna Vrbs Vsus 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ Iris Arcus Cælestis Halo Parelij Parhelia Cauda Trabes Fulgura Fulmina Tonitrua Terræmotus Tuba Turbo Tympanum Vrna Vrbs Vsus Vtres 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ Iris Arcus Cælestis Halo Parelij Parhelia Cauda Trabes Fulgura Fulmina Tonitrua Terræmotus Tuba Turbo Tympanum Vrna Vrbs Vsus Vtres Vulnus 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ Iris Arcus Cælestis Halo Parelij Parhelia Cauda Trabes Fulgura Fulmina Tonitrua Terræmotus Tuba Turbo Tympanum Vrna Vrbs Vsus Vtres Vulnus Vxor 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ Iris Arcus Cælestis Halo Parelij Parhelia Cauda Trabes Fulgura Fulmina Tonitrua Terræmotus Tuba Turbo Tympanum Vrna Vrbs Vsus Vtres Vulnus Vxor Xenia 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ Iris Arcus Cælestis Halo Parelij Parhelia Cauda Trabes Fulgura Fulmina Tonitrua Terræmotus Tuba Turbo Tympanum Vrna Vrbs Vsus Vtres Vulnus Vxor Xenia Zona 48.
uirgo Dea Cælestis Syra Hierapolitana Iuno Assyria Venus Celestis Luna Diana Minerua Ceres Proserpina Hecate Tellus Rhea Cybele Bellona Fortuna Nemesis Victoria Pax Iustitia Astræa Virgo Sidus Signum Duodecimum Ascendens Cælum Terra Mare Sol Luna Stellæ Errantes Fixæ Cometæ Iris Arcus Cælestis Halo Parelij Parhelia Cauda Trabes Fulgura Fulmina Tonitrua Terræmotus Tuba Turbo Tympanum Vrna Vrbs Vsus Vtres Vulnus Vxor Xenia Zona Zythum 48.

vile. 67.
virgula. 54.
virtus. 52. 57. 60. 61. 63.
vexatio. 99
vile. 57. 60. 63.
vinula. 57. 67.
victus. 56.
vinum lubernum 46. 64
vinea. 55.
vinosa. 50.
vitio. 61.
vinu. 61. 555.

INDEX

uineta 23. uinum 64 ibid.
uinum bibere 115
uinum crassum & copiosum insomni a facit 5
uinum exprimere 121
uini abstinentia 220
uiola purpurea 61
uipera 7
uipera se parere si somniet prægnans 214
uirentia perpetuò 60 61
uirile membrum amputatum 217
viridis color 106
uisa octo generum 19
uisa deorum quomodo interpretanda 40
uiscera 219
uiscera in somnio per terram significantur 53. 30
uisio Dei 40
uitam in paradiso uiuere 132
uitis 66 uitis arescens ibid.
uitis luxurians quid in somnio indicet ibid.
uitri significatio 210
uitricus 138
uituli marini 71
uiuerræ 78
uiuum defodi in somnio 212
ulna 22
ululæ significatio 66
Vita flagitiosa. 44. 46.
Vita laboriosa. 75.
vita segnis. 51.
vita otiosa. 51. 61. 69.
vita decursus. 50. bis
vita gloriosa. 44.
Vlyssis somnium 240
uola 22. uolæ 23
uolare
uoluptuosa possessio 24
uomitus 68. 22. 98
uorago in cœlo 49. uoragines. 23
uox e uisceribus terræ 53
uoces 23. uoces animalium 66
umbilicus 22. 26
umbra platani 62
unguis 22. unguium significatio. 27
ungulæ & cornua 84
unum quomodo multiplex esse possit 20
upupa 66
urbes 23. 133
urina 22. urina animalium 83
ursa cum catulis 59
ursæ sidus 77
ursæ catulus 216
ursus 66 77
Vrso de somnijs scripsit 2
uteri significatio 27
Vulcanus 43
uulnerari 94
uulnera sicca ibid.
uulnerum significatio 135. 136
uultur 66
uulua 22. 27
uxor 62. 56. 45. 25
uxorem habentium somnia 209
Vxor quibis. 47.
Viri illustris ingressus. 48.
uxor ducenda. 50.
uxoris mors. 52. bis. 55.
Vita misera. 54. 55.
Vir grauis. 54.
Vita inquietus. 54.
Sui curæ. 54.
Febr. 54.
Viri nobiles. 55.
Vita ridiculosa. 55.
Bragilla. 56.
monastica. 56.
iucunda. 56.
longa. 63.
quieta 63
Vir. 59. 60. 62. 66. 64. 67. 68
Virtus. 59.
Virtutis. 61.
vita mea. 63.
Vita mea lasciua. 63. 67.
Viuere nescit. 63.
Flagitiosa. 63.
vita. 64. 69.
voluptas. 66.
voluptas. 66. bis. 62. bis. 63.
uoluptas honesta. 44.
uoluptas. 51. 54. bis. 56. bis
vorax. 60.
uox cognita mortui nō
uisi. 45.
uoto nō potiri. 46.
Vox. 53. 57. 65. 66.
umbra. 62.
Vnus. 58. 60. 68.
vrtica. 60.
Vsus. 60. 61. 66.
Vtilitas. 54. 55. 60. 61. bis. 62. bis. 67.
Vti male suis. 59.
Vulnera. 57.
Vulnera. 64
vulpes. 66.
Vita religiosa. 69.
sordida. 65.

vite partes. 61.
Vita. 44. 61. bis. 63. 65. 67. 69.
Vitæ a uero pulueri obtenebrari. 44.
vita alienis imitari. 45.
vita ex meliꝰ cōmutanda. 45.
viuere diu. 45. 53. 57. 61. 63.
vite primū. 45. 49.
viues q mortuꝰ credit. 46.
viui cū mortuis spe. 46.
vita cū facinorosis. 47.
Viuus in mortuos. 47.
viui si mortui uidēt. 47.
Viuus ī sepulchris ch. 47.

ERRATA IN LIBRIS SOMNIO-rum occurrentia, sic emendabis.

Pag. [illegible] de eo. 21.maxima. 2.13.æger. 3.10.explicare. 4.17.moderati. 11.3.irrita. 13.5.à fin.solæq; imagines. 14.1.uidens. 23.infamiam. 15.24.oculus. 19.7.gratuita. 20.3.à fin.cadunt. 23.3.à fin.mundo. 28.2.à fi. his. 41.13.Cap.XVII. 51.7.aquam inuenerit. 53.22.opes. 67.2.à fin.uespæ. 69.25.incedunt. 74.3.& quæ. 82.30.adeptionem. 106.5.uincti. 110.6.à fin.imperfecto. 123.26.liberis. 152.2.sint. 154.23.honorẽ. 166.15. constitutionis. 180.19.speculum. 185.29.cum ambulassem mille. 186.5.amicis. 11.abducitur. 187.16.perceptæ. 188.8.habitum. 192.12.iunguntur. 214.31.creditor. 217.21.ostendunt. 218.3.ut ursus. 222.11.tum. 224.2.à fin.iudicium. 225.ult.reliqua. 230.7.sapientis. 24.materialium. 237.6. diu. 273.16.suscipere. 277.30.erogassem.

ERRATA DE MINIMIS ET propinquis & de summo bono.

Pag.394.lin.18.modicam scintillam. 396.22.uiris. 27.ægrum. 397.14. somnijs. 399.24 nostram. 401.30.latera. 410.22.aut.

HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI, SYNESIORUM SOMNIORUM LIBER PRIMUS: QUI EST, DE GENERALI TRACTATIONE & DIFFERENTIA EORUM PENES USA.

Caput primum: Somnia esse apud omnes gentes, leges ac sapientes accepta: & de eorum usu, ac autoribus.



Omniorum interpretationem uelut diuinitùs concessam atq; utilem, inter cætera uerò diuinationum genera admirandam, leges omnes celebrarunt. Nam & in ueteri Testamento Iosephum Iacobi filium, & fratres & parentem & se potentem reddidisse narrat Moses. Somnio moniti Reges, Herodis uim effugêre: translatus Christus in Aegyptum, atq; inde etiam domum reductus. Romani etiam hanc obseruationem non solùm ut religiosam coluerunt, sed etiam inter munimenta Imperij posuere. Mahumeti cultores & ipsi somnia obseruant. Sed & philosophi omnes, in alijs dißidentes, in hoc unum genus diuinandi consensere. Propterea etiam Aristoteles de eis scripsit. Socrates somnijs maximè tribuit. Hippocrates, Galenus, ut nulli alij. Omnes uiri graues id sensere, immissam nobis futurorum cognitionem à dijs immortalibus. Neminem puduit, se fateri somniorum interpretem, cum alia genera diuinandi aspernarentur, ac etiam irriserint plurimi. Verùm ne miscendo falsa ueris, & inania utilibus, atque è re prædicendo, tanquam nulla arte opus sit ad interpretationem, aut etiam falsis uatibus credendo plura admitterentur in populo flagitia: Moses uulgarem usum, ut & plerumque aliarum periculosarum rerum, interdixit. Itaque ut non nisi medicis medendi facultas est, & sacerdotibus diuina tractandi, & legum peritis iudicandi: ita non nisi sapientibus licere debet somnia interpretari. Etenim præter illud quòd nihil apud hos imperitos proficitur ex huiusmodi diuinatione, id etiam accedit, ut ars in contemptum, fallentibus responsis & re per ludibriũ tractata, ducatur. Quod etiam euenit & Medicinæ, & Astrologiæ, reliquisq; nobilioribus disciplinis, cum à uulgo tractantur. Operæprecium igitur fuerit, artem peritis relinquere: tum ob difficultatem, tum ob nobilitatem. Cauen-

dum etiam est, ne cum Fati obseruatio hæc pars sit, in Fatum ipsum imprudenter cauendo nos detrudat. Equidem si illius interpretationem non ut Fatum, sed ut rem naturalem, signumq; ac coniecturam accipiemus, non solum futuri scientiam adipiscemur, sed usum etiam, ut nobis prosimus: sin ut rem certam, & quæ mutari non possit, præter id quod usum nullum habebimus, fallemur etiam in expectatione euentuq; ipso. non quòd res ipsa dubia sit, sui natura: sed quoniam nostra cognitio cæcutit, ut maximè in clarissimis rebus. ueque enim magis in luce solis quàm in umbra uidemus, sed deterius. Atq; eo magis, quòd plura sint somniorum genera: scilicet monitorium, suasorium, deterrens, impellens, non autem solum oraculum & uaticinium. Itaque opus est felici natura in uidendo, solerti ingenio in interpretando, prudentia non parua in utendo ea diuinatione. Id enim contingit omnibus præcipuis præceptis atq; auxilijs, ut ex sinistro usu homo periclitetur. Et longè magis ęger ex rhabarbaro quàm prunis: & qui pietatem curat, in maiora incidit pericula errando, quàm qui negligit. omnia enim medicamenta tam sunt periculosa, quàm salutaria. Scripsere autem de his Artemidorus Daldianus, & Nicephorus Gregoras, & Vrso. Et Salomon Iudæus, non ille rex, sed longè posterior: & Persæ atque Aegyptij, & Sciruachan Indus. & præter cæteros, adhortatus est, non quicquam scripsit in arte, ad illius studium Synesius: ob quem etiam nos Synesiorum somniorum interpretationem appellauimus, quamuis prorsus nil in arte scripserit. alij uerò, præsertim Artemidorus & Iudæus, multa utilia tradidère. Sed cum methodo careremus, omnia inordinata, plurima confusa, & quæ sic ut iacent accipiuntur, falsam artem ostendere uidebuntur: quædam etiam prorsus falsa. Qua de causa libuit eam attingere, ut quàm diuina sit edocerem, & quàm ardua: admonentes (ut dixi) eos qui legunt, artem ipsam tantum esse periculosam errantibus, quantum utilem rectè eam tenentibus.

Caput II. De diuisione somniorum, & ordine tractationis.

OMnium somniorum ueras, & reliquorum quæ fiunt aliquas efficienter causas esse necesse est. Aut igitur causæ illæ corporeæ sunt, aut incorporeæ. utræque etiam aut nouæ, uel antea conflatæ. Quatuor igitur necesse est genera esse somniorum. Nouæ corporeæq; sunt, cibi, potus: ut caput polypi, caules, cæpe, fabæ, & quæcunque caput petunt, & præcipuè atram bilem generantia. Sed iam paratæ, humores sunt. bilis enim flaua, ignes pugnasq; decernit: atra, lutum, cœnum, funera, carceres, timorē: sanguis, iocos, amœna loca, sanguinem, purpuram: pituita, aquas, imbres; niues.

niues. est enim frigidissima. Incorporeæ autem præcedentes, sunt curæ, cogitationes, res memoriæ mandatæ, timor, spes, lætitia, tristitia, odium, amor. Atnouæ sunt, quæ à superiore causa in animam illabuntur. Hoc autem esse, demonstrandum erit. nam de cæteris membris diuisionum omnes adeò conueniunt, ut hoc ipsum ultimũ multi sub aliquo priorũ trium collocare nitãtur.

Quærere autem primum oportet, quæ uniuscuiusq; generis sint: atq; ideo
5. quæ uera, quæ falsa. nulla enim docent futura, nisi quæ à superiore immittuntur causa, et quæ ab humorib. fiunt. Inde, cur uera sint docere oportet, quidq; ueritatis in singulis generibus contineatur. Deinde quæ idola sint, quæ interpretatione indigeant. In uisis etiam singulorum interpretationem explicare oportebit. Subijciemus & modũ habendi somnia uera. Adijcere oportet etiam, quãdo sit euentus futurus. Et cum euenerit, quo' nam pacto ex somnio intelligere poterimus, à somnio id significatum esse. Disputabimus etiam, an liceat occurrere euentibus somniorum: & quomodo possint eiusmodi decreta, & quæ alijs diuinationum generibus præcognoscuntur, mutari aut prohiberi. Demum, cur quidam somnient uera, quidam uix unquam. Et quando hæc tum ratione ætatum, tum temporum propriorum. Plura alĩ intermiscere licebit, sed hæc erunt principaliora. Est autẽ tota tractatio, ut usum est, sumpta uel à differentia rerum uisarum, uel à modo uidendi, uel differentia somniantium. quamobrem in tres libros diuidere necesse fuit. Quartus autem est selectorum somniorum.

Caput III. De causis insomniorum.

SIngulorum igitur generum causæ ita se habent. Eorum qui à cibis sunt. ac potibus, ut in ebrietatibus fieri solet, causa est motus, qui fit à uaporibus exhalantibus ab ingestis. At enim uisum est in libro de Animi immortalitate, somnum esse quietem spirituum, uigiliam autem motum illorum uehementẽ: insomnium autem, tremulum quendam illorum & imperfectum motum. Igitur insomnia omnia fiunt motis leuiter spiritibus. Vnde dum profundè dormimus, nihil prorsus somniamus. Omnia igitur genera insomniorum in hoc uno leui motu spirituum conueniunt. conueniunt & omnia in materia: est enim singulorum materia, recordatiò uisorum uel auditorum. namque nulla fiunt insomnia, nisi de illis. quocirca si contingat chimærã (gratia exempli) uidere per somnum, licet non contigerit chimæram uidisse, aut tamen pictam aliquam uidit chimæram, aut qualis esset audiuit, aut saltem singulas illius partes agnouit, uelut leonem & serpentem & capram. Quòd si quid etiam alienum uiderit homo, ut ignotum quempiam aut informem plantam, nihil aliud sunt hæc quàm deficientia, uel transposita. homo enim ignotus nihil

aliud est, quàm homo cum perfectè non deprehenditur. indicio est, quòd omnes homines, etiam notißimi, dum longius uidentur, ignoti sunt. Ex imperfecta igitur cognitione ac transpositione, mistioneq; uisorum, omnia insomnia constare haud dubium est. Vnde si infantes primis diebus somnia uidere constaret, haud dubiè immortalitas animi nostri atq; descensus ex beatis sedibus demonstrari posset. nam omne insomnium recordatio est. Illis uerò præsentium nulla potest esse memoria. omnis enim memoria cognitione quadã præcedente fit: illi autem iam nihil cognoscunt eorum quæ sunt apud nos. quæ ergo uiderint per somnum, si quid omnino uiderint, alibi cognouisse necesse est. Sed redeamus ad insomnia nostra, quæ omnia & in efficiente causa, & in materia conuenire ostensum est. Efficiens enim causa est, motus spirituum moderatus: materia uerò, memoria rerum uisarum uel integra, uel uitiosa. Porrò esse diuersa genera somniorum constat. oportet igitur etiã causas esse diuersas: nam ab ijsdem prorsus eadem omnino fiunt. Motus igitur hic moderatus non omnino ita ad amußim intelligi debet, ut hæc moderatio exquisitè sit indiuidua. Verùm si motus sit uehementior & perturbatior, tametsi moderati genere contineatur, fiunt insomnia perturbata, imperfecta atque confusa. Hocq; modo duo consurgunt genera eorum: unum quod à cibis est, estq; magis confusum & imperfectum, remißius tamen. à cibis enim ac potibus cũ nõ adeò cõstanter uapores eleuẽtur ut ab humoribus, fiunt somnia magis imperfecta, mutilataq;, sed & magis obscura: quoniã uapor ille pinguior est, præcipuè si non desit uinũ, quàm ab humoribus: non sunt tamen species adeò cõstantes, nec cũ tanto impetu mouẽt, ut quæ ab humoribus excitantur. Quare somnia ex cibo sunt minus continua, & minus cohærentia ac ordinata: magis uerò turbulẽta & confusa ac uaria, quàm quæ ab humoribus fiunt: ut contrà quæ ab humoribus, magis constantia, ordinata & cohærentia, minus tamen perturbata uariaq;, & minore impetu, quàm quæ à cibis. Quæ uerò cum minore perturbatione fiunt, & clariora sunt, sed quasi composita fiunt, coniunctis pluribus recordationibus. afficiunt autem magis per somnũ ob id, per uigiliam autem parum. Cohærent etiam plerunq; uisis, aut auditis, aut imaginatis pridiè, aut paucis antè diebus, aut etiã longo antea tempore. Et tunc seriè quasi rei totius referunt. Quæ aũt ordinata sunt, & minimo cũ motu spirituũ fiunt, lenia, & sine ulla agitatione, à superioribus causis excitantur: plus tamẽ afficiunt animã, ut experrecta admiratione quadã detineatur.

Cum itaque ex effectibus ad causas singulas procedere liceat, necesse erit in singulis speciebus ueritatem inesse. Si enim somnia cum magno motu turbulenta, uaria, obscura atq; imperfecta uideãtur, parumq; coherentia uideãtur: dicemus,

dicemus, igitur & cibi præcesserunt, aut potus huiusmodi. contingit aũt hoc quinq; modis. Aut quoniam hi tales naturà sint, ut dixi de polypi capite, caulibus, cæpis, ozymo, & coriandro recenti, iunci fructus, solani fermè omnes species, hyoscyamum, mandragora, & uinum crassum & copiosum: generaliter autem omnia quæ somnum prouocant, & quæ atram generant bilem, ut legumina, & præcipuè fabæ. Aut ob multitudinem copiamq; ingestorum, aut ordinem peruersum, cum multi uarijq; generis cibi eduntur, & potus uarij commiscentur. aut si crudo cibo alius cibus adhuc superaddatur: uel si à cibo assumpto plurimum agitetur. Similiter & in memoratiuis, si quid uideas magis cohærens atque perfectum & ordinatum mediocri cum impetu, & illud uerum est somnium, ostenditq; humores huiusmodi abundare, quales sunt affectus: uelut ex ira, cursu, pugna, ignibusq;, bilem: ex incendijs, cum timore ac furore, & obscuritate, terræmotu, fulgure ac tonitruis, bilem atram: ex fuga, cœno, carceribus, morte, luctu, tenebris, desperatione, melancholiam: ex inundationibus, fluminibus, pluuijs, tempestatibus, grandine, niuibus, frigoribus, glacie, paludibus, pituitam: ex pratis, iucundis habitationibus, sonis, uoluptatibus, delicijs, pulchris picturis, odoribus suauibus, temperatam ac moderatam bonorum humorum quantitatem: ex amplexu mulierum, præparatione ad concubitum, osculis atque blanditijs, seminis copiam: ex sanguinis balneo, rosis rubentibus, purpura, uinoq;, sanguinis copiã adesse intelliges. Est autem præcipuum in somnijs quæ ab humore fiunt, sæpius redire, & in eodem genere permanere atque consistere. in his uerò qui à cibis & potibus, non nisi præcedente causa. in his à memoria fiunt, cum (ut dixi) parum animum mouent, & plerunque mista sunt, præcesseruntq; causæ similes: scilicet uehementes affectus, quos diximus esse septem, scilicet timorem & spem, lætitiam & tristitiam, iram, odium, & amorem. nam & auaricia sub amore, spe ac timore contimetur: & reliqua omnia talia. inuidia enim uel ad odium amorem, uel spem reducitur, cum fuerit uehemens. Super affectus igitur omnia hæc, & memoriam rerum uisarum retrò acta illa eadem præesse ostendunt, suntq; & ipsa uera.

Propterea omnia hæc ad præsentem non pertinent considerationem, quoniam nõ futura per se demõstrant, sed præterita solùm atq; præsentia. Quod etsi quæ ab humoribus fiunt insomnia, morbos præmonstrent, uelut docuit Hippocrates, nec non etiam morborum qualitatem: non tamen id per se agũt, sed copiam humorum demonstrando, ueri simile est successurum morbum eius generis qualis est humor, maximè uitiosus qui superabundat. De his ergo tribus non est instituta tractatio. Veruntamen ut intelligamus unde somnia

illa diuina procedant, ulterius progrediendum in causæ inquisitione trium horum generum tanquam notiorum. Idq; est, quid moueat has imagines, maximè in somnio memoratiuo. nam in alijs duobus generibus est uapor uel à cibis, uel ab humoribus excitatus. Esse autem imagines (quoniam hæ, ut dictum est, materia sunt omnium somniorũ) uel in corpore, uel in anima, uel spiritibus oportet. In corpore quidem simpliciter non esse possunt, quoniam plantæ & multa animalia memoria carent. In spiritibus nõ tamdiu memoria, uelut eorum quæ in pueritia egimus, conseruari posset, fluctuante assiduè spirituum generatione: præterea in syncope magna ex parte dilaberetur, cum tamen tota illæsa permanere soleat. Neque etiam in anima: nam perpetuæ esset, ut etiam uita. Substantia enim animæ talis est. Est ergo memoria duplex. alia quidem ut actus primus, & est in corpore animato, & cerebro, seu illius parte. indicio est, ex illius affectibus nonnunquam totam deperire. alia uerò quæ est dum contemplamur, & est uisio imaginis à spiritibus eleuatæ, facta ab anima. Necesse est autem moueri spiritus, uel ut animam moueant, uel ut imaginem illam excitent. nam anima semper est in actu, atque ad contemplandum parata: spiritus autem non ita. Quicquid ergo spiritus intrò mouerit seu uigilando seu dormiendo, necesse est ut animam cognoscere faciat. Cum ergo & in humoribus & in cibis causa motus perspicua sit, huiusmodi somniorum origo etiam perspicua est. at in his quæ recordatione præteritorum fiunt, cum nihil seipsum mouere possit, considerandum. Ex notis autem hæc ratio deducenda est. cum enim, ut diximus, nisi ex uehementibus affectibus non fiant huiusmodi somnia, fateri necesse est spiritus non perfectè conquiescere in huiusmodi affectibus. cum uerò non conquiescant perfectè, non tamẽ adeò mouentur perpetuò ut excitent imagines: quare omnium horum somni leues atque exiles sunt etiam interim. Deinde uelut in igne leuis motus sponte, dum calorem excitat, persæpe augetur: ita incalescunt spiritus, & exagitati magis ostendunt proximas plerunque conceptas imagines, atq; ita memoratiua somnia fiunt. Quæ ergo à superiore causa contingunt, mouentur ab influxu qui à corporibus contingit cœlestibus. atque hic adeò ordinatus est, ut species in anima conuenientes effectui procreando eo ordine moueat, ut similem speciem effectui illi conficiat. uelut si quis lapillos plurimos habeat diuersorum colorũ ac magnitudinis, sitq; adeò peritus artifex, ut quarumcunq; rerum imaginem seu hominum seu animalium, aut plantarum in tabula ichnographiam representare norit. Manifestum est autem primò, quod iuxta artificis maiorem peritiam, aut minorem, & iuxta lapillorũ magis aut minus congruentem formã, colorem, magnitudinẽ ac multitudinem exactius

aut

aut minus exactè, nec non iuxta rei quã delineare intendit, formã magis notam & uulgarem aut minus repræsentabit. Vt sint ergo tria, quæ differentiæ causa sint: constitutio cœli ualida aut imbecillis, res repræsentanda uulgaris aut rara, & imaginum copia & forma apposita ad rem referendam in anima somniantis. Ergo cum hæc tria fuerint exquisitißima, fiet idolum, uelut si cognouero hominem illum à quo uulnerari debeo, aut ei persimilem, uis cœli per idolum repræsentare poterit. aliter per diuersas similitudines, utpote artis, uestium, nominis, illud idem ostendet: tuncq; interpretatione opus erit. Porrò causa motus spirituum tunc erit res corporea. corpora enim sunt, licet exilia: ideoq; à qualitatibus tantum corporeis, nõ ab influxibus moueri possunt. Ostensum est autem in Medicarum disputationum libro primo, influxus hos incorporeos esse, non tamen sine corporeis qualitatibus ad nos descendere. calor igitur coniunctus influxui, spiritũ mouet, & imagines illas influxui congruentes excitat, conficitq; imaginem futuræ rei congruentem mirabili certè ac tenui artificio. ideoq; ordo hic ab humoribus, cibis, affectibusq; immoderatis præcedentibus facilè impeditur, & longè facilius perturbatur. ubi uerò quatuor illa concurrerint quæ dicta sunt, scilicet efficax influxus, rei quæ demonstranda est, uulgaris noticia quædam, formæ & imagines in anima seruatæ, numero, magnitudine ac figura accommodatæ rei demonstrandæ, impedimentorum absentia, & quædam uacuitas (ut ita dicam) in anima somniantis, & quinta quædam conditio (nisi res expreßa sit idolo) requiritur, scilicet interpretandi peritia singularis quædam. nam descripta lapillis, uelut plumis indi bellißimè facere solẽt, alicuius hominis noti effigie, quidam statim qui sit coniectabuntur: alij tardius, & magna cum ratiocinatione: quidam etsi illum satis nouerint, nunquam tamen in animum inducere poterunt, ut ex illa figura eum hominem recognoscant. Vnde patet, quàm naturalis sit hæc cognitio, quantaq; uatis sit necessitas. neque melior uates esse potest, quàm ipse somnians, si artem norit: quoniam idem imaginem & ichnographiam pulchrè ante oculos depictam habet, & rationem tenet accommodandi singulas partes figuræ uisæ, similitudini rerum singularum quas ipse iam nouit, & hominum & causarum ac negociorum. unde facilè illi erit multa interpretari, atque in unum reducere, quæ nemo alius quantumuis perspicax somniorum interpres dignoscere poterit. Talia igitur somnia uera sunt: & quoniam ostendunt incognita futura maximè, quæq; & præsentia etiam, & præterita, quorum scientia ad negocia peragenda utilis esse potest, in precio sunt. & ob id de illis propriè tractare propositum est.

Gemmarum autem gestatio (nam pleræq; ex his alia atque alia insomnia mouent)

mouent) uelut Eumetris, id est bene moderatus & mensuratus, ad duplex genus reduci debent: quandoque etiam tertium continent. Mouent enim humores qualitatibus suis. Colorum etiam memoria excitat diuersas imagines. sunt etiam quædam quæ spiritum reddunt magis promptum ad excipiendas cœli imagines, conferuntq; hæ solæ ad diuinationem: cum reliquæ non secus ac curæ & prauus corporis habitus, non solum non iuuent, sed etiam impediant diuinationem. idem uerò de alijs lapidibus, & si quid aliud est huiusmodi, dicendum censeo.

Fuere uerò qui somniorum causam esse dixerunt dæmones. Sed uidemus plurima obscura esse, quæ si à dæmonibus immitterentur, talia non essent. Aristoteles autem in collimationem retulit. At si id, essent pleraque insomnia idola: quæ enim collimat anima, recto intuitu inspicit. at somniorum interpretatio plerumq; ex obliquo deducitur.

Caput IIII. Vnde insomnijs ueritas.

CVm ergo in prioribus tribus modis ueritas somniorum perspicua sit, quanto magis in quarto qui à cœlo originem ducit? Palàm est etiam diuina irrita non esse, atque in illis proprietates esse: quemadmodum in Herculeo lapide, atque sonis, alijsq; huiusmodi. Experimenta etiam plurima clarorum uirorum id comprobarunt. neque, ut dixi, somniorum ueritas in dubium reuocatur: sed, an ulterius procedendo abdita detegere possint. at quid prohibet, si somnia quæ ab humoribus fiunt, illos esse arguunt, atque in corpore dominari, metuendosq; morbos ob id, & cuius generis: ut non multo magis ac uerius uisis imaginibus causarum futurorum euentuum, cædis, proditionis, paupertatis, ne huiusmodi etiam euentus superuenturos ex illis causis intelligamus. Vnum tantum superest dubitatione dignum, scilicet quo'nam pacto fiant somnia monitoria, quæ nos cauere infortunium docent, non uenturum: quemadmodum Themistocli accidit semel duntaxat, mihi autem etiã sæpius. Existimandum censeo, si illa non sint ex altiore quadam mente, uelut dæmonum (nam nec hanc causam sustulimus, sed non necessariam esse docuimus: illam uerò naturalem necessariam esse, & in omnibus, uel saltem pluribus) aut etiam diuina, prorsus naturaliter sic constare. constitutis causis inefficacibus, aut etiam ex Fati ordine effectum haud habituris, apparent imagines formidabilis rei. Porrò de huiusmodi quæstione, suo loco sermonem longiorem facturus sum.

Constat igitur uerum hoc esse genus somnij tum ex his, tum quia cum desint aliæ causæ, humorum copia atque ciborum, mentis quoque tranquillitas, & tamen mira ac magna uideamus, necesseq; sit cuiusque effectus aliquã

esse

esse euidentem causam: palàm est cœlestem, nõ aliam ullã esse oportere. atq; hanc propriè, & ut principalem, & ut perfectiorem natura intendit: alias uerò necessariò. Nam humores & cibos spiritus agitare, & commouere uisiones atque insomnia necesse erat. Memoriam quoque præteritorum agitare mentem: &, ut inquit poeta,

Exercent rabidam truculenta insomnia mentem.

Quare stultũ est credere, si etiam in his imperfectis ac uitiosis causis & ueritatem & utilitatem natura collocauit, in tam præstanti origine nobiliq; genere somniorum non adesse præclaram utilitatem aliquam, & euidentem ueritatem.

Præterea nullum genus rerum, non hominum, non animalium, cum ad illorum mores respicis: non plantarum, cum ad generationem earum: nec lapidum, si ad uires animum conuertas: non elementorum, non siderum diuinitatis expers uidetur. itaque cùm animalibus, tum maximè hominibus, duo tempora dederit, uigiliæ ac somni: in uigilia, quæ sensilibus mancipata est, tot appareant diuinitatis argumenta, in somno dum quiescit, dum diuinis magis uacat, nullum maius esse quàm in uigilia artificium & argumentum diuinitatis, proximum miraculo esset.

Est etiam illud argumentum insigne ueritatis somniorum, quòd paulo ante insignes mutationes seu fortunæ seu morũ, accidunt insomnia id declarantia: quamuis fortuita sit ea mutatio, aut saltem non meditata. Planè & illud insigne est indicium ueritatis illorum, quòd quæ hic à nobis methodo inuenta sunt, ab his quæ ab aliis experimẽto sunt tradita, ne lato quidem ungue discrepant: cũ fieri nõ posset, si uera ars non esset, ut adeò ratio experimento congrueret, tam generaliter: atque eo maximè, quod hanc methodum nos nondum lectis illorũ libris conscripsimus. Vbi uerò eam extruximus, omnia conuenire deprehensum est. Quis ergo dicat, tot experimentis, totq; illorũ interpretationib. satisfieri hac una ratione potuisse, ni & ars uera esset, & sic rectè inuenta ratio interpretandi, traditaq;? Insomnia etiã multa nobis contingũt de his de quib. nõ cogitauimus: & tamẽ adeò ordinata, ut in humores referri non possint: tum præsertim quòd ad actiones potius pertineant, resq; alienas ab humorum significato. Vbi etiam extrema qualitate quadam naturæ generis non repugnante participare sensu deprehendimus, id conuenire toti generationi certum est. uelut sol calefacit, & hyemem facit, mutatq; aerem, & causam præbet generationis ac corruptionis: igitur illud idem facturus est, licet non adeò sentiatur in temporibus medijs. Cum ergo sapientum et egregiorum uirorum, & in maximis difficultatibus, & sub morte, & ante

prælia, somnia uera esse uideamus: existimandum est, totum hoc genus uerũ esse, licet haud adeò euidens in humilis conditionis hominibus atque imperitis, minoribusq; negocijs. Ergo non ob aliud in dubiũ reuocatur certa prædictio somniorum, quàm quòd plebs non nouit illa tria prima genera ab hoc quarto distinguere: quod qui facere nescierit, necesse est ei ut omnis somniorum natura fortuita uideatur. At qui perfectè distinguere norit, perspicuè intelliget, prædictionem ex somnijs huiusmodi totam uerissimam esse, ac propè diuinam. quòd hoc argumento planè perspicuum est. Nam cũ multi sint, quibus tota uita somnia fermè semper uera uisa sint, in nullo alio genere fortuitorum neque tamdiu, neque etiam toto anno collimare contigerit fortuna uel casu, licet coniectura & solertia non absurdum sit: palàm est, somniorum præscita non solùm uera, sed à naturali causa, ut plantas reliquaq; naturæ opera, ortum habere. unde etiam ὄνειρον somnium à Græcis appellatum est, ab ὄν quod est uerum, uel quod est: & ἔιρειν loqui. Iam igitur illa distinguere doceamus.

Caput V. De cognitione uerorum somniorum.

CVm omnia quæ ad nos perueniunt, naturaliter ex sensuum cognitione habeantur, tum maximè hæc distinctio ex illis oritur. Ratio tamen plurimũ potest atque adiuuat ad huiusmodi cognitionem, tum distinguendo, tum differendo. Sunt autem signa quædam propria, quædam communia, quædam coniecturalia. Propria quidẽ ab Auerroe duo sunt cõnumerata: quorũ primum in somno, secundum in uigilia dignoscitur. In somno quidem, cum uerè uidere, uereq; audire nos uidemur efficaciter, perfectè, distinctèq;: in uigilia autem, cum anima quasi admirata remanet. hoc enim causæ somnium efficientis robur ac constantiam declarat. Ex communibus ab hominis natura, ætate, actionibus, moribus, consuetudine, tempore, anni constitutione, modo somnij, causa, hora. Naturà ergo uera uident somnia, qui rarius somniant: falsa, qui assiduè. Aetate autem, iuuentutis, pòst senectutis. nam puerorum somnia inconstantia sunt, & plerunque falsa, & de minimis. Quicunq; etiam magnis in actionibus uersantur, ac negocijs, cibi ac potus contemptores, nec metu nec mœrore turbati, ueriora uident: contrarijs autem modis affecti, falsa. Eaq; de causa principum somnia ueriora sunt. Moribus quoque ueraces, pij, somnia uera habent. Qui etiam non adeò pij sunt, sed crudeles, uerum haud fallaces, uera somnia uident: superstitiosi, minus. Consuetudo quoque, ut in reliquis, tamen in hoc plurimum potest. Qui ergo consueuere somnia uera uidere, his etiam plus credendum est: qui uerò secus, minus. Ex anni etiam temporibus æstas & hyems, quia magis constant, ueriora habent somnia: uer

autem

autem & autumnus, cum in mutatione quadam consistant, minimè. hic & tranquilla tempora ad ueritatem somniorum iuuant. uenti autem, irrita: & quanto acriores, eo magis illa reddunt. Somnia præterea breuia & ordinata, ueriora sunt: sunt enim euidentiora, & à causa magis constante fiunt. neque enim ab humore uel cibo, uel rerum agendarum meditatione somnia ordinata fieri possunt, nisi ut meditatus es. Somnia quoque somnijs connexa, uera sunt: & quanto diutius eorum disiunctio permanere uidetur, inde continuari, eo sunt firmiora. Quæcũq; etiã in ortu solis, & ante aut post ad tertiam usq; horã, ueritatis expertia esse nõ possunt. Sed & quæ prope meridiẽ, & solis occasum. Sol enim autor est uerarum & constantium rerum. ideoq; cum prope angulos fuerit, ueriores reddit imagines. Quorum etiam genituris Iupiter, & magis longè Venus præfuerit, etsi in nono loco fuerit: & cum Luna prope Mercurium fuerit in Ariete, Libra uel Leone, à Sole defluens, & domina loci significantis opificium, eorũ somnia fermè semper uera erũt: id est, paucis ex his quæ ab humoribus uel cibis uel recordatione proficiscũtur immista, atque adeò perspicua & clara, ut ueritas illorum planè intelligatur. Ex coniectura autem: quæ solicitis ob impendens periculum aduemiunt, uera sunt, quasi Deus nostri misereatur. Et si congruant quæsito ad unguem, aut rebus tractatis. Et terror excutiens homine à lecto, ut Cæsari pridie quàm occideretur contigit: & conditio quæ adimpletur statim à somno, cum præter cogitationem fuerit, uerorum somniorum & certissimorum sunt indicia. Demum caruisse cogitationibus, à cibis abstinuisse, nihil iam pridem de pristina consuetudine immutasse, animo quieto atque pacato esse, super ueniente immoderata uisione, argumentum est uerioris somnij. At si mendax sit somnians, si quid pridianæ actionis somnio immiscetur, & obliuio, & esus ciborum insomnia mouentium, & croci maximè, irrita reddit somnia. Distinguere autem diligenter decet in cogitatione. nam negocio ut congruens somnium, ut affectui simile, uariam habet significationem. Quãto ergo cogitatio leuior est, & affectus, res ipsa autem quam tractamus prouior ad finem, tanto somnia sunt ueriora: contrà uerò, magis inania. Velut si optem prædium emere, necdum tamen quicquam actum sit: somniem autem emisse, irritum est. at si proponatur de emendo prædium, res ultra processerit, somniem autem boues alere, aut à matre stipem emendicare, aut panibus impleri: hæc significant, me empturum prædium. Quocirca & illud dubitatione dignum est, quod cum directum somnium uanum plerunque sit, ut emere, uxorem ducere: idolum autem uerissimum, unũ ab altero distinguere opus. docebitur autem suo loco. Sat sit nunc intellexisse, somnia quæ obliqua

uia & imagine demonstrantur, & quæ negocio multum, affectui parum congruunt, ueriora esse: contraria, falsa. Sed & quæ miscentur uanis actionibus, commercio detegunt falsitatem. ut si somniem me regem esse, inde cum pueris ludere. tametsi enim nihil tam sit uanum quod somnium non deceat, cohærere tamen debent personis actiones, cum quibuscunq; etiã nihil neque uigilantibus neque somniantibus succedit: etsi euentus rerum etiam inanes sunt, ut uisio maris, aut uerba, omnia talia in irritum cedunt, uocanturq; experta inania: sicut contraria, experta simpliciter. Et scias, quòd somnia simplicium uirorum & imperitorum plerunque ueriora existimantur, quia anima purior est, ac minus impedita.

Cap. VI. De utilitate ex cognitione somniorum.

ERgo ubi somnia uera dignoscere longo usu & breui temporis spacio didiceris, non leuem aut uulgarem utilitatem consequêris. Quòd etsi interpretando aberrare contingat, minor erit erroris iactura tanto, quanto minus temporis in hac disciplina atque impensæ exigitur. Verùm reliquis in omnibus cæteras huius argumenti artes antecellit. nec enim primò tot libros postulat, aut scientiam atque noticiam aliarum disciplinarum: sed sufficit ut numerare noris, ut Thrax: grammaticæ peritus, ut miles: philosophus, ut Hebræus: medicus, ut Sarmata: Theologus, ut Lapo. Non huic obstat arti pauperies, seruitus, uincula, peregrinatio, morbus, exilium, sexus, ætas, præterquam infantia: non humilitas parentum & stirpis, non ignauia, nõ ira regis: uix stulticia propria obstat. Nec melius in hac causa, quàm Synesius, eam laudare norim, inquit enim: Cum tam popularis sit hæc diuinatio, humanissima est: quòd simplex & paratissima, maximè philosopho digna censeri debet. quòd non uiolenta, pia: quòd demum ubique & sine ceremonijs eam cõsequamur, diuinissima est. comitatur nos hæc scientia peregrinantes, nauigantes, militantes, rusticantes. Sed neque legibus prohiberi potest, aut tyranni minis. Quis enim est, qui si seipsum non prodat sponte, habeat quo detegi possit, aut metuere cogatur? Fuit Mathematica & Necromantia Astrologiaq;, tum reliqua diuinationũ genera, exitialis autorib. suis: hæc semper tuta, quòd nullo ministro, nullo opificio indigeat. Quin si quis uelit in duas regulas, quas inferius describemus, eã redigere, possit. Quòd si ad quatuor, duabus superadditis erit illustrior. Habet & id præ cæteris dignitatis hæc sola, quòd in anima & ab anima cuncta habet: originem dico, nec non sedem. unde fit, ut etiam sola certissima sit: & ob id etiam leges nullius diuinationis, quàm huius, inter artificiosas memimerint. Nullum exemplum inuenies apud Christianos, Iudæos aut Mahumetanos, uel Astrologiæ, uel auspiciorum, uel aruspicinæ,

ſpicinæ, uel Phyſiognomiæ, uel alterius, multo minus diuinatoriæ diſciplinæ: ſed ſomniorum ſolum. Antiqui uerò idolorum cultores tametſi alia genera diuinandi excoluerunt, hoc tamẽ ſomniorũ, etiã cũ habere licuit ut certiſſimũ, cæteris uſi ſunt, cum ſomnia non liceret habere. neq; enim cum uolumus per ſomnia diuinare, ut per alias artes, licet. quod ſolum incõmodum habetur in hac diſciplina: uerùm multis ediuerſò cõmodis compenſatur. Ergo quid diuinius, quàm futura naturaliter ſcire? et quòd multæ diſciplinæ in paucis habent, ex hac una habere in omnibus? Medicina de uita & morte, agricultura de prouentu frugum & fructuũ, nauigandi ars de tranquillitate & tempeſtatibus, phyſiognomia de moribus prædicere naturaliter poſſunt: Somniorũ diſciplina de omnibus. Quocirca & præſentibus & futuris cõmodius utitur. Præſentib. quidem, & ſcientia futuri, quæ propè diuina eſt, & ipſa expectatione. nam in bonis, gaudet futurorum ſpe: in malis, quòd tunc non interim premitur. At in futuris plus etiam longè utilis eſt: bona enim auget, & approperat: mala perſæpè auertit, ſi non minuit: aut ſaltẽ lenit, certè tolerabiliora efficit, tum conſilio & meditatione, tũ quod neq; caſu (quo ſolemus fortunã accuſare) neq; hominũ improbitate (quod acerbum eſt) neque noſtro errore (quod moleſtiſſimum) ſed diuina uoluntate accidiſſe cognoſcentes, tolerabilem iacturam illam facimus. Equidem ut ad exempla deueniam, omiſſis ijs etiam quæ de Syneſio & Ioſepho, Sylla & Auguſto dicturus ſum ſuo loco: quantum exiſtimas profuiſſe Cæſari ſomnium, quo de dominatione patriæ admonebatur? quantum Septimio Seuero ſuum, quo cũ Imperio ſummam adeptus eſt felicitatem? Quantũ Themiſtocli ſuum, quo mortem acerbam monitus deuitauit? Nobis ſanè plus profuerunt illa, quàm aſtrorum peritia: quamuis aſtrorum peritia multis annis hanc quam nunc habemus de ſomnijs ſcientiam præceſſerit. Equidẽ ſerò nimis ad illam peruenimus, quòd à nemine tradita eſſet. Quæ enim ab alijs ſcripta ſunt omnibus ante nos, nec methodo aliqua conſtant, nec limbum diuinorum ſomniorum attingunt. Eſt enim diuina hæc ſcientia prorſus, & clauſtris profundiſſimis abdita: niſi ſi cui Deus uelit apertè illam demonſtrare. Itaque & hanc, ut alias artes plurimas, inuenire me oportebat, & moneri. ſed moneri, cum neſcirem, ut artem intelligere ſuo tempore poſſem: & nunc non moneri, cum intelligo: deſierũt enim ſomnia maiore ex parte, ſolũ; imaginem apparent fermè, ne nunc uel aliàs decreta Fatorum (arbitror) abrumperentur. At quæres: quo nam pacto à Fato deuiare liceat? Vtique & hoc ad libros de Fato ſpectat. Sed cũ ea ſeries ut in ſpeculo, ita in noſtra anima reluceat, futura & præſentia & præterita uidẽtur, at præterita præſentiaq; emendari aut corrigi nõ poſſunt:

lib. ſecũdo, ca. primo.

Vide ca. 15 huius reg. 52.

futura sic uidentur, ut obumbrent nos. uelut si quis ictum intendat, uides umbram illam & aberrare, cum hoc potest, & uulnerare: ita etiam umbra Fati & causarum cœlestium apparet in anima ipsa, non ictus, sed teli uibrationis, & excussionis. Certè neque magnitudo adest, nec finis, nisi in paucis: uelut etiam in humanis casibus. quosdã enim uitare licet, & facilè: quosdam difficulter. alios declinare, licet lædaris: in quibusdam succumbere cogeris. Id ergo tibi nunc satisfaciat, non uulneris imaginem uideri in somnis, sed umbrã excussi teli, quod & uitare potes plerunque, & rarò deuitatur. Seu, quoniã si multo antè uideantur, non deprehenduntur, nec sciri possunt qualia sint, nec unde ueniant: uelut qui in suam necem conspirari intellexit. cum uerò propinquus est effectus, dignoscitur sanè periculum, sed circumstantibus undique hostibus, atque imminentibus, celeritate ac propinquitate illorum, & periculi magnitudine, Plerunque deest consilium, atque obruimur. Ideo euadunt maximè sagaces multo antè, & qui procul inspectis bene consulunt, & qui prompti in ipso periculo celeriter & bene deliberant. Plurimi etiam periclitantur ignorantia interpretationis somniorum, uel negligentia, uel contemptu: Fato, quod ad hoc attinet (ut dictum est) nulli: quoniam nõ effectus somnijs, sed causæ illius etiam in idolis ipsis demonstrantur.

Est igitur hæc disciplina in genere cõiecturaliũ, qualis est medicina, agricultura & ars nauigandi: tametsi propius aliquæ, aliquæ longius ad scopũ accedant. Quod si quis hoc præsidio prudenter utatur, non mediocrem rebus acceßionem facturus est. Sin autem imprudenter & temerè, non minorem iacturam, quàm etiam infamiã consequetur. Quid enim uerius oraculis Delphicis? quæ tamen perperam interpretando, maxima quibusdam mala attulere. Sed & medicina, & ars militaris, & natandi, quamuis per se bona sint, multis exitio fuere. Quanto magis in coniecturali genere cautè uersari oportet? Si quis tamen, ut dixi, potius dirigat ad actionem, quàm ad prædictionem, huiusmodi cognitionem atque interpretationem, sapientißimus existimabitur, & felicißimus procuratorum ordine erit. Velut medicus prudens cum crisim instantem agnoscit, nõ eam prædicit, sed potius à cibo abstinet, & medicamentis ac sectione uenæ, ægrum loco calido collocat. Et nauta, cum imminentem procellam animaduertit, uela demittit, anchoras parat, ad portum reducit nauem: uel si non licet, in altũ. Et rei rusticæ peritus, cum pruinam timet, arbores non putat: et si imbres, semina nõ serit, cauens ne putrescant. Ita non solùm bona noscere oportet, sed etiam illorum conuenientem usum condiscere. Neque pœnitebit huius disciplinæ: nec in ea tradita damnabis, si omni φιλαυτίᾳ caueris. Curabis autem ne in uulgus huiusmodi prodeant,

deant, sed solùm sapientiæ amatoribus. nec his qui per uanitatẽ irrident tanquam sapientes, quæ non probant: neue curiosis, qui multa somnia uident, ac pleraque insania, communicare talia decet. Rectè etiam faciet interpres, si non sine præmio, atque eo nõ leui, operam suam locabit: quippe præmia artes honestare solent. Felicis autem occasionis est, in eos incidere qui rarò somniant, & euidenter. horum enim somnia uera sunt: ut contrà infaustum, qui plurimùm & assiduè multaq; uident somnia, nec euidentia, nec cohærentia, quæ etiam fermè omnia uana sunt. Velut enim ægri, ita animi. illi enim luxuriantes, multas alunt herbas, atque inutiles: ut contrà culti raras, & certo ordine dispositas, omnesq; utiles.

Cap. VII. De sua cuiusque prouidentia.

COnsulit Synesius, ut quisque sibi peculiarem artem statuat, describendo somnia, quibus diebus horisq; euenerint: tum quæ conuenientia illis euenerunt, & quibus temporibus: hæc obseruando primùm, ut genera somniorũ animaduertamus, & quæ generaliter per illa significentur. Secundò, ut magnitudinem effectus. dicemus enim infrà, maximum esse artis principiũ, magna à paruis scire distinguere. Tertium, ut tempus euentus pernoscamus. Ex his enim tribus facile erit, euentus somnijs illos significantibus accommodare. Dicemus autem propriè de his in tertio libro. Nunc id necessarium existimamus, ob id quod non eadem idem apud omnes significant: tum uerò ob propria, quæ uidentur. Veluti in generalibus, cum oculus significet scientiam & filios: in eo qui non habet, nec potest suscipere filios, scientiam proculdubio significabit. atque hæc ex arte palàm. At uerò ex obseruatione, si cui filij sint, tum artem ac scientiam oculus in illo significabit. Specialiter uerò, in aliquo nec scientiam omnem, sed (gratia exempli) si quis medicinam exerceat ac doceat, semper doctrinam, non exercitationem: in alio autem contrà exercitationem, non doctrinam, perpetuò significabit. Mihi quidẽ amicus Prosper Marinonus Papiensis semper significauit, munus profitendi in ea urbe: alij autem, etiamsi professor sit, non idem significabit. Vnde quæsitum iure, cur non eadem idem omnibus significent? Dictũ est superius, quoniam ut qui describpturus est ichnographiam equi, in uno cumulo cogetur uti capillo albo, in alio uiridi, in alio cæruleo, ut melius totam figuram ei quam uult repræsentare similem reddat: ita ex formis imaginibusq; in anima seruatis, idem uni unum, alteri aliud referet. Quantam uerò utilitatem hæc specialis doctrina allatura sit, si ultra generalem adhibeatur atque constituatur, unicuique clarius esse puto, quàm ut à me dicatur.

Cap.

Caput VIII. De cognitione temporum, in quibus futura sunt expectanda.

HOrum igitur causa præscire oportet tempus futuræ rei per somnium demonstratæ: hoc autem ex tempore generali, ac speciali natura somnij, & qualitate rei uisæ. Primùm distinguere oportet somniorum significata: quoniam quædam futura, quædam præterita, quædam præsentia significant. Quæ quidem ante ortũ solis, futura: quæ in ortu solis, præsentia, instantiaq́; quæ uerò pòst, præterita aut præsentia. Præsentia intelligo, quæ eadem die, uel non ultrà septimam diem uentura sunt, ita tamen ut origo effectus ab eadẽ die initium sumat. Aduertendum tamen est, multa esse præterita, præsentiaq́;, quæ futuri retinent naturam. Velut si quis familiarem admittat in domum, à quo aliquando sit occidendus, poterit hanc necem uel ut præteritam uidere, quia iam causam in domum admisit: uel ut præsentem, quia retinet: uel ut paulo pòst futuram, quia paulo pòst uel illud cogitabit, cum eo consilio in domum nõ uenerit iam, aut socium sibi destinabit, aut aliquid molietur, ut arma parare, quamuis etiam in triennium scelus id dilaturus sit. Somnia ergo cum ad diuinationem pertineant, diuinatio autem sit de naturaliter obscuris, obscura autẽ naturaliter solùm sint uentura, quæ à nullo mortaliũ, sed à Deo solùm uerè præcognosci possunt: propterea somnia omnia ad futura referuntur. Est tamen præstantis uatis id agnoscere, an causa iam sit orta, an oriatur. Imò quod uerius est, nulla fermè fiunt somnia, nisi iam causa orta. neque enim Socrates uidit olorem significantem Platonem, eiusq́; diuinum ingenium, nisi postquam pater Platonis illum ad Socratem deducere destinauit: ob id nocte antecedente Socrates uidit somnium. quod si ad initium disciplinæ referatur, fuit ante illud: sed si ad initium quo pater illum ei disciplinæ destinauit, fuit pòst: adeò ut si etiam ad dæmonas somnium referatur, nõ præuidere illos prorsus futura necesse sit: sed intelligentes quæ tractantur, successumq́; ex origine cognoscentes, docent quæ futura sunt. Itaque optimi uatis est, ut dixi, intelligere quo in statu causa futuri euentus per somnium demonstrati sit: scilicet an orta nuper, an multo antè, an iam coalita, an uerò prope finem. sic enim facilè etiam coniectabitur tempus futuri euentus. nec solum id, sed qualitatem effectus, & quæ illum circumstant: utpote magnitudinem, qualitatem propriam, exitumq́; rei, & causam, originem atq́; principium. In quo autem hæc demonstrant, in libris de Subtilitate dictum est.

prope finẽ. Temporis autem magnitudinem futuri aut præteriti, coniectabimur ex tempore quod imaginamur fluxisse à fine insomnij, ad momentum in quo expergefactus est. Significat autem in omni differentia temporis breue aut longum inter-

interuallum, quod ultra annũ non extenditur: etsi soluitur in insomnio, ipsa die fiet. Sed si multo antè uel post ortũ solis, causam tunc inchoare significabit, aut tum perficietur aut detegetur. Spacium igitur illud ad totum somnium, uelut ad annum referendum erit. Spacium uerò ad ortum solis, pòst quidem iuxta sex horarum spacium totam præteritam uitam referet: antè, earundem comparatione futuram. Vindemiarum tempore si quis aliquid facere uideatur, quoniam præfinitum est, illud in eo tempore faciet, licet tempus in quo uides non sit uindemiarum. idem dico de alijs temporibus constitutis. Quæ etiam uidentur, quo tardius futura sunt, & minora sunt, minus euidentem faciunt impreßionem: & cũ tardius moueantur (siquidem motus rerum, quanto magis distant, eo magis lentus uidetur) parum sentiuntur. Quæ uerò magna sunt, & breui futura, magnas efficiunt imagines: & quæ bene uidentur, & celerem in eis motum dijudicamus. quamobrem hæc citò uentura, illa serò expectabimus. Dico autem celeriter uentura, quæcunque imagines magnas habent, & propinquas, & quæ celeriter mouentur, & nos plus afficiunt: contrarias autem tardè.

Quod uerò ad qualitates rerum uisarum, manifestum est quòd quæcunq; iam inchoatæ sunt, celerius perficiuntur: atque celerrimè, quæ iam proprio cursu prope finem sunt: contrariæ uerò, tardè. Et quæcunque naturaliter motu celeri mouentur, ijs quæ tardè celerius etiam perficiuntur. Et iuxta etiam naturam somniantis, & ætatem, ac reliqua: ut in opulentis atque potentibus. Et quæcunque suum habent tempus constitutum, ut magistratus annui, & olim etiam ex Romanorum more sub anni initio. quòd si somnium approperare uidetur, causa solùm tunc initiũ habebit, res ipsa differetur. Quòd si somnium serius indicet quod differri non potest, serius obtinebit, etiã præter consuetudinem, ut nonnunquam fieri solet. In uniuersum, somniorum tempora sunt, aut præsens, uel paulo pòst, aut multo pòst futurum, aut præteritum, aut statum tempus. annos autem uel menses aut dies dinumerare fas non est, nisi cũ uerba aut signa peculiaria numeros declarantia accesserint. At sunt qui petant auxilium ex Astrologia. ueloces enim euentus, cum Luna celeriter mouetur: commutationem, cum fuerit in signis mobilibus: stabilitatem & tarditatem, in contrarijs. similiter coniuncta Saturno & Ioui, tardè: Veneri, & magis Mercurio, celeriter: Marti autem ueloci mala uelocißimè, tardo autem bona serò. Sed hæc extra artem. Iuxta tamen solstitia immutabilia, & tardè: iuxta æquinoctia mutabilia, & celeriter aduenient quæ significantur. Si uerò stabilia iuxta æquinoctia uideantur, aut mutabilia iuxta solstitia, iam hæc serò, illa citò euenient. Atque

hæc ex arte, quoniam solstitia & æquinoctia etiam uulgo per se nota sunt.

Quæcunque etiam in calendis Ianuarij, uel in die natalitio fiunt, intra annum finiuntur. Et si in calendis mensis, aut in ingressu Solis in signum aliquod, intra mensem unum. Et si in ipsa die solstitij uel æquinoctij, intra tres menses. Et si in hora oppositionis Lunæ, aut coniunctionis, intra quindecim dies: & si in ortu Solis diei Domini, intra septem dies. Et si in initio magistratus, aut ingressus nouæ domus, aut habitationis in externa regione, aut nauis ingressu, uel quocunque alio initio, ut generaliter dicam, ante finem illius negocij effectum suum sortietur. Dies quoque diuini & immutabiles (ut, dies natiuitatis Domini: & trium Regum, qui etiam arcana magna significat: & Salutationis uirginis, qui etiam admiranda prædicit somnia) fatalia & magna efficere solent, atque ad anni alterius reditum euentus suos extendunt: eoq; toto tempore, & post etiam ad uitæ finem in omnibus quæ eo somnio declarantur negocijs, quæq; eo anno ex his inchoarunt (necesse tamen est, omnia per illud somnium significata eo anno inchoare) maximam efficaciam retinent. Dies autem Resurrectionis, quia mobilis est, eadem significat: sed mutata rerum forma, ut ex una uitæ ratione in aliam transeat. Vel etiam mutationem ipsam docet eo anno futuram, non nouum additum negocium præsenti uitæ. Idem de festis diebus Diuorum patriorum, aut nobis propitiorum, seu antecedant, seu subsequantur.

Caput IX. De modo habendi uera somnia.

CVm in omnibus rebus quiddam sit melius ac deterius, & quod conducit ac nocet, necesse est etiam in huiusmodi idem contingere. Quæcunque igitur impedimenta amouent, somnia reddunt ueriora. Sunt autem impedimenta alia quidem animi, alia corporis: & quæ probibent somnia, alia uerò quæ illa conturbant. Conturbantur autem ab his, quæ somnia alterius generis ostendunt. Cibi ergo & potus, & Venus immoderata & præter ordinem, & flagitia, & perturbationes animi, atque molestia, & præcipuè uinum, sunt ex his à quibus cauere oportet. Supplicare quoque Deo, ut in quarto de Secretis, opportunum est. Dicuntq; tres res plerunque uideri: quæ si albæ sunt, bene se habere negocium significant: si nigræ, malè: si partim albæ, partim nigræ, aut mediorum colorum, pro qualitate colorum & dominantium iudicabis. Et deferre gemmas, quæ somnia non impediant, tranquillitatem tamen animo afferant, & uanitatem explodant, bonum est: uelut Adamas, Sapphirus, Smaragdus, Amethystus, Hiacynthus. Refert Plinius, Eumetrim gemmam esse silici persimilem, in Bactris natã, quæ capiti supposita, somnia uera ostendat. Ego certè forma talem habeo, & quæ multa ostendat, & læta somnia:

somnia: uera autem minimè, ut arbitror. Existimant Nicolum (de quo in libro de Gemmis egi) uera ostendere somnia. Sed ab incertis abstinere oportet, ut etiam cibis: quæ enim impediant, multa sunt, & ubique in promptu: quæ autem iuuent, rarissima. Quare tutius est, ni modò expertus sis, aut efficax aliqua ratio id suadeat, abstinere. Porrò purgare caput elleboro, haud malè est, nec negligendum. Artemidorus autem existimat nihil agendum, quod ad impetrandum à dijs ualeat: quando quidem huiusmodi sint dona grata, ita quæ extorqueri non debeant, maximè à dijs. Nos autem, cum illorum aut omnium, aut maioris partis causam naturalem esse docuerimus, & procuranda si non ueniant, cum opus habemus, absurdum non arbitramur. Et uerrere (ut ita dicam) domum, id est corpus ab humoribus ac cibis & potibus atq; Venere purum habere, & animum à perturbationibus, bonum esse atque utile non parum existimamus.

Nicolus

Purgaū caput Elleboro

Artemidorus

Caput X. De generali somniorum distinctione.

SOmnia quidem quæ abdita nos docent, alia quidem simpliciter ea ostendunt, uocanturq; Idola: alia autem artificiosa coniectura opus habent, uocanturq; insomnia, seu uisa. Ambo hæc genera licet de ijsdem, Idola tamen cum idem per idem demonstrent, distinctione opus non habent. Quæ ergo uisa dicuntur, octo sunt generum. alia enim de uitæ longitudine ac breuitate docent, atque mortis generibus: alia uerò de ualetudine. quædam animi affectus præcipuos demonstrant: qui' nam sint, suo loco docebimus. Quædam ostendunt corporis calamitates fortuitas, luxationem, uulnera, uerbera, casum, percussionem, ictum, morsum. Quædam alia operationes uoluntarias artiū, exercitationem, concubitum, rixas, peregrinationes, nauigationē, conuiuia. Atque hæc quinque in nobis. Extra nos autem: opes primùm, & honores ac dignitates: demum filij, parentes, fratres, ac familia tota cum amicis. nec ullum esse quæsitum potest, quod non ad aliquod horum generum pertineat. In uniuersum igitur iam quatuor diuisiones somniorum explicauimus, à causa scilicet quadruplicem: ab humoribus, cibis, memoria præteritorum, & à cœlo: à modo representandi, idola & uisa: temporis differentia, præterita, præsentia, futura: à rebus demonstratis, quam nuper explicauimus.

Idola
Insomnia seu uisa

Cap. 15. regula 2.

Caput XI. De generali ratione interpretandi somnia.

ALiàs ostendimus, omnis doctrinæ bene traditæ commune unum debere esse principium. nam ut res omnes ab una defluunt, ordine solùm uariatæ: ita & in doctrina, ab unius origine omnia deduci debent. quòd si id non fiat, confusa, incerta, difficilis atque imperfecta necessariò erit. Quomodo

autem unum multiplex esse possit, hoc ipso exemplo declarabo: quoniam similia à similibus procedunt, contraria etiam à contrarijs necessariò fient. nā à contrarijs similia sibi fiunt: ut ab igne ignis & calor, ab aqua frigus & aqua: ignis autem & aqua contraria, igitur & genitus ignis, & genita aqua, & calor & frigus, conuenientia ergo similia fiunt, non conuenientia, ergo dissimilia. Quæ ergo & regi & iuueni conueniunt, illi bona sunt: & quæ mihi seni & pauperi conueniunt, similiter bona. quæ autem illi, mihi: & quæ mihi, illi mala erunt. Conuenientia igitur mihi bona, rebus autem meis & affectibus & perturbationibus & passionibus mala: nam malè se habentibus contraria, his per quæ malè se habent, cōueniunt: similia autem naturæ ipsorum, uelut homini pauperi & seni humana & senilia bona sunt. hæc quidem similia conditioni suæ, illa uerò naturæ. opes autem, non paupertas, bonæ: siquidem pauperem esse malum est, & non secundum naturam, ut senectus.

Conueniens ergo quadrifariam dicitur: natura, consuetudine, opinione, & contrarietate. tot modis autem dicemus aduersum. Sunt uerò illa à quibus conueniens hoc desumere expedit: natura, sexus, ætas, patria, maiores, leges, religio, dignitas, opes, filij, ualetudo, amici, familia, uxor, ars, existimatio, mores, scientia, consuetudo, fortuna. Tertius modus sumitur à mutatione, seu in melius, seu in deterius fuerit. Porrò in duobus primis generib. duæ sunt considerandæ seu similitudinis seu contrarietatis rationes. una quidem per se, uelut quod caput parentes significat, alia ex accidente, & utrum conueniat: uelut saltare seni, quod stulticiam aut dedecus aut mortem significat. stulticiam quidem, quia haud conuenit re ipsa: dedecus, ob iudicium spectātium: mortem, quia dici solet, Senes cum morte saltare solitos. Diximus enim etiam ex opinione esse interpretanda somnia. Habet autem prima similitudo propriam tractationem, de qua paulo pòst agemus. De alia autem pòst, & sub una regula, aut duabus continetur.

4.
15.

Tripliciter autem unum ex alio fit. aut ut à simili, suaue à suaui: idq́;, ut dixi, ad idolum pertinet. aut à contrario, cum ex mutatione fit: ut ex paupere diues, ex ægro sanus. aut ut ex causa: ut ex flore suauitas. his duob. modis somnia referunt. Sed si mutatio non sit, non potest significare contrarium. nam non ex rubro album significari potest: quoniam non est contrarium, ut priuatio. quandoque etiam transposito modo, uelut in speculis, dextra sinistra, sinistra dextra euadunt. Quòd ergo flores significent tristiciam, ad dextrum & sinistrum, seu transpositionem referendum est. citò enim cadunt atq; mutantur, & ad tertium refertur. cantus uerò ad secundum genus, scilicet contrarietatem: quod ex rasis pilis, ad causam propriam.

Memineris

Memineris autem, me tria constituisse capita generalia in hoc libro primo, quæ toti seruiunt arti: ideo in omnibus quæsitis ad illa recurrere expedit. hoc autem factum est, ad uitandam repetitionem.

Somnia præterea alia publica, alia priuata. quæ publica, inferius dicentur. Quæ autem publica uidentur, & non sunt, eandem rationem subeunt in priuata domo à principe, Rep. uel maximo magistratu, quam per se significarent. uelut terram mugire, si publicum sit somnium, edictum principis coactũ significat, & admirandum in populum: si priuatum, uel in te tuosq; solum, uel etiam publicum, sed ex quo tu solus lædaris.

Caput XII. De partibus hominis, & quæ ad illum spectant.

Corporis humani partes aliæ quidem interiores, aliæ externæ. nec diuidere minutim expedit singulas, ut medici faciunt: sed sufficiet pro internis quidem numerasse solum cerebrum, pectus, cor, pulmones, iecur, uentriculum, lienem, fellis uesicam, intestina, renes, uesicam, & uterum. Et sunt duodecim.

Exteriorum duæ sunt differentiæ generales: dextra sinistra, & antè ac retrò. Atque hæc bifariam inueniuntur, aut distincta naturà: uelut tempora, oculi, aures. aut solum consideratione: ut in pectore & membro uirili, & in naso. Sed tamen nares sunt distinctæ naturà. ideo nasus hoc habet peculiare consideratione dignum, præter reliquas partes omnes. Sunt etiam additamenta, pili, capilli, barba.

Corporis deinde pars tota exterior diuiditur in sex partes generales: caput, collum, pectus, uentrem, pudenda, atque extrema.

Caput diuiditur in quatuor partes: pilis tectam, faciem, aures, & submentum. Pilis tecta in coronam, uerticem, occipitium, & tempora; & sunt quatuor. Aures in tres: foramen, cartilaginem, & carnem pendentem. Facies in nouem: frontem, oculos, nasum, labia, genas, mandibulas, mentum, buccas, os. Et in labijs est superius & inferius.

Oculi in supercilia, cilia, (quamuis ambo ad pilos pertineant) palpebras, & oculos ipsos: ut sint quatuor partes. Et in palpebris est superior & inferior. Oculus præterea in album, iridem, pupillam, & angulos lachrymales & hypopia: & sunt quinque.

Nasus duæ partes exterior & interior nares.

Os in septem: dentes, linguam, palatũ, guttur, uueam, gingiuas, & gutã.

Collum in ceruicem ubi spina adest. & guttur, & [illegible] sunt tres.

Pectus in costas, & sunt superiores atque inferiores: iugula, alas, furculam, humeros, spatulas & dorsum: & sunt septem. 7

Venter in sex: ilia, lumbi, renes, umbilicus, hypochondria, præcordia. 6

Pudenda sunt tria: uulua, membrum, & culus.

Membrum in quinque diuiditur: mentulam, scrotum, testes, glandem, & pubem. 5

Vulua in pubem, interstitium, labia, & os: & sunt quatuor. 4

Culus in quatuor: caudam, nates, interstitium, & anum. 4

Extrema in duo: brachia, & crura.

Brachia in quinque: cubitum, carpum, manum, humeri os, & ulnam. 4

Manus in septem: dorsum, uolam, digitos, pollicem, indicem, medium, annularem, & articularem. 2

Digiti in quatuor: musculum, nodum, articulum, & unguem. 20

Crura in quatuor: coxam, genu, tibiam, pedem. 2

Tibia in tria: suram, os, & malleolum. 3.

Pes in plantam & dorsum, & quinque digitos, ut in manu: ut sint septem. 2

Digiti in tres: ungues, articulos, & nodos. 15

Præter hæc sunt quæ à nobis excidunt, generaliter nouem: saliua, muccus, uomitus, stercus, urina, semen, uermes, sanguis, & humor. 9

83

Erunt igitur partes omnes distinctæ forma, & non compositæ, centum ui- 96
gintinouem. Quòd si compositæ addantur, erũt omnes centum ac sexaginta. 179
Sunt præterea, ut dixi, superiora & inferiora in labijs, & palpebris, & costis: & erunt centum & sexaginta tria. Et præterea dextra atque sinistra in omnibus, præterquam interioribus, atque his quæ excernuntur: ut propriè fiant partes ducentæ ac quinq;. Adde etiam pilos atque capillos, & barbam: fient ducentæ octo, aut potius ducentæ & undecim. Quòd si libeat addere duos poplites, & sunt sinuosæ partes genuum, calcaneos, mamillas, fient partes ducentæ decem ac septem insignes. Totidem igitur dicimus esse. Anima uerò & ipsa pars est nostri, & nos ipsi: sint igitur ducenta ac decem consideranda. uerùm quæcunque partes minimæ sunt, ut digitorum, manuum ac pedum nodi, articuli, ungues: non nostræ, sed mundi partes sunt. Loco autem earum erunt, quæ ad nos, ut uidebitur. Cap. 14.

Caput XIII. De partibus mundi.

OPortet autem consimiles his, aut paulo ab eis differentes, etiam in mundo inuenire partes: ut sciamus, si quã partium nostrarum detrimentum passura sit, quo nam pacto ex somnio eam deprehendere licebit: ac rursus ex illa partes mundi, eas saltem quæ ad nos pertinent: ut parentes, filij, fratres

fratres atque domestici. Et si quid potest, ad patriam, fertilitatemq;, ac etiam cœlum extendatur. Deus igitur pro anima accipiatur: neque enim quicquam magis Deo in nobis anima ipsa assimilatur: post cœlum & astra omnia, & quæ manent. nam irides & cometæ, affectus potius quàm substantias significare possunt. neque enim manent: ut nec tonitrua aut fulgura, aut terræmotus. Sed ab his quæ manent, significata partium sumere oportet. Ignis ergo, aer, aqua, terra, fontes, flumina, lacus, riui, montes, ualles, stagna, mare, proprium (nam oceanus pro aqua quandoque capitur) fontes etiam, scaturigines, paludesq;, urbes, domus, regiones, prata, syluæ, nemora, campi, saltus, deserta, tuguria, uineta, consita, fora, templa, atria, pulpita, suggesta, rostra, arbores, frutices, arbusta, herbæ, folia, flores, cortices, radices, fructus, rami, trunci, lapides, metalla, gemmæ, metallica: animalia mansueta, fera, serpentia, quadrupedia, aues, pisces, partesq; singulorum: dæmones, mortui, domestici, filij, serui, parentes, fratres ac sorores, uicini, inimici, familiares, agnati, cognati, affines, reges, publicæ personæ, magistratus, machinæ, uasa, uestes, ornamenta, libri, arma, tela, instrumenta cuiuscunq; generis, officinæ, tabernæ, apothecæ, cauponæ, musici, medici, sacerdotes, obstetrices, artifices singuli: lana, gossipium, sericum, spartum, linum: caro, panis, uinum, legumina, grana: tartarus & inferna, carcer, diui, statuæ, imagines, turres, arces, uolæ, columnæ, laquearia, putei, latrinæ, naues & earum partes, funes, rotæ, quadrigæ, scalæ, laquei, tegulæ, lecti, spelunceæ, uoragines: frena, habenæ, ephippia: claui, latrunculi, fritillus, alea, trochus, tubera, fungi, pisces saliti, tortæ, & similia.

Similiter & affectus, & quæcunque non manent, affectibus sunt comparandi. Sunt ergo affectus in mundo, quæ pertinent ad motum & quietem, & ad affectum quem in nobis generant: & quæ non manent. Huiusmodi sunt fulgura, splendores, arcus, uoragines, in cœlo figmenta, monstra, pluuiæ, grandines, uoces. ab his tribus generibus affectus in nobis significari solent.

Est tertium genus commune tam substantijs quàm affectibus, & est quod representat naturaliter: ut sermo, pictura, statua, imago. hæc enim & de substantijs esse possunt, & de affectibus: quandoquidem naturaliter significant, & omnibus communia sunt: statuæ tamen, ut dixi, substantijs magis conueniunt representandis.

Sunt & partes quædam mundi communes, & homini: uelut filij atque uxor, & mundi & hominis partes sunt, atque ideo significant atque significantur.

Caput

Caput XIIII. De communi ratione comparandi partes mundi ad partes hominis, & partes mundi atq; affectus ad hominum affectus.

OPortet primum reminiſci præcedentis diuiſionis, ſcilicet quòd quæ in nobis ſignificantur, tria ſunt: partes noſtræ, & quæ ad nos attinent, ut filij, uxor, & domeſtici. & affectus: ut opes, morbi, triſticia. Quæ autem ſignificant, rurſus ſunt partes. nec in nobis partes ſignificari poſſunt, neque quæ ad nos, niſi per mundi partes, quæ quandoque neque noſtræ partes, nec ea quæ ad nos. ita mundi partes, quæ partes noſtras, aut ea quæ ad nos ſignificare poſſunt, trium ſunt generum: mundi partes propriè, ut cœlum: & ea quæ ad nos, ut uxor: uel noſtræ partes, ut oculus. Hæc autem tria, & præcipuè duo ultima, & affectus ſingularum, ut motus uel quies, color, figura, comparatio, affectio, magnitudo, ſonus, actio, accubitus, locus, claritas & obſcuritas, ualetudo, habitus ſeu ornatus, numerus, tempus, anni uel dies, & mutatio. Et partes mundi inconſtantes: ut pluuia, & fulgur, & nix: affectus in nobis, uel in his quæ ad nos, ſignificant. ita erunt ergo ſubſtantiarum tria genera imaginum, affectuum autem ſeptem, ſed ſex maximè. Partium autem mundi quæ neque in nobis, neque ad nos, cum ad nos non pertineant, non eſt ſignificatio: niſi quatenus ad nos pertinere poſſunt. ut de republica, patria ac regno: nam & horum euentus perſpicere licet.

Quæcunque uerò non habent ad nos comparationem, uelut cœlum & ſidera, non commutantur, ut infrà uidebimus. at quæ ad nos pertinent, uel ex nobis ſunt, commutant, ſi partes ſignificatæ eſſe poſſint. nam ut ſuprà diximus, minimæ partes non ſignificantur: ut unguis, articulus, digiti: ſed ſolum ſignificant. ideo ſunt ſolùm mundi partes, non noſtræ: atque ideo non commutant. Cõmutant enim ſolùm noſtræ partes propriæ, & quæ ad nos. Quadrupliciter autem fit commutatio, partis in partem: hæc autem non admittitur, ut oculi in cor. Vel quæ ad nos, in eam quæ ad nos: ut uxoris in fratrem. ſed quæ ad nos in partem, & partis in ea quæ ad nos: ut oculi in filium, filij in oculum, fratris in brachium, brachij in fratrem.

At quæ ad affectum pertinent, commutant in ſubſtantiam: uelut uxor in artem, ars in uxorem: filius in gaudium, gaudium in filium. At hæc commutatio affectus in ſubſtantiam, non per ſe eſt, ſed uelut ex accidente: neq; enim ſignificat, ſed indicat uelut cauſam. filius enim gaudij cauſa eſt.

Sunt præterea, ut dixi, ſignificata ex imaginibus proprijs cõmunia ſubſtantijs & affectionibus, & partibus noſtris, & his quæ ad nos: ut uox, ſcriptum, imago, ſtatua.

Præterea

Præterea affectiones omnes quæ nobis contingunt, aliæ quidem circa corpus, aliæ circa animum, aliæ autem circa fortunæ bona eueniunt. Et quæ circa fortunæ bona, sunt honores, potentia, amici, diuitiæ, & similia: & circa corpus, ualetudo bona uel mala, deformitas, robur, & similia. Quæ autem circa animum, trium sunt generum: affectiones, & hæ omnes sunt passiuæ, ut lætari & irasci: & operationes, ut currere, concumbere: & opera, ut fabricare, & generaliter artium exercitatio. Et opera quidem omnia actiua sunt, ut affectiones passiuæ. sed operationes aliæ actiuæ, ut concumbere: aliæ passiuæ, ut uerberari.

Quæcunq; substantiæ ad affectiones referuntur, substantias nõ significant, uerùm affectiones ipsas: uelut cibi, potus, possessiones, & huiusmodi.

Ex hoc patet, quædam significare plura. uelut equus, ut ex se consideratur, uxorem significare potest: & ut equitatur, fugam: & ut possidetur, diuitias. Quandoq; uerò ex similitudine actionum, licet sub affectione comprehendatur, substantiam significat: ut in exemplo, equus, ut meus est equitatur, & uxor initur: & ob similitudinem operationis in concubitu, & equitandi, equus uxorem significat.

Nulla substantia aliena partem, uel quæ ad nos significare potest. quoniã cum aliena sit, ad nos non pertinet: uelut equus, planta. nec sol aut luna significare possunt: propria enim non sunt, sed omnibus communia. neque affectiones nostras, aut eorum quæ ad nos, ut dictum est. reliquum est igitur, ut significent causas affectionum. 35.

Quæ ergo ad nos, significantur de substantijs, & partes nostræ non exiguæ, & nos ipsi, per mundi partes stabiles quæ ad nos solùm, & nõ cõparatas affectionibus. & hæ cõmunes sunt partibus nostris, & his quæ ad nos. Et per partes nostras, quamuis exiguas, quæ ad nos: & per ea quæ ad nos, partes nostræ. Affectiones uerò, per omnia illa septem enarrata. Causæ autem affectionum per partes mundi quascunque, stabiles, communes, proprias, nostras, & etiam quæ ad nos. 30.

Caput ergo significat dominum domus, regemq;, sacerdotium, mentem, honores.

Capilli, tegulas domus, ornamentum, decorem, luctus & infortunia grauia corporis.

Oculi, filios, gemmas, prudentiam, & iniurias.

Collum, uxorem: est enim decor & fulcrum domus. Et uoluptatem gustus: & robur, ob ceruicem.

Brachia, fratres: sunt enim nostri auxiliatores. Et domesticos etiam, sed (utiles

Manus, artes, & robur.

Tibiæ, familiares, & amicos humiliores, quorum opera sustentamur.

Pectus, fortitudinem: intus, consilium & arcana.

Cor, parentes: sunt enim origo nostra. Et filios: sunt enim nobis maximè cordi. Et uxorem: eam enim maximè diligimus.

Pulmo, orationem ac sermonem: eo enim hæc fiunt. Et intimum è domesticis, atque charissimum.

Venter, opes: quia ex eo suscipit corpus alimentum, ut ex opibus homines. & filios: quia in eo contenti fuêre, maximè uenter fœminarum.

Os, pudorem, dignitatem & ualetudinem. Dicimus enim, impudenti ore. Et eo existimatio hominis seruatur: eò transeunt, quæ nos seruãt, aut perimũt.

Pudenda, filios, honorem, uoluptatem, opes, robur, parentes, & scorta quæuis.

Anus, curas & impedimenta: nam eò excrementa exonerantur. Et decora etiam.

Nasus, ornamentum & decorem: est enim maximè conspicuus. Nares, famam, odores, perspicacitatem.

Aures, famam & doctrinam.

Dentes, familiam & coniunctos, & robur corporis.

Renes, filios & robur. Digiti, minuta opera, & fidem.

Dorsum, nepotes & labores, & patruos. labores, quoniam eò onera feruntur. nepotes: sunt enim post nos, nec à nobis uidentur. patruos, quia succedunt capiti.

Vmbilicus, patriam & parentes. Ex his enim nutriti sumus.

Nates, impudentiam & turpitudinem, & seruos, colonosq;. sunt enim partes abiectissimæ.

Tergus, senectam, & successura post nos tempora.

Genua, robur, & operationes graviores.

Cubiti, operationes leuiores.

Suræ, ornamentum & decus, atque tutelam.

Tali, seu malleoli, seruos humiles, domesticos, & eos quorum ope maximè nitimur.

Pedes. fundamentum totius domus, & artem, & opes, & amicos.

Iecur, prædia & redditus, & uoluptatem, & artem: & generaliter, unde lucrum.

Ventriculus, promum domus, uel procuratorem.

Vesica, muliebrem mundum.

Intestina

Inteſtina, opes quæ reconditæ ſunt.

Lien, riſum, gaudiumq;. unde illud poetæ:

—— petulanti ſplene cachinno.

Cerebrum, conſilium, mentem, prudentiam, arcanaq;, tum ſenſum omnem, & diſciplinas.

Coſtæ, ſatellites, procuratores & mulieres: illa nos tuetur, has diligimus.

Cutis, munimentum & ornamentum.

Supercilia, dignitatem, decorem: ornamenta quoque, & mulieres.

Cilia, pædagogos, & cuſtodes puerorum, & ornatum.

Vngues, tutelam & firmitatem.

Fellis ueſica, irā, indignationē, & morbos. ſolet enim in his efferueſcere.

Vterus, filios ac filias.

Vulua, uoluptatem turpem.

Barba, authoritatem, lucrum & læticiam.

Coxæ, ſignificant ancillas, & pueros cuſtodes.

Humeri, familiares maioris authoritatis, promos & diſpenſatores.

Humeri articulus, ſignificat proxenetas, & perſonas quarum auxilio aliquid perficitur.

Facies, gratiam, & quæ ex ea pendent, aut pertinent: ut iniuriam, odiū.

Mentum, fundamentum cauſamq; exiſtimationis, læticiæ, lucri.

Submentum, uxorem, filios ac filias, & generaliter ſecretius cuſtodita.

Palatum, ſuauitatem uitæ, & domum ipſam, ac iudicium: tum etiam cocū.

Vuea, ſeu uuula, ſermonem, & nepotes ex fratribus ac ſororibus, qui à nobis pendent.

Fauces, uitam, & ſuppliciū: quoniā ibi ſtrangulantur, & caput auſertur.

Fouea, mortem uiolentam: ibi enim iugulantur homines & animalia. & ornamenta uxoria, ac puellas.

Iugula, robur, & uitæ tutelam, & fratres: prope nos enim ſunt.

Furcula, medium in domo: ut qui eſt ab epiſtolis, & cocum, quia uentriculi eregionè eſt.

Pollex, ſignificat robur, & miniſtrorum ſupremum, & hominem mutilum, & literas.

Index, fidem, religionem, literas, ſeu ſcribendi facultatem, indicia rerum.

Medius digitus, impudentiam, ſordidas operationes, Hebræorum conuerſationem.

Annularis, uxorem, filios, decorem, dignitatem. nihil ad artes.

Auricularis, pueros & infantes, filios, ſi adſint: minorumq; curam.

Palma manus, labores, & summam inopiam, ministrosq; simplices.

Dorsum manus, artis intermissionem, & ocium, ministrorumq; inertiã.

Calcaneus, summum robur, & id in quo homo maximè confidere potest significat.

Poples, magni negocij modum docet, & uenerationem: nam eo uenerамur potentes.

Nodus quilibet, significat eos, eaq;, quæ negociorum pondus sustinent.

Articulus omnis, significat periculum ob luxationem: extremum iudiciũ, & quicquid est principale.

Musculus pollicis omnium maximus est. refert autem artificij principium, & summum decorem.

Ilia, filias propriè significant: cõtermina enim sunt lumbis, & honestiora.

Lumbi, uoluptates, & filias etiam, & imbecillitatem, obnoxiumq; laboribus atque doloribus.

Præcordia, significant occulta, & quæ cordi sunt, & sapientiam.

Frons, authoritatem, dignitatem, animum hominis, & affectum erga te.

Tempora, sapientiam, auctoritatem, uitæ tempus, fragilitatem conditionis nostræ.

Vertex capitis, summum uniuscuiusque rei, ac dominum.

Anima, uxorem, filios, amicum singularem, Deum, rem maximè amatam, uitam, uoluntatem.

Occiput, quæ post nos erunt: occulta, periculum amputationis capitis, ubi timoris causa sit.

Corona capitis, regnum, lauream, supplicium, & irrisionem. Coronari enim, ac turbines damnatis apponi ea in parte solent.

Hypopia, significant exteriores res filiorum, & adhærentia: tum fines uoluptatum.

Iris, ornamentum & decorem filiorum, ac uoluntatem: ea enim qualitates animi continet.

Pupilla, filios propriè, & operum nostrorum imaginem, & animi qualitatem, gemmas.

Oculi alba, filiorum munimenta, & annulos.

Lachrymales anguli, initia uoluptatis in filijs, & animi fenestræ.

Genæ, pulchritudinem, honestatem, ualetudinem, pudorem, amorem.

Buccæ, impudentiam, irrisionem, iniuriam, nostrorum tutelam.

Labia, significant uerba, quia hic proferuntur: ualetudinem, quia his significatur: decorem, amorem.

Mandi-

Mandibulæ, utiliores domus ministros, cocum, pistorem, & domum totam: in eis enim sunt dentes.

Planta pedis, labores, & inopiam summam. In hoc differunt illius partes à partibus manus, quòd manus partes leuiora damna, & quasi per negligentiam parta & mutabilia significant: pedis autem grauia, uiolenta, firma. Summa digitorum pedis, ultimum discrimen.

Homo ipse cum in considerationem uenit, seipsum, aut filios, aut uxorem, aut parentum aliquem refert.

Lingua, orationem, gratiam, existimationem, amorem.

Nomen proprium, est ex his quæ non sunt substantiæ, sed affectus: tamē quia est intimum, significat hominem ipsum, & illius omnia, existimationem, filios, patriam.

Mamillæ descendentes, alimenta, & agros fertiles.

Guttur, tametsi uox, non cibus eò permeet, nihilo secius cibos uoluptatemq; ex eis refert.

Aetates significant mutationes & proprietates illarum: ut pueritia iniuriam, multis enim modis solet iniuria affici: senectus sapientiam & authoritatem, imbecillitatemq;: infantia, impedimenta omnis generis.

Porrò dextra masculis, sinistra fœminis: superiora dominis & senioribus, inferiora iunioribus & humilioribus, media fratribus & æqualibus ac socijs: anteriora præsentibus, posteriora futuris, si ad cognitionem referantur: aliter anteriora futuris, posteriora præteritis tribuemus.

Quæ uerò sequuntur, ad uisa, uel ex similitudine deducuntur, uel ex operatione, uel ex similitudine operationis, uel ex repugnantia. Similitudine quidem: ut ducere uxorem, & concubinam, aut puerum in delicijs habere, similitudinem habet, cum ille assiduè concumbit cum illis. ideo uxor non significat quamlibet fœminam quæ in domo manet, aut puerum, etiamsi assiduè ac diu manserit cum eis: neq; scortum omne, sed scortum assiduum. Dixi de puero, ut intelligeres etiam sexum non obstare similitudini. Ex operatione: equitare significat subigere aliquem, & mutationem consilij. Ex similitudine operationis: ut uxorem ducere, curas & impensas. Et significat etiam in phratriam ingredi. utrumque enim perpetuum est. Ex repugnantia: phratrio & seni ualde uxorem ducere, mortem significat. neq; enim uxorem ducere potest, nec aliquod negocium diuturnum inchoare. quòd si non adeò senex sit, poterit negocium inchoare quod non finiet unquam, sed in eo usque ad mortem persistet. Et repugnantia quidem triplex est: uel natura, ut dijs aliquem uerberare; uel re ipsa, ut non esse, uel esse equum: uel

ratione conditionis, ut dixi, phratrio nubere. Quædam uerò etsi non repugnent, sunt tamen præter propositum: ut ægro nubere, conuiuari.

Sunt etiam quoquo modo comparationes partium mundi & hominis, propter generalem uim. uelut Deus significat animam, cœlum caput: est enim in superiore parte, & in eo sunt dij secundum communem opinionem: & in capite mens & sensus, & est superius corpore. Terra, uiscera & pedes. uiscera quidem, quia omnia è terra alimenta habentur: pedes, quia immobiles sustinent corpus, ita terra uidetur cœlum sustinere. Pectus, aerem refert, ob respirationem. Mare, humores & sanguinem.

Quæcunque etiã à pluribus significantur, nõ eodem modo significantur, 38.
sed plerunque adhibita distinctione. Dixi plerunque, ob ea quæ superius dixi de somnijs, quomodo efficiãtur. Ergo in plerisque id contingit. Cor, oculi, renes, uirga, surculus, significant filium, sed diuersis cum proprietatibus: Cor, sapientem, & patris amatorem: oculus, amabilem, gratiosum, prouidum: renes, laboriosum: genitale, nepotem impudicum, luxu planè perditum: surculus, stupidum, ac quasi inutilem.

Sæpe etiam contingit, ut dixi, quòd persona uel res ignota significat eam
quæ ad nos ob affectũ nostrũ: quia persona quæ ad nos, ad nos comparatur, & habet rationem causæ. Exemplum. Contigit anno M. D. XXXIIII. mense Ianuarij, ut uiderem hominem cui essent septem filij, eos uerberantem, pòst morientem, magna mei miseratione. idq; somnium uisum est sæpius repeti, cũ tamen interim nequaquã expergiscerer. Poteram tamen intelligere somniũ, si (ut nunc) artem calluissem. erat enim per se clarũ, imò ex idoli specie. Socero enim meo Altobello Bandareno septem erant filij: masculi scilicet tres, Marcus, Aloysius, Ioseph: filiæ quatuor, Lucia uxor mea, Lucretia, Maria, & Bandarena. is ergo illis diebus mortuus erat, præter omnem meam expectationem, ut qui robustus esset, nec excederet annũ quadragesimum quartũ. Ergo constabat illum esse, qui cum septem filijs esset, & obijsset, & cuius me misereseeret. Verberabat filios, ut qui egentes relicturus esset morte sua. Ergo intrã octo dies literas accepi è Saccensi oppido, illum mortuum fuisse 4. calendas Ianuarij. Iisdem diebus uxor mea, & forsan ipsamet nocte qua pater obijt, utero gerens Ioannem Baptistam filium, toto somno matrem quasi extinctam plorauit. Persona igitur incognita Altobellum socerum referebat, non ex se, ut intellexisti: quoniam quæ ad nos pertinent, ab alijs, quæ ex 25.
mundo, ad nos pertinent, aut ex partibus nostris necessariò referuntur. Sed ut nos dolore & commiseratione afficiebat, causa erat doloris & affectionis: quemadmodam & socer, quem ualde diligebam, futurus erat.

Similiter

Similiter non semel uidi, nato eo filio, patrem meum ultima senecta perentem, cuius me miserebat admodum. Hoc somnium, si Fata permisissent, filij luctuosam mortem ostendebat. nam patrem mori impossibile erat, qui iã mortuus esset. at Ioan. Baptista filius adeò illi persimilis totus fuit facie moribusq;, ut nix niui unquam fuerit similior. Cum uerò perijt ille indemnatus anno ætatis suæ uigesimosexto, pater meus si uixisset, tum annum egisset centesimum ac quintumdecimum. unde erat, ac si somnium diceret: Cum pater tuus, si uiueret, extremam aget senectam: filius tuus, qui illi simillimus est, morietur: id est, ante trigesimum annum. nam homini iuxta sacram paginã non licet excedere centesimum & uigesimum uitæ annum. illud ergo idem erat, ac si diceret: Filius tuus patri tuo simillimus, ut minor natu non posset intelligi, ante trigesimum annum morietur. Qui uerò de ijs admirantur, quod ego unus tot & tanta uiderim, qualia in his libris de Somnijs, & alijs etiam per somnum narraui, quodq; tanta etiam per uigiliam contigerint non dormienti: desinant admirari, cum ea quæ post mortem meam euenient, uidebunt. Neque enim parua res mors eius fuit, aut absque diuino consilio, cũ tot improbi elabantur multis modis: adolescens hic, quo nemo melior, damnatus est, nec effugere cassas potuit. Erat in illo eruditio non mediocris, simplicitas animi, res nostris temporib. nõ uisa: probitas, mansuetudo, benignitas nimia. inuisus hoc solo, quòd esset filius, quodq; laudaret me. Inuiderũt superi, ut optimos quosq;, illum nobis, & eripuerunt. Dignus, non qui has incoleret nepharias regiones, sed qui cœlum habitaret. Sed audi diuinum iudicium. Qui dedit, qui auctor fuit facinoris, qui suasit, qui impulit pecuniæ spe, Antonius quidam: euasit, dimissus est, & adhuc (ni fallor) uiuit. fatebatur factum, impudenti excusatione atque turpissima liberatus est. Conuenerat enim sic cum accusatoribus: si dolos, si fraudes contra filium excogitatas, exercitas, enarrare liceret, & per eos à quibus defendi mea pecunia credebatur, nemo non ad misericordiam, nemo bonus non ad indignationem moueretur. Quæ post modum subsecuta sunt, quasi non parum peccatum esset in filio, quasi parum iudicij acerbitas mihi nota fŏret, erepta stipendij parte, non quod pecunia ea non magna me torqueat: sed ut intelligerem quo animo id factum esset, abunde quorundam animos declararunt. Data sunt clam iura defensionis accusatoribus: & quia id non sufficiebat, irritati animi procerum, ut quod iure impetrari non poterat, inconsulta potentiorum ira extorqueretur. Sic ille clarissimus, nullo peccato, stultitia non leui, sed non propria, concessus est odijs antiquis in patrem. At ipse felix, omni ornatus uirtute, dignitate, liberaliumq; artiũ noticia, abiuit ad superos: fidẽ facturus, nihil

nihil esse potentius inuidia. Iam enim quippiam fermè absoluerat, aliud etiam maius inchoauerat, ne paternis uestigijs quamuis fluxa iuuenta non inhærere uideretur. Quem spes erat, si non eripuissent, patrem longè superaturum: nec paruo emolumento quandoque futurum regi ipsi, si superuixisset. Iam enim specimen dederat, quali animo affectus esset in Hispanos, quorum plurimos qui adhuc superuiuunt, à morte liberauerat. atque hæc ex arte. At præter artem quàm multa callebat? nec deerat nisi iudicium, abundabatq; impetus ob ætatem. Cæterùm id agant, quod uolent: nusquam multis seculis parem innocentia & uirtute ac sapientia norint habituros. Nec me fallit paterna pietas, cum sciam quid dicam: utinam tam illi scissent, quid facerent.

Sed ad rem redeo. In transpositione significari necessitatem, primò obseruare oportet. nam si annulus uxorem significat, & ramus filium: ea autem sis ætate, in qua nec suscipere possis filium, aut ducere uxorem uelis: transferre significatum ad proximam substantiam aut affectum conueniet. Et rursus, cum non conuenit affectus affectui, uel res rei: ut florens pratum, quod leticiam significat, in luctu. Et si ea addantur, per quæ aliud declararetur: ut coronari significat dignitatem, aut irrisionem, aut circumueniri aut circundari ob insidias: sed coronari in aula cœlesti, non hæc, sed mortem cum funere sumptuoso & laude significat. Et si tibi significatum præfixeris illud, uel nunquam significabit. esset enim somnium ad memoriam pertinens, non uisio. qui ergo plus cupit, persæpe minus habet. Nam per se annulus uxorem decernit: si id tecum statuas, & somnium de eo sic uelis interpretari, quidnuis aliud potius significabit.

Præterea illud diligenter considerandum, in unoquoque uiso multa inesse 33.
generalia, & sub quocunque generali multa comprehendi: uelut mons magnus, sublimis, immobilis, durus: est enim lapideus, insensilis, difficilis: arduus enim est ascensus. Multa igitur habet generalia significata. at sub singulis significatis generalibus plura continentur. Sub magnitudine enim potentia, opes, gloria, sapientia, militaris autoritas, multorum conspiratio, ineuitabilia, fama. Sublimia sunt, dignitates, amicitia regia, gloria, suspendi. uides quantum unum ab altero differt. Rursus omnia hæc ad filium pertinere possunt. iugulatur, iugularis in illo: moritur, morieris in illo: cruciatur, cruciaris in illo: exaltatur, gloria tua est. Et eodem modo nomen, omen, species transfertur: quoniam in eodem communi continentur. ut asinus ad hominem patientem, laboriosum, è familia: in ijs enim tribus ambo conueniunt.

Propterea transitus fit uel ob multitudinem similitudinum & generalium, in quibus conueniunt, uel propter magnum consensum in uno generali:

generali: ut inter Deum & regem: nihil enim tam conuenit splendore dignitatis atque potentiæ. & inter solem & regem: nihil enim tam illustre ut sol, nec etiam ut rex. Conueniunt etiam & transmutantur propter ea quæ iunguntur in somno: ut opprimi à monte, non ad summersionem, sed hominem transferri potest. uterque magnus, uterque opprimit. Sic & ratione somniantis. Iugulat hominem: studiosus est, non armis deditus: superior euadet in disputatione: libro alicuius opus edito confutabit. uidet se in carceribus detentum excruciari: studijs tædiosis adeò incumbet, ut uitam sibi acerbam esse putet. Sic etiam in uocibus fiet transpositio. Sed de hoc, suo loco dicetur.

In uniuersum ergo, tota ars coniectoris in hoc uno cõsistit, ut plura colligas generalia, atque consideres cui' nam uni rei conueniant, cum conditionibus suis: atque ea res erit, quam somnium ostendit.

Considerandum est etiam, quòd somnia illa (ut uno uerbo dicam) congruentia, quæ naturæ, legi, consuetudini, arti, nomini ac tempori congruunt, & (ut generalius dicam, ac breuissimè) his quæ illi insunt secundum naturam, & non ui comparata, bona esse & felicia: quæ contrà, mala: quæ neutro modo, mediocria, uel quæ ad alios pertinent.

Eorum autem quæ ad mundi partes proprias, aut communes, non in nobis, neque ad nos pertinent significata, hic scribere non est necessarium, sed suo loco explicabuntur. nihil enim horum inseparabile est, ueluti hominis partes. quam ob rem de illis dicere necessariũ non est, ne repetere cogamur: uerùm potius modũ inuestigandi significata docere oportet. Vbi primùm somnium uideris aliquod, illud considera, an è genere demonstratiuorum sit: id est, quod ad occulta declaranda pertineat: seu cœleste, seu diuinum malueris appellare. Deinde, cognito quod ex huiusmodi sit genere, cognosces cuius temporis sit significatiuum. Et si multo pòst futuri, ipsum scribe cum anno, mense, die, hora, qua somniasti: omnesq; conditiones illius, moram, affectusq;. Sin autem præteriti, aut præsentis, aut paulo pòst futuri, ipsum adhuc recenti memoria scribe, sed non in libro: nisi uelis pòst ad alium usum, quod scripsisti, cum euentu seruare. Ergo co scripto, statim cogita an sit in initio anni, uel die natali tuo, uel quo infortunium ingens passus fueris, aut splendido aliquo munere seu uirtutis causa seu fortunæ decoratus: plerumq; enim similis euentus erit expectandus. Et si dies illa finem imponat uel magistratui, uel tũ decreueris primùm mutare sedẽ, aut uitæ rationẽ, aut ducere uxorem, aut natus tibi sit filius, aut finem labori alicui uel ærumnæ imposueris: tunc quidem si tempora sint, ad tempus referendũ erit: sin autem mutatio, ad mutationem cum tempore: ita ut tempus initij anni, & plerunq; natalis etiam

diei, non ultra annum extendas. Quòd si anno non finiatur, expecta illud tanquam perpetuum, aut ualde diu permansurũ. Et si in initio mensis, aut ingressus solis in signum aliquod, aut in coitu aut oppositione lunæ, aut in solstitijs aut æquinoctijs, coniectaberis tempus in quo somnij euentus futurus sit. Ex quo tum natura uisionis, & reb. quas tractasti, quæq; initium sumpserũt illis temporibus, aut iamprimùm inchoatæ sunt, aut quorũ iamprimùm celebritas peracta est, aut quæ imminent, aut quas iam tractare cœpisti, aut quæ intra triduũ sine cogitatione etiam initium sument (hæ autem ut fortuitæ & imminentes maximè spectandæ sunt, seu seruum aut famulum in domum receperis, seu inimicitias cum aliquo exercere cœperis, seu amicitiam nouam inieris, seu quicquam obiter magni deliberaueris) ex his tribus inquam coniectaberis quid significet. Atque è tribus duo iam explicauimus: tempus scilicet, & res impendentes, quas tamen dijudicabis tu naturali prudentia. Tertium est natura uisionis, quam sic aggredere. Primùm considera, an sit idolum: & si est, rem habes explicatam. Sin autem sit uisio, quære quid significet substantiam: id uerò (ut dictum est) uel ex partibus, uel ex his quæ ad te pertinent simpliciter, uelut uxore, filijs, familiaribus, affinibus: ita ut memineris hæc tantum partes significare, ut contrà partes tuæ ea quæ ad te: neq; assumas partes exiguas ad significandum. Vel erit quod significat pars mundi quæ ad te pertinet, ut domus tua, arbor tua, ager, planta in domo tua, equus uel bos tuus. Inuento subiecto ad quod somnium pertinet, quod solùm potest esse uel pars tua, uel aliquid ad te, quæres affectionem, quam sic etiam coniectaberis. Si præsentis temporis est somnium, & affectio parua, erit somnium de re parua: at contrà si sit de præterito uel multo pòst futuro, & affectio in somno & uigilia magna, maximus erit effectus. Quæcunque enim procul multùm imprimunt, maxima sunt, & ualidissima. Inde genus affectus requires. hoc autem præcipuè ex duobus, animi affectus natura, & qualitate rerum quæ uidentur. Affectus mali sunt prorsus, timor, tristicia & misericordia: boni autem, lætitia & spes alacris, ac uoluptas, seu uoluptuosa possessio. indifferentia, ira, odium, amor. Admiratio autem est propria rebus inexpectatis, aut magnis. Ex rerum autem natura quæcunque bona sunt, & bene se habent, & congruentia, bona sunt. Quæcunque mala sunt, & tibi aduersantur, malum ex malo significant: uelut à leone, uel serpente etiam magis, uulnerari. Quæcunque mala non congruentia patiuntur, uelut serpentem exuri uidere, aut languere: malis quidem mala sunt, bonis uerò malorum remissionem ostendunt. Mala autem in bonis, si somniantes mali sint, nihil absurdum: si autem boni, deterius: generaliter tamen utriusque impedimenta in

bonis

bonis significant. Cognito affectus genere, & magnitudine: si paruus sit, poteris negligere, sufficiat scire: si autem magnus, genera singula quære, & sub eis species, & coniectare ex omnibus an prima significata conueniant. Si aliquid repugnat uel ratione uisionis, uel personæ, uel ratione rei uisæ, alia quæres significata, permutando: donec ad id peruenias, in quo omnia consentiunt. Quòd si ex obseruationibus proprium habes alicuius rei significatum, illo utere. semper enim difficillimum est prima inuenire, & somnij originem. In omnibus tamen non admodum arduum est, bonum à malo dignoscere, præterquam in somnijs mortem significantibus. nam ob opiniones diuersas, mors inter mala & bona, sed non ex æquo: & inter magna & paruа, idq; quasi ex æquo refertur. pauci etiam sibi mortem prædici uolunt. ob id somnia eiusmodi non tam facile interpretantur. Et melius ab alijs, quàm ab ipsis qui somnium uiderint, & ad quos pertinet. nam possumus etiã mortem amici præuidere. Somnium quod Socrati & Cæsari uisum est, mortem prænuncians, utrumq; leue fuit: Socrati quidem uerè: Cæsari uerò, quasi à dijs meritò irrideretur, quòd cum pessimus esset mortalium, ob stultam de diuinis honoribus etiam uiuenti tributis cõceptam persuasionem, diuum se fieri posse existimauerit. nihilo secius fores cubiculi sponte patuisse, non pro ostento exiguæ rei, sed maximæ potius miraculo, sumendum est. At Caligulæ ut maximi mali indicium fuit somnium, quod illius necem præcesserit. Memineris etiam duplicis illius significati uniuscuiusque rei boni ac mali, ut iuxta significatum somnij illud sumas. Considera etiam generalia omnia bona uel mala significata, prout genus est insomnij: similitudinem quoque substantiæ, operationem, similitudinem operationis, & repugnantiam. Demum 24. inspice affectus singulos in initio huius capitis enarratos, & sunt sexdecim. Demum uoces ac uerba, picturas, statuas, si per eas quid significetur. sæpe enim ex illis iuuaberis. Indicium uerò est rectè assecutæ interpretationis, quædam animi quies, & omnia consentientia.

Quòd si contingat personam deesse, semper ad somniantem refertur. Atq; hæc causa est, cur cognitæ per somnum personæ, in uigilia incognitæ, semper ad somniantem referuntur. cum enim (ut dixi) partes mundi propriæ quæ non ad nos, ad ea quæ ad nos referri non possint, & cognitæ sint in somno, ad nos necessariò referuntur. Vbi ergo substantia quæ personam quæ ad nos significare possit, non adsit, subijcietur persona somniantis. Nulla pars 25. communis mundi potest significare substantiam propriam, neque affectionis causam: nec aliqua propria communem, nisi cum propria illa partes fuerint illius communis, ut ciuis patriam.

Caput XV. De generalibus regulis somnia interpretandi. .60.

Somnia monitoria probi.

1 SOmnia monitoria hominibus probis accidunt. Plerumque sunt autem probi, qui diligunt iusticiam: ea enim est omnium uirtutum mater. & qui

Affectus maximi

2 iustus est, pius etiam est, liberalis, gratus, innocens. Quinque sunt affectus animi, maximi: Timor, spes, admiratio, tristicia, atque lætitia. eumq; in magnitudine ordinem seruant, quo descripti sunt. post quos sunt, odium atq;

3 amor. Somnia non minus de præsentibus & præteritis sunt, quàm etiam de futuris: sed futura euentus detegit, occulta autem non ita deteguntur nisi

4 casu. Vnumquodq; somnium ad sua generalia deducendum est, & ex eo -33- plura declarabuntur. Velut uideo montem in me ruentem. mons magna res est: magna sunt magistratus, uiri potentes: ruunt, qui cadunt, qui succumbunt, qui iniuriam patiuntur, qui dignitate priuantur. atque ex huiusmodi

Res ostra mag?

5 in coniecturam deuenire poteris. Res contra naturam in bene se habentibus, malæ & infidæ: peßimè se habentibus & miseris, si ad bonum uergant,

6 bonæ & fidæ: malè tantùm habentibus, bonæ, sed non fidæ. Omne somnium, etiam peßimum, cum iuxta uotum fuerit, bonum esse potest: ut si quis

Sol ructus Rara. Sol sola Luna uxor

7 uindictam quærens, solem cruentum uiderit. Omnia rara eadem significant per somnum, quæ etiam dum uerè apparent. Et omnia quæ sola sunt,

8 ut sol, luna, uxor apud Christianos, cum plura uidentur, significant lites, cõfusionem, discordias, timorem. Et si plura in unum redacta uideantur, periculum, inopiam auxiliorum, aut conspirationem multitudinis. Magnitudo

Magnitudo

9 rei uisæ, & affectus & actionis, magnitudini euẽtus generaliter respõdent.

10. 11 Rem uidere ut prorsus se habet, nihil significat, sed memoriæ est. Mores etiam hominum spectare oportet. malis enim credere non oportet, maximè

12 bona suadentibus, & quæcunque dißimilia: ut si bonus mala suadeat. Animaduertere decet maximè successum insomnij, & quomodo ex uno in aliud

13 transferatur, demum finem. Repetenda etiam est sæpius tota tractatio: uelut quæ diximus de nobis translata ad filios, eadem nobis contingent si quis de

Erui oculũ pri

Res ꝑtẽtib; sore nõ pot: Sororẽ i matrimoniũ ducere.

14 parente tuo uiderit: uelut erui oculum patri tuo, tuam aut fratris tui mortem prædicit. Omnis res quæ exitum habere nõ potest, priuationem eius actionis portendit: ut sororem in matrimonium ducere, cœlibatum. non enim licet sororẽ sibi matrimonio iungere. unde est ut in prouerbio, Cùm mula pepererit.

15 Pleraque uisa per somnium duo habent significata, unum bonum, aliud malum: uelut Astrologi de stellis bene aut malè constitutis dicunt. unde

Visa p somniũ Tres sine oculos

erroris causa tam frequens: ut tres habere oculos, & prudentiam significat, felicemq; successum: aut opus prudentia fore, quod malè res sit successura.

Plerumq;

Plerumque etiam cum somnia mutationem significent, significatum coniectabimur ex eo ad quod prona est mutatio : ut pauperi non nisi ad opes, quod ad substantiam attinet, procliuis est mutatio. Somnia de rebus charissimis rarò bona sunt, quòd cum magno affectu fiant: at in his mali, ut uisum est, bonos superant. at mali animi affectus non nisi ab aduersis, non à secundis procedunt. Cum pluribus magnum aliquid significatur, malum est. bonũ enim pluribus ingens euenire non potest: at calamitas, ut in peste, & ruina domus, sæpe pluribus summa contingit. Maximum in cunctis est, cognoscere magnitudinem significati somniorum, ut etiam reliquarum rerum & actionum. Obseruandum est discrimen rei secundum naturam, ab eo quod uel lege uel consuetudine constat: ut amoris in filium naturalem, adoptiuum aut amicum. Somnia solent ex generalib. in propria transire: ut medicus, medicum tuum significet: & contrà medicus tuus, medicum non tuum. Reciprocatio in somno, ualde necessaria est plerunque: ut quem non noris, existimes eum cui tu sis ignotus: qui bene fecerit, cui tu benefacies. Eorum autem quæ ad personam nostram referri nequeunt, non est reciprocatio: ut deorum, aut mortuorum. Somnia quædam plura per pauca, quædam contrà: alia plura per plura, alia pauca per pauca significant. uelut nomẽ amittere, significat uitam, opes, dignitatem, familiamq; amittere. hoc est, per pauca plura significari. quòd si plures gemmas, quas non habeas, amisisse uidearis, rem exiguam amissurum ostendit. Amittere quæ non habes, cum alia habeas quæ amittere possis, paruam iacturam portendit. Incognitus effectus futurus, & indeterminatus, nullo somnio significari solet: quoniam natura nihil frustra agit. Omnia necessaria usui peruersa, nihil boni unquã significare possunt. Extrema mala non significant extremum malum, nisi per idolum: quoniam nullum malum extremum solet eidem bis contingere. At si idolum fuerit, nihil habet confictum secum. Exiguarum rerum uisio, & discrimen magnum, nihil portendere solet. Similes personæ in somnio tem uerti possunt: id est illum significare. at ille non potest alios. Nullum imperfectum bonum est: ut tonderi ex dimidio, lauari. Quatuor sunt ad quæ somnia transferuntur: natura rei, historia, fabula, & casus aliquis qui tibi ex eadem re contigerit. uelut si mortuo tibi uidearis solem sequi, suspendium significat. referunt enim, suspensos faciem semper ad solẽ conuertere. Omnia somnia maiorem habent efficaciam in iam inchoatis & præparatis: ut suspendij in uincto, uel etiam fure. Construere plerumque bonũ est, diruere malum. Ex futuris non succedentibus, super præsentia argumentum quandoque sumere licet: uelut, si cui amicus lætus uidcatur, postridie autem

infortunium accidat somnianti, perinde est ac si diceret somnium illud, is tuus non erat amicus. hoc enim ostendere uolui. Eorum etiam quæ significant, si aliquid ad hominem pertinet, mutua est reciprocatio: ut si oculus significat filium, & oculus effossus filij mortem, filius significabit oculum, & filij mors oculum effossum. Quatuor præterea sunt quæ omnem rem possibilem reddunt: Aetas florens, origo nobilis, semina iacta ex opibus ac uirtute, & rei qualitas communis: ut sacerdotium. Quòd si ineptus sit ad significatam felicitatem, tantundem in contrarium declinabit. ut plebeio inepto regalis pompa suspendium significat: nam & qui ad supplicium ducuntur, satellitibus circundantur. Cum plura idem significant, omnia tamen diuersis modis significant: uelut oculi significant filios pulchros, cor prudentes, membrũ uirile prorsus infames & libidinosos, renes laboriosos: germina ignauos, sed ad propagationem utiles & fœcundos. Quæcunque talia sunt ut nihil boni possit eis accidere, semper mala prænunciant: ut dentes. Quæcunque extrema sunt, minora mala significant: quoniam uisio & interpretatio à uera representatione differt, & ab idolo. Somnij proprium est, nil nobis notum significare. Somnia de principibus, & illorum etiam somnia, semper fermè idola sunt. Nihil olidum in suis uidere, aut fœdum, uel miserum, bonum est. In omnibus actus potentia maior est: uelut acria edere, dolores significat: esse ut edantur, dolorum periculum. Mendacibus quoque infida somnia apparere solent. Intempestiua tempestiuè si adesse uideantur, commutationem malorum in bona significant: uelut si uere appareant uuæ, quæ autumni tamen tempore esse uideantur. Vt contrà tempestiua intempestiuè, commutationem bonorum in mala: uelut si autumno uideantur uuæ, quæ tamen uere adesse uideantur. Tempestiua tempestiuè, bona augent: ut intempestiua intempestiuè mala. Rursus quæ uidentur, alia quidem quæ sunt tanquam sint: ut si equum habeam, illum tamen amittere uidear, aut equitare, hoc certum habet significatum. aut ex eo quod non est, & uidetur: ut si uidear equum habere quem non habeam, inde amittere uel equitare. aut ex eo quod est, & non uidetur: ut si equo carere uidear, & inde alium emere. hoc autem & imbecillem & parum ueram habet significationem, sed quæ longa indiget interpretatione, atque ex abditis repetita. At secundus modus est efficax, sed minus planus, ut etiam de tertio dixi: medius ergo inter illos.

30.

Quæcunque significant aliquid, si non omnia eiusdem generis significent, ad unum genus contrahuntur, simile proprietati naturæ. uelut aues significant futura, & non omnia significabunt: ergo celeriter uentura, non tardè. nam inter omnia animalia aues celerrimè mouentur. Ita etiam ignis significat ardores,

ardores, pugnas, non omnes, sed eas propriè quæ ex minimis in immensum crescunt. Ignis enim statim crescit in magnitudinem immensam. Maximũ præceptum artis est, scire transire per eadem genera, ut ex extremis media dignoscamus. uelut amarus sapor proculdubio mortem significat, cum magnus fuerit. quid modò decernat mediocris, aut paruus, si quis deducere norit, paucis fermè totam artem deprehendet. nam extrema in omnibus per se quasi nota sunt. Quæcunque communia uel consequentia sunt, considerare tantum oportet, cum uel excesserint, aut animum mouent: ut numerus, magnitudo, motus uel quies, figura ue: ut si pigmæum uideas, aut gigantem. Aduertendum diligenter est, somnia quædam non simpliciter uera significare, sed secundum opinionem uulgarem, aut existimationem somniantis. atque ita significant uerũ: quoniam illud uerum somnians arbitrabitur. uocãturq; huiusmodi somnia imaginum. Fiunt autem ex permistione affectus animi, & influxu cœlesti. cuius exemplũ habebis in quarto libro †. Fide dignos dicimus deos, & proprios diuos etiam, & parentes, nisi irati sint: & amicos, & omnino ueraces. Et plerunque etiam reges, & sacerdotes bonos. Cum idem pluribus significari potest, significatur autem insueto modo, proprietas significantis rei est consideranda. uelut patriam possidere, pluribus modis significari potest: si per matris concubitum tyrannicè occupabit, tyrannidem exercebit, & infeliciter peribit, ut incestu matris dignus. Somnia omnia contra leges, infamiam prædicunt. Quæcunque celeriter proueniunt, ut persicus, sus, celerem effectum nunciant: quæ uerò tardè, ut cupressus, elephas, tardè. Quæ longa, ut perticæ, pinus, cameli, homines proceri, longanimes & tardos: breuia, ut pumiliones, lichen, malus punica, festinationem. Quæ lata, diu proferuntur: quæ angusta, breui absoluuntur. Quæ grauia, ut aurum & plumbum, cum difficultate: quæ leuia, facilè. Quæ celeriter crescunt, & parum durant, talia etiam negocia & initia talia significant: ut contrà, quæ serò proueniunt. Quod fieri persæpe consueuit uerè, in somnis pro generali ratione obseruandum est, ni aliud obstet. uelut si cui fugiat equus, intelligatur significatum pro equo fugiente, qui non pereat. Omnia familiaria pro extrema causa sunt interpretanda: ut loqui pro petere. neque enim cogimur ad hanc actionem, nisi huius causa, cum sit actio familiarissima. Quæcunque ex duobus constant, re & affectione secundum similitudinem, ex utroq; sunt iudicanda. uelut edere ceruũ, ex edo, quod est lucrari, uel indigere: & ceruo, quod est timido, fugaci, uel naui. idq; est lucrari nauigatione, uel alio modo periculoso. Cum conditio repugnat, aut repetitur, ad aliud significatum est transferenda interpretatio. ueluti esurire, indigentiã edendi.

edendi significat: Edere rursus, indigentiam & lucrum. at indigentiam indigentiæ præposterè dicemus: quare significabit uehemens lucri desiderium.

61 Cauendum est diligentissimè, quod in oraculis sæpius euenire consueuit, ne loco unius rei, puta affectionis, locus sit intelligendus: ut νέφεως lingua

62 Cypriorum significat carcerem, cum sit Cariæ urbs, doliũ & tegula. Conditio necessaria semper præsupponitur, etiam si in somno non appareat: ut

63 capi pro torqueri. Cum transmutatur res, affectio manet: ut oculi ferrei, si filios significant, robustos & fortes.

Caput XVI. De dijs.

Dii iuxta hanc considerationem partes mundi sunt, generales atque communes, & causas generales significant. In eis tria considerare oportet, quæ illis uerè insunt: & sunt, potestas, & sapientia, ueritas, bonitas, iusticia, infinitas, æternitas. Quæ tribuuntur, misericordia, pietas: quæ exhibentur, ueneratio: iuxtaq; hæc facilè uisa illorum interpretabimur. Siquidem audire aliquid ab illis, uerum est quod dicitur: sunt enim ueritas. ab illis uerberari, mortem significat: quis enim mortalium uerbera ab infinito robore præter mortem feret? Si miseret tui, iustè extrema patieris. quorsum enim misereri, si iuuare potest, nisi quia merita pateris, ut iustè succurrere tibi non possit? Iungere Deo dextram, est mori: nam immortalitati iungi, nisi per mortem, non possumus. Audire ab illo uerba obscura, malum est: si enim bona significarent, nollet nos latere. est enim bonus: & ita, ut nil prauitatis immistum habeat. Quòd si obliuiscaris dictorum quæ erunt in summa spe aut timore, non euenient. Si uideris facientes quæ esse possunt, euenient: sin autem quæ esse non possunt, euenient insperatò, quæ nunquam sperauerat. Sed hæc possunt etiam esse bona: ex uerbis autem obscuris, insperata mala. Si uerba obscura aliquis interpretetur fide dignus, erunt iuxta interpretationem. Qui sint fide digni, iam uidisti. Si uinentur, plectetur infortunio magno: si ut spiritus uideantur, secreta intelliget. Si eos uenerabitur, lætitia afficietur. Si in domum quampiam cum illis ingrediaris & egrediaris, morieris breui: si non egrediaris, ad extremum periculum ex morbo deuenies. Si non egrediatur, sed in limine subsistat, longo morbo uexabitur. Deus regem significat. A Deo damnari, est à rege iustè damnari. à Deo aliquid impetrare, est à rege obtinere illud, aut simile. Si mulier Deum in maiestate uiderit, uir suus facta sua requiret. Hoc magis de diuo, quàm de Deo. & etiam de utroque non per se, sed significat per se maximum mulieris timorem. Excussus à Deo: morietur, & stirps sua dignitate priuabitur. Visio Dei, & cultus etiam magis, mutationem ad meliorem uitam, & scientiam arcanorum significat. Qui Dei

uocem

uocem ex aure excipit, arcana intelliget, aut omnino uitam aget piam. Sociari illis tacitis, mortem significat: si loquantur, uerba sunt obseruanda. Deorum cultum mutare, significat in principe uexationem populi: in nobili, ruinam opum & existimationis: in plebeio homine, deceptionem & testimoniũ falsum: in muliere, adulterium. Diuis supplicare cum solicitudine, calamitatem magnam aut metum nunciat. Deos spernere, magnam felicitatem aut calamitatem prædicit. in utrisque enim solemus deos contemnere: in felicitate quidem obliti, in calamitate desperantes & irati. Diui diuis aut deis, aut dei deis sacrificantes, admiranda prænunciant: & hæresim, & mutationem magnam rerum. Deus præterea pontificem significat: minores Dei, diuiq;, sacerdotes. Dij plorantes aut irati, maxima mala publica decernunt, & uitam principum detestandam.

Caput XII. De diuis.

Diui eadem quæ dei significant, sed minora, minusq; bona: at mala non minora. Deos minores loco eorum idololatræ colebant. In duobus distinguuntur à dijs, unde tertium oritur. Primum quidem, quòd peculiarem diuũ colimus, non autem deum: est enim omnibus communis. Præterea, quòd diuos habemus etiam negocijs præfectos: ut medicis ac ægris, Cosman & Damianum: militibus, Georgium: philosophis, Dionysium Areopagitam: pontificibus, Petrum: concionatoribus, Paulum: eruditis, Hieronymum, Augustinũ. In aduersis, martyrum desideramus constantiam: in tranquillitate, Ioannem apostolum: in felicitate, Syluestrum pontificem, Aloisiumq; regem, & tres Magos, quos etiam pro sapientia colere solemus. In uincendis aduersis, Ambrosium: pro prudentia, B. Antonium: pro bona fama, eremitas: pro innocentia, uirgines suspicimus. Quòd si Romanis laudi datum est, ut prophanos maiores colerent: si supra humanam uirtutem Dei amore insignes, cur digni non erunt ueneratione? Si suspicimus in multis errantem contra pietatem Auerroem, & tot alios, cur his sanctis uiris non deferemus honorem? illos non imitabimur? atque in diuersis donis fautores non optabimus? Et Mariæ Christi matri ego quandoque supplicaui in desperata causa bis, & obtinui perfectè in una: in alia, ut non uexarer. Si reges suorum adulatorum, id est falsorum amicorum precibus mouentur, etiam Deum uotis proborum, nedũ illorum qui aduersus statuas pro Deo uiuente ad mortem pugnauerunt, indulgere multa consentaneum est. Apud hos ergo qui diuos hos colunt, deseri à propitio, aut illum sibi iratum uidere, est ruinam imminentem capiti suo naturaliter (ut dixi) prædici. In unoquoque diuo spectanda est uirtus, qua dum uiuebat inter mortales fulsit, & pro qua à te colitur: ita propitium

tibi uel infaustum euentum somnium declarabit. Semper autem accipere à diuis quæ illis propria sunt, bonum: auferri autem, malum ac dirum. Accipere medicamentum ægro si uideatur, aut medico propinare ex manu diui medici (sunt autem multi) ipsumq; quale sit cognoscente qui uidet, uerè sumpto postmodum medicamento omnes sanitati restitutos accepi. Diui quos colimus, si non congruè se habere, sed tristes aut inornati uideantur, timores & damna & impietatem prædicunt. Ob id de ornatu externo dicam: prius monendo, ut caueat lector, ne huiusmodi malè interpretando, in aliquid sinistri incidat. nam nolo ego sapere plusquam oportet sapere, nec à maiorum meorum decretis uel teruncium discedere uel aberrare. Diui ornati & læti, quicquid optas dant, & omnem tristiciam auferunt: infirmos sanant, uinctos soluunt, exules reducunt, seruos liberant: litigantibus & pugnaturis uictoriam, prægnantibus faustam & superuicturam sobolem, iuxta diui sexum pollicentur, miseros solantur. Fœdati diui, insperata mala portendunt. Alieno habitu induti, & irati uel tristes, damnum ab homine illius gentis, cuius est habitus, portendunt. Diuos inter se pugnantes uidere, contentiones regum & bella significat.

Caput XVIII. De statuis & imaginibus deorum & diuorum.

STatuæ ergo deorum atque diuorum, eadem penè quæ dei diuiq;, apud imperitam plebem significant: apud alios uerò, multo minora. In quibusdã tamen adeò utile: sunt, ut etiam dij diuiq;. uelut in diuitijs, honoribusq;: quòd hæc non sint uerorum deorum dona, quamuis uulgus longè aliter sentiat. Itaque & ultio & similia, nisi is de quo ultionem sumere uolumus dijs inuisus ob improbitatem dici possit, ad statuas magis quàm ad deos pertinet. Imagines pictæ statuis sunt ualde inferiores, eadem autem significant. Porro statuas deorum moueri, aut imagines, hoc à diuinitate seiunctum cum sit, significat admirabile quid, nec contemnendum, euenturũ. admirabile, quia lignum, lapis ue, aut pictura: non contemnendum, ob dei representationem. Deferri quoque statuas deorum ad locum insuetum, est cultum aliquem obliterari, aut nouas induci ceremonias. Porrò statuam Dei in caput cadere, est lædi à sacerdote, aut uexari. statuæ enim deorum ac diuorum, sunt illius sacerdotes. Si quis ergo uideat statuam, gratia exempli, D. Laurentij in caput suum cadere, sed non uulnerari: coniectabitur sacerdotem aliquem illius diui, aut etiam D. Stephani (adeò somnia idem referre abhorrent, ut semper fermè & in substantijs & affectibus simile pro simili ostendant) infamia eum aspersurum.

Caput

Caput XIX. De dæmonibus & heroibus.

DAemones pro cacodæmonibus intelligere oportet. Significant autem fures, hostes: & si propitij uideantur, diuitias. Sed nudi, infœlicitatem. Sæpe nostrum genium unus refert. ideoq; tristis aut malè affectus, malum portendit: lætus autem, bonam fortunam. cum dæmonibus pugnare, magnas animi perturbationes declarat. Dæmones, satellites & lictores ostendũt. In propria forma si uideris, uera illorum responsa esse credas: secus autem, falsa. Dæmones etiã affectus nostros significant, & prauos dominos. Iuxta uerò legem nostram, & uerè, dæmones sunt dij maiorum nostrorum: atque ideo Aesculapium iratum aut tristem, aut abeuntem uidere, est infirmari: infirmo autem mortem denunciat. Neptunus & Thetis, naufragium. Mercurius, omnia infelici cũ successu. Saturnus uincula, Mars cædem, Iupiter iudicium publicum quo damnaberis: Minerua infelicitatem, & ignorantiam, frustrationemq; laboris in discendo. Vulcanus periculum per ignem, & labores, & membri alicuius læsionem aut priuationem: Momus, irrisionem: Hercules paupertatem, ærumnas, insaniam, uoluntariã mortem. Bacchus temulentiã, irrisionem, & damna à mulieribus. Orpheus mortem uxoris, odium mulierũ propter amorem puerorũ. Apollo mortẽ, & indignationẽ, tristitiãq;. Malis præterea dæmones fausti utiliores sunt, quàm bonis: infensi uerò malis plus nocent, quàm bonis. Deæ minora bona ac mala decernunt. Dæmones uidere pugnantes, potentium uirorum & malorum contentiones significabit.

Heroes maiora significant, & meliora, quàm dæmones, & ad uirtutes magis hortantur: & in pugna & lite meliores sunt, ac magis fausti, quàm dæmones: in reuelando uerò secreta, inutiles sunt. irati magis nocent. Hoc ex numero sunt, Achilles, Hector, Aiax, Orlandus, Rinaldus, & quicquid supra humanas uires fabulosa celebrat antiquitas. Quo in genere etiam sunt gigantes, Alexander, Mithridates. Heroum significata clariora sunt quàm dæmonum, propter illorum exitus cognitos. Sunt etiã inter hos, reges: ut Alexander Magnus, & Carolus Magnus, & Cæsar dictator atque Augustus. Iuxta uerò exitum illorum & uitam, quod ad negocium attinet, iudicabis. Et heroes malè induti, & minantes, significant latrones.

Statuas uerò & imagines eodem modo ut in diuis accipies: bonas atque felices, bonorum atque felicium: contrariorum, sub contrario significato.

Caput XX. De sedibus beatis, campis Elysijs, Tartaro, & pœna temporaria.

PAradisus significat sapientiam, dignitatem, pietatem, honestam uoluptatem. Dignitatem quidem: quoniam qui ibi sunt, ab hominibus coluntur.

uoluptatem: quoniam ibi sunt felices. Sapientiam: quia quæ ibi sunt, ea dignoscuntur non sensibus. Eò demitti quenquam in terras, siquidem liber fuerit, optimum regem: sin autem catenatus, felicissimum, sed crudelem significat tyrannum. Ibidem quoque esse, in collegium sacerdotum ascisci prænunciat.

Ex tartaro aliquem ascendere cum gladio, uel infulis, aut magistratus insignibus, uel cum gladio nudo, uel à Plutonis sede, est tyrannum oriturum crudelem, qui tamen infelicem habebit exitum. Tartara significant mœrorem, confusionem & turbationem, sic & temporariam pœnam. Idem & Elysij campi: sed pœnam non significant, nec mœrorem, aut saltem non magnum. Viuere in huiusmodi locis, est flagitiosam uitam ducere. cruciari in illis, est detegi in flagitio. Spectare solum, significat tristiciam. Ad inferos descendere, nec reuerti, proximum idolo est: aut enim morietur, aut in carcerem perpetuum trudetur: atque in hoc genere sunt triremes, uel omni ex fortuna concidet: uel tam longam suscipiet peregrinationem, ut nomen eius non audiatur. Si uerò redeat, negocioso malum est: nam inferis nullum est negocium. Bonum autem est latêre uolentibus: locus enim talis est. curiosis, arcana enim detegit. thesauros etiam quandoque promittit. Bonum est & timentibus: inferi enim timoris sunt expertes. & mœrentibus: sunt enim etiam sine cura. alijs uerò morbos longos, peregrinationes, carcerem, turbationes, oppressiones, molestias graues. Significat & superstitiosam uitam, inanem inquisitionem rerum quæ sine fructu sunt. Si certo loco Tartara uidentur esse, ibi tu uel tui affligentur, aut flagitia admittent. Loca obscura ac tenebrosa, mala omnibus, nisi his qui latêre omnino uolunt. nam cæteris negocia nunquam finem habitura, cum tristicia & errore ac desperatione, significant. Tartara iudicibus iniustas sententias, mulieribus adulterium præsagiunt. atque hæc omnia generalia sunt.

Caput XXI. De mortuis.

MOrtui personas nostras significare nõ possunt, ut reliqua quæ sunt propria: non enim sunt. nec res publicas, nisi quatenus sunt partes ciuitatis. relinquitur igitur, ut affectus solos decernant. Sunt autem triũ generum: aut mortui uerè, aut uiuentes, aut mortui qui uiuere uidentur. Et horum quidam sunt soli, quidam plures: & quidam noti, & quidam ignoti: & quidam qui reuiuiscere uidentur, & quidam mori, & quidam rursus mori. De uerè ergo mortuis ita censendum est.

Si quis uocari se à mortuo, cuius uocem agnoscit, audiat, nec illum uideat, morietur. Mortuus enim uerè, seu sciat mortuum esse, seu non, mortem repræsentat.

præsentat. Si tamen prænomen solum audiat, notus pro dormiente subijci poterit: quod tamen raro accidit. Tribus in casibus mortui mortem præsagiunt: si uocent, cognoscaturq; uox, nec uideatur qui uocat: quoniam non uocat nisi ut ad illum accedas, non ut colloquatur tecum: nec potes nisi moriendo ad mortuum accedere. Secundus est, cum is cum illo in locum occultum seu ignotum, nec reuerteris. quomodo enim cum mortuo manere potes, nisi moriaris? Tertius modus est, cum aliquid illi dederis: neque enim mortuo quicquam dare possumus, nisi uitam. In primo casu etiam continetur, si insideas equo cum mortuo, uel duobus equis albis, & curras cum eo, uel etiam solum eas in partes ignotas. Et si uocanti, pollicearis iturum. In secundo casu, maius erit si te deducat manu, & in locum tenebrosum. In tertio casu, si ille tibi eripiat, & non des: & eripiat cibum aut uestem, omnia hæc morbos & mortem prænunciant. sed si deficiat aliquid, significant morbos eò usque, ut deploratus præter spem conualescas. Et si sint mortui uiolenta morte, mortem eiusdem generis significabunt. Lethale etiam est, si argentum uel gemmam auferat mortuus; sed gemma ad filiũ uel uxorem potius pertinet. Si dederint aliquid, bonum est: lucrum enim omne ferme ex mortuis, propriè autem ex fundis illud significant. Si nihil egerint, talis erit fortuna tua, qualis illius animus & facta dũ uiueret erga te. Si mortuo sociatus fueris, pedes ponendo in illius uestigijs, uel illum insectatus es: uel insectaberis (hoc enim est ex proprietate uerbi) uel uitam illius imitaberis. Mortui uerè, si reuiuiscere uideantur, desperata res in spem redibit, aut homo in melius uitam commutabit. Sed si iterum mori uideantur, redibunt eadem ad idem, nec amplius mutabuntur, uel tibi similis morietur. Si mortuus uestes tuas accipiat, & induat illas, inde exuat, morieris: nam idem cum solitus sis facere, & in eisdem quod ille fecit, morieris & tu sicut ille. Vel dic altius: induisti corpus ut ille, & exues ut ille, ideò morieris. Si mortuum tanges, infirmaberis: quoniam qui mortem tangit, est infirmus. uel quia timorem mortis habebis: mortuus enim, ut dixi, mortem significat. Viues tamen diu: quoniam euasisti. Si mortuus tibi notus uerbis blandiatur, aut maledicat, talis eris tu factis erga suos necessarios uel coniunctos. Si ignotus, rem facies pro qua lætaberis, aut pœnitebit. Mortuis dicata nec dare, nec etiam accipere bonum est. non enim id fiet sine proprio uitæ periculo. Similiter nec degustare quicquam in mortuorum cœnis, aut eorum quæ pro illorum anima dantur: illa enim mortem, hæc mortem aut extremam significant paupertatem. damus enim talia mendicis. Si mortui corpus in locum detuleris incognitum, infirmaberis: si non reuertaris, morieris. Qui à mortuo noto per uim trahitur ad locum incognitum, morbo

uiolento corripietur: quòd si superabitur, morietur: si se retrahat, iam deploratus euadet. Qui mortuum dormientem uidet, morietur miti morte. Qui à mortuo aliquid petit, à superiore affligetur. Qui mortuum dolore aliqua in parte sui corporis uidet, aliquis per illam partem significatus malè afficietur, aut peccabit, aut ipsemet ægrotans in eadem parte corporis morbum patietur, aut eadem parte peccabis. Semper melius est uidere amicos mortuos, quàm inimicos: nam & bona significabunt, aut mitiora mala. unde parentes uidere, minus malum est omnibus alijs mortuis, si mortui uerè sint. Qui mortuum uidet tristem, deformem, pannisq; laceris, sibi caueat ab infortunio, nam si notus est, dolet de tua calamitate futura: si ignotus, hæc deformitas & squalor in personam tuam recidet. Si mortui aliquo in loco resurgere uideantur, somnians uel aliquis è suis in loco eodem patrauit flagitium, aut patrabit: ex quo à superioribus punietur, aut renunciabitur contrario affectu, quem sensit ex ea resurrectione. quandoque tamen non designat locum, sed solum euentum. Et nonnunquam difficile negocium significat: & si iam fuerit tale negocium, finem sortietur. Semper autem mortuorum resurrectio insperata prædicit. Significat & casum ex firma spe: est enim & hoc admirabile. uinctos liberat: & qui extra periculum esse uidentur, supplicio afficit. hoc tamen rarum. Si qui resurgit, notus est: somnians nunquã dum uiuet eo uoto potietur, nemo enim dum uiuit, sperare potest uidere mortuum resurgentem. Quòd si sperat, sperat in fine temporum. mors autem unicuiq; aduenit in finẽ temporum: ideo non licebit unquam sperare: & cum sperabit, sciat se ex eo somnio esse morti proximum. Mortuorum qualiscunq; resurrectio, & præsertim generalis, confusionem maximam declarat. quæ enim futura esset conturbatio in mundo, si mortui resurgerent, unoquoque sua repetente?

Interest hoc inter mortuos, qui mortui esse uidentur, & qui uiuere: quòd qui mortui esse uidentur, ueriora significant, & maiore cum periculo ac mentis perturbatione, ob timorem. Si ægro uideatur, uel alicui è suis de illo, iungi cum mortuo, uel cum illo concumbere uideatur etiã mortuus, morietur ex morbo magno & manifesto sine spe salutis: & si uiuere uideatur, morietur nihilominus, sed cum spe salutis, ex morbo qui magnus non uidebitur: si autem cum uiuente, quem mortuum esse existimet, præter spem euadet. Mortui etiam sub uiuentium specie, dolos & homines improbos pro bonis habitos ostendunt: ut mortui autem, palàm improbos.

Viui sub mortuorum specie, uitam flagitiosam significant: talisq; eris tu, si tibi mortuus esse uidearis: uel latebis, aut phratriam ingredieris. Significat & exilium, & connubium. Mortuus si iaceas inter mortuos, cum facinorosis homi-

hominibus uitam duces: si uiuus inter mortuos, inter tales habitabis, sed non coinquinaberis. Si qui uiuunt, mortui uideantur, & cogniti desinent te amare uel odisse: sin autem incogniti, à pluribus decipieris, & in uanum implorabis auxilium. Funus tuum celebrari, magnum honorem significat: sed si resurgas, antequam efferaris, illo excides præter spem: si postquam elatus, erit is honor etiam cum magna admiratione. Si in sepulchrum mortuus condi uidearis, propter malè facta in carcerem truderis, aut infamia graui aspergeris: si uiuus, iniustè.

Caput XXII. De cœlo, sole, luna, stellis.

78. Cœlum significat, cum sit pars communis, quicquid nos ambit: patriam ergo, regionem & fortunam. Sol autem, præsidem prouinciæ, & senatus etiam, & prætorem, propter autoritatem necis: luna fortunam, & sortè, & iudices qui de fortunis iudicant, & uxorem præsidis. Stellæ autem, omnes congregationes & collegia ciuitatis: & sacerdotum etiam. In errantes etiam populum significant: unde casus stellarum in mare, populi ruinam prædicit. Stellas transferre, potentiam & autoritatem apud populum declarat. Oportet etiam in stellis figuras considerare. canis enim, iram populi: corona, honores ab illo delatos: Andromeda, uincula. atque ita de auriga, leone, Perseo, serpente, atque aliis. Planetæ etiam significant senatores & iudices, quia sol præsidem & prætorem significare potest. Stellæ autem lucidiores, tibi uel alijs fortunam splendidiorem significant. Luna quoq; senatorem significat. Cœlum astraq; omnia si tecum loqui uideantur, magnos effectus portendunt, & plerumq; calamitosos. & si te uerberent, occident: magnitudo enim eorum ac robur mortalitati comparata, sunt sine proportione. Si sol sanguineus domui tuæ immineat, à præside prouinciæ uel senatus uel rege damnabitur aliquis è domo tua, capitali iudicio: & si niger fuerit, erit eum hoc exitium illi domui aut familiæ. Et si stella cadat in domum tuam quasi ignis, & extinguatur, iudicio affligêris. Et si quis è domo tua ascendat in cœlum, & in solem uel astrum conuertatur, fiet aliquis è tuis senator aut prætor, aut in iudicem eligetur. Sol purus ex oriente surgens, gloriam laboresq; & principum acta significat, recta tamen & firma. cursus enim secundum naturam est. Turbidus & obscurus, semper malus. Ex occidente si surgat, inanes spes, dolos, metus, res non firmas portendit. Miseris tamen utilis est, & his maximè quorum salus desperata est: occulta tamen reuelat. Occidere Solem ex orientis parte, omnibus ex æquo malum est, quod ad negocium attinet: id tamen malum quandoque tibi auxilio esse poterit. Sol obscurus, latêre uolentibus bonus, similiter & timentibus: minus enim exurit. cæteris

79. malus,

malus. Et cruentus omnibus pessimus, nisi si quis uindictam expetat. Si euanescat, mortem denunciat, uel cæcitatem: hi enim solem uidere non possunt. Si à meridie uel à septentrione oriatur, medius est inter orientem & occidentem. In cubile incumbens, orbis aliquando filios promittit: est enim autor omnium. alijs filiorum interitum, diuitias, morbos, prout affectus fuerit, decernit. Solem in domo uidere, aut incendium, aut magnum malum, aut filium regem futurum demonstrat. Solem dare aliquid, periculum nunciat: auferre, perniciem. Splendor solis in domo, rem bonam, non magnam significat: est enim res consueta. Cum sole colloqui, idem est ac si cum rege. Imaginem in sole uel luna uidere, est filium, si pater sit, aut filiam, si mater, nascituram, nam uerum speculum est sol & luna: & imago patris filius, & matris filia. Stellæ significant etiam stirpem uenturam, quod pars earum uideatur, magna pars lateat. Stellas furari, studiosis bonum est: secreta enim magna inuenient. cæteris sacrilegium & pœnas minatur: diuinæ enim sunt stellæ. Stellæ sub tecto mortem domini nunciant, aut domus desolationem. In uniuersum, ubi senatus decernit, sol significat aut regem, aut præsidem prouinciæ aut senatus: luna uerò, si rex adsit, præsidem prouinciæ, uel prætorem, uel senatorem: ubi uerò prætor decernit, sol prætorem, luna iudicem refert. Et ita errones, senatores, si rex non adsit: si adsit, aulicos repræsentant. Stella in sepulchrum cadens, interitum illustris uiri significat. Si in caput alicuius ceciderit, populus de illo magna loquetur.

In cœlo esse puro, arcanorum significat scientiam. Ad illud ascendere, difficultates & mœrores: est enim res laboriosa, & plena periculi. Et quanto altius ascenderit, eo deterius. Domum in cœlo habere, lethiferum est. nisi quis sæpe somniauerit: tunc enim illustribus factis celebrabitur. In auem uerti, & ad cœlum ascendere, est ad rei publicæ administrationem admitti. Cum aue loqui, quæ ex cœlo uenerit, est supplicationes tuas esse exauditas. huiusmodi enim uiuis loco nunciorum sunt.

Caput XXIII. De Aere, uentis, iride, cometa, parelijs, inani, nebulis.

AEr insensilis est, communis, ac permanens: uentus sensilis, sed non manens, substantia tamen. Iris & reliqua communia & sensilia, sed quæ nō manent, nec sunt substantiæ. Aer si uideatur, incredibilia significat. Aer significat cor & pectus, quoniam eo talia aluntur, & quoniam perpetuò mouentur. Aer religionem significat: diuinus enim est, & perspicuus, nec uidetur. Aer quoq; uitam significat: eo enim ad illam semper egemus. Conturbatum aerem & nubilosum uidere, est in religione turbas aut morbos cieri, clarus

aer

aer omnia perspicua & tuta, ac sine dolo significat. Aer turbidus, metum, & actionum impedimenta: obscurus autem, actionibus prorsus aduersatur, metusq; ac terrores parit.

Venti significant seditiones, bella, rixas, ruinam populorum, & potentiũ nuncios. Si euertunt arbores, proceres euertentur: si herbæ, populus: si arces, reges: si domus, nobiles: si templa, sacerdotes. Si puluerem aduehant, contristabitur: si æstum, anxietatem: si frigus, inopiam. Si placida aura, nuncius adueniet bonus. Si uento feratur, peregrinabitur ad eandem partem, pro ratione uelocitatis eius & temporis quo ferri uidebitur, & pro qualitate itineris & affectus animi. per segetes, nec proterens, nec excutiens, abundantiam: si dispergit aut proterit, annonæ caritatem: si contra te, impedimenta: si euntem te quasi adiuuet, felicem successum: si puluerem ubique spargat & aduehat, obtenebretq; uisum, pestem: si adeò terribilis sit ut uix consistere queas, persecutionem maximam patieris.

Iris significat quid diuinum, ob colores & formam, & mutationem fortunæ speciosa magis quàm utilia, & delectationem absque fructu. Vtilior à dextra tua, ac solis, contrà deterior. Auersa autem, aut supra caput, infra tendentibus cuspidibus, exitialis est. Iris quoque principes ostendit fœminas: rotunda, regnum nouum, sed non diuturnum: nigra, magnas calamitates & strages.

Pareliæ significant fœminas, id est illarum affectiones & causas. neque enim, ut dixi, quicquam de his quæ ad te. speciosa, sed non utilia, nec cum uitæ periculo. significant & res magis insuetas: & propriè hæ & irides peregrinas res & causas significant.

Cometes significat metus, stupores, facta regum, publicas mutationes, & à publicis uexationes. Significat autem pericula & damna ab externo homine, & nouo magistratu, & nouum hæresiarcham.

Inane autem & uorago in cœlo, significat mala in religione, & metus magnos uidenti: & atram bilem, ac malas cogitationes.

Nebulæ albæ, felicitatem, itinera læta, famam: fuluæ, turbationes: caliginosæ, anxietates & itinera decernunt. nigræ & obscuræ, timores aut tempestates. Domum aut sedem in nubibus habere, est uana spe & læticia gaudere, aut mortem proximam esse. Sed si ibi sit, aut gloriosam uitam, si talis sit: aut uanam iactantiam & existimationem prædicit.

Caput XXIIII. De aqua, mari, lacubus, paludibus, ſtagnis, fluminibus, fontibus, riuis, piſcinis, puteis, ciſternis, pluuia.

FLumina ſignificant decurſum uitæ noſtræ ſimilem illis. Et ideo bibere totũ flumen, mortem proximam indicat. Studioſis tamen, ſapientiam propè diuinam. Quale flumen, talis uita, aut ſapientia. In flumine eſſe, nec poſſe exire, maxima mala & oppreßiones, præſertim à potentibus uiris, decernit. Si flumen diruat domum, aut rapiat prædium, potens uir familiam aut bona illius peßum dabit. Flumen è domo diuitis exiens, poteſtatem in populo ſignificat: pauperis, uxorem aut filiam proſtituendam. Lacus idem quod flumina ſignificant, ſed ſine impetu. nec ergo uitam adeò inconſtantem, nec potentiũ iniuriam, ſed maiora damna etiam in uita. Significant etiam uberem ſapientiam. Et piſcoſas eſſe aquas, bonum omnibus eſt, & malum auerruncat.

Pluuia cuius aqua clara eſt, portendit felicitatem: & ſi bibatur, ſanitatẽ. turbida autem, moleſtias: & ſi bibatur, morbum. à cœlo enim deſcendere uidetur, à quo mala & bona nobis aduenium. Pluuia etiam mutationem fortunæ ſignificat: calamitoſis bona, beatis aduerſa. Significat & pluuia gratiã à Deo. Pluuia in domo cum extra ſerenum tempus extiterit, ſperatis contrarios prædicit euentus.

Ciſterna, quòd defecatam ferat aquam, & homini ſalutarem, bonũ omen eſt. Eſtq; uelut morboſis hominibus ſalubris, ita calamitoſis auxilium quoddam familiare prænunciat: & fortunæ mutationem præſidio humano, & conſilio bono. Quòd ſi corrupta ſit, omnia cedent in contrarium. Ciſternam expurgare, eſt ab antiquo errore reſipiſcere ac liberari. Significat & delicias, ac ſecuritatem, defoßas q; pecunias.

Torrentes, prauos & uiolentos ſignificant iudices, & inclementes etiam dominos: ſed illos, quia parum durant: hos, qui finem tamen breui habituri ſint. Malum eſt uidere torrentes, quia periculum & timorem oſtendunt. ſed ſi aliquid diruant, damna. Differunt torrentes à fluminibus, quòd torrentes nunquam bonum ſignificant, & eorum iactura ſpem habet reparationis: contraria in fluminibus.

Aquæ omne genus, ſecundum naturam bonum: ſi exſiccetur locus unde manare uidebatur, inopiam oſtendit, & infelicitates. Aqua turbida in domũ tuam fluens, incendium prædicit: clara, hominis potentis aduentum. Aqua è muris domus erumpens, moleſtiam atque triſticiam ſignificat. quòd ſi in uaſe colligatur, moleſtia illa maior erit. Sed ſi ſiccetur, effluxus ille aquæ, à moleſtia euadet. Quòd ſi per canalem aqua defluat in domum, diuitias acquiret

unde

unde non sperabat. Si aqua clara in domum influat, diuitias etiam portendit. si utroque modo, id est per canalem, & clara, maiores diuitias. Aquam in cribro ferre, est pecuniam credere uiro infido. Et si effundatur, amittet illam. Aquam ex urceo fracto non effundi, mortem matris significat. mater enim senex est, & urceus pertusus. Si uerò ex urceo integro effundatur, contraria ratione sequetur mors filij. In aqua suam imaginem uidere, breuem ostendit uitam: instabilis enim est aqua. Sed si aquâ inueuerit, fortunabitur.

Riuuli, gratiam, lætas occasiones, lucra: hi enim hæc omnia præstare solent.

Paludes, impedimenta & moras, & peregrinantibus pericula, exulibus longum exilium. Stagna turbida, pericula occulta portendunt: clara, uitam segnem & uoluptates. neque enim loco mouentur.

Piscina sine piscibus, defectum rerum, quas quis possidere se arbitratur, significat: cum piscibus autem, prouentuum abundantiam.

Mare, religionem, reges & populos: quale tibi uidebitur, tales erunt, seu tranquillum seu agitatum. Mari si mergaris, cum meretrice iungêris: mare enim multa monstra alit. Maris imago malum genium, proprium & ineuitabile exitium ostendit. est enim aduersum hominibus, periculis, terroribus ac tempestatibus plenum. Mare uidere leuiter undosum & purpureum, bonum est: tempestuosum enim metus, pericula, damnáq; significat: tranquillũ autem, negociationes impedit. Mare significat crura, brachia, humeros.

Puteus, diuitias significat: sed si aqua turbida sit, molestias. Si siccatus fuerit, ruinam somniantis, atq; totius domus prædicit. Puteum in agro fodere, nec aquam inuenire, cum malis uersabitur, & pœnas dabit. sed si aquam inuenerit, fortunabitur.

Aqua si terram obruat, fiatq; quem uocant cataclismum, bella significat: sed si omnino tota terra tecta aquis uideatur, hæresis spargetur, aut morbus uulgaris, luesq; per uniuersum orbem: ex quorum altero cædes & bella undique, & inopia frugum erit. Si autem priuatum somnium, eadem ex illo.

Caput XXV. De igne, fulgure, & tonitru.

IGnis supra caput, qui te lædat, exitium proximum significat: sed si flamma sit, nec lædat, gloriam non mediocrem. Fornax flagrans, significat peregrinationem. Si domus tota conflagrasse uideatur, inde rudera frigent, iam proxima est miseria & egestas. sed si pulchrior exædificata ursus uideatur, nec id omnino bonum est: fieri enim potest ut opes tuæ in alium transeant, qui eis melius utatur. Si in domo tua magnus sit accensus ignis, in magno uersaris periculo iam: ignis diu differre suum opus non potest. Itaque iacturã

etiam significat. Verùm si mediocris sit flamma, splendidáq;, honorem & lætitiam. Ignes fortuiti bella, sterilitatem, terrores, dolores animi intolerabiles, seditiones etiam & tumultus, qua parte euenerint. Si autem in caput decidant, supplicium somnianti, uel illius patri uel filio significant. Ignis domesticus, & quæcunque ex illo, bona, si ritè splendeat: uelut candelæ, lucernæ, lampades, faces. Morientia & extincta, mortem prædicunt. Differt actus à perfecta re: quòd hæc omnino uenturum significant, & minorem animi molestiam: actus autem, maximos æstus animi: & forsan effectus non sequetur. Faces ardentes hoc habent præcipuum, quòd amorem significant. Ignem magnum & odoratum adorare, si princeps sit, uictoriæ signũ: si malè olentem, cladem in priuato: ex hoc succumbet, ex illo exaltabitur. Candela una accensa iuxta, aut duæ, una à capite, altera à pedibus, exitium proximum significant: & similiter, si plures in corte uel templo: sed in templo etiam ad coniunctos transferri potest. candelæ accensæ plures cum risu, mortẽ uxoris, & alterius nuptias significant. candelæ accensæ circa triclinũ, ludos & gaudia significant. candelæ extinctæ, & lampades, ac lucernæ seu extinctæ seu accensæ, luctus, mœrores, tristitiamq; prænunciant. lucernæ etiam diuiti paupertatem præsagiunt. focus extinctus exilium, aut paupertatem declarat.

Fulgura & tonitrua mutationem status significant. Tonitru est edictum principis graue: terret enim populos. fulgura sine tonitru, inanes metus significant. Fulmina quæ aliquid diruunt, euersionem domus significant, & autoritatis. si flammã accendant, gloriam: quoniam à Ioue creduntur emitti. Sed si utrunque uideatur, erit gloria luctuosa. Si propè cadant, discessum ex illo loco portendunt. si ante pedes, mortem: progredi enim antea amplius non posse significant. Si super pedes, pauperes illustrat, diuites destruit. filios habentibus, mortem illorum minatur, & forsan orbitatem: exarescunt enim germina plantarum fulmine percussarum. Et generaliter, ictus fulminis mutationem status ostendit. Sed deterius est totum ici, aut iacentem. Feriri fulmine lectum, annulum, oculum, aut eiusmodi, mortem significari per illa significat: ut filij, uel uxoris. Fulgur cum tonitru, iram principis, edictum & iacturam ab illo significat. Sedentem in regia sede, aut in magistratu quem non gerit, auspicatum est. sed si gerat, priuabitur illo magna ui. Tonitrua pugnantia uerbosas contentiones significant. Si tamen fulgura non desint, populi aut reges magnis contentionibus bella gerent. ≠ 53. ≠ ≠

Caput XXVI. De niue, grandine, pruina & glacie.

GRandines significant ruinam, bella & damna certa. Si cadant, maiora damna in hominibus & quadrupedibus: si ceciderint, iuxta damni qualitatem in prouentu iudicabis.

Nix

Nix pauca, abundantiam: multa autem, turbationes, metus, & inimicos, uelut & tempestates. Indigentiam quoque significat. Extra hyemem, impedimenta & inopiam. sed si tempus non hyemis uideatur, erit cum fœ & breue damnum.

Pruina, paupertatem & impedimenta, & frugum ac fructuum damna significat: & magis quàm nix, eisdemq; rationibus: sed impedimenta minora, damna maiora.

Tempestates significant negocia multa, & uitam laboriosam, & metus magnos: iuxta ea quæ illis iunguntur, fulgura, tonitura, grandines.

Glacies inopiam magnam, & tristiciam ac dolores. nam & glacies uulnerat, & tangendo lædit hominem. Significat etiam gemitus & lachymas. At forsan de his atque huiusmodi iure dubitabis, quomodo hoc ad publicum pertinere possit: semper enim calamitates contingerent. At de his in capite de Dignitate loquemur. nunc ita satis sit distinguere. Quæcunque uidentur à somniante, ad illum pertinent: ad publicum pertinere non possunt, nisi talia sint ut ad illum nequeant pertinere, nisi superueniente publica calamitate. neque id semper, sed in opulentis etiam propria damna significat.

Lib. 3. ca. 2.

Caput XXVII. De terra, & terræmotu.

Terra significat uiscera, quia ex his trahitur alimentum. Et matrem & patriam: est enim mater omnium, & educatrix, & rursus patria communis. Cum terra loqui, longam uitam significat. quæcunque autem audieris, uera esse existimato. Opes autem ingentes hoc somnium pollicetur: quòd è terra sint omnes opes. Ob id Pluto fingitur diuitiarum Deus.

Terra trifariam tibi offerri potest: uel ut moles tota, uel ut Deus, uel ut pars. ut tota quidem rectè significat, propter ea quæ dicta sunt. ut uerò pars aliqua, ad eam regionem pertinet: unde sepulchrum ibi aut moram in illo loco significat. Vt Deus autem, etiam fortunata est. Magnum est omne somnium terræ, quod cum uoce coniunctum est: quoniam admirationem ingentem parit. admiratio, ueritatis somnij indicium est. uox è uisceribus terræ, ad mortem uel ad luctum uel diuitias pertinet.

Terræmotus, principis edictum significat. Differt à tonitru, quoniam terræmotus est cum iactura tributis & uectigalibus: tonitru est minax, sed non cum iactura subditorum. Tremere terram, infelicitatis, suspitionis atque timoris signum est. Mugire terram, ostentum & malum est, calamitatemq; nunciat. Quòd si in domo tua solum audiatur, deterius est. Significat & hoc principis aut senatus edictum in te. Terra si bene oleat, fama bona de te passim spargetur. Terra si scateat uermibus, animalibus, germinet ue

herbas noxias, omnia iuxta rationem eorum sunt interpretanda. Si terra in cœlo esse uideatur, ad publicum q; pertinere posit, iustus princeps demonstrabitur: sin autem priuatæ conditionis homo uideat, ius consequetur unde non sperabat, aut ipse impius erit. Terra si diuidatur, fiatq; barathrum seu specus ingens, significat mortem potentis uiri, & pestem animalium: & si ualde magnum fuerit, erit pernicies regioni. Et in hoc casu sufficit minimum indicium, ut ad Remp. pertineat. Terra si colorem mutet, ad caput de coloribus deuenies. Si sapores in terra percipias, si quidem alienos & malos, mali homines & morbi erunt: si autem boni, boni. sed si eduliorum, aut illius edulij abundantiam, quasi repleta terra, & si dum floret, significabit: aut maximam penuriam, cum pòst: alterutrum uerò, nondum apparente ullo signo.

Caput XXVIII. De montibus, collibus, uallibus, pratis, campis, nemoribus, desertis.

MOntes significant uiros potentes, negocia ardua: sed & miseram uitam, quamuis securam. Si arenosus sit, aut niueus, potestatem magnam præsagit, quæ breui in nihilum deducetur. Montes etiam reges, si magni sint, & populos, si alti sint, potentes: si humiles, minus, decernunt. semper autẽ metus & labores, & ob altitudinem & lapides ex quibus constant, & latronũ insidias. Montem nouiter oriri, significat utrum potentem & grauem reipublicæ oriturum. Montes si pugnent, pugnabunt duo uiri potentes. iactura autem, iuxta rationem eorum quæ perire uidentur. Si magna animalia peribunt, patricij: si parua, populus: si fruges & fructus agri, ipsi & domus euertentur. 54

Colles eadem significant quæ montes, sed minora & molliora: quoniam plerumque terrei sunt. Significant & amœnas negotiationes, si uireant plantis. Et uitam inæqualem prædicunt. Omnia præterea talia quæ amœnitatem referunt, ut colles, saltus, uireta, horti, fluuij, fontes, palatia, operationes bonas referunt: translatis ex passionibus, & sunt bene affici ac lætari ad bene agere, uitamq; secundum uirtutem. 55

Valles significant dolos, deceptiones, oppressiones: quoniam à montibus circundantur. & proprie populos: qualis uallis, talis populus. Significant & colonos in domo. 56

Prata significant uoluptates, delicias, gratiam, iucunditatem, felicem uitã.

Campi significant opulentiam, & homines diuites. in his autem oportet, ut in prioribus, obseruare tempora. nam si floreant prata, optimum est: sin autem herba alta & densa, utilitatem cum minore uoluptate: sed si squalida & arida sit, infortunia & calamitates. ita & campi, si cum aristis fuerint,

nihi

nihil melius: abundantiam enim omnium necessariorum significant. sin autẽ non adsint aristæ, sed sola seges, erunt hæc minora, & serò contingent: si deserti & squalidi, omnia in quibus spes erat euertentur. Similiter ualles floridæ & amænæ cum riuulis & fontibus, gratiam cum populo, omniaq; secunda & læta promittunt. Idem dico de collibus ac montibus. Hæc intersunt inter montes & colles ac ualles, tum campos ac prata, quòd quæcunque per se bona sunt, si rectè se habeant, perfectam felicitatem declarant: si peruersè, perfectam infelicitatem. Sed quæ per se bona non sunt, si bona sint, minorem declarant felicitatem: si mala, minorem etiam infelicitatem, ueluti montes aridi, ac colles. Rursus media, ut ualles, & etiam nemora, medio modo se habent inter optima pessimaq;. Verum si contingat quæ mala sunt aduersari, tunc deteriora sunt quàm bona: uelut casus montis, uel è monte, maiorem ruinam significat, quàm campi aut prati ruina, uel si uideatur aduersum te surgere. Seges quoque in melius mutata: ut si aurea sit, uel prati herba, & generaliter quicquid demetiri solet, optima est. & si contrà uertatur in serpentes uel herbas prauas, aut spicula, uel in stipulas, mala significant: primùm quidem inimicos loco auxiliatorum, & perniciosos significat: secundum, impedimenta: tertium, contentiones, rixas, dolores: quartum, inopiam.

Nemora & syluæ significant labores, propter itinerum difficultates, & excisionem lignorum: timores, ob latronum suspicionem & obscuritatem: fugam, quoniam latebras præbent: lucrum laboriosum, propter uenationes, & lignorum collectionem: insidias, ob facilitatem, & loci qualitatem: uiros nobiles, propter magnitudinem arborum: agrestes etiam & rusticos, propter naturam loci. Commune præterea est campis & agris, uineis, lucis, syluis, significare artem lucrosam, amicum utilem, & piscinas, è quibus non leuis utilitas habeatur. Cõsitum omne in sterilitatis tempore uidere, ubertatem prouentuum significat: tempore autem abundantiæ, sterilitatem & penuriam eorundem.

Solitudo significat paupertatem, uitam miseram & periculosam, exilium graue, & etiam mortem. & solitudo omnibus mala est, quoniam humanæ naturæ aduersatur solum. bona est timentibus ab inimicis, ibi enim non adeò periculum imminet. Bona est etiam studiosis: quoniam est iuxta illorum finem. Et solitudo pauperibus miseriam significat, diuitibus deseri ab amicis: uxorem habenti, & filios, illorum mortem. Oportet autem in ea diligenter considerare hominis statum, & solitudinis qualitatem. nam si omnino squalida sit & sicca, pessima est: sin autem fontes adsint, & herbæ desint, tamen animalia & homines, studium literarum & contemplationem prædicit.

si homi-

si homines non adsint, animalia tamē adsint mansueta, & qualia cerui, capreoli, ocium & uitam tranquillam significat. Sin domestica animalia, & quæ loquantur, aut lemures, uitam monasticam. Sin leones atque serpentes ac huiusmodi ferę, fiet latro. Considerare etiam oportet animi affectum. nam si tristatur, desertum iri ab omnibus significat: si cum uoluptate ibi degit, ipse sponte à negocijs se abdicabit. Omne solitudinis genus ægro & uincto pro crimine capitali mortem prædicit. Sed qualis solitudo, talis mors: leuis, acerba uue. Solitudo in qua sit domuncula, etiam mortem prædicit. sed si unus adsit socius aut puer, studia literaria significat. Puer quid significet, suo loco dicetur. sed in solitudine quicunq; fuerit, Genius tuus est. is si puer est, iucundā uitā, sed sine autoritate & lucro: si senex, cū autoritate, sed tristē ac lugubrē: si mulier, fortunā tuam: si passis crinibus, exitialis: si iuuenis pulcher, autoritatem & opes & uoluptatē. Et solitudo mortis tēpus significat: quoniā qui moritur, solus moritur, etiam si cum exercitu Xerxis uniuerso pereat.

Caput XXIX. De gemmis, lapidibus, metallis, atque figuris.

LApides iacti, iurgia significant. nam & offendunt, & in irritum cadunt, ut etiam iurgia. Lapidibus impeti, est malè audire, & infamia aspergi. Et iactus lapidum, peregrinationem significat. Dixit Artemidorus, iactum lapidum à turba solis tibicinibus, qui ex populo quæstum faciunt, utilem esse. Sed si non iaciantur lapides, impedimenta & cogitationes prædicunt: illa quidem, quia ambulantibus impedimentum afferunt: has, quoniam ad structuram sunt idonei. tale est sabulum, & calx, & cementum etiam. Sed & sepulchrum nobile prædicunt. Et lapides magni referunt homines corde duros, crudeles, rusticos, ingratos, iuxta locum ubi uisi fuerint.

Gemmæ significant filios & filias propter charitatem: amasias, propter delectationem: libros, ob pulchritudinem: dies quoque felices. Albæ, delicias, iucunditatem diuinam, sapientiam, simplicitatem animi. Crystallus autem ob precium uile, libros raros & pulchros. Aureæ, inuidiam cum honore, & æmulationem cum potentia. Rubræ, lucra periculosa aut cum sanguine. uirides, spem, amicos, uxorem probam. Cæruleæ, studium, sapientiam, dignitates. Rubiginosæ, robur & mœrorem lęticiæ mistum. Nigræ, studium, lętam tristiciam uelut hæreditatem. uinosæ, suauitatem & lęticiam. Gemmæ significant rara & insperata bona. significant & sapientes, probos ac innocentes: & propriè sacerdotes, sacerdotia, existimationem in religione, & cultum Dei. Significant & hilaritatem non solum ob naturam, sed uulgare nomen: nam Gemmeum uocamus hominem, & gemmiscere (ut ita dicam) seu ut

seu ut uulgari lingua Gioire, lætari, iubilare, cum ornatu gratiaq; eximia. Gemmæ autẽ magni precij, significant libros de rebus secretis, aut raros, aut non significant. & gemmæ referunt sermones diuinos: Margaritæ uerò etiã præter religionem, significant sapientiam: ideò eas calcare, malum est. Et hyacinthus specialiter lætitiam & fortitudinem significat: & sapphirus diuinitatem, & smaragdus abundantiam & opes, ob precij magnitudinem: & quoniam plantas, è quibus omnia trahuntur, refert. Adamas, ob duritiem, uictoriam: amethystus autem, tranquillitatem: carbunculus uerò, honores, propter purpureum colorem. Et si frangantur talia, euertentur.

Aurum significat timorem, ob precium: & insidias etiam, & difficultates, ob pondus & impedimenta, iram etiam & tristiciam, & honores.

Argentum uerò eadem significat, & tumultus ob sonum. non est iræ & tristiciæ significatiuum, nec tam grauium impedimentorum qualium aurum, quia leuius. honores etiam minus prædicit: anxietatẽ & turbas multas: quoniam magna multitudine eius opus est ad negocia. omnia quæ aurum significat, per argentum etiam significantur, sed minora.

Plumbum significat impedimenta, onera, difficultates, labores, tristiciam, desperationem. album, morbos cum dolore, ob stridorem: nigrum, sine dolore & lethales. Inuidiam etiam præsagit.

Aes significat uulnera & uerbera cum dolore: stridet enim ut plumbum album. & eo utebantur olim pro armis, loco chalybis. Sed & omnia euulgat, quoniam maximum edit sonum. Numi ærei rixam aut litem ostendunt. Aes Cyprium, seu factitium seu natiuum, quoniam melius sonat, & non adeò splendet, famam rei potius quàm rem significat. idem tormenta bellica, nolas, uasaq; refert. dolum etiam magis quam æs aliud significat, crudelitatem uerò minus.

Ferrum comedere, est superare potentem, diu uiuere, & esse robustum. Ferrum splendidum, significat alacritatem & fiduciam: rubiginosum uerò, timorem & diffidentiam.

Argentum uiuum significat morbos, propriè ab effectu, & maximè imbecillitatem: potentium promissa grauia & fallacia: dolos & insidias, quia uile est, & argento assimilatur. & etiam quia illitum, adulteratam pecuniam splendere facit. Et propriè proditorem suorum: corrumpit enim omnia metalla. Magnam etiam mutationem fortunæ ex leuissima causa, quia ruit.

Orichalcum, hominem inanem, deceptorem, uanum, uentosum: quoniam ipsum æmulatur aurum, ut plumbum album argentum. Fucum & dolum significat, sed maiorem quàm plumbum album,

Sulphur infamiam magnam denotat, quoniã maximè fœtet. Significat & homines fœdos, quia illis pro cura est. Significat & causam rixæ & furoris, quia accendit ignem.

Auripigmentum significat fallacem: nihil enim ei commune cum nomine, id est auro. tristiciam, labores, iram, ob colorem: perniciem & morbos, quia uenenum est, ob colorem.

Coticula, incitationis, adhortationis, leticiæ, sine auxilio tamen, signum est. Lydius lapis, exploratoris, & eius qui fraudes detegit. Lapis herculeus, amorem, stulticiam, uanas cogitationes, admirandos euentus, nauigationem. Silex, hominem rudem, asperum, durum, incomptum: marmor, durũ, inuidum, sed comptum. Gemmæ nõ preciosæ, ut achates, carneoli, & similes, artifices significant satis iucundos, non tamen egregios, nisi pictura insigni præditi sint. Coralius significat nauigationem, aut conturbationem rerum tuarum. Lapilli diuersorum colorum, sed nullius precij, significant promissa pulchra, spes inanes, homines populares & iucundos: uerba grata, sine effectu aliquo.

Lapides præterea magnos cadentes uidere è cœlo, publicam significat calamitatem: sed si unus tantum fuerit, erit calamitas quæ non multum durabit. Sed si cadendo lapis ille confringetur, uiri potentis & praui auctoritas confringetur. Sed si terra tota saxosa sit, erit penuria frugum, aut miles alienus opprimet habitatores.

Si gemmæ aut metalla incognita uideantur prostare uenalia, homines incogniti auctoritatem in populo habebunt. Sed si in domo tua tantum sint, seruies eiusmodi hominibus cum lucro, si acceperis: sine lucro, si solum tractaueris.

Sunt etiam spectandæ figuræ in gemmis, quæ apparent seu cælatæ seu sculptæ. Et cælatæ quidem significant occulta negocia, sculptæ autem manifesta: pictura autem, breuis temporis. Etsi uerba quidem aut literæ inscriptæ sint, erunt ut suo loco dicemus interpretanda. Sin uerò figuræ, quæ quidem celatæ, contrario modo quàm sculptæ, ut iacent. Est tertium genus discriminis. 60.
inter cælatas & sculptas, quòd illæ futurum semper, hæ factum iam ostendũt. Sed & in literis ac dictionibus contrario modo sunt interpretandæ. Contrario quidem modo dico, si Roma scriptum sit, amor: quia amor aliquid significat. at si gaudium, quia muiduag nullum habet significatum, tristiciam interpretaberis, gaudio contrariam.

Ergo si sculptus sit geminus accipiter, nuptias significabit, miramq; concordiam. Scarabeus sordidum, sterilem, puerorum amatorem, ab omni conuersatione

uersatione abhorrentem. Cynocephalus, maledicum & iracundum: luna inuersa mensis spacium. Animi fortitudinem leo, tum robur: timorem autem lepus, & mollitiem. Epistola, secretum: liber, rem antiquam: tonitru, quod sculpi non potest, somnus admittit, litem aut contentionem, uel reprehensionem procul uenientem. Phœnix, rem fabulosam & admirandam, senem decrepitum, iuuenemq; ornatißimum demonstrat. significat & longam peregrinationem. Lingua exerta, maledicentiam: excoriata, potum ueneni. Ros eruditionem, cor amorem, canis fidem & societatem & custodiam, ignis rem in extremo positam, piscis excordem & malignum, hircus patientiam, musca importunum: ciconia amuletum, & temporis mutationem: araneus dolosum, mus furem, columba libidinosum, homo præciso capite desperationē negocij: serpens fraudulentum, malignum & impotentem: draco autem, crudelem & superbum. crocodilus exitium prauum, & raptorem, & multorum improborum filiorum patrem significat. Pudendum in manu, castitatem: fumus, ignem ac cæcitatem: index digitus, promissa iam: ceruus, longæuum, & mœchæ publicæ coniugem: noctua, mortem: hirundo, uitæ mutationem: & si tempestas est, tranquillitatem aeris. Turtur sola, cœlibem: cum socia, iniquam conditionem. Orcus, fiscum: mula, sterilem uel nothum. Olor, poetam, diuinum uirum aut syncerum. Equus mortuus, extinctas uires, auctoritatem, facultatem: uespertilio, furem & insidiatorem, timidumq; ac miserum refert. Cæcitatem talpa commonstrat: Fiber eum qui malè utitur rebus suis: leo simiam deuorans, ægri salutem: simia, adulatorem, & artificem rectè imitantem. laqueus, occultum & ingens periculum: hominem improbū ni futurum innoxium, taurus suo genu uel columnæ alligatus: ursa cum catulis, furiosum rabie: catuli autem deformes, homines significant: etsi nupernati uideantur, rem in melius commutandam. Bonis moribus præditum elephas ostendit: peßimis, hyæna: potentem, sed imbellem ac fugacem, cerua: longam & extremam senectam, cornix moriens. Feles caudā mouens, (sed & hoc ex his quæ somnus præter fidem potest ostendere) proditorem: ceruus autem cum tibicine uel citharista, etiā exitialem significat. Pardalis, blandum & improbum, infidumq;: excubantem, & de sui salute uel communi etiam solicitum, grus uigilans: Venerem præposteram, perdices bini: inopem senectam, auis quæcunque rapax cum rostro oblongo. Miluus, eum qui ætate deterior & infelicior euadit: gibbum camelus, sagacem & imprudentem rana. ea etiam propriè podagram significat, & uocis raucedinem. omnium consuetudinem aspernantem, & nothos etiam, anguilla. Torpedo uisa peßimum est somnium in obeundis actionibus. Polypus, nemini parcentem,

centem, & uoracem: idem etiam aliena, deinde sua dißipantem. Cautum in periculis, sepia. fœcundum passer, & salacem etiam: fœdum, & mala morte periturum, sus: pinna, sumarij maximè, instabilem: lyra, cum sodalibus conuenientem: struthiocamelus, inuicta superantem, & desperata conficientem. Manus humana, aptè negocium tractandum, ac successurum. Apis, mel conficiens, regem iucunde imperantem. Crux, grauia toleranda: papaueris caput, ubertatem: sinistra cõpressa, auaritiam: dextra expansa, liberalitatem. Falco, negocium actutum finiri. Rota, humanarum rerum uicißitudinem & mutationem. Pauo oua deuorans, properam facti pœnitentiam. Hæc itaque seu plastice metallo expressa, seu picta in lapide uel muro, sculpta in gemma, ita significant: cælata autem, contrario (ut dixi) modo. Pro reliquis singula capita, ut in Somnijs, consule. Quapropter in cunctis somnijs tria hæc capita considerare debes: præsens scilicet, & ultimum huius libri, & quintumdecimum rursus præsentis libri. Hoc autem præcipuum id habet, ut ob solidã nobilemq; materiam perpetuum uigorem retineat. Sed quoniam ficta sunt, opinionem sæpe pro re præsagit. 58. 56. 36.

Caput XXX. De plantis.

PAlma significat uictoriam, & hominem undequaque absolutum. est enim arbos longæua, ferens fructum bonum, & qui diu durat. exhibet & multiplices usus, decora, perpetua uirens fronde. Nux significat auarum, & deceptorem. malè enim olet, & ideo malorum morum. Plantæ sine trunco, homines & actiones uiles significant. Herbæ, res non diuturnas ostendunt. singulis enim annis mutantur. Arbores solidæ & erectæ spinosæ, latrones, & uiros contumaces, potentes & fortes: quæ autem flectuntur, ut nouellæ & uitis & hedera, molles & tractabiles, sed quandoque fallaces. Cortex etiam crassus & durus potentiã hominis declarat: frondes autem, ornatũ & uenustatem. Fructus arborum, pecunias significant: hæ enim sunt fructus laborum & cogitationum. quocirca arbores ipsæ, labores, negocia & cogitationes significabunt. Ex arbore cadere, est è spe excelsa decidere. Arbores in domo nasci, mauspicatum est: minus quod portendat mali est, ut significet alienos in tuam familiam inseri, uel recipi in contubernium. Eo deteriora hæc, quo magis turpes aut fœdæ & magnæ fuerint. non enim nascitur arbor huiusmodi, nisi desoletur locus. Ideo praua sunt sambucus, & urtica, & caprificus, & uitex. in horto plantæ bonæ, & in sylua: & quanto pulchriores & utiliores, & magis fragrantes fuerint. Et fracta arbos morbum domestico prænunciat: & si fuerit palma uel arbos unica, quæ uere in domo sit, domino domus, & grauem. Et casus foliorum ex plantis super dormientem, insidias & 61.

dolos

dolos confingi aduersus illum significat. Et plantæ absq; radice, cogitationes uanas significant, & homines paruæ fidei & utilitatis: negocia & infantes, situm nascantur, breui interituros. Et arbos etiam significat mulierem fœcundam è consanguineis. ideò inscendere arborem, uel illius fructus dulces edere, parari significat incœstum. Et seges cum spicis in agro læta die, omnia bona & lucra ac spes pollicetur: contraria, contrario modo. Et triticum est optimum, inde siligo & hordeum. sed legumina sic luxuriantia, licet bonũ significent, cum magno labore tamen: nam difficulter coquuntur. Vitis, alludente uocabulo, uitam significat: uiuax enim est. rami, uitæ partes: fructus autem, felicitas & deliciæ. Malum est, si uitis ipsa in labruscam degeneret: tunc enim felicitas & uoluptas præteritæ uitæ in dolorem & tristiciam mutabitur. fructus pecuniam significat, folia ornamentum & uoluptatem: exhilarant enim animum. Vitis luxurians, amplificationem familiæ significat. Exarescens uitis & exilis facta, morbum longum portendit. Plantæ exorientes è corpore toto, mortem portendunt: è terra enim oriri solent. Si autem è certa parte, eius partis interitum, aut eius qui per illam partem significatur. Quæ diu uiuunt plantæ, sera promissa, & effectus diu duraturos portendunt: cõtrà, quæ parum uiuunt. Quæ fructum edunt suauem, opera hominibus utilia & iucunda: quæ insuauem, ut quercus, sibi soli utilia, non alijs: quæ nullum, nullius usus, aut steriles homines declarant. Quæ rursus excelsæ, famosos & cognitos: humiles, sordidos & abiectos. Itaque si qua mulier persicum parere uisa fuerit, iuuenem corrigijs moribus, sed breuis uitæ pariet: si quercum, rusticis, & diuturnæ uitæ, attamen cognitum multis. olea ægris perniciosa est, laurus salutaris, & dignitatem prænunciat. Spinosæ, duræ & asperæ, ut rubus, berberis, rosa, paliurus, ad securitatem bonæ sunt. ex eis enim fiunt sepes, linum, sparthum, Græca salix, & quæcunq; ad uinciendum apta, amicitiæ copulandæ idonea, metuenti carcerem infausta. Quæ perpetuò uirent, stabilem statum significant: cupressus luctũ, palma uictoriam, myrtus amorem, laurus læticiam præstant. Quæcunque coronariæ habentur, honores significant, iuxta plantæ naturam. sunt autem, olea, laurus, myrtus, quercus, apium, cupressus, gramen. Quæ ad serta, ut flores fere omnes, & poma rosea, ad læticiam spectant. Vitis & spicæ, deorum sunt coronæ, significantq; prosperos successus. Quercus hominem opulentum, olea mulierem diuitem prædicit. Quæ solitariæ sunt, tristiciam significant, & deseri ab omnibus: ut contrà hortenses, gaudia & societates, lenonias q; actiones ac uitam. Quæcunque fructus iucundos afferunt, & lucra decernunt, ut steriles inopiam. Quæ bene olent, ut rosa, uiola purpurea, garyophyllus, ephemeris, lilium,

60. 63.

bonam famam & nomen pollicentur, tum iusta facta: contrarium, contraria. Arbores utiles & speciosæ florentes, & cum læta fronde aut fructibus, bona significant. Adianton siccum iter portendit. Crocus fortunam proprie mutat: nec ulla planta aut aliud desperatis rebus tam auxilium affert. At praue, rhododaphne, buxus, taxus, lætæ: malum aridæ, aut mali uiri casum: aut bonam nobis significant fortunam, ni nos ipsi Macrino Imperatori similes simus. Iactæ fulmine plantæ, euersionem familiæ aut domus aut hominis ostendunt. Si è fulmine ardeant, præclara facta decernunt. Plantæ & animalia cum homines & actiones significent, in hoc differunt, quod animalia significant actiones, plantæ autem opera ipsa. Animalia ostendunt homines iuxta mores, & breues actiones: sed plantæ significant homines simplices, aut simpliciter iuxta opera naturæ, sed firma, uelut propagationes & stirpem. unde & stirpe, plantam appellare solemus. Plantæ præterea ornatum quendam, & ordinem & decorem personarum decernunt, adeò ut etiam ad reges procedant propter ornatum, decorem, & odoris fragrantiam: nihil horum animalia. Nuces & auellanæ, & quæ fructus pariunt qui antequam edantur confringuntur, turbationes & tristicias portendunt: præsertim autem nux, à nocendo dicta. Sic & nucis planta odiosa est, propter umbram, & ideo impedimentū significat: ut cupressus funera, ob antiquum morem. fraga, cerasa, persica, & quæ parum durant, breues uoluptates: sic & mora, ficus, uuis planè quasi similes. cotonea, pyra, punica, & quæcunque seruantur diu, uoluptatem firmā & utilitatem pronunciant. Quælibet arbor talem somniantis progeniem ostendit, qualis ipsa est.

Morus arbor prudentiam significat, & lucrum: quia bombyces alit, & fructum fert etiam. Quercus diuinitatem, quia sacra Apollini: tum etiam diuinationem. Platanus pulchritudinem & quietem: nulla enim planta speciosior, nec umbra melior. Lotos autem, obliuionem malorum, tranquillitatem. Spinosæ plantæ omnibus ad securitatem bonæ sunt, & fraudulentis uiris & cauponibus, & lictoribus, & publicanis, & prædonibus, & tenuibus mercatoribus, ut lanijs & textoribus: cæteris autem malè, quoniam negocia implicant, & ad finem perduci non patiuntur.

Sunt qui plantas ita distinguant, & rectè: Cupressus, formosam aut principalem mulierem: uitis, uxorem aut concubinam fœcundam: punica, nobilem opulentum, duræ ceruicis: nux, diuitem auarum. malus, mulierem iucundam, & lætam: ficulnea, uirum huiusmodi. Cedrus, nobilem, potentem, & bonæ famæ. Gossipij arbor, pauperem, non tamen multum. Quercus, hilarem & honoratum. Spinosæ plantæ inimicos significant. Auellere ramum ab

ijs

ijs ut ueſtem liberes, uictoriam ex inimico ſignificat. Cucurbitæ, & quæcunque ualde creſcunt, nec ſunt arbores, imanem & uentoſum hominem oſtendunt. Quæ longam uitam decernunt, ſunt: palma, ôlea, uitis, & quercus. has uidere in domo ſua creuiſſe, uitã longam ſignificat, quia diu uiuunt: quietam, quia non mouentur arbores: potentiã, quia fructuoſæ & proceræ ſatis: oliua tamen minus. Sed oriri uidere, aut nuper ortas, aliquem è tuis eiuſmodi futurum prædicit. Ficus propriè uitam noſtram repræſentat, tum quia dulces fert fructus, breui, id eſt ut eſt hominis uita, uiuit, facilè moritur. folia habet grandia, ſimilia ſpei & expectationibus hominũ. lac acre gerit: ut ſunt uerba hominum, multa aſperitate condita, licet lactea uideantur. Ficum ergo uidere eſt, uitam ſuam, qualis futura ſit, præuidere. Multis qui ficus plantauerunt, contigit ut eodem anno perirent quo & arbor. Plantæ inſitum eſſe, ſi quidem floreat, eſt palo per ſupplicium infigi: ſi non floreat, & maximè ſi ſicca, rotæ inſerêris.

Caput XXXI. De his quæ ex plantis colliguntur, fructibus, floribus, ſuccis.

61. FRuctus arborum pecunias ſignificant: hæ enim fructus ſunt laborum, ut dictum eſt. & etiam pecuniam: acerbi autem, uitam moleſtia plenam. Cum fructus omnes in nuces & poma diſtinguantur, omnes fructus infauſti ſunt, poma, ex nominis ambiguitate, mala enim dicuntur: nux autem à nocendo dicta. Itaque non niſi in paucis ijs qui latinam norunt linguam, felicem exitum portendit. Idiotis autem non ita: quoniam Latina nomina non norũt. Fructus omnes crocei, ſi colligantur, morbos ſignificant: & magis, ſi edãtur. peſſimæ etiam ex fructibus oliuæ ſunt. Excipitur tamen fructus mali medicæ. Fructus colligere ſuo tempore, lucrum ſignificat, iuxtq; arboris aut herbæ qualitatem. Nobiliſſima eſt palma, inde olea, uitis, quercus, nux pinea, abies, nux pontica. Fraga autem, & inſana poma, ab humilibus perſonis. Extra tempus hæc mala ſunt, & labores ac curas propter tales homines ſignificant. Fraga, etiam animi æſtus magnos: inſana poma, etiam inſaniam prædicunt. Sed & fructus omnes breuem referunt uoluptatem, propter etymum tamen nominis boni ſunt: opera inchoantibus, abſolutionem eorum promittunt. Pepones maturi morbos, acerbi ſanitatem prædicunt. cucumeres, inſperatas diuitias, & eo maiores quo ipſi fuerint minores. Fructus intempeſtiui uerbera, calamitates, luctus prædicunt. hos enim fructus ſæuientis fortunæ appellare ſolemus. Vnum præcipuum fructus habent, & obſeruatione dignum, quòd bonis & rectè uiuentibus bona pollicentur, malis autem mala. Et ideò flagitioſè uiuenti, colligere fructus ualde malum. Habent autem tres gradus: ſi uide-

si uideantur in arbore, si colligantur, si edantur. at collectos uidere, uel ad alios pertinet, uel non adeò malum. Habent & damni secum significatum nuces, & quæ collisa strepitum edunt, dolores & gemitus significant. acerbi & amari mortem, rubri sanguinis effusionem: qui esui non sunt apti, paupertatem. nigri, luctus: crocei, dolores: cærulei, fraudem: liuidi, calumniam. Fructus decidentes ex arbore, nec matureſcentes, intempestiuam mortem prædicunt. 62.

Oleum gratiam significat, & infelicibus utile somnium est: uinctis enim libertatem prædicit, quòd eo seræ aperiantur: ægris sanitatem, afflictis lætitiam ostendit.

Lachrymæ arborum, fletum & planctus significant, tum & uulnera: nam sauciatis arboribus maximè prodeunt. lachryma è quercu, uel simili, damnationem insontis & egregij uiri.

Flores dixi significare uoluptatem & iucunditatem, sed breuem. natura causæ & modus est, quòd iuxta arborem & colorem & qualitatem odoris & pulchritudinis. Nam qui uiuidus est, longiorem & maiorem prædicit: qui languet, cadentem & in fine uoluptatē: qui odoratus est, ex laude, gloria, bona fama: qui uiridis est, & cæruleus, ob spem bonam: qui rubet, ob alacritatem & potentiam: qui candidus est, ob sapientiam & innocentiam. aureus uerò, ob honores principis gratiam. Ex arbore uerò iuxta ea quæ dicta sunt, frondes significant hilaritatem, si secundum naturam fuerint: tum uerba. sed si sint ex nobili arbore & excelsa, significant homines, non est ut Homerum & Horatium adducam in medium. frondes sparsæ, rumores significant: folia autem herbarum & germina, pro cibis habentur. quòd si esui non sint, uerba & famam plebis significant.

Pappi significant inanes cogitationes: mali in bonis, boni in malis.

Succi omnes arborum, seu fructuum, seu herbarum, idem fermè quod sanguis animalium significant: sed & illa quæ post mortem habentur opera, hæreditates. uim etiam fructus aut plantæ retinent: & ab odorib. saporibusq; sunt expendendi: significant pecunias & opes generaliter: uinum significat furorem, & sanguinis effusionem. succi crocei & lac, mali sunt: quia præter naturam plantarum esse uidentur. crocei, labores & curas graues significant: lac autem, deceptiones. minus malum, si ex consueta ferre id genus planta accipi uideantur. Quod si fluat, facile superabit, aut superabitur: sin autem exprimatur, per uim, & magna cum difficultate.

Caput

Caput XXXII. De plantarum materia.

LIgna non significant quæ ad nos, nec quæ in nobis, quoniam non ujuunt, & tamen uixere: sed affectus & affectuum causas. quatuor enim esse, suprà docuimus, quæ in somnijs demonstrantur. materiam ergo significant actionum & negociorum, sicut ipsa sunt materia artificiorum. Sicut ergo pereunte arbore ligna manent: ita homine pereunte, qui per arborem significatur, hæreditas superest. nam cadauer nulli usui est. ad famam uerò aut libros referri non potest, quoniam hæc uita participant. Igitur ligna posſidere tuæ arboris, est hæreditatem quæ ad te perueniat, aquirere: alienæ autem arboris, alienam: magnam pro magno, paruam pro paruo, totam pro stipite & trabe, partem pro ligno & ramo, uiride, absque lite: siccum, post longũ tempus. Ligna uerò plura ad hoc referri non possunt: nam nõ conuenit simul plures consequi hæreditates. nec ulla debet ratio esse tam efficax, ut experimento aduersetur, cogatq; prædicere quæ nunquam aut uix unquam eueniunt. Referunt ergo ligna usum proprium, scilicet ignis nutritionem. Ignis autem in domo, seu focus, uitam & tuam & tuorum, ex commoda & decorem refert: horum igitur materiam, ligna. Erunt ergo ligna redditus & lucra, iuxta conditionem hominis. Si ligna desint, omne genus incommodi patietur, ob inopiam necessariorum aut uilium ministrorum. Si arserint, peribunt necessaria à domino frustra absumpta. Ligna elaborata significant uiles ministros, ut calones, coquos, ancillas, industrios & necessarios decori administrationis domus. Radices significant senes inutiles. Folia, pueros & infantes domesticos. & si non adsint, uerba: & si sicca, uerba olim dicta. Sicut enim ex foliis facile suscitatur ignis, ita ex uerbis. lachrymæ uerò, ut etiam resinæ, referunt fomenta uitæ. & hoc parum, cum inutiles sint foco: uerùm magis discordiarum alimenta, ob infamiam, quia fœtent: & morbos exteriores, quoniam his conferre solent. Et lucra sordida ac uilia, ob usum ad naues & plumbea uasa.

Caput XXXIII. De animalium generali diuisione.

GEnerales animalium diuisiones seu differentiæ maximè sunt sexdecim: Magnitudo, forma, color, natura, mores, operatio, proprietas, uox, cõsuetudo, amor, uita, cibus, docilitas, tempus, dedicatio, & habitatio. Magnitudo potentiam hominis significat: mores aũt mores. Color uarius, deceptionem: reliqui, pro sua natura. Describentur enim singuli loco suo. Formæ, operationes naturales significant. oportet autem singula horum in consideratione esse, ut superius dixi, uelut si cogitauero de lepore. quòd habet crura

Cap. 45.

Cap. 15.

posteriora longiora, significat cursorem aut fugam meditantem. forma enim est principium operationis. Operatio, ut foucas fodere, & aratrum trahere. Mores, circa usum, industriã, labores, & patientiam: uelut equus, qui quasi est infatigabilis, ursus tracundus. uenena, aut quæ uenenata sunt, insidias, atroces hostes. Et si parua sint, ut phalangia, homines specie contemptibiles, factis uerendos: ut contrà elephantes, cameli, boues, onocrotali, struthiocameli, homines specie terribiles, factis mites: quod etiam de negocijs est interpretandum. Proprietas consequens ad mores & actionem, ut lupus & aquila, latrones apertos, uulpes & mũus insidiatores. Muta, infausta omnia, quasi naturæ humanæ repugnantia. horrendæ uocis timores, lætæ, ut hinnitus equorum, & philomenæ cantus, alacritatem illi, uoluptatem & delicias hi. Cibus cadauerum, ut uultur, coruus, hyæna, mortem: stercoris upupa, sordem. Solitariæ præterea, ut niger passer, infaustæ sunt. & quæ in solitudinibus habitant, eo deteriores, quo plures. Iugales autem, ut turtur, si sola sit, luctum prædicit, sociata lætitiam. contrà lupus, & qui aduersantur hominibus. Gregalia uerò, actiones, conuersationem & in negocijs publicis: si bene affecta sint, bona. Quod ad mansuetudinem attinet, dicemus suo loco. Quæ amant lasciuos homines, uersutos, incontinentes ac scelestos, ut perdix & ælurus, significant. Nocturna omnia mala & inauspicata, ut uespertilio, bũbo, & lupus: & ulula pessima, ob uocem etiam. Dociles, docta, bona: ut picca, psittacus. indocta, curas ac tædia longa: uelut accidit talia animalia erudientibus. Habitatio, ut pisces marini, insulanos aut in littore degentes: ursi Germani mures, alpini montium incolas. Dedicatio: ut serpens salutem, quia Aesculapiõ sacer: formosa gratiam & uenustatem, ut pauo & psittacus. Graculi, sturni & locustæ, quæ magna multitudine aduolant, omnia, significant tempestates. Quæ agminatim, ut grues & ciconiæ, hostes: ordinẽ enim seruant. Nocturna autem animalia fures, adulteros, pecunieq; adulterinæ fabricatores. Hirundo & mus, domesticos parum fidos significant, aut inconstantes. mus enim fures, hirundo inconstantes. Masculina præterea ad fortitudinẽ & robur ac fidem meliora sunt: fœminina uerò ad mansuetudinẽ.

Diuiduntur præterea generaliter in exanguia & sanguinea. Exanguia omnia mala, propria ratione: quoniam homo exanguis non est, nisi cum obierit. Exanguia diuiduntur in parua & magna: in ea quæ repunt, & ambulant, & natant, ac uolant. Sanguineorum solum sunt tres differentiæ: quæ ambulant, uolant, natant. Serpentes etsi sanguinem habent, modicum tamen habent. sanguinea etsi quædam parua sint, ut mures, non est paruitas magna. Quæ repunt, omnia ferme ueneno prædita sunt: ob id ergo & formam

& ne-

& naturam, & quia sunt muta, maximè homini aduersantur. pòst minuta animalia, ualde: ea enim cum putredine generentur, fœda sunt, & inuisa homini. formicæ tametsi ex ouis generentur, quia tamen omnino mutæ, tum pisces ob eandem causam, maximè si parui sint, malorum sunt præsagia. Pisces præterea præteritum, quadrupedia præsens, & quæ imminent aues futurum ostendunt.

Caput XXXIIII. De animalibus minutis.

FOrmicæ significant plebem: & si sint alatæ, significant etiam nobiliores. Et si circa corpus uersentur, mortem: quoniam sunt filiæ terræ, frigidæ & nigræ. Mihi autem uidentur etiam molestam uitam significare: quoniam tales sunt ut molestæ sint, nec posse nisi in corpus ingrediantur mortem significare, ob paruitatem. Agricolis prouentum frugum: omnibus, lucella multa portendunt. Si gratia exempli, ex domo aliqua in tuam deferant, ille domus dominus causa erit tibi lucri. Sin autem ex ea domo in tuam aurem, nasum, os, anum ingrediantur, mortis. Pediculos multos uidere supra se, uincula, uel morbum longum, aut paupertatem, aut triremes significat: ex talibus enim occasionibus abundant hæc animalia. Quod si, dum talia patitur, expergiscitur, huiusmodi in calamitatibus uitam finiet. At si conetur eijcere & occidere, forsan aliquando seruabitur. Et si somnium fuerit in imitio anni, uel uitæ mutatione, uel assumpto magistratu, ex illo originem ducet calamitas, & perpetuo ac diu perseuerabit: sed si tempore quodam à circuitu remoto, ut fatale esse non possit, incidat, breui ex ea miseria morietur. Et si paruos pediculos uideat, capereq; se & occidere existimet, ualde bonum est: à molestijs enim omnibus se liberabit. Cimices, tædia uxoris aut concubinæ gratia, tum fœda crimina & mores, tum scorta significant. palàm est autem, quod ab huiusmodi liberari tædijs optimum est, & saluberrimum. Pulices significant molestias magnas, non perpetuas: nam hyeme sponte desinunt. Quamobrem & muscæ idem, sed molestiores, magisq; fœdæ, & ineuitabiles: non tamen deteriores, quoniam nocte cessant, & dormire hominem non prohibent ut pulices. Culices acrioris sunt molestiæ, & quasi pernicioſi: & significant dolores, tristiciam, damna, & infamiam: quoniam bombos mittunt, acriter mordent, & nocte seuiunt. Cauponibus & uini mercatoribus muscliones uini corruptionem prædicunt: nam uina uitiata sequuntur: significant autem pessimos uiros. omnia autem talia iniuriam decernunt. Apes homines iustos referunt: ob id ab ijs lædi, damnari est iudicio. significant etiam uiles homines, sed utiles. Crabrones & uespæ, damnari iniusto iudicio: assimilantur enim apibus, sed malefica sunt animalia. uerùm crabones capitale

iudicium significant, & infamiam: bombum enim magnum mittunt, & ex ijs fœdis calamitatibus soli etiam multum nocent, & pungendo nouem perimunt hominem: ideo propriè iniusta supplicia iudicum sententia decernenda significant. ueſpæ autem non occidunt, sed damnant tamen ad triremes, ad carceres, in pecunia. Horum animalium solam multitudinem uereri oportet. pauca enim parum obesse, præterquam in crabronibus, asylis & ueſpis, constat: nam hæc uel sola plurimùm nocent. cum tamen plura erunt, magis timendum est somnianti. Omnia etiam huiusmodi animalia fieres significant, & etiam apes. Vermes significant conuictores, & domesticos prauos, infidos & damnosos: quos si eijcere quoquo modo uideatur, cognoscet eiusmodi homines, & à se abiget. Vermes paruos innasci, mortem, aut illius membri significat corruptionem: talibus enim moriuntur. Cicadæ musicos uiros & blatones significant: ægris, sitim: ob id enim clamant. & mortem: non enim cibum accipiunt. Bombyces significant lucrum, cum magno labore & artificio: sic enim sericum suum conficiunt. Papiliones adulatoribus comparantur: formam enim mutarunt ex erucis, & inutiles sunt: uisu tamen delectant. Picti ex ijs significat scurras & mimos, eiusmodiq; homines. Locustæ infidos, instabiles & damnosos homines significant. Grylli autem, adulatores & musicos, hominesq; suauibus moribus, inutiles tamen. Scarabei improbos, sœdos & flagitosos. fœtent enim, & stercora uersant.

Omnia animalia parua abominationem significant: quoniam etsi quis generentur, ut formicæ, esui tamen non sunt. Et aliena à natura humana, ob nimiam dissimilitudinem, præsertim quòd muta sint: licet culex bombum mittat. unum etiam ex his aut duo contemni possunt, nisi ad comparationem trahantur: nam musca etsi ob paruitatem contemni mereatur, si tamen sub equi uentre uideatur, uel deglutiri, magnos effectus nunciat, ortum ex minimis causis habentes: non solum quòd effectuum ipsorum ratio deprehendatur, ut uomitus, aut quòd calcitret: sed quòd parua hæc miraculi cuiusdam causa introduci uideantur. uelut puellus facundus, puella eleganter loquens Latina lingua. at miraculum esse non potest, nisi magnum aliquid pariat. Multa uerò ut contemni non debent, ita miraculi nullam afferunt coniecturam.

Animalia inuisa tibi si per somnum uideas, quære animalium historiam, quòd si ex somnio agnouisse uideris (quod etiam in omnibus quæ uidentur obseruare decet) idolum esse somnium docent. quare reliqua pars quæ ad uisionem pertinet, & uera est omnino, & ex animalis proprietate deducenda. Sed etsi non congruat peculiaris structura, aut mores considerandi sint: nec quicquam magni est expectandum ex his, neque etiam timendum nisi

uenenū

ueneni opera effinxerit. Quòd si nec horum quicquam deprehendatur, si pauca sint, contemni debent: si multa, molestiam ex rebus uarijs non unius generis significant. quæ enim non deprehenduntur, uaria esse existimari debent, aliter deprehenderentur. In multitudine ergo non cognosci, uarietatis argumentum est. dum enim multa atque diuersa nobis occurrunt, omnium obliuiscimur, dum omnia inspicimus.

Cicadæ significant rusticos, quia ibi degunt, & sub sole: sed & nugaces homines, quoniam assiduè clamant. Et cum aliquod horum animalium ad hominem refertur, nihil boni significare potest. formica enim cæca esse creditur, reliqua omnia præter apes breuis ad modum uitæ: sed apes surdas esse ferunt. locustæ uerò sterilitatem, si agminatim insideant: si uolent, periculum: si sole aut paucæ, iuxta colores iudicandæ sunt. uirides spem inanem, pallidæ timorem. Bupresti & cantharides, uenenum: & uermis in ruta natus, & ardores urinæ, & ulcera significat. uermis cornutus seu κεράστης, qui à semine innascitur, magnus licet sit, meretricem significat, ob sœditatem: & quòd inutilis sit, quamuis pulcher. Sunt etiam iuxta proprietates interpretanda huiusmodi. omne enim animal quod formã mutat (cuiusmodi hoc, erucæ, bombyces) si uolent, senium significant. si sub forma uermis, non papilionũ: hunc non moriturum, nisi prius mutato genere uitæ. significant autem religiosam uitam ex sordida: quòd uolent, & nihil edant. Grylli autem musicos, sed sordidos & ignauos, præsertim iuxta focum habitantes.

Caput XXXV. De animalibus quæ repunt.

ANimalia declarant sensiles actiones, & quæ ad uitam pertinent. motum enim & ipsa habent, & sensum. Quæ repunt, dolos & insidias: talia enim naturà sunt. tum res contemptas & fœdas. Et quæ gregatim incendunt, ut formicæ, crabrones: aut etiam multa sunt, ut muscæ & culices, multitudinis persecutionem declarant, & inimicorum coniurationem. Serpentes, implacabiles hostes, & damna perpetua. Est autem generale, ut magnitudo animalis & rei uisæ, uel hominis uel affectionis magnitudinem ostendat. Sed actio declarat modum & qualitatem ipsius affectionis, cum fit: perturbatio uerò, quantitatem iacturæ quam accipies. Exemplum habebis in nostris somnijs. Draco autem significat regem malum, & principem tyrannum: quoniam propter alas nemo illius uim euadere posse speret. ostendit ergo superbiã, iram & potentiam. Significat & ducem hostilis exercitus, & præsidem prouinciæ, & senatus malum: ut leo bonum. nam ex proprietatibus fabulosis draconis est, quòd in circuitu eius exurit omnes herbas & sata. Ideò etiam significat sterilitatem, & bellũ: ergo & tunc ducem exercitus talia patrantis

significare poterit. nec refert quod uana res sit draco. Nam ficta monstra triũ sunt generum. alia quidem, quæ prorsus non posse esse intelliguntur: & horum est propria significatio, ut sphinx, de qua dicemus inferius. alia sunt secundum naturam, sed quæ in numero uariãt à propria forma. & horum quædam esse possunt non ratione speciei, sed aliquando ut puer cum duobus capitibus: alia non, ut puer cum lapideo capite. hoc enim omnino esse non potest, cum repugnantia includat. Tertium genus est figmentũ, quod tanquam fuerit, receptum est, quoniam adhuc dubitatur an fuerit, sit ue: ut de dracone, phœnice & gryphis. talia ergo quasi uerè sint animalia, propriam omnino retinent significationem, nisi quod admirabile futurum id quod pollicentur decernunt. Significat & draco ergo amißionem omnium bonorum, propter desolationem, quam circum se facit. Sed non significat uenenum in potu, nec cibo, nisi esset à principe: serpens autem significat. Et significat draco morsum canis rabidi, qui est pernicioßißimus inter uenena, & quasi princeps, ut etiam draco inter serpentes. Et significant oculi draconis, & caput eius, si quis acquirere sibi huiusmodi uideatur, cognitionem secreti nobilis, aut acquisitionem precioßæ rei: quoniam creditur draco in oculis & capite habere gemmas. Et ideo etiam acquirere caput ranæ terrestris seu bußonis, significat liberationem à dolore renum, à ueneno, & à morbo incognito. nam lapidẽ gestat in capite huiusmodi animal, ad hæc satis expertum. Basiliscus ergo siue regulus, præsentaneam & repentinam significat mortem, & amißionẽ bonorũ: & ideo suppliciũ capitis. Et si procul astet, uel in uertice turris ciuitatis, uel in foro, bello uel peste uel sterilitate aut inundatione regio tua tota uastabitur. & si propè, cogitabis atrocißima atque nefanda, & eris causa magnorum malorum, uel ille cui propius astiterit. & significat regem, uel regis filium, ob paruitatem: sed tamen peßimum, & qui regnum suum destruet. Significat & serpens magistratũ & diuturnam uitam, quia senectam exuit: & annuum spacium, propter circulum quem facit: & sapientem, propter illius calliditatem. Significat & thesauros, quia custos eorum creditur: circumplicatus, aut perterrefaciens, morbos, & ægris mortem & uincula. Vipera argentum significat, & mulieres opulentas, propter rubiginem, & candorẽ solicitudinemq;. & si mordeat, & si circũplicata sit, maiores diuitias. nihilominus uiperam uidere in notæ mulieris sinu, quam illa abscondat, si quidem lætetur, ab inimico tuo eam mulierem stuprandam docet. si timeat & tristetur, si grauida sit, abortiet: si non, ægrotabit.

Generaliter feræ & serpentes inimicos designãt, & hostes: sed feræ apertos, & qui placari possint: serpentes autem, magis occultos, & insidiatores,

atque

atque implacabiles. Similiter aues & pisces, externos homines significant: in alieno enim elemento uiuũt. sed aues, iucundos, ob pulchritudinem: & gratos, ob modulationem: nobilesq;, ob decorem: ut etiam mercatores, ob frequentem accessum ac discessum. Pisces autem, intractabiles & insidiatores, atque hostes: deuorant enim eos qui ad illos accedunt, modò audeant, omnes præter unum delphinem: qui nobilem aduenam, sed superbum significat, & parum tractabilem: sine uoce enim fermè sunt. Significat serpens rhetorem, propter linguæ uolubilitatem: sacerdotem, quia Aesculapio sacer est: uatem, quia Apollini: scelestum, est enim improbis moribus: ac prudentem, feruntur enim tales esse in sacris literis. Præterea capite plectendum, in capite enim cædi solet ut occidatur: & fugitiũ, latebras enim quærit: & resolutum, quoniam corpore nõ pedib. ambulat. Idẽ ergo est pedib. uti nõ posse, atq; illis carere. cum ergo careat, eos qui etsi habeant, uti non possunt, significat. Draco etiam fulgure & tonitru pulsus, principem significat è dominatu pellendum.

Caput XXXVI. De piscibus.

Piscium diuersitas à magnitudine, forma, cute, uel quod cutis formam subit, multitudine, nomine, locoq; habetur. Significant res præteritas, quòd muti sint. obliuione enim præterita in silentium transeunt. Parui pisces tristiciam significant, lucri loco: etenim piscatores solent ijs captis tristari. Pisces uarij coloris, significant ægris uenenum, sanis dolos & insidias. ruffi, ægris febres uehementes, improbis & captiuis tormenta. Nigri, & qui atramentũ spargunt, mortem, absentiam ac luctum significant. Fœcundi, ubertatem & copiam. Qui exuunt corticem, ut cancri, mutationem fortunæ. exuunt autẽ crustati omnes. Qui ossibus carent, imbecillitatem ac debilitatem significant: uelut polypi, loligines, & huiusmodi. qui etiam colorem mutant: ideo deceptores, & fugam, & latitationem decernunt. Cartilaginei, rotundi, negocia irrita significant: quia è manibus capti elabuntur, ut anguilla, murena, serpens. Plani autem, ut pastinaca, squatina, pericula decernunt: sunt enim admodum sæui. Qui uiuunt in aquis & in terra, ut uituli, gammari, aut uolant, ut hirundo & milutius, peregrinationem & uitæ mutationem decernunt. Squamosi, quorum maximus est numerus, significant homines dolosos & audaces. Purpuræ, & quæ in usum alium ueniunt quàm edendi, ut cetacea, significant proculdubio negociationem & lucrum. Multitudo piscium mala est, quoniam negocia plurima quæ extricare nequeat, declarant. Pisces mortui, spes concidisse ostendunt. Caro piscis magni in domum delata, mortem domestici tui portendit. Piscis qualiscunque captus, & in domum deductus, potentem uirum te superaturum ostendit: aut euasurum incolumem à

desperato

desperato negocio. Pisces fluminum omnia minora, tam bona quàm mala decernunt: quæ uerò in torrentibus, breuis uitæ homines, & spes breues: non enim diu in illis pisces uiuere possunt. Pisces in terra, res insperatas, & no n naturales decernunt. Sed in lapidibus, præter id etiam duras & graues. Pisces significant, ut dixi, toto genere præterita, spes irritas, & negocia corporea: parum enim mente uel sensibus pollent pisces. Pisces significant homines ob id stupidos ac uiles: præsertim autem stagnorum. A nomine uerò testacei pisces, homines admodum rudes & segnes significant. Et carcerem, quoniam sunt immobiles. A nomine, ut κάραβος, taurum, scarabeum etiam & nauiculam. Vocatur Latinè locusta κογχυλίας seu concha, gemmam & purpuram. Et ὄστρεα, ostrea. Purpurum, & ostro pictum, & exilium, propter ὀστρακισμὸν: & morbos & carceres, quia inclusa teste. & iacent κήρυκες seu ceryces, nuncium bonum, præmium, legationem, caduceum. τρίγλαι perfectum, habentem (ut dici solet) tres oculos. Torpedo aũt, propter proprietatem resolutionem propriè declarant, & attonitum morbum, & exin de mortem. Sicut piscis quem Stophim uocant, & è genere dicunt asellorum, captiuo denunciat amputationem capitis: sine capite enim uenduntur. Et ranæ etiam laceratione corporis: uenduntur enim decoriatæ, & sine capite. Generaliter pisces omnibus qui ex sermone lucrum faciunt, mali sunt: quoniam uoce careant pisces. Plerique ex ijs etiam pamphagi sunt, & maximè gammari: ideoq; uoraces homines, & nunquam satis domitos declarant. Gammari etiam significant pauperes ob despectum, & improbos, quoniam nulli parcunt. Pisces etiam communi ratione decernunt mortuorum res, hæreditates, & negocia ex defunctis originem ducentia. Pisces loquentes audire, est ministris uti inutilibus. namque cum tot sint animalia quæ uocem habent, importunum est pisces obijci nobis qui loquantur, cum nec uocem emittere soleant. Pisces respirantes, ut cetæ & delphines, significant deceptores homines, ac etiam exteros. cum enim naturam habeant quadrupedum, in mari tamen degunt. Pisces monstrosi iuxta formam aut naturam quæ illis tribui solet, moresq; sunt iudicandi. Pisces parui, saliti, tabem & iacturam significant: quoniam à sale colliquantur atque siccantur. Acus autem, quoniam cum muria condiuntur, & sarda, nouarum rerum desiderium prædicunt, ac deliciosam uitam. Pisces candidi nihil mali prædicunt, & homines simplices. Pisces edere, morbos significat: cum omnis esus etiam aliarum rerũ malus sit. Pisces aurei coloris, dolores ac tristiciam nunciãt. Pisces, ut dictum est superius, non nisi cibi causa bonum omen afferre in somnis possunt. excipiuntur, qui respirant; nam hi uocem habent, & non omnino pisces sunt. Significant autem

Cap. 33.

omnes

omnes hi, ut delphines, balenæ, orcades, principes: hi enim boni uidentur, & mali sunt. alij boni cũ sint, mali uidentur. Quatenus enim magni (ut dixi) principatum ostendunt: quatenus respirant, humanitatem præ se ferunt: quatenus in aqua degunt, feri & inhumani. Tribus autem exemplis omnium naturam explicabo. Balena mansuetum principem declarat: piscibus enim non uescitur. contrà orcas sæuum & truculentum: edit enim pisces, & intractabilis est. Delphin autem, quales nunc plerique sunt, in suos nimio plus obsequentes, in alios sæui ac truces, specie tamen generosos.

Caput XXXVII. De auibus.

AVes, ut dixi, futurum cum significent, paulo pòst tamen futurum, non serò significant: futurum inquam, quoniam tempus præsens iam lapsum est, cum cogitamus: præteritum autem iam diu. non tamen decet aues significare futuras res omnes. oporteret enim illas rursus distinguere, in paulo pòst futuras, in tardè futuras, in post longum tempus futuras. hoc autem naturæ rei iam alienæ non conuenit. considerare igitur oportet genus, speciem, numerum, locum, actionem & accubationem. Genus quadruplex, magnum paruum, rapax mite, agreste domesticum, commune & nocturnum. Species autem sunt absque numero. dicemus autem generaliter interpretandi modũ in singulis. Numerus ab uno usque centum, significationem habet propriam: rarò tamen ultra duodecim numerus deprehenditur, sed multitudo dicitur. Locus, terra, aqua, mons, arbor, specus, domus. Actio, ambulare, uolare, natare, quiescere, fugere, insequi, nidum construere, garrire, canere. Accubatio, antè, pòst, dextra, sinistra, suprà, à dextra in sinistram ferri, & ita de alijs. Numerus significat rerum multitudinem, ut filiorum: aut temporis, ut dierum, mensium & annorum: & aliquis significat perfectionem, ut septem & tria & sex diuersis rationibus. Colores ita & generaliter significant, candidus boni ominis, niger infausti, cinereus tristis, uarius mutabilis, rubeus iræ & uindictæ, uiridis lætitiæ & spei: cæruleus magna, sed diuersa significat: croceus & aureus, tormenta & anxietates: fuscus, dolorem animi & turbationem: rubiginosus, tædium & sæuitiam. In omnibus autem semper inauspicatus est cineris color, quòd cinerea referat, & parum semper lucis in se contineat: ob id ferrugineus etiam deterior, non solùm quod rubiginem rem inauspicatam præferat, sed quòd cinereo etiam minus habeat lucis. Aues nocturnæ omnes, præter uespertilionem, quòd hæc sola animal pariat, infaustæ sunt, præsertim prægnantibus. Aues canoræ significant delicias: rapaces lucris idoneæ sunt, pulchræ potentes: pingues, opulentos: clamantes, periculũ ingens instare: quietæ, impedimentum negociorum: uolatu, actiones assiduas:

comedentes, spei incrementum: egerentes, diminutionem. Mortua auis, mortuam spem. Magnitudo, similis est negocij magnitudini. Nocturnæ & corui & ex eo genere ferales sunt, aut fœdum hominem ostendunt. Inauspicatum & contra naturam, ualde malum est, ut ingressus auium agrestium in domum: contra naturam & auspicatum, bonum, ut auem agrestem uenire in sinum tuum. Auis rapax si domum ingrediatur, deprædabuntur homines improbi facultates tuas, ac dissipabunt. Auis timida, ut columbus & passer, mala est: sed mitis, nec timida, ut pauo & olor, honores, quietem, & uitā iucundam. rapaces, anxiam, sed honores & diuitias significat. Accipiter significat sacerdotium, aquila regnum, aut militarem dignitatem. pulli auium significant spes inchoatas, & tædium. Aues alligatæ, significant impeditam spem: sed in cauea constitutæ, securam. Philomena, musicum, poetam, uel deceptorem: hirundo, garrulum: utræq; parum auspicatæ, ob id quod multis subiacent periculis. Eædem & sturni, & coturnices, quia gregatim incedunt, locumq; mutant. Ictterus, spem diuulsam redintegrandam, propter fabulam: aurum etiam, ob colorem. Si fugiat, amissionem occasionis lucri. Ficedula, parasitum. Noctua si pugnat, dolore & tristicia afficietur: si comedit, fiscus occupabit de bonis somniantis: si clamat, damnum & uituperationem significat: si superuolat, carcerem aut morbum: si post domui insederit tuæ, morieris: si alterius domui, aliquis ex ea morietur. Aues incognitæ quomodo sint interpretandæ, uelut & obscura alia, infrà declarabitur. Dextra celeritatem & felicitatem, sinistra tarditatem & calamitatem: antè, præsentia & ante oculos: post, quæ audies, non uidebis, significant.

Coturnix, quam qualeam uocamus, contentionem, pugnam, bissidia, discessum, uitamq; breuem significat: peiores, si plures sint, & in agris. una autem, magnum quid non decernit. Hirundo significat extra tempus suum (nā dum apparet, minus eadem significat) iuxta proprietates suas. nam cum mane canat, & homines ad labores excitet, homines laboriosos, diligentes, fidelesq;, aut uxores ostendit. ut uerò uerno tempore aduenit, felicitatem futurorum temporum promittit: discedens autem, calamitatem. Vt uerò nobiscum habitat, nec tamen mansuescit, domesticum aliquem intractabilem, & qui tandem abiturus sit, demonstrat. In oculorum autem morbis utilissima est. Et musicum etiam familiarem, quod concinnè canat, ostendit. Passeres denique iniuriam significant ab amicis: columbæ, utilissimos familiares. Cornices, homines bilingues: & si canant, nuncium malum potius quàm bonum. Grues, pauperes: ciconiæ, diuites. aquilæ indomitæ, Principes: domitæ, & accipitres, nobiles. ab ijs enim tractantur.

Coruus

Coruus & uultur mortem significant: sed uultur regnum etiam, quòd maior sit, & reges multos occidant. nec crocitat ut coruus, reges autem sunt taciturniores. Mulier quædam cum tres coruos uidisset, quorum unus dixit ei, Ego te ex uiuam faciam, terq; eam circumuolassent & abijssent, nonam post diem obijt. Significant & corui uespilones, sepultores, coriarios, sordidos: uultures autem, exules, potentes, quoniam ex aquilarum sunt genere. Coruus & cornix interpretes significant, quoniam uocem uariant.

Aues naturà mediæ sunt inter quadrupedia & pisces. nam pisces & generatione & elemento ab hominibus differunt, quadrupedia neutro, aues sola generatione: ideo aues minus conueniunt cum hominibus, quàm quadrupedia. ob id etiam maiora mala & minora bona decernunt quadrupedibus: contra uerò, si ad pisces comparentur. quia tamen cantu placent, quod ad uoluptates attinet, plus placent etiam quadrupedibus. Aues si oua foueãt, egregias & firmas spes pollicentur, si secundum (ut semper intelligi debere dixi) se habuerint. Et si pullos eduxerint, longè melius: & si etiam educauerint, iam res absoluta erit. Et si pulli alij educantur, non est prorsus malum: sed si mitiores, & maiores, & pulchriores, euentus spem superabit.

Cardueles significant delicias ex rebus minutis ac uarijs. palumbi, dolores & gemitus ob uocem. Onocrotalus significat hominem opulentum, & clamosum, ob ingluuiem quam magnam habet, & piscibus plenam. Struthiocamelus militem equestrem, fortem & ornatum.

Ardea tristiciam, ob inaccessa ad quæ peruenire non potest, & pugnas assiduas: cum genere enim uniuerso rapacium pugnat. Regulus, dignitatem & titulos, sine utilitate. Alauda timores, pauores, solicitudines: ob colorem, & morem. Galerita, uagabundum, musicum, & infelicem. Olor, poetam, philosophum, diuitem hominem. Olor in lacu, felicitatem: in arido, miseriam portendit. Phasianus, diuitem, ornatum, sed timidum ac simplicem. quod si fileat, mortem propinquam nunciat alicui innocenti ac simplici. Picus Martius, insuperabilium spem facit: diuinamq; fortunam quandam. Pica hoc habet generale cum omnibus auibus caudam prælongam habentibus, ut decorem augeat, & bonum finem prædicat. In hominibus autem significandis aliam obtinet uim: nam superbum & fastuosum, cæterum inutilem garrulamq; solum ostendit.

Aues præterea fabulosæ, ut phœnix, inanes expectationes, & homines uanos significant. Monstrosæ uerò, euentus inexpectatos, & admirabiles: quod genus (ut dixi) auium per se expectationes significet. Sed mixti generis (ut referunt de Indica aue, quæ pedem habet accipitris alterũ, alterũ anatis)

uitam ancipitem & mores non constantes prædicunt. Quæ uerò aliena à natura agunt, si quidem non succedente effectu, non conuenientia facturo frustrationem exitus nunciant, quòd si succedat, uelut auc oua in aqua incubante, bonam fortunam, paruam prudentiam.

Miluus omnia in deterius abitura nunciat, & miseram senectutem. Sed & omnes aues in fatali somnio inauspicatæ sunt. nam paruæ nihil magnũ significare possunt, magnæ & rapaces fame in senio conficiuntur: domesticæ seruiunt & occiduntur ante senium: solitariæ, nec rapaces, quòd nimis frequentibus periculis obijciantur, extremam senectam referre non possunt. optimæ sunt in hoc casu, magnæ, gregales, nec rapaces: & inter has ciconia & anser, ac cornix: hæc ob uitæ diuturnitatem, ciconia quòd diuina habeatur ac pia, & apud multas gentes cautum sit ne lædantur: anser ob facilitatem uictus, robur, & uitæ diuturnitatem. Phœnicopterus & porphyrio raræ aues & nobiles & pulchræ, sapientes & ornatos diuites q; significant, sed prior nobiliores.

Caput XXXVIII. De quadrupedibus.

Quadrupedia cum, ut dixi, præsentia significent, iuxta formam, mores corporis, structuram & colorem significant. Similia homini, ut simiæ et cercopytheci & huiusmodi, dolos significant & fictos amicos. Quæcunque audiuntur loqui de quadrupedibus aut piscibus, uel etiam auibus sermonis expertibus, ut de gallis, admiranda facta præmonstrant: & iuxta naturam animalis. Animal quod uerè in domo tua habeas, si loqui uideatur, infaustum est: significat enim mutationem tuæ familiæ. Nec oportet uerba simpliciter interpretari, sed & si clara sint, nomine ipso animalis secum intellecto. aliter quid prohibuisset à Deo uel homine audiri, si simpliciter essent intelligenda? Animaduertendum etiã, quòd catena contineri solent, ut sciuri & uenatici canes, & equi. tum uerò qui in foueis habitant, ut uulpes & cuniculi, carcerem & uincula minantur: tum præcipuè, si catenata uideantur: magis tamen in domesticis & amicis, quàm in seipso, hæc futura demonstrant. Ceruus instabilem, timidum, & eum cuius uxor mœchatur, significat. Nauim quoque, ob uelocitatem, & in eis temonem, malos, uela quibus aguntur. Qui se ceruum esse putat, & cœlebs est, diu in timore & solicitudine uiuet. Qui alit cerui pullum, cum puero uel ancilla concumbet, iuxta pulli sexum. Et si Iudæus edat carnem cerui uel capreoli, admittet contraria suæ legi. Qui cornua cerui inuenerit, lucrabitur, sed non multum: aut dura res ei occurret. idẽ de cornib. capreoli. Insidere ceruo, est timidè omnia agere. Hirci & capreæ, sed ibices magis, potentes homines, sed ex æquo stultos & pertinaces ostendunt.

dunt. In omnibus animalibus pinguia meliora macilentis: & fera, si mansueta sint, bonum magis significant, quàm mansueta efferata. mihi tamen magis placent mansueta naturâ & specie, nisi in placandis hostibus. animalia omnia commoda homini, caudata & robusta, & bene ornata uidere, bonum est: contrà, malum. Currere in equo, semper malum: est enim cum periculo. sed agitare equum, bonum est: & quanto ille leuior, tanto melius. In animali cõmodo esse, & illum exercere non pro natura, ut equitare canem, inopiam necessariorum in negocio significat.

Caput animalis, & cor, significant alicuius societatis dominum, aut qui plurimum posit in illa. Pugna animalium cum homine, significat iurgia & maledicta: quoniam non plus illi nocere poterunt, quàm animalia homini. Si tamen sint ut elephantes & dracones, ac tauri, & quæcunque corporea mole insignia sunt, negocium aut hominem cui impar sit somnians, ostendunt: ideo cauendum est. Nullum animal significat hominem sapientem, quoniam omnia carent ratione. excipiuntur tamen, quæ diuinitatem præseferunt. hæc aũt sunt, columba & agnus, ob innocentiam: ciconia, ob pietatem: aquila, quòd sublimius uolet: pauo, ob pulchritudinem: psittacus, ob docilitatem: olor, quòd in obitu dulciter canere existimetur: uultur, quòd augurijs præsit, & nullum animal occidat, sed mortuis tantum uescatur. Oportet autem considerare mores & rem tractatam. Porci, regiam quærentibus gratiam aduersantur: sunt enim abiecti, & sœdi. similiter & occulta tractantibus. Cuniculi & uulpes, arcana quærentibus idonei sunt: profundas enim foueas effodiunt. Meles, significat eum qui te decipit: quod claudus à natura esse creditur. unde dici solet in prouerbio, claudicat in negocio. Talpa super terram ueniens, finem rei ostendit: tunc enim moritur. ideo etiam sibi parare exitium docet.

Lupus hostem significat, nam nobis aduersatur. malum est enim fur, & obsidet uias. principem: nam in Italia ferarum est maxima. erunt ergo actiones somniantis contra illum, quales contra lupum. Equitare lupum, est improbum & potentem uirum in potestate tua habere: confodere autem, est superare. Lupus annũ significat, ut Artemidorus ait: nam sycabantes Græcè uocatur. & etiam, quia in transitu fluminis singuli, ut dies anni unus post alterum, procedunt. & quoniam oues omnes occidit: annus autem dies singulos absumit. Vrsus hostem significat iracundum, stultum, robustum, agrestem, uoracem. eos etiam qui segregati ab alijs uiuunt: hyeme enim latent. significat etiam rediuiuas inimicitias, & reditum, ob sidus ursæ utrunque, quod nunquam absconditur.

Leo significat principem, & uirũ fortem & magnanimũ, quasi è directo contrariũ urso: nec in alio cõueniunt nisi in potẽtia, crudelitate & iracũdia. Sed leo superbum, ursus uilem significat. Significat & rursus diuitem, ut & pinguia omnia animalia: mus alpinus, sus, glis. Si leo te morsu apprehenderit, fortunis tuis princeps te spoliabit: si unguibus lacerauerit, coget effundere te in irritum opes tuas: si te prostrauerit, honorem ac dignitatem eripiet: si dentes excußerit, consanguineos tuos occidet. Si tu leonem occideris, eius q; carnes degustaueris, ditaberis principis pecunia, sed magno tædio periculo & labore: neque enim tutum est, nec facile, conficere leonem: nec illius caro suauis est gustu. Peculiare est leoni, si dentibus te momorderit, ab ea iactura nunquam restaurari: quoniam uulgatum sit, talia uulnera non sanescere. Qui uiscera leonis edit, aut ditabitur à principe, aut princeps ei arcana cõmittet. Qui pellem leonis gestauerit, principis autoritate fouebitur. Leonis catuli, sunt filij principis. Qui leonis ungues habet, à militibus principis protegetur. Leo fœmina cum catulis, felicitatem filijs & uxori portendit. Vulpes dolosum inimicũ ostendit. & significat deformitatẽ, & uicia cutis, & dolorem uentris, si uideatur somnians ab illa infestari. Simia aũt significat deceptorem, sycophantam, furem eximium, & adulatorem propriè. Mustela maior furem domesticum, & uulpes furem communem. Lepus omnia infausta significat, & mortem etiam. Cynocephalus & cercopythecus, quod & simia: sed morbum etiam propriè significant sacrum, seu comitialem. Aper tempestates, sterilitatem, ab effectu: hostem clamosum, mulierem impudicam, submersionem nauigantibus decernit. nam & arbores euertit, & rostrum defodit sub terram, dum edit. Sed & elephas nauigantibus omnino incommodus est, & submersionem significat, & fœminam scelestam. Lynceus & pardalis & panthera, nobiles & ornatos inimicos, fraudulentos q; significant. Animalia fera & incognita, aduenam, inimicum. Sciuri, mimos, sycophantas, scurras, moriones, saltatores, præstigiatores, funambulos. Crocodillus, piratam aut homicidam, nequam etiam ac uecordem significat. Viuerra & ichneumon, dolosos homines & maleficos ostendunt, qui nec beneuoli nec fidi unquam esse possint.

Caput XXXIX. De animalibus feris & cicuribus.

HOc caput ab alijs distinximus, ob duas causas. primùm, ut intelligeremus animalia sex esse generum. alia naturâ & usu fera: & illa significant hostes natura & uoluntate. alia fera naturâ, sed mansuefacta: & illa significant inimicos naturaliter, & ueteres etiam hostes, sed casu aliquo reconciliatos. alia uerò mansueta natura, sed facta fera: & significant coniunctos à nobis

nobis abalienatos. alia uerò mansueta naturaliter, & talia etiam per somnũ uisa: & hæc significant mites, & amicos & coniunctos. alia sunt è genere misto, ut sues, anates & anseres: & hæc si uideantur efferata, mala sunt: & si mansueta, bona. Et semper efferata natura, usu mansuefacta, melius est uidere, quàm mansueta efferata, quod ad signum attinet. Oportet etiam considerare naturam. nam praua ualde, & non ualida, mansuefacta uidere, ut araneum, scorpionem, uiperam: & fallacia, ut uulpem: non ualde bonum est. ualida uerò & generosa, ut leonem & elephantem, & onagrum, & bomastum, & oricem, ualde bonum. Contrà efferata quanto imbecilliora, & naturà minus mansueta, minus malum, præterquam in canibus. Oues feras uidere, ualde malum: capras & anates, minimè. In uniuersum, cicures amicũ, agrestes autem aduenam aut incontrectabilem uirum ostendunt.

Alia causa est, ut aliquot animalia exciperemus, ne capita de Auibus & animalibus quadrupedibus adeò prolixa & tædiosa redderentur. Quæ ergo animalia mansueta sunt, alia quidem toto genere (ut gallinæ, oues, pauones & canes) alia non toto genere: boues, equi, asini, muli, cum his capræ, anates, anseres, sues, columbi, feles. & non mansueta, quæ tamen nobiscum habitant: mures, mustellæ urbanæ & hirundines. Externa, elephantes, camelos, gallipauos, qui maximè mansueti sunt. Hæc igitur uiginti genera hic tractabimus, ut fiant tractationes animalium reliquorum breuiores.

Aries ergo ducem militum significat: nam illius oues mactantur, ut milites solent. significat & uxorem mœcham. & eadem hæc duo significat hircus: licet hircus magis significet uxorem mœcham, aries autem magis ducem exercitus. Quidam somniauit arietem equitare, & in cornua procumbere. responsum fuit ab interpretibus somniorũ, ducturũ uxorem quæ mœcharetur. Fortè fortuna tum de coniugio agebatur: duxit, adhibuit diligentem custodiam: proba inuenta est, perijt. aliam breui superinduxit, remisit custodiam, somnij uanitatem arguens: ex quo illa contempti somnij pœnas à uiro exegit, impudicissima facta. Significat & aries potentem uirum, cum dignitate & authoritate. Si autem excoriatus in domum alicuius deferatur, significat alicuius ex illa domo interitum. Quodlibet animal solidorum cornuum, ut aries, capra, ceruus, stolidum significat. Oues tondere, morbos significat: nigras uerò, etiam mortem ex illo morbo. Aliter significant lucra ex mercibus & artibus, & puerorum institutores. Omnia animalia utilia homini uidere sana, robusta, pinguia, pulchra, bene caudata, bonum: contraria uerò, malũ. Agni, infantes atque puerulos, ut etiam hœdi, referunt. Agnos pascere, est dolere atque tristari. Agnam aut ouem in macello ut carnes uendantur uidere,

est di-

est diuortium in iudicio facere, aut aliquam è suis mulieribus publicè prostituere. Hircus & capra, eadem quæ aries & ouis significant, sed mores deteriores, & sine utilitate. In uinea si pascantur, eius bona depopulanda & dilapidanda. Significant etiam tædia, diuitiarum causa: & albæ utiliores, quamuis non multum: rubeæ autem, lites: nigræ uerò, mortem aut mortuos cum ignominia ostendunt. Gallinæ utiles, familiares significant: gallus autē, eum qui familiæ præest. Columbæ uerò adhuc utiliores familiares, quàm gallinæ, & mites. Anser, famulum uel ancillam frugi. Qui comedit anserem pinguem, commodum habebit ex famulo bono. Et si alarum pennas auellat, aut deplumet illum, castigabit eum. sed si denudet, uituperabit ipsum. Anas eadem, sed minora significat: & magis uerbosum famulum uel ancillam, & minus utilem. Anser est utilior uerè, quia maioris roboris & prudentiæ famulum significat, & qui maioribus negocijs præerit: Gallina magis solicitū, in minoribus tamen negocijs. columba magis mansuetum: & qui perducit res ad finem, magis anas est omnibus inferior.

Pauones, honores, ob pulchritudinem: & precium, lucrum, quia pennæ etiam sunt uenales: & iucundum amicum, nobilemq; significant, ambitiosum tamen, & superbum, & clamosum. fidum quoq; defensorem, sed iracundum & uagum. Et significant uiros potentes & insignes magistratu uel sacerdotio. Pauo uolans, opulenti uiri iter significat. propriè enim hæc auis opulentos significat, sicut hirundo garrulos & instabiles: sed de ea superius actū est. Cap. 37.

Canes referunt fidos amicos tibi, si è tuis sint: uel inimicis tuis, si aliorum: albi sinceros, rubri sæuos & iracundos, nigri maleficos, uarij dolosos, molossi potentes & apertè aggredientes, melitei blandos & uerbosos: uirides uel coloris insueti, admirabiles, & incognitis moribus: rabidi, uiolentos admodum & pernicioſos, sed non diu mansuros. ululatus canum luctum significat, latratus maledicta. lacerari uestes, infamiam aut damnum cum iniuria: mordere, uulnera aut accusationem. lac illorum, infortunia & timores, ut etiam hostilium. carnes autem, opes. Qua enim ratione ab alijs detrahuntur, & nobis parantur, incrementum significant. odorarij, solertes & placidos: uenatici, celeres & crudeles: domestici, custodes, & erga nos blandos: aucupes, obedientes & peritos: molossi, pugnaces, fortes, robustos.

Sues deformitatem, ingluuiem, ignauiam, mortem sæuam portendunt. Sus tamen cornutus potentem inimicum ostendit. caput suis ablatum sibi uideri, donum reiectum, uel tædiū, uel tædij finem: Maiales, homines solum ad mortem destinatos, & Epicureos significant. utrique tamē quæstores & thesaurarios, si nobis debeat fiscus, referre possunt: & in domo procuratorem.

Porcus

Porcus autem puerum refert uoluptarium. Scrofa prædiũ significat. si peperit, utile pro numero fœtuum: si prægnans, bonum prouentum. Aper tempestates & sterilitatem, ab effectu: hostem clamosum, & mulierem impudicam, & nauigantibus submersionem: quoniam arbores euertit, & rostrum sub terram defodit. Quæcunque animalia ex agrestibus deriuantur, ferinos homines & alienos significant, etiam quæ mansueta sunt. Agrestia autem ex illis, homines feros, qui mansuescere possint. Quæcunque autem non habẽt agreste ex eodem genere, ut gallina & canis, semper domesticos referunt. Galli, paui, aduenas longinquos & exteros nunc significant. Domesticos post hæc fidos, & mansuetos: uentosos tamen, & inconstantes, blandos & iracundos, ob mores atque mutationem. utiles magis pauonibus, sed non adeò opulentos homines significant: & non securam utilitatem, quoniam facilè pereunt. Significant etiam uersutos & uersipelles.

Elephantes, morbos malos & inuictos, grauia facta & periculosa, ægris mortem, nauigantibus submersionem, tarditatem etiam negociorum. mortuus, tædium sine damno. Ob id ad actiones omnia sunt referenda. nam si nos deferat, & magis mulierem, mortem præsagit. Ex aduerso autem significando, hominem cum sapientem, potentem, gratum, benignum, opulentum, pium, nobilem, deformem tamen, sed cum dignitate quadam. & significat propriè principem bonum.

Mures, famulos, sed fures tamen, significant. melius tamen est uidere ludentes & hilares: nam huiusmodi aut non defraudant, sed solum edendo & bibendo & potando assiduè rem domesticam minuunt: aut ualde parum minuunt. Significant & lites, quæ sensim arrodunt hominem: & inutiles domesticos. Mustelæ urbanæ, furem domesticum & proditorem: sed tamen qui uitæ non insidietur, eum tamen qui te depauperare possit.

Camelus tædium, mœrorem, calamitatem, mortem, & homines malos significat. Propriè uerò statum principalem, ob magnitudinem: longum iter, ob celeritatem: grauem morbum, ob pondera quæ gerit, & auxilia egregia & multa, quæ ab illo desumi solent. Camela significat mulierem pessimam, & deformem. Ex camela filium suscipere, est deformem ex deformi, improbum ex improba generare. deformitatem enim in omnibus significat. Sed & patientiam ad labores, & uictus continentiam, & longam uitam. Senes propriè camelus significat. Aeluri, fures, proditores, amatores, uarios agilesq; homines significant: & captiones, custodem etiam domus referunt: & qui cum furetur egregiè, alios tamen furari prohibeat. non tamen uitæ insidiatorem significat.

Bos si pede percutere uideatur, potens uir te lædet: sed si cornu etiam, grauius erit. Bos cum tribus cornibus, regionem à potenti uiro subigendam significat. Boues dormientes, uel etiam solum iacentes, morbum aut calamitatem decernunt. Boues alacres, fœcundos & uberes redditus. cum pluribus cornibus, diſsidia: cum magnis autem, prosperitatem in prouentibus & robore uillicorum, familiæ & propriæ personæ. cum, ut dictum est, animalia pinguia bona sint: optimũ tamẽ in boue est pinguedo, ob multiplicem usum.

Asini, statum opum propriè significant: illæ enim incommoda sustinent. Oportet uerò & caudam illorum considerare: est enim finis animalis. Cadere ergo ex asino, paupertatem ostendit: est enim ac si dicas, è bonis suis excidisse. Asinus labores, impedimenta, molestias, contemptũ, frustrari uoto significat. casus etiam ex eo morbum significat, propter problema Aristotelis. Asinus etiam ancillam uel famulum refert. Asinum disrumpi, paupertatem perpetuam. asini cauda deformis, deformem inopia senectam: amputata, miseriam prædicit. Asinus calcitrans, uel famuli contumaciam, uel difficultates in exigendis redditibus prædicit.

Mulum aut mulam equitare, lentum negociatorem, parumq; fidum, tutũ tamen, significat, & aptum negocijs. nam molliter incedit hoc animal, & rarò cadit. Muli nullis deteriores, quàm his quibus sunt asturcones. significant enim, in posterum illis omnia difficiliora, & minus alacrem eorum fortunam. præterea significant sterilitatem, cœlibatum, morbum genitalium membrorum, diuortium ob naturam non aptam ad coniugium, labores etiã multos & magnos ob pondera quæ ferunt: & longam uitam, quia diutius parentibus uiuere solent. Mula quoque uxorem & ancillam significat, quoniam mulabus molliter insidere solemus: ita curæ harum. Quamobrem naturam earum spectare oportet. albæ enim, formosæ: nigræ, utiles: mediæ, callidæ sunt. Muli semper significant impotentiam explendi uotum suum. Mulam qui uidetur amittere, si non habet, tædio liberabitur: si habet, damno afficietur. Mula si parere uideatur, abominandum factum significat: misero autem, admirabile. Onagri bonam fortunam, celeremq; adoptionem eorũ quæ desiderantur, prædicunt: ob motus uelocitatem. Si uidearis mulam uel mulum alienum equitare, & descendendo fugiat ad dominum suum, liberaberis à molestia quam subieras, principali eam subeunte. si uerò ad alium fugiat, liberaberis casu. Muli etiam spurios significant filios. ideo bonum est ei qui non habere se existimat, si modò esse possit ut ignorans susceperit.

Equi cursores parati, morbum & mortem prænunciant. hic enim cursus propriè uitæ nostræ. Equus existimationem, robur, facultatem, agilitatem,

fortunam

fortunam hominis: cauda autem, præcipuè ea ratione quæ de asino assignata est, decernit. nam non nisi generosis equis perpulchra esse solet. Equus calcitrosus turbulentam, mansuetus tranquillam, robustus bonam, æger malam, speciosus nobilem, deformis humilem, securus in ambulando tutã, cespitans caducam fortunam significat. ornatus, splendidum statum demonstrat. Ex equo descendere, bono aliquo fortunæ se sponte abdicare significat. cadere autem, per uim priuari, sed non sine spe recuperandi. Sed equum amittere, sine spe etiam recuperandi, quod ualde malum est. cadere autem cum ipso equo, & lædi, est ex toto corruere cum fortuna sua, & detrimento uitæ. Si id contingat currente equo, culpa sua id accidet. Albus color mortem & pericula decernit, quòd procul uideatur: uitam tamen hilarem decernit. niger, opulentam fortunam: ruber, contentiones & molestias. Asturconem equitare, est uitam felicem ducere, & negocia iuxta uota succedere.

Caput XL. De materia & excrementis animalium, pellibus, pilis, cornibus, ungulis, stercore & urina.

STercus animalium & urina generaliter mala sunt, & significãt res abominandas, quoniam habent quibus commodè utamur. Fimus tamen equinus bonus est agricolis & chymistis, quoniam illis utilitatem aut commodũ affert. urina uerò cum nulli sit usui, ad pecunias eius qui ad nos aut causæ referenda est. significat etiam exolutionem curarum, pro natura animalis hominem subijcientis.

Pellis uerò insigne est animalis, ut uexillum hominum ac militum. Pellem leonis inuenire, uel lucrari, uel quouis modo habere, significat uictoriam de potenti uiro: at pardalis aut pantheræ, de subdolo & uersipelli: hyenæ, de pernicioso insidiatore: lupi, hominis atrocis: cerui, inconstantis & fugacis: leporis, timidi: uulpis, cauti. atque ita de alijs. Pellem autem animalis induere, est mores illius induere, aut subire conditionem, aut cogi: uelut pellem draconis, est fieri superbũ, arrogantem, crudelem, auarum: aut timeri ab omnibus, aut uitari ab omnibus, & persequutionem pati. Excoriare uerò pellem, siquidem ad domesticos referri possit, bonum est: illorum enim uicia emendabit. at si ad alios, uictor erit, illosq; suo robore exuet.

Pili autem, ad fortunam solum referuntur: unde pilis suillis nihil est deterius. Cum ignominia crudeliter mactabitur, quicunque somniauerit se tales pilos habere, si solenne somnium fuerit: aliter contemnetur, & ipse suillis moribus utetur, uorax, sordidus & despectus. Pilis asini labores, leporis mortem breui & crudelem: parum enim uiuit, & à canibus uiua lacerari solet.

Pilis leonis, erit formidabilis. Lana ouis, occidetur à suis, & spoliabitur fortunis. At uerò pilos uidere, sed non innatos sibi, significat opera facturum similia: uelut asini pili rem ingratam, & haud ciuilem, suis autem sordidam: uulpis, fraudulentam.

Plumæ uerò pilorũ instar sunt, sed decorem & spes significant. unde etiam fabula de pauonis plumis, & coruo. Plumæ pauonis ambitiosum & inanem, aquilæ ferocem & rapacem: psittaci nugatorem, sed speciosum & modestũ: picæ autem maledicum, & contemptum: accipitris instabilem & crudelem, lepidum tamen: corui sordidum, nugacem, & omnibus inuisum.

Vngulæ & cornua eodem modo se habent, ut etiam ungues rapacium: arma enim significant. Equus sine ungulis, & bos sine cornibus, exarmatum hostem aut auxiliatorem declarant. Ebur autem propter opera nobilitatem significat. ungulas equi seorsum inuenire bonum est, si ad inimicum referatur: si enim inueniſti, ille non habet. ungues etiam & cornua, & rostra & ungulæ, si ad principes referantur, arces significant. Rostrum tamen aliud etiam significat, scilicet pecunias illius, & opes: quoniam, ut rostrum, sunt uitæ necessaria. Ex ungulis aut rostro facta esse manubria gladiorum, aut alia artificia, est conuersam esse uim ad industriam. Calcaria gallorum, dignitatem hominis referunt. Plurimum creuisse pilos in animali, est pecuniosum illum esse, & ob id tutiorem. at creuisse rostra, ungues, & similia, est præparatum esse ad pugnam. at commutata esse quæ uni conueniunt in aliud, ut cornua equis, solidæ ungulæ bobus, est potentiam plurimam ob imprudentiam reddi inutilem.

Pellem, pilos, cornua, ungues, stercus, ac generaliter singula commutari in naturam animali haud conuenientem: ut si sint aurea, uel ferrea, uel lutea, uel cretea, lignea ue aut lapidea: nihil horum bonum, nisi in ferrum, ob duritiem: uel in aurum, argentum ue. tunc enim robur illius in pecunia futurum existimabis.

Caput XLI. De hominum generalibus differentijs.

GEnerales hominum differentiæ aut sumuntur à specie, aut à partibus ex quibus componitur. A specie, uel à regione, uel religione, uel lingua, uel perfectione, uel proprietatibus quæ cum perfectione sunt, euariant tamẽ: ut obesus, pinguis, magnus, pulcher, candidus, robustus. A perfectione, claudus, surdus, cæcus, monstrosus. Dissimilia omnia, cum non ad idolum referuntur: si simplicia sint, ut regio, negocium & hominem ualde diuersum significant. Si lingua, impeditum: si religione, cum contentione & insociabile.

Imper-

Imperfectum uerò omne absurdum. Surdus, inexorabilem: mutus, mendacem: cæcus, ineptum, contemptoremq; tui: neque enim cæci quenquam honore afficiunt: claudi, deceptorem, tardum: gibbi, dolosos: strabbi, perfidos. Aetates, sexus, magnitudo, omnia extrema & inconcinna mala.

Quæ uerò ad hominem pertinent, sunt corpus & anima, & facultates atque operationes. De anima quidem dictum est: corpus uerò, fundamentũ atque uehiculum indicat. Facultates autem, potentiam, dignitatem, opes, & omnia quibus homo iuuatur. at functiones operum perfectionem, & absolutas res significant. Sunt autem partes generales, principales: caput, pro dignitate & potentia & sapientia: cor, pro uita, filijs, amore: iecur, pro opibus: uirga, pro existimatione, & efficacia in negocijs: pedes, pro fundamento omnium: uenæ, nerui, arteriæ, & uasa, pro his quæ inseruiunt. uenæ, unde colligitur pecunia, & quæ seruatur: nerui, omnes auxiliatores potentiæ: ossa, unde robur & consanguinei: arteriæ, animum & efficaciam.

Caput XLII. De proprijs partibus hominis.

CApilli & pili significant diuitias, cognitos, uestes: & faciliter fluunt & cadunt, crescunt & renascuntur in Principe, tum subditos. Dentes, significant totam familiam: & qui non sine sanguine cadunt aut uitiantur, coniunctos: qui sine, amicos aut familiares tantum. Diuiduntur multifariam: dextri masculos, sinistri fœminas, superiores masculos & maiores, inferiores fœminas & natu minores: anteriores, iuniores: posteriores, natu grandiores: oculares, id est qui & canini, propriè filios significant. Si ergo anterior dens sine sanguine cadat, morietur filius amici tui. Dolor quoque, significat coniunctos & amicos ualde: si sine dolore, familiares, clientes, domesticorum quempiam. Dentes omnes cecidisse, aut perditionem familiæ, aut exilium, aut longissimam uitam nunciat. ualde senibus enim omnes tandem cadunt dentes. Multæ manus, opificibus & probis uiris bonum, flagitiosis uincula significant: ut etiam pili ex articulo manus enati. Pili è palma nati, ocium portendunt. Plures digiti, operarijs rerum subtilium bonum, reliquis uulnera: nam ad illa chirurgi multis digitis indigent. Dextra manus, quæ parantur bona significat: sinistra, quæ parta sunt. paucitas digitorum, impedimenta & opera imperfecta significat. Pectus, arcana significat. In eo uulnerari, iuuenibus amorem, senibus malum nuncium prædicit. Diuidi pectus, & aperiri, arcana detegenda nunciat. Plures habere pedes, morbos longos uel cæcitatem significat: nam ijs indigent cæci, & huiusmodi casibus afflicti. Aquam è pedibus fluere, significat hydropem, aut damnationẽ ad triremes. Sed pedes amburi, omnium euersionem præsagit, filiorum, opum, domesticorum. Caput

habere egregij alicuius animalis, significat maiora negocia quàm pro uiribus aggressurum: equi autē, aut asini, labores magnos: canis, maximam solicitudinem: bouis, capræ, ouis, capite plectendum nunciat: & similiter suillum, sed hoc flagitia etiam significat omnia enim hæc animalia malleo occiduntur, aut iugulantur. Hoc etiam significabunt cornua in capite enata. Viscera omnia extracta uidere, patefieri arcana nunciat, aut perniciem omnium domesticorum & filiorum. Intus uerò sua uiscera inspicere, bonum est ei qui suis meruit: securi enim erunt. alijs metum & dolorem incutit. Crura significāt consanguineos. Cui crus abscißum uidebitur, consanguineus eius in longinquas regiones ibit, nec amplius reuertetur: aut in arte sua maximum patietur detrimentum. Cui impinguabitur, ditescet ipse, aut consanguineus potens fiet. Cui crus fit aureum, nobilitabitur in arte, uel eius consanguineus potens fiet: si ferreum, erit inuictus, aut consanguineus gloriam ex fortitudine adipiscetur: si uitreum, diffidet in arte sua, uel consanguineus in magno periculo erit. cui crus extenuabitur, ulcescet opinione in sua arte, aut consanguineus euertetur è potentia uel dignitate. Cui crus depilabitur, amittet fautores suos, aut consanguineos. Cui tibia, loco cruris, eadem de facultatibus dicenda erunt quæ in crure de arte diximus. Et ita de alijs. Dentes ægris si cadere uideantur, salutem significant: si tamen omnes exciderint, mortem. Si dentes inæquales euadant, aut homo sibi uideatur modicum sanguinem sputuere, seditionem in domo portendit: illud quidem ratione, hoc obseruatione frequenti cognitum. Dentes ferrei crudelitatem significant, & robur uitæ, & inopiam: dura enim inopes mandere coguntur. Aurei autem, magnificum apparatum: eburnei, comptum: sed utrique parum boni significant. Lingua tumefacta, ob sermonem iacturam passurum significat. resoluta, & magis si ablata sit, miseriam: nam pauperes hiscere non audent. aut carceres, uel impedimenta plurima decernit. Pilos in lingua habere, mortem, aut morbos, aut impedimenta magna prædicit. Significat & maledicentiam. Idem eademq; omnia significant pili in quauis parte oris enati. & nigri, uelociorem euentum horū rubris, & rubri albis. Casus pilorum significat timorem uehementem, uenenum aut luem: ex his enim pili uniuersi cadere solent. Refert Scribacam, quòd cum Scribachij, id est Scribam doctori quidā dixisset, utdisse per somnū, excidisse pilos omnes præterquam genitalium: respondisse, id significare calamitatem in omnibus, præterquam mulieribus. quæ & euenit. Alteri uerò, cum dixisset, uisum sibi pilos crurium creuisse, quos sibi forpice præcideret, paupertatem & ruinam prædixisse. Barba longa, si compta fuerit, aut otiatem & lucrum significat: sed si inornata fuerit, morbos & squalorem.

Pili

Pili narium, tædium & molestiam à principe, uel potentiore. Quòd si eos euellat, liberabitur, sed non sine labore, dolore atque iactura. Significant etiam infamiam hi pili.

Magnitudo capitis, significat potentiam: manuum, felicitatem familiariũ: uentris, opulentiam: pedum, uitæ longitudinem. contraria, contraria. atque hæc, si diu permanere uideantur, & citra morbum. cum morbo uerò eiusmodi erunt, sed non sine molestia. colli magnitudo, robur uitæ. Magnitudo pectoris, consilium & prudentiam. occlusum atque impeditum os sic habere ut deuorare non possit, mortem nunciat repentinam. Oculos habere magnos, bonum & decorum, ac filijs utile. Oculo priuari, est filium amittere. tres habere oculos, est augeri filio uno, uel nepote ex filio. si ætas non admittat, sed is uel unus eorum qui iam sunt, breui morientur: quoniam præter naturam est habere plus quàm duos oculos. Paulo antè quàm nasceretur nepos ex filio, uidi in speculo me habere tres oculos, inde quatuor: paulo pòst natus est nepos, & statim mortua est neptis, eius soror, & filius. & ita duo loco unius periere, ut somnium ostenderat: at ego antea intelligere non poteram. Nasus ad decorem magis quàm ad opus pertinet, quia hominibus parum usum præstat. Ideo nasus autoritatem significat. Naso carere, lethale, præsertim ægro: nam caluariæ eo carent. Duplicem habere, dissidium inter domesticos: est enim res nostra. Nasus etiam religionis cultum notat. Oculi etiam parentes significant, per illos enim lucem uidemus: & fratres, ob similitudinem: & religionem, quia ea prospicimus uitam. Cyclopem factum esse, declarat hæresim patefactam: aut magnum aliud dedecus, uel etiam in parentibus uel filijs uel fratre. Et certè oculi pietatem, qualis sit, declarant. Mandibulæ duæ significant totam domum: inferior, minores, & minus nobiles: & superior, maiores, aut nobiliores: ita ut inferior significet nobiles iuniores, & ignobiles seniores: superior uerò, maiores natu nobiles, ignobiles uerò iuniores. ab inferiore etiam, propter dentes anteriores. Conuulsam ergo esse maxillam unam aut ambas, ruinam domus totius aut partis significat. at si solum luxata sit, erit tota domus in dissidio, & penuria rerum domestici ac dominus laborabunt. Corruptam esse maxillam, & putrefactam, ualde malum est: aut enim peribunt, aut uitijs corrupti euertent domum.

Ozæna in naso morbus est, seu polypus, infamiam grandem significat: nõ solum de se malè, sed magis de suis familiaribus atque coniunctis audiet. Nasi uerò partem amputatam, dedecus maximum, & publicum: auris autem, magis tectum significat.

Mandibulas citra morbum intumuisse, significat, familiæ sine utilitate,

imò

imò potius cum incommodo incrementum. At nasus si creuisse uideatur cum proportione & decore, auctoritatem significat. at si turpiter, commoda re malè usurum, & deformes prædicit actiones.

Pectus habere amplum, sed decens, multam significat prudentiam: at indecens si fuerit, multorum flagitiorum conscientiam. Pectoris morbo ægrotare, est imprudenter se gerere. Tussi uexari, est conari se exonerare malefactorũ conscientia. impediri respirationem, est impediri ab actionibus quas facere decreueras. Pectus ferreum factum esse, siquidem aptè moueatur bonum est, & significat prudentiam & fortitudinem: lapideum & immobile, inopiam omnis consilij & auxilij, ut quò te uertas nescias. iuxta illud, Cũ te marmoreum fecimus. Pectus uitreum, stulticiam, uitæ periculum, deiecta consilia. aureum uerò, ei qui habet, ob grauitatem damnum & curas nimias affert: tusticia tamen & probitate insignem demonstrat.

Lingua ferrea, significat acumen in dicendo, & inuictum in perorando: aurea, eloquentiam cum grauitate, si aptè moueri uideatur: aliter ineptum & superbum. lapidea, inutilis prorsus est.

Partes omnes significant secundum propriam operationem, ut crus ambulandi, & pes sustinendi. & secundum proportionem ad totum: ut caput, dominum domus, & parentes. & iuxta substantiæ naturam in patiendo facile aut difficulter: uelut ossa firmitatem, caro morbos prænunciat. Et adeps, personam inutilem in domo. Et omnia quæ personas uiles significant, facilius transeunt in significatum affectus.

Buccas habere inflatas, est iniuriam egregiam & manifestam pati. Testes tumidos habere, est grauem curam habere pro filijs, aut uxore, uel concubina. Membrum uirile in immensum creuisse, est filium patri non leuem, & cum infamia exhibere. Si autem langueat, deterius est: nam patri robur deerit, & filius ipse ignauus & omnino deses erit.

Humerum habere aureum, est potestatem habere insignem: eburneum uerò, potestatem ex uirtute partam. Adamantinum, significat regnum: est enim humerus robur actionum, & locus qui ornari solet. luteum, creteum ue habere, omnibus malum est admodum. uitreum, magistratum habenti periculum amissionis dignitatis, non habenti casus status: & si ciuis sit, ne inter ciues habeatur.

Cornua habere animalis quod iugulari soleat, significat periturum supplicio capitali. nam hi qui sic, moriuntur ut boues uel capræ uel oues. Ramos ut arborem emittere, est filios stolidos generare. Brachia habere lignea uel lapidea, est uinctum esse, aut resolutum: ferrea uerò, aut amputata esse, aut

inimicitias

inimicicias subire capitales, aut triremes, uel laborem maximum. Eadem fermè de cruribus, uel ad domesticos referatur. Sed ad significatum propriũ tunc transferendum est. Sic si uoluisset dicere Artemidorus, non male dixisset, cum ait non esse ænigmata somnijs immiscenda. aliter rudis uiri dictũ esset, & eius qui nõ solum ignorat multa, sed uiam præcludere nititur ulteriori inuẽtioni. Cap. 15. huius, reg. ul.

Membris destitui, semper malum est: quia non solum functionem, sed etiam facultatem aufert. Tribus in casibus bonum est. uel cum excessum adeò magnũ significat, ut omnino ad munus redire non possit: ut si magistro ludi literarij somnium eueniat, quo lingua sublata uideatur, fiatq; à secretis regis: neq; enim potest ob dignitatem ludimagister amplius esse. Vel quoniam male exercetur: ut carnifici uel furi amputatæ manus uideantur, nam emendando uitium hæc impotentia utilis est. uel significando perpetuitatem cessationis, non impotentiam: ut sutori hæreditas opulenta eueniens, amputatione manuum significata. Multitudo uerò membrorum uel ad necessitatem reducitur, & tunc mala est: uel ad impedimentum, & tunc non adeò mala: aut ad operationem, & tunc bona est, unde multa capita dissidium in regendo significare possunt: aut quod est non esse muneri sufficiens, & hoc etiam deterius: uel in consulendo affuturum auxiliatorem alterum tanquam ipsummet, aut alium ducem in auxilium uenturum, & hoc est bonum.

Caput XLIII. De affectionibus.

Affectiones dico, omnes quæ sine exteriore fiunt mutatione. Sunt autẽ, cogitare, intelligere, memorari, imaginari, timere, sperare, lætari, tristari, amare, odisse, inuidere, irasci, misereri, cupere, spernere, dolere, & uoluptate affici, calere, frigere, famescere, sitire, dormiturire, micturire, cacaturire, & similia. Omnia hæc primùm suprà causam suam significant. Timor iram principis, inimicos potentes, litem, grauem morbum. Spes, iucundum initium, lætitia, causas suas, uelut nuptias suas aut fratris aut filij, aut ortum filij. Mœror, luctum, aut pecuniæ amissionem: quoniam proximæ idolo sunt huiusmodi uisiones.

Tristari ergo ob nullam causam, idolum est, et ueram tristiciam significat, sicut etiam irasci: quoniam commutare non potest.

Amare, est dolere, quoniam amor genus quoddam est doloris: & ob amare & amari, quæ dictiones quasi eædem sunt. propriè autem amare, amissionem significat: amissa enim semper magis amamus, præsertim nuper, quàm quæ possidemus.

Odisse eâdem ratione, quæ de tristicia dicta est, si nesciamus quid sit quod

odio habeamus, nec cur, uerum ostendit odium. Verùm si odio uideamur ali/quem per somnum prosequi, qui in uigilia ignotus sit, errasse nos, nosq; ipsos odio dignos esse ostendit: ideóque nil mirum si iustè nos odimus. odisse notum, damnum & iniuriam ab eodem significat: sic enim meritò illum oderimus.

Lætari, ut dixi, absq; causa, lætitiam significat: & ideò supra causam aliquam reflectitur. at lætari ob pecuniam, gratia exempli, mœrores, ob causas quas pecunia inuenta declarat. unde duplex in omnibus consideratio. Exem/pli causa, cũ lætari ob aliquid proponatur (aliter, ut dixi, species idoli est) causam lætitiæ eam esse oportet, ut pecuniarum inuentionem. at lætaris, quia in/uentam existimas pecuniam: at inuenta non est: falsa igitur est causa lætitiæ: tristitiæ igitur causa est alia per uigiliam. Contrarium enim lætitiæ est tristitia, & iam causa lætitiæ falsa deprehenditur & supponitur: causa igitur e/rit tristitiæ. & quoniam lætitia falsa & uera tristitia conuertuntur, & in idem incidunt, etiam causa falsæ lætitiæ cum causa ueræ tristitiæ coincidet, quæ est inuentio pecuniarum. Qua ergo ratione pecuniarum inuen/tio lætitiam significabat, opposita significabit tristitiam. habebimus ergo ex hoc somnio duas inuentiones tristitiæ ob lætitiam, & causarum tristitiæ ob causas lætitiæ. Quæremus ergo causas duplices, & oppositas causis lætitiæ in pecunia inuenta, utpote posse explere uota quæcunque etiam erunt, destitui spe explendorum uotorum: & quæ propriæ sunt pecuniæ, ut labor in parando, & solicitudo in custodiendo, & anxietas in distribuendo, ut satisfacere possis cupiditatibus tuis. Præter hæc sunt causæ, quæ etiam per somnum adijci solent in inuentione, ut ne quis uiderit: aut quod ferre non possit, timeat que ne quis alius superueniens eum detegat: aut per uim eripiat, aut etiam occidat. Sic ergo habes tres causas, quare affectus cum causa, quia causa, tripliciter in contrarium uergit: tum quia non adest, tum quia ipsa per se etiam contrario affectui aliqua ex parte assimilatur, tum quia in adipiscendo contrarium mouet affectum, illum significat, non quem in somno experimur: & causas esse ex triplici genere à causa sumendas. Voluptate igitur affici, iuxta ea quæ dicta sunt significat dolere: ut dolere, uoluptate affici. Verùm hæc corporea sunt, & ideò ambigua: utrumque enim per utrumq; significatur. Et uoluptas quidem, quoniam causam coniunctam habet, ex genere idoli est: sic etiam dolor. Et si remaneant soluto somno pro idolis habentur.

Misereri, ut suo loco dabimus exemplum, luctum significat: & malum somnium

nium est, quoniam non potest ad contrarium uerti. est enim in medio: sola extrema conuertuntur.

Irasci contrarium est misericordiæ: significat, iniuriam accepturum. Significat & inuidiam, quoniam ex inuidia ad iram homo prorumpit. est enim inuidia leuis ira. idem significat indignari. ergo omnia hæc exaltationem inimicorum, iniusta facta, mœrorem atque tristiciam significant. Cum uerò huiusmodi affectus in anima sint, ad ea quæ per animam significantur accommodari debent. Velut ira, ad uxoris iustum dolorem, uel amici singularis. Significat & morbum qui uitam conturbat, ut ira animam. Cap. 14.

Inuidere est, fœlicitatem in proximis uidere, seu amici sint, seu inimici. Et rursus inuidere, est cupere: ut cupere inuidere. Significat etiam dolorem & animi & corporis. & hæc eadem transferuntur ad filios & uxorem. Sed & amissionem portendit opum, libertatis, sanitatis: ob hæc enim inuident mortales.

Cupere & spernere quandoque, cum extrema fuerint, in contrarium transeunt, ut unum pro altero accipiatur. Cupere propriè amissionem rei, quæ non potest redimi, significat: & ob id luctum inuidere, est pro honoribus & facultatibus. Et cupere equum, est cupere honorem, & contemnere pari ratione. Et cupere asinum, est cupere opes. sed cupere uisum restitui, est priuari filijs: cupere mulam, aut artem propriam posse exercere, est uxore priuari. cupere animam restitui., est filium aut uxorem perdere: Cupere honores, est equum desiderare. Cupere opes, est uentris morbo uelle sanari.

Sperare atq; timere ex equo, cum sint affectuum principes, unum in aliud conuertitur: & ambo dolorem significant. sed spes longè deterior est quàm timor, & maximè si rei amissæ sit. Inanis est omnis somnij affectus: unde uanam spem significat. Timor tamen magnus, ut loco suo dicetur, exitij signum est: adeò ut timor ad exitium, spes ad luctum magis pertineat.

Intelligere, cum sit res prope animam, plerunq; ad idolum pertinet. Multi multa per somnum didicere, ut de Hasen refertur. Et ego aliqua, quamuis exilia, didici. Est autem intellectus prima seu perfectissima animæ operatio: & ideò intelligere significat Dei uenerationem & pietatem. Sapientia enim & Dei cultus se mutuò referunt.

Memoriæ mandare, est colligere minutim: & minutim colligere, memoriæ mandare. Et discere quæ iam didicisti, inanem & superfluam curam. Et memorari eorum quæ didicisti, est ordinare quæ iam habes. Et recordari ad

præterita pertinet: & est operam dare historiæ. Et significat monumentum & sepulchrum memoria, à communi nomine μνῆμα: & intelligentiam, & diuinam sapientiam, ac poesim, à μνημοσύνη: & animi tristiciam ac dolorem, à μνυμύω, quod est tristis incedo. Et hæ omnes significationes à rei ipsius natura, non solum à nominum similitudine pendent. nam qui recordantur, quasi tristes degunt.

Cogitare & ratiocinari, hominis proprium est. & significat multitudinẽ et magnitudinem curarum atq; negociorum. Est etiam, opera omnia mentis exercere. & ut memoria est præteritorum, ita cogitatio præsentium, imaginari futurorum. Significat deliberare, iudicare, dubitare, insidias parare, machinari, esse solicitum in metu, in periculo: & promptitudinem, ac esse præparatum ad negocia.

Imaginari, significat præparationem ad futura & imminentia, & graues curas, quibus cogimur imaginari exitum. Sed & fingere aliquid: tum omne genus effingendi, picturam, plasticen, scripturam, cælare, texereq;.

Quicunq; affectus desiderium ostendunt, earundem actionum de quibus dicemus indigentiam, quatenus ergo bonæ sunt, significant: ut esurire, paupertatem, & lucri cupiditatem: edere etenim est lucrari. Omnium horum maximi sunt, misericordia, & post metus causa exclamare, et magis si surgere cogat. Et quicunq; in uigiliam usq; extendũtur, præter eos qui cum desiderio sunt. nã hi si etiam uigilantibus nobis permaneant, affectum indicant esse naturalem, & non uisionem. Animi affectus corporis morbos, & etiam eorum qui ad nos affectus significare solent.

Caput XLIIII. De actionibus & passionibus.

ACtiones, ut dixi, sunt, quæcunque extra mentem extenduntur, nec tamen operantur certa ratione: ne artes includamus. Prudentia quidem non propriè operatur, sed agere docet. Opera igitur alia sunt sensus, alia actiones, alia passiones. Non est hic locus de nominibus disputandi: satis est, quòd per actiones uolo intelligi, quicquid homo agit, aut patitur, quod possit ab alio uideri, uel sentiri: non tamen sit artis exercitatio, ut fabrilis, aut citharistiæ. Primùm ergo erunt opera quinque sensuum. Deinde motuum: & hæc diuiduntur in actiones & passiones. Et plura quæ ad actiones pertinent, habent suas passiones: ut uerberare & uerberari, uulnerare & uulnerari. Quædam non habent: ut currere. sed quædam, quod in alio est, ad seipsum transferunt: ut ridere & irrideri, plorare & plorari. At non dicimus

currere

currere & curri: hoc enim præterquam quod est præter linguam latinam, est etiam inusitatum. Ergo distinguamus euidentiora illa etiam per species, distinguentes in tractatione: uelut uerberari baculo, lapide, flagello, uirgaerunt igitur, uidere, audire, olfacere, gustare, edere, bibere, uomere, mingere, egerere, tangere, concumbere, ridere, titillare, plorare, lamentari, suspirare/loqui, clamare, singultire, percutere, uulnerare, ambulare, currere, psallere, salire, equitare, luctari, uenari, piscari, aucupari, canere sine arte, tussire, pandiculari, eructare, pedere, natare, sternutare, dormire, uigilare, respirare, pulsus arteriarum percipere. Præterea suspendi, interfici, lacerari, capite plecti, uerberari ab equo, torqueri, orare, supplicare, mentiri, oscitare, sedere, stare, stertere, sudare, à canibus lacerari, pugnare, uolare, ludere, proprie mori, resurgere, decipi, fraudare, litigare, ægrotare, uereturn tēdi, parere, acquirere, amittere, spoliari, ui exuere uestes, atq; induere: honorari, contemni, irrideri, sibilare, exsibilari, fugere, persequi, ascendere, descendere, increpare, secare, comere, tremere, dentibus stridere, iacere, lauari, fricari, imungi, testamentum condere, furari, latrocinari, fodere, uehere, blandiri, adulari, tondere oues, ornari, ciboscq; præparare.

Titillare ergo est, mœrore afficere: quoniam lætitiam & risum gignit, & uim infert. Cum quadam nocte curarem infantem, uisum est mihi quod titillarem eum, & ipse me uicissim. intellexi moriturum, ex hoc somnio. mane igitur sequenti mortuus est.

Osculari, significat beneficium conferre: sed si Veneris causa, beneficium recipere. Quidam ergo cum somniasset, scortum ignotum formosum ueneris causa dissuauiari, & cum mihi id narrasset, respondi, ab ignoto breui utilitatem habiturum: quod ille uix credere poterat. Eadem die aduenit ignotus, qui illi multa pollicitus, præter omnem spem, magnam partem eorum, non tamen omnia præstitit. Quia enim concubitum admittit, actum exhibet: actus autem ad beneficium refertur, quia cum uoluptate fit.

Verberari & conculcari, fiunt & sine dolore, & plagis, & cum alterutro & cum utroq;. Conculcari contumeliosius est, sed sine plagis fit, & sine dolore, uel cum paruo. plurimum autem differt qua conditione sit, nobilis aut senex: sed hoc suo loco dicetur. Conculcari ab amico, bonum non est. Verberari, est admoneri. & cum plagis, erit cum utilitate: uel illius causa sumptum facies. at ab inimico, citra dolorem & plagas, significat iniuriam, infamiam & dedecus: si cum plagis, damnum: si cum dolore aderit, tristicia & anxietas maxima. Considera etiam imminentia. nam si homicidij reus sis ab amico monitus, euades periculum: aut captus pro capitali supplicio, in exilium

mittêris. Quòd si nec amicus sit, nec inimicus, qui uerberat. sed notus, tamen læderis, iuxta rationem hominis & faciei: aut iuuaberis à persona cognita, aut amico, sed non amici officio fungente: aut lædêris ab inimico, sed non ita ut timuisses. Ab incognito autem si uereris, tractationem incognitorum consule. Quòd si cognitus homo ille partim amicus, partim te læserit aliàs, aut maledixerit: iuxta qualitatem utramq; pro magnitudine iudica. Sceptro à rege uerberari, est ab illo beneficium recipere.

Inungi, morbum grauem significat: & si oleum redoleat, gratiam apud principem & populum ex bonis operibus: si grauiter oleat, infamiam & indignationem: In facinorosis tormenta, in pluribus sacerdotium: in his qui ex regia stirpe sunt, regnum. unguntur enim sacerdotes & reges: & qui unguntur, uinciuntur, ut etiam flagitiosi capti.

Volare, spem significat. Et uolare pedibus antè extensis, ut ego soleo, præposteram, & animi curam anxiam. Volare ad cœlum usq;, uel ad nubes, nec redire, mortem proximam cum laude. Volare ad tectorum culmina, spem de re quæ possit haberi: aut præbiturum admirationem. Volare, nec habere alas, rem incongruam, nec diuturnam. Volare & cadere, ualde malum est: amittet enim certa pro incertis. Volare, & baculo ferreo inniti, est spem tuam à potenti uiro foueri. Diu & in longum uolare, est iter facere pro uolatus ratione.

Saltu perpetuò se in altum attollere, est magnis conatibus ac laboribus parum aut nil proficere. Salire uerò super montem, & cum agilitate, significat prosperos successus.

Vulnerari, est laborare ac dolere. quòd si sanguis in terram effundatur, est operã & oleum perdere: sed si super uestes, lucrabitur. Si in utrumq;, lucrabitur, sed non tantum. Vulnera sicca mala sunt, quod contra naturam sint: ideò inopiam necessariorum significant. Vulnerari, uerberari etiam, & conculcari, iuxta conditionem illorum à quibus hæc pateris interpretari debent. Martha Motta quoties somniabat à medico se uerberari, medicamentum sumebat ab eo ex quo lædebatur. erat enim ille asinus.

Concubitus significat uoluptatem propter delectationem, utilitatem propter coniunctionem & tædij solutionem. significat & beneficium, propter id quod semen suum effundit. Coire cum uidua nota, est consequi partem hæreditatis illius, uel alterius, uel ab illius hæredibus: cum ignota autem, suo labore alteri pecuniam parare. Quòd cum cuidam casu qui id somniauerat exposuissem, essetq; lusor, rogantibus ut luderet, recusauit, seu ob somnij perplexam interpretationem, seu quòd pecunias non haberet. Dum ergo astans quidam

quidam rogaret, ut de sua pecunia luderet, lusit, & uicit pro illo grandem pecuniam. Et ita dum uitare uult somnij prædictionem, impleuit. Cum masculo concumbere, est rem absurdam, & cum periculo facere. Et si semen emittere uideatur, ob id in capitis discrimen uocabitur: propter homonymiam uerbi corrumpi, quod & putrescere, & semen emittere significat. Qui cum mortuo concũbit, si noto, illius hæredibus ferret auxilium: si ignoto, inimicum superabit. Qui cum infante concumbit noto, nec emittat semen, ægrotabit infans ille: si emittat, etiam morietur. Si autem ignoto, auxilium feret impotenti, aut damnum, absurda ratione. Cum diuis coire, est breui mortem oppetere, aut religioni se adijcere. Cum mortuo etiam concumbere, persæpe mortis propinquæ signum est. Cum uxore, amica, uel pulchra muliere concumbere, tædij solutionem, beneficium, gratiam, amicitiamq; significat. Concumbere cum pulchro puero, significat actionem specie pulchram & iucundam, uerùm periculosam, inutilem & infamem: ut sunt poetica studia, chymica, ac similia. sed cum deformi, uel uiro uel anu, enormes. Seipsum inire, est tormenta pati maxima: uel negociorum significat confusionem, aut cum coniunctis commisceri. Misceri meretrici ridiculum est, & paruum sumptum cum uoluptate significat. at misceri in lupanari, nec exire posse, mortem prædicit. Velle concumbere, nec posse, est frustrari uoto. Intri omnibus absurdum factum & contemptum significat: est enim succumbere. Deterius, à uili persona. Inire domesticos, bonum est: uoluptatem enim ex rebus suis ac fructibus earum capiet. Inire diuitem & seniorem, lucrum significat: pauperem & iuniorem, iacturam. Masturbari, significat familiarem inire: cum manu, id est ministra nostra uoluptatem capimus. Masturbare alium, si ille filios habeat, & hic aptus sit, fiet pædagogus filiorum eius. At cum rarò contingat ut omnia adsint, turpe obsequium alij præstabit. Narrat Artemidorus, quòd cum quidã uidisset sibi ab hero uirilia duci, alligatus columnæ fuit, et ab eo flagellatus uehemẽter est. nã pro semine sanguis, et pro uoluptate dolor significabatur. Inire cõiunctos, factũ absurdũ, odio plenũ, turpitudinẽq; ac cõtemptum significat. Solũ patri pauperi diuitem inire filiam, bonum: ab ea enim aletur. quamuis factum hoc uituperatione nõ carebit: sed pietate excusatur. Inimicos inire, bonũ. aut enim illos superabit, aut cũ illis reconciliabitur.
237. hoc tamen propter legem, cũ quadã infamiæ nota erit. Cũ matre uiua concumbere, etiam bonũ est: nam naturam propitiam significat, et ægris salutare est. Coire cũ minus amicis aut familiaribus, est illos in domum recipere: sic enim cum illis coimus, uel fœdus cũ eis contrahemus. Coitus omnis auersus, præsertim cũ muliere, significat illius ad somniãtẽ odiũ: est enim auersari somniãtem.

Seipsum

Seipsum fellare, mortem propriam filiorum, amicorum, uxoris, & paupertatem summam ostendit. Dæmonem inire, aut astra, mortem præsagit: iniri autem à Dæmone, sapientiam, ab astro potentiam significat. Animalia rationis expertia inire, siquidem muta sint & sine uoce, similiter mortuam plantam aut animal mortuum, aut lapidem uel terram, lethale est. Inire animal uenenatum, est uenenato poculo perire. idem significat, ab huiusmodi iniri. Inire animal uocale, sed inutile, dedecus, anxietatem, pericula: atq; eo maiora, quo magis ab humana natura recesserit, significat. At uaccas inire, oues, capras, asinas, camelas, sues, equas, est fructum ex eiusmodi animalibus capere: quamuis suem inire omnino tutum non sit. Inire plantam, est ex illa fructum capere: at iniri à planta, mortiferum est. Inire animalia mascula, est offendi ab illis. Cum fera concũbere, est improbo fauere: nam actus ille ad utilitatem refertur.

Testamentum condere, est arcana fateri, torqueri, grauiter ægrotare, longum iter suscipere, uitare uitæ institutum: pauperi tamen ualde bonum, quòd tales condere testamentum sine opibus non possint. ideò lucrum magnum significat. Sic seruo, exuli. damnatoq;.

Furto amittere aliquid, est re chara priuari. Cum semel somniassem amisisse omnia bona, inde inuenisse omnia præter gemmas & monilia, cum nihil tamen huiusmodi haberem: sequenti die aufugit puer, cuius sermonis elegantia mirum in modum delectabar. pòst mensemq; adduxit patruelem suum alterum puerum, sed ei non erat lepor sermonis: & hoc indicabat somnium ad unguẽ. amiserã enim rẽ nullius precij, cũ mihi (ut dixi) gemmæ non essent.

Mori est religionem ingredi, consilium mutare, legem abiurare in qua natus es, fœdari.

Foueam fodere sibi, aut fodi spectare, est domum exædificare. Viuum trudere aliquem in foueam, est causam præbere ut in carcerem trudatur, aut impediatur in suo negocio.

Scalpere, decipere: scalpi, decipi. nonnunquam expleturum insanum uotum exiguæ rei nunciat.

Suspendi, exilium, damnationem ad triremes, gloriamq; magnam prædicit. Si tu uel notus per somnium suspendi uidearis, negocium tuum diutius protrahitur. si ignotus, præferetur tibi aliquis cuius causa dolore afficieris. Gloriam enim cum magna anxietate significat suspendium.

Capite plecti, propriè exilium. alterutrum horum liberationem à cura, seruitute, carcere, morbo, exilioq; significat. mortuis enim nihil horum esse potest.

Natare,

Natare, semper morbum significat: fit enim cum labore. sudorem & pituitam refert, fitq; cum metu: sed longè deterius est in aqua turbida, in stagno, uestitum, loco & tempore absurdo: infortunium enim, præter morbum, prædicit. neq; enim quisquam cum uestibus natat, nisi uel inimicos fugiens, uel periculum ingens, uel si in aquam ceciderit.

Balneari indutum uestibus, morbum significat: quòd ægri sic balneum ingrediantur. si uerò aqua in balneo desit, irritos significat labores. Maximè hoc erit in his quæ ex multitudinis arbitrio pendent. Balneum quoq; nostris temporibus prædicit morbos, fœdum habitum, labores, tædium. non enim aliter ad illud accedere solemus.

Saltare solum, amentiæ signum est. nauiganti tempestatem, propter inconcinnum motum: ægro delyrium, cæteris facta impudentia ac stulta.

Nolam pulsare, autoritatem apud populum significat.

Cacare in locis publicis, conspectum illius loci prohibet. Seipsum autem stercore cõspurcare, aut lectũ, est ob facta turpia odiosum & contemptũ reddere: nec non ægrotare grauiter. huiusmodi enim grauiter ægrotantibus accidere solent. In templo autem, fœdius, & magis abominandum: iramq; deorum & impietatem somniantis significat. In locis occultis & consuetis id agere, leuamen curarum: & soluere æs alienum, & liberare se à graui onere, & occultè aliquid patrare. cacare intra caligas, est expensas coactas facere.

Pugna si cum uno committatur, litẽ aut coniugium significat. Victor si uidearis, in iudicium uocabis: si uictus, uocaberis. Quòd si uxorem pugna significet, fitq; hostis iuuenis, & bene armatus, & ornatus, duces formosam: si secus, deformem. Si eques sit cum quo pugnas, erit generosa, diues, sed stulta. arma autem, illius conditionem ostendent.

Talis ludere, consuetis & pueris læticiam portendit: alijs uacationem & molestias.

Latrunculis ludere, qui nescit, lucrum ex dolo, uel litem.

Furari, est mentiri, decipere, periculis se exponere, uoluptatem illicitam capere. bonum est ualde secretarum rerum studiosis. Melius etiam, si sacrilegium committere uideantur. bonum est hoc etiam ualde sacerdotibus: locupletabuntur enim. & uatibus: nam diuinabunt.

Mentiri, malum est: nisi his qui solent ex mendacio quæstum facere, ut causidicis et proxenetis, alijsq; huiusmodi. Mentiri autem suis, longè deterius: non enim nisi magnum ob periculum illis mentiri solemus, aut post magnam iacturam. Considerandum autem maximè de qua re mentiaris. nam periculum in ea, uel consimili erit.

Vehiculo subiugatum esse equi instar, morbum, seruitutem, laborem etiam potentibus prædicit. at contrà ferri uehiculo ab hominibus ducto, potentiam. Sed si uehiculum ferunt illi, non trahant, mortem significabit: quoniam mortui solùm nostra ætate feruntur. aut saltem podagram inexpugnabilem.

Videre, est agere scire, uoluptatem capere, cupere, & actionem ex alio ad se conuertere. uelut uidere ludentem latrunculis, est dolo & fraude subripi pecunias: quoniam, ut dictum est, ludere eo ludo eum qui nescit, significat lucrum ex deceptione. uisu ergo actio illa transit contra te. Ita uidere aliquem furari, est sibi mendacio imponi. uel etiam priuari charare: filio, amico, domestico.

Adulari, deiectionem animi, & sortem aduersam significat.

Coronari loco non conuenienti, dedecus significat. circa tales autem, etiam mortem: quòd mortuis ornari hæ partes soleant, maximè ex oliuæ frondibus, aut apio uel hedera.

Tondere oues, lucrum significat, si ritè tondeat.

Olfacere, est benedicere aut maledicere de aliquo, aut de seipso hoc audire: & hoc iuxta odoris qualitatem bonam aut malam, talis erit fama. Et est etiam tentare aliquid.

Audire, est pati, ferre, timere, sperare, expectare. & significat mutationem affectus, & dare operam sapientiæ, & prudenter se gerere. non dicitur autem in consueta operatione, qualis est hæc actio uel passio, nisi hoc agere animaduertat somniãs. aliter semper uidendi, & plerunq; audiendi interpretatio, cuilibet somnio adijcienda esset.

Gustare, est dolores & cruciatus, corporis maximè, sed etiam animi subire.

Mingere, est exsoluere se cura & onere. multa habet communia & similia cum egerendi operatione, sed leuiora & minora. significat et concubitum, ob similitudinem. Et egerere & mingere, expensas necessarias ostendunt: sed egerere maiores, ac quasi ex auro, propter colorem & soliditatẽ, & paucitatem. Mingere quasi argenteas, ob contrarias causas: egestio enim pecuniam & turpia lucra ostendit semper: at mictio seu urina pecuniam, & nonnunquam uerba probrosa.

Vomitus, pœnitentiam facti, restitutionem acceptorum, molestiasq; expensas.

Canere sine arte, irrisionem, ac ex ea tristiciam significat.

Multa uerò fiunt quæ mutuam transitionem significant: ut adulterari, est

ri, est clientem decipere, ueneficium facere, uel periurium, adulterinam conficere pecuniam, falsis tabulis subscribere, aut eas facere. horum unum quoq; in aliud transit. Significat & uenari, & aucupari, & hæc ipsum.

Arborem abscindere, est è necessarijs aliquem occidere, uel spem amittere de re concepta. Deterius est, cum autumno hoc somnium accidet rit, & cum folia: præsertim si per somnum folia decidere uideantur. Arborem autem plantare, est inchoare nouum opus, uel aliquem in domum notum contubernalem recipere.

Edere, est indigentiæ satisfacere. indigent ægri, pauperes, uincti, & generaliter calamitosi: ideo huiusmodi significat. Sed edere inconsueta, deterius etiam est. uerùmtamen edere hominis carnes, significat illum superare, & quasi ui pecunia illius potiri. Est etiam fraustum, edere carnes leonum & serpentum: nam edere est superare, & leo uirum potentem aut saltem fortem significat. & serpentum. per dolum & scelus potentiam sibi magnam parare, atq; admiranda patrare.

Bibere, hoc idem significat: sed indigentiam uehementiorem, et casum fortuitum, qui moram non patitur. Et explere desiderium uehemens, & potiri re ualde optata.

Lachrymari, risum significat: quoniam effectus perturbationem sequitur: & finis lachrymarum est risus, quia doloris est lætitia. lachrymæ autem dolorem finiunt. ita

Ridere, lachrymas & luctum prædicit. finis enim lætitiæ est risus: post lætitiam autem sequitur tristitia, ex qua luctus aut lachrymæ, & suspiria, atq; huiusmodi.

Irasci autem, non ita facilè explicari potest. sed effectus potius sunt inquirendi. Qui enim irascitur, aut secum, execraturq; diuos, aut increpat, aut uerberat. Verberare igitur, est uoluptatem explere. Et si amat quam uerberat, illa potietur. Eam uerò quasi iam potiris uerberare, ob id absurdū. frustratur enim hoc significato. Significat ergo alia simili potiri. si non, planè irasci. Seipsum interficere, est sibi similem, aut mori. hi enim persæpe (ut dici solet) mortis causam præbent, uel nimium cupiditatibus indulgendo, uel medicis non obtemperando.

Quæcunq; commutant, ut lachrymæ & risus, & uerberare, si in uigilia usq; perueniant (ut, dum de Idolo loquemur, dicemus) in idoli naturam & significatum transeunt. Cum tamen quidam amicus noster ad uigiliam usq; ploraſſet, nunciatum est, uxorem illi filiū masculum peperisse: ipsum quoq; in causa quadā adeptū quod sperabat: ea tamen bona, neq; fida, neq; tuta, sed in

malum conuertenda, ob ea quæ diximus, scire oportet.

Lamentari & suspirare, eadem quæ fletus: sed in hoc ab eo differunt, quòd fletus est fortium etiam, lamentari mollium, suspirare etiam fortissimorum ac sapientum. ob id lamentationes mortem & grauiora mala indicant, suspiria quandoq; solam amissionem bonorum uel exilium. considerare ergo oportet somniantis dignitatem & animum.

Tangere & attrectare, amorem aut emptionem significat. facilè est autem ex occasione distinguere. Significat & maledicere: ut tangi, maledici de illo. Inchoare, experiri.

Clamare, significat magnum infortunium, auxilium etiam implorare propter periculum imminens. Significat & dolores ac cruciatus, & stulticiam propriam uel suorum. Si cum lætitia fiat, & risu, non est malum. risus enim & actiones hæ, cum fuerint accidentia aliarum actionum, non semper transeunt in contrariam significationem: sed quãdoq; idem referunt. significat ergo risum, iocum, iter placidum, conuiuium, si adsit alacritas mentis.

Singultire, morbos significat: est enim accidens morborum. ægris mortem portendit: cæteris luctum, aut mortis metum imminentem. nam ex longo fletu homines singultiunt.

Loqui, ubi id tantum animaduertas, est petere aliquid: est enim familiaris actio. Sic &

Ambulare eadem ratione, rei necessariæ operam dare. Sed si celeriter, iam non est operatio familiaris: ideo significat ingruentem solicitudinem. Ab affectu ergo uel calamitatem, uel spem bonæ fortunæ interpretaberis. molliter autem ambulare, uoluptati operam dare.

Currere uerò, significat stultam operationem, ingruentem necessitatem, præcipites actiones, & cogitationes non consideratas. Sed in equo currere, mortem, præsertim albo, propter tres causas. motus similitudinem: mors enim celerrimè aduentat, ut iuxta illud Senecæ, Properat cursu uita citato. Et ob periculũ mortis, currẽte equo: et quòd mors albo equo insidẽs pingatur. Psallere parum differt à saltare: sed est ita diuinis operam dare, ut negligat humana, & ob id in contemptu sit. Significat & ea causa phratriam ingredi.

Luctari, est grauem pugnam subire, seu litem seu inimicitias exercendo. Et significat robustam ualetudinem, periculosam tamen. Significat & mori, unde Ineluctabile fatum. nos enim luctamur cum morte: sed cum præsens aduenerit, semper succumbimus. aliàs euadimus.

Piscari, aucupari, uenari, est homines decipere, insidias struere, & pugnare

pugnare cum spe victoriæ, & sine periculo uitæ: nisi sit uenatio ursorum, leonum, pantherarum, aprorum. Piscari autem, magis lucrum & lites significat: aucupium, futuras spes, & plerunq; inanes, ac uoluptatem: uenatio, præsentem negociationem, & cum labore magno mistam lucro, honore ac uoluptate: sed ad honorem magis spectat. Qualitas animalium docet, contra quos pugnabis: ea autem multis capitibus superius est declarata. Venari animalia domestica, est iniustam exercere contentionem, ac suos fraudare.

Tussire, est morbi signum: & significat lucrum non rectè factum. Solent enim edentes properè, & loquentes, in tussim incidere. Edere autem, est acquirere. Tussire est ergo, ex importuna acquisitione molestiam pati, & dedecus subire.

Eructare, est uerba effutire turpia sine ratione, & quæ uituperationẽ atq; abominationem afferant.

Pedere cum malo odore, est efficere rem dignam infamia, et eam sponte publicare. Sine odore malo, est infamari absq; propria culpa, & sine facto turpi: sed solum ob mania uerba, & perperam emissa. Significat et dolores uentris: nam qui sic laborant, pedere solent. Significat & cruciatus magnos, ac metus ob congruentia.

Pandiculari, significat ocium, tædium, & carcerem breuem, & auditurum molesta.

Sternutare, prædicit capitis morbos, euentus inexpectatos, omen & signum à Deo: offensam ex auditu calumniæ, quam diluet: ideo liberationem à calumnia.

Dormire quid significet, longius est quàm ut hoc loco referri debeat. Vigilare quoque deceptionem significat ab alio, & incumbere periculosa, uel magna.

Respirare, laboris magni aut periculi aut longæ anxietatis liberationem significat. Magna respiratione uti, mortis semper periculum ostendit: aut homi nem uanis expectationibus maniq; opinione oppleri. Valde periculosum est, sic respirare: impediri autem, uinctis aut sceleſtis laqueum aut securim, alijs submersionis periculum prædicit.

Pulsum cordis & arteriarum percipere, est ægrotare: horum enim pulsus explorantur. alijs est, ad principis secreta admitti. Quibusdam, consilia hominũ inquirere: alijs, arcana naturæ.

Interfici, est liberari ab omnibus curis. Lacerari ab animalibus, siquidẽ nõ interfecerint, maledictis improborum discerpêris: si sanguis fluat, etiam in iudicium uocaberis. Si occidaris, per uiolentas calumnias tandem à cura libe-

raberis: aut in exilium, si sontem te senseris, mittêris, sed leuissimum. quia tale esse oportet, ut leuiore sis ibi cura, quàm domi in contentione.

Equi calce percuti, est, ut de boue dictum est: sed hoc erit, à uiro strenuo, et ab armis non alieno, iniuria atq; damno affici. si sanguis fluat, etiam iacturam rei patieris.

Torqueri, est orare in suggesto: & orare, torqueri. Supplicare, est uinci ac succumbere. Lacerari à carnifice, est opes ex lutibus dilapidari, uel gloriam consequi.

Menturi, est fraudare, furari, irridere: & irridere, mentiri: & irrideri, mendacio falli, uel suspici, atq; admiratione dignum uideri.

Oscitare, idem quod pandiculari, sed minus. Significat & ueneris desiderium, & incommodum corporis aut animi, uel utriusq;. Sudare, laborem & morbum & metũ. Sedere, laborẽ, sed minorẽ: aut longam expectationẽ. Stare uerò, breuem, uel paratum oportere esse ad ingruentem occasionem. ideò significat instantem necessitatem. Stertere, ocium, & grauem morbum.

Pugnare, litem. Ludere, seu iocari, pugnam. pugnare ergo etiam iocari significat, ut apud Poetam, cum dixit:

Pugnabat tunica se tamen illa tegi.

Resurgere, est omnia confundere, decipere, ad priorem uitam reuerti. Aegrotare, est impediri à negocijs, depauperari magistratum, & honores adipisci. nam ad hos accedunt homines.

Litigare, est pugnare, decipere, turbari. Amittere, est desiderio torqueri: & pro re personam.

Acquirere uerò, est onerari, molestias subire, implere desideriũ. Spoliari uiu, est uim pati, & grandine ac pruina pauperẽ reddi, itẽ exauctorari. Exuere aũt uestes, est ob uoluptatẽ negocijs ualedicere. Significat & exuere, curis oppresso molestiarũ leuamen. Et exuere uestẽ solitã, nõ animo uestiẽdi, mortem: ut alibi dictũ est. spoliari aũt per uim, occidi significat: & etiã à negocijs et exercitatione artis impediri. Induere uestes quid portendat, alibi dictum est.

Parere, duo significat: egregium factum, & rem magnam: aut rem diu meditatam ad effectum finemq; perducere. estq; optimum somnium, maximè magna molientibus. ut contrà utero gerere, molestiam, impedimenta, pericula, tædia, metusq; significat. Parere tamen rem absurdam, non infantem, tanto deterius est, quanto res ipsa à natura absona est.

Veretrum tendi, ad actionem propriam & filiorum refertur. Propriam, robur, uitæ alacritatem, desiderium uxoris, fœlicitatem, & amorem, gnauitatẽ in negocijs. filiorum, significat eorundem luxum & contumaciam.

He-

Honorari, contẽniq;, et exsibilari, si se habent. Pauperibus honorari calamitatem significat: nam in luctu, morbis, carcere, tormentis, casibusq; malis honorari, uel admiratione digni haberi solẽt. Diuitibus honorari bonas actiones significat, aut calamitatem, quãdoq; tamẽ magistratum: quoniam idolum non est, sed idolo tamen simile. Quod uerò contẽni significat exsibilari, grauius ac euidentius portendit: ut exsibilari sit palàm, & per summum contemptum sperni: exsibilare autem contrarium est quod exsibilari. Contemni ergo est, carere omni calamitate, & tranquillitati ocioq; studere: tum etiam longo morbo detineri, abdicare se à patria, & amicis spoliari ac coniunctis. Propriè uerò est iniustè premi.

Ascendere difficultatem, descendere facilitatem: ascendere dignitatem et incrementum, descẽdere contrarium significat. Persequi, est odio habere: calumniari, uincere. Fugere contraria horum significat. Fugere sine metu, est uitare aliquid frustra: nam operatio talis est.

Increpare, est imperare seuerè, odioq; habere. nam plus ostendit somnium, quàm audeat uigilia.

Tremere, significat incertam operandi rationem. Dentibus uerò stridere, metum magnum, aut iram, aut indignationem, quæ est species iræ.

Comere differt ab ornari: quoniam in ornatu res ipsæ pulchræ & pretiosæ adhiberi solent. ideo comere est fallere, studio leui operam dare, consumere tempus incassum: ornari autem, potentiam aut irrisionem præsagit, ut suprà de Coronatione.

Iacere, ignauiam, timorem, mortem, dolorem, desperationemq; ostendit.

Fricari, palpari, alios ei blandiri, tormenta adhiberi facinorosis (ob dolores enim fricari homines solent) ægrotare, concumbere. Blandiri, idem ferè quod adulari. Significat & humilitatem & uexationem, tum spem: sperantes enim blandiuntur.

Emere, est permutare, mutuari, deliberare, ebrium esse, & attonitum: Emere res necessarias & utiles, cum uoluptate, bonum: inuitum autem, significat impensas coactas, inutiles uerò & non necessarias, prodigalitatem. at contrà uendere inuitum, depauperare se, si res sint utiles uel necessariæ. libenter, res nõ necessarias, est ditari. non necessarias inuitũ, est à uita deliciosa ad quæstuariam transire. Emere etiam est, beneficijs amicum parare, si res quæ emitur rẽ significare posit: uendere autem, ob rem obtinendam illum amittere.

Caput XLV. De Sensilibus omnibus.

SEnsilia omnia pluribus, ut suprà uisum est, differentijs distinguuntur: ut quæ actu uel potentia talia sunt, aut magna uel parua, nobis uerò præter Cap. 35.

hæc

hæc quæ generalibus regulis subijciuntur, sufficiet tres adhibere distinctiones. quarũ prima est, quoniã quædã sunt sensilia gustus, quædam tactus, quædã uisus, quædã auditus, alia olfactus. Secunda aũt ad ordinẽ pertinet. nam quo ordine distinguuntur, eo etiam ordine sunt efficaciora. atq; illud tam in generibus, quàm in speciebus: quod etiam ubiq;, quoad poterimus, obseruabimus. talia tamen sic intelliguntur, ut paria sint magnitudine. Tertia, quòd sensilium alia solum nobis proposita sunt, alia posidentur etiam à nobis. Memineris etiam regulæ illius generalis: quòd alia posidentur, & posideri non uidentur: alia etiam uidentur: & alia uidentur, licet non posideantur.

Saporũ igitur species quatuor sunt: iucundi, tristes, misti, ac sine affectu. Iucundi sunt, dulcis & pinguis: tristes, amarus et acerbus: misti, salsus, acidus, austerus, astringens, acrisq;: sine affectu autem, insipidus. Mistorum quidam ad iucundum declinant: austerus primùm, inde salsus, pòst acidus & acris, qui quasi medius est inter suaues, insuauesq;. ubi enim paululum declinauerit ad magnitudinem, uehementer lædit. astringens uerò ad asperitatem prorsus declinat, & rarò ab amaro seiungitur. Amarus igitur sapor, & acerbus, si excellant, mortem significant: amarus quidem, quia mortem amaram solemus appellare: acerbus ob eandem causam, & quia etiam stupefacit dentes, & edere prohibet. mortuis autem stupor inest, & non possunt edere quicquam. At si neuter excellat, mortem significare non potest, quòd mors sit malum excellens. Mediocris igitur mortem coniunctorum, aut iniuriam, aut amissionem opum: paruus autem, dolorem animi prædicit. Acria, dolores corporis & luctum significant: exprimere enim lachrymas solent, ut cæpe & sinapis: homines autem maximè ex his duobus ad lachrymas excitantur. Sed acetum ex acri & acido mistum est, & familiare: ideoq; dolores utiles, & labores quorum finis iucundus sit, decernit. Acria autem, amara: ut piper rubrum, quod in siliquis habetur, mortem per acerbissimos dolores nunciat. quod etiam efficit sinapis, quæ præter saporem acrem amara est, si cruda sit. cocta autem, uel condita, dolores, & animi etiam curas significat. Dulcis autem sapor dolorem corporis significat, ab effectu. dulcia enim dolores prouocare solent: uoluptatem etiam, dulcis enim uoluptas. Spem quoque, dolum, morbos, propter usum dulcium in illis. Acidus uerò, ut acris, leuis: significat & uenerem, quia breuem uoluptatem. Austerus, significat labores iucundos, iuxta illud poetæ:

Leniter austerum studio fuadente laborem.

Significat & uina & fructus, propter similitudinem: nam proprie austerus in nullo fructu inuenitur. Astringens significat dolores, frigus, metum.

Sal-

Salsus prudentiã, uoluptatẽ, res diuturnas & antiquas, maledicta: nam talia Sales etiam, uerbi affinitate nuncupare solemus. Prudentiam uerò, quoniam salis plurimum prudenter dicta habere dicimus. Pinguis sapor, modò morbum significat, modò uoracitatem, modò quæ à cibis, præcipuè carnibus, significantur, insipidus, stultitiam, uanitatem.

Sensilium tactus calor moderatus, omnia prospera significat, et prudentiam, ob nominis similitudinem, et celeritatem in negocijs. Exuberans autem, dolores ob actiones, & animi æstum. Frigus, impedimentum omnium, & amissionem, torporem ac diffidentiam.

Grauia significant labores, curas, iniuriam, & quæcũq; pati hominem graue ducimus, præterea luctus, morbos, inopiam: adeò ut aurum & hoc significare possit, impedimenta etiam, & senectutem. stabile tamen bonum, atque etiam prudentiam, cum arriserit.

Sphæra ex auro uel plumbo, pessimam sortem prædicit: nam grauitatis omnia mala retinet, nec tamen stabilis est. similiter & cylindrus: sed non adeò.

Leuia uerò instabilitatem, breuem usum rerum, celeritatem tamen præstant, & facilem acquisitionem.

Aspera dolores, cruciatus, morbos, inopiam. omnia enim similia aspera appellare solemus: sicut contrà leuia. quæq; in miseria bona sunt uinctis, exulibus, ægris, peregrinantibus, seruiẽtibus, prægnantibus, pauperibus, labori addictis. Dura præcipuè paupertati ac seruituti accõmodantur, post hæc cæteris malis quibuscunq;. Mollia uerò, lenibus persimilia. hoc interest inter illa, quòd mollia bona sunt uerè, & ab alijs commodum proficiscitur: lenia autem, à propria patientia, & quodam casu. Quæ liquida sunt, & hument, inconstantia omnia sunt: sicca autem, opportuna usibus. arida autem & cariosa, senium & inopiam, & labores significant irritos. Mulierem tangere formosam, aut puellam aut puerum, his qui illis assueuerunt magnam uoluptatem aut commodum aut spem significant. Dolere aliqua in parte corporis, est, id quod per illam partem significatur flagitiosè se gerere, aut damnum aliquod pati.

Oculorum sensilia sunt lux et tenebræ, colores, figuræ magnitudo, motus. lux, lumenq; omnibus latêre cupientibus mala sunt: ægris etiam mortem significant, propter consuetudinem. funus enim cum multis luminibus celebrari solet. unde etiam Augusti,

Κτίσον ἢ τύμβον ἱερῷ πυρὶ μύσας,
Ὄφρ' ἅμα φῶς ἔσοι μαιμήδεον τιμάοντι.

In reliquis causis lux multa pietatem significat: nam dij cum multa lu-

ce aduenire solent. Estq; dictum illud, Facite ut opera uestra coram hominibus luceant. Significant & sapientiam. illuminatam enim mentem dicimus, quæ multa cognoscit ac uidet. At etiam honores ac dignitates prædicit: tales, qui eas habent, illustres & illustrati uocantur.

Vinctis libertatem. nam dum uinctæ sunt, iacent in obscuro. Præterea opificibus bona est, qui artes cum ea commodius exercent.

Nimia lux quandoq; cæcitatem ostendit. nam hoc efficere solet quandoq;. Tenebræ malæ omnibus, præterquam his quibus opus est ne prodantur. nam & ægris mortem prænunciant: mortui enim haud uident. Impedimentum etiam afferunt omnibus operationibus, & uincula maleficis præsertim significant. Significant & propriè timorem & desperationẽ, malaq; opera. Albus color ac splendidus, ut niuis, læticiam, alacritatem, quietẽ, diuina, fausta, pulchra, honores, sacerdotia. Pallidus, mortuos. Niger, timores, tristiciam, luctum, iram, infortunia. Si autem decens sit, grauitatem, decorem, pudorem & dignitatem. Fuscus, dolorem animi, & turbationem. Viridis splendidus, spem, læticiam, castitatem, honestatem. Splendoris expers, uenena, dolos, tristiciam dissimulatam. Cæruleus splendidus, magna atq; diuersa, magistratus, diuinitatem, grauitatem, consilia: obscurus, dolores, machinationes, dolos, uenena. Purpureus, iram, molestiam, sanguinis effusionem, ambitionem, superbiam, potentiam & dignitates, crudelitatemq;, maximè subobscurus.

Cinereus, tristiciam, fletus, dolores, desperationem. Rubiginosus, mœrorem, sæuitiam. Varius, mutabilem, dolosum, impudicum. Croceus, stultum, impudentem, fallacem, grauem. in quibusdam rebus opulentiam quoq; significat. tormenta etiam, anxietatesq;. Aureus, aut dignitatem, aut stulticiã, impudentiam, tormenta, anxietates. Figuræ autem rotundæ, capacitatem, securitatem, & inconstantiam. Quadratæ, stabilitatem. Triangulæ, dolores & inopiam. Incõcinnæ, omnibus in causis malæ: & stultas operationes significant. oblongæ & quadratæ, ut mensæ, tarda negocia: motus inconstantiam, euentuum, & fallaces exitus. Quies autem, cupientibus statum mutare, aut aliquid agere, mala: tum etiam his quibus non expedit, ut ægris, seruis, uinctis, fẽlicibus fausta. Magnitudo, magnis & potentibus uiris, & in magnis negocijs bona: alijs mala, & significat spem inanem, difficultates & oppressiones. Parua, omnibus mala, aut non bona. Picturæ, prata, locaq; amœna, bonas operationes, & eiusmodi ut quis de eis uoluptatem capiat, significant: Contrà fœda, turpia & desolata.

Auditus autem sunt, strepitus & cantus, soniq;. nam uerba aliquid plus significant. Audire, est patiuidere autem, agere. Gustare & tangere & olfacere, com-

re, commune est. Vocem audire iucundam & suauem, & neminem uidere, gaudium significat: & forsan cum inimicis reconciliabitur, aut illos oppressos intelliget. Eadem significabuntur, si ipse eam uocem emittat canendo, pulsando. sed si iniucunda sit, audiet malos nuncios uel de rebus suis, uel propter quæ metuere cogatur. Si uocem audiat exilem, dolos contra ipsum significabit. si ipse emittat, impedimenta patietur in suis negocijs. Si audiat suauiter canentes, uideatq;, mala & infortunia, & querelas amicorum, & nuncios de rebus tristibus audiet. Sed & si ipse unus ex his fuerit qui canat, & ipse eiulabit, ac suspiria edet ac gemitus.

Tonitrua & strepitus horrendi, noua quæ illum terrebunt, & tristicia afficient, audiet. Fletus si audiat, luctum uidebit. Si suspiria, gemitus & eiulatus, contingent aduersa amicis suis, aut coniunctis intimis, aut sibi. Si risum audiat, audiet quærentes & tristes, & ipse dolebit illorum causa. Si audierit uoces animalium, iuxta illorum significata suo loco dicta iudicabis.

Odores significant propriè laudem, aut infamiam: sicut soni noua, & nuncios. Odores ergo boni, laudem significant: & quanto fuerint maiores, & iucundiores: mali autem, uituperationem et infamiam, tãto maiorem etiã, quanto fuerint tetriores. Et quanto in plures sparsus odor uidebitur, tãto hæc laus aut infamia uulgata magis erit apud populum. Odores etiam & gratiam et odium significant. nam odores bonos, gratos appellare solemus: mali odores odium significant. Præterea odores magni, occulta detegenda significãt: si boni, cum laude: si mali, cum uituperatione.

Caput LXVI. De uerbis auditis aut scriptis.

QVæ audiuntur, minus certa sunt, sed celerius perficiuntur. Scripta uerò certiora, sed serius perficiũtur, & impulsore indigent. Vtraq; differentia eãdem distinguuntur. alia enim intelliguntur, alia non. Quæ intelligitur, quandoque sic significat ut uerba sonant, quandoque aliud. quæ nihil (ut dici solet) ad rhombum: ad aliud significatum est transferenda. Sunt etiam tres differentiæ eorum quæ audiuntur, aut scripta uidentur: Imperatiua, uel significatiua: significatiua alia interrogant, alia docent. unumquodque ab amicis, inimicis, cognitis & incognitis. Amicorum ad te, & inimicorum ad proprios monita, ut sunt, interpretari debent. Sylla cum C. Marium mortuum uidisset, filium admonentem, ne sequenti die pugnaret, funestam enim esse diem nomini suo: pugnauit, ac uicit. Prædictiones uerò non ita se habent: sed amicorum quidem ad nos ueræ, inimicorum ad quemuis falsæ sunt, aut

saltem suspectæ, etiamsi ad inimicos. Inimicorum monitis ad nos credere non debemus. Quæ intelliguntur, sed non conueniunt imminentibus, per allegoriam sunt interpretanda. Innumeri sunt modi, sed ex proximis ac similibus conuenientibusq; translatio deducenda est. Obscura uerò uerba, si propria sunt, non etymo solum, sed fortuna illius, & erga te affectu sunt exponenda. uelut uictor, qui uictus fuit: & philotheus, uita impius, contrariam recipiunt significationem. Et nominibus quibusuis communia sunt inuersio: ut, Amor Roma: distinctio in literas, ut pugnaturo CVM. Cras uictus morieris. et in syllabas: ut, Amor Ante morieris: & immutata litera, ut mors pro sors: & commutato ordine, ut Liuia pro Iulia: & syllabis commutatis, ut eo, pro pereo. Et litera addita uel detracta, ut uictor pro uicto, & mos pro mors. oportet uerò aut simplicem esse & facilem: aut si artificiosa sit, totius esse orationis. Maxima uerò mutatio est ex dictionibus ad numeros, & ex numeris ad dictiones. Similiter ex ratione initij dictionum: uelut quidam cum uidisset has tres literas θιμ, mortuus est, Iudaico bello in Cyrene. θ θάνατος, ἰουδαϊκὸς πυρήνη. Hoc autem plerunq;, contingit, cum ordo quidam seruari potest. Ab incognitis, & magis ab inimicis, audire mirandas prædictiones, ironicè dictum puta: sed & à cognitis, non amicis. eos autem parum amicos esse intelliges. Quæcunq; autem ab his qui neq; amici sunt, neq; inimici audiuntur, et ad actiones pertinent, ad interrogationem sunt referenda. Quòd si narratio sit, ad famam rei seu ueram seu inanem traducere oportet. Nautæ, medici, agricolæ, physiognomi, metoposcopi, chiromantici, astrologi, somniorum interpretes, quæ futura dixerint, pro ueris habenda sunt: naturalis enim eorum est diuinatio. quæ reliqui uates, inania & falsa putato. uanis enim artibus operam dant: quanquam aliter Artemidorus de hoc sentiat.

Sed & in his delectum habere expedit: plus enim Accio Nauio, quanquã auguri: & Spurinæ, tametsi aruspici, quàm Themisoni medico credendũ est.

Literæ infaustæ sunt, quæ in singulis linguis initium sunt infaustarum dictionum: ut apud Latinos D, Dolor, Dolus, Deficio: M, Malum, metus, Mors: T, Tormenta: C, Carcer, Cruciatus.

Faustæ, F: Felix, Faustum: B, Bonum, Beatum. (at dices, D etiam diuitias) M, magistratum: V, uulnus, ulcus, uitam significat. Sed quæ propria sunt, si speranda sint, intelligi coniectura possunt: hæc generalia sunt significata. Apud Græcos θ. θαμβέω, Paueo, stupeo: θάνατος, Mors. κ. κακὸς, improbus, afflictus, & maximè ob geminationem. σὺ, bonum significat: quoniam adiuncta dictionibus, eas ad faustam significationem traducit. Quòd si qui profert, amicus est, aut inimicus, facile est non solum nota, sed obscura intel-

intelligere. nam amici lætus uultus, & inimici tristis, bona esse indicant & fausta: infausta & tristia, si contrà. Et rursus omnium uoces, miserentis, supplicantis, exclamantis, malæ sunt. nam & inimicos moueri atrocitate calamitatis, nihil mirum est.

Mulier quædam cum mamma laboraret, somniauit se ab ouicula exsugi. intellecto somnio, mammæ herbam sic uocatam (quæ Græcè arnoglossa dicitur) superposuit, & sanata est. imperatiuum enim somnium esse, haud dubium erat, non significatiuum.

Numeros autem Indicè sic scribes, ut per dena mutato situ, in proximum locum ad sinistram multiplicentur: ut 2 duo, 22 uiginti duo, 222 ducenta uiginti duo. Notæ simplices:

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9

Nihil unum duo tria quatuor quinq; sex septem octo nouem.

Romanorum autem numeratio quinq; constat regulis, totidemq; notis, quibus ad centum usq; numeramus. I, unum. V, quinq;. X, decem. L, quinquaginta. C, centum. Secunda regula: Repetendo literas augetur numerus. ut, CCC trecẽta, XXX triginta. Tertia regula: Virgula superaddita, numerus ille totidẽ millia significat. ut, V̄I. sex millia, C̄C̄X̄. ducenta decẽ millia. Et additis duabus uirgulis, fiunt totidem millies millia: uelut C̄C̄C̄I̅I̅I̅, bis ac centies quinquagies millia millium. Quarta regula: C postpositum ad I, id est à dextera positum, facit quingenta, & bis quinq; millia, & ter quinquaginta millia, & ita perpetuò crescit ad decuplum: si uerò etiam à sinistra anteponantur, millia significat, & augetur per decuplum.

Iↀ Iↀↀ Iↀↀↀ Iↀↀↀↀ CIↃ CCIↃↀ CCCIↃↀↀ CCCCIↃↀↀↀ

500 5000 50000 500000 1000 10000 100000 1000000

Vnde natus error, ut Paulus Manutius docet, scribendi D literam pro quingentis: cum debeat scribi IↃ non clausa, & ita, ∞ & Φ, & M, pro mille, cũ sic CIↃ scribi debeat. Quinta regula: Nota notæ maiori anteposita, minuit. Vt in exemplis: IV quatuor, IL quadragintanouem, XC nonaginta, LIↃ quadringentaquinquaginta.

Græci quoque duos post primas literas numerandi modos habent. namq; toto alphabeto quibusdam etiam interpositis notis, primam numerationem absoluunt sic:

α	β	γ	δ	ε	ϛ	ζ	η	θ	ι	κ	λ	μ	ν
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	20	30	40	50
ξ	ο	π	ϡ	ρ	σ	τ	υ	φ	χ	ψ	ω	ϡ	
60	70	80	90	100	200	300	400	500	600	700	800	900	

Primus autem modus sit uirgula tenui supposita, quæ totidem millia significat: duplex, millena millium.

͵α	͵β	͵ϛ	͵λ	͵κ	͵ρ	͵ϡ
1000	2000	6000	10000	20000	100000	900000
͵ν	͵ξ	͵υ ο ν ζ				
50000	2006400257					

Modus alius numerandi apud illos prolixior longè est isto. Si ergo audias sexdecim, uel scriptum uideas, ad numeros transfer fit XVI. ex hoc componitur VIX, quod significat adepturum quod speras, magna cum difficultate.

Quatuor etiam propriè hoc ipsum significat. nam VIX quatuor significat, & sex. nam VXI sunt sex. Et rursus quatuordecim XIV. omnes enim cōponunt VIX, licet mutato ordine. Decem septem significat mortem: nam sic scribitur apud Latinos XVII, ex quibus nulla dictio significatiua potest cōponi præterquam VIXI. Sic VIXI & VIX, numeros hos significabūt. Et LVX, significat quinquagintaquinq; propriè: impropriè uerò, sexagintaquinque, trigintaquinq;, quadragintaquinq;. Et ratione eadem hi numeri, uincto liberationem significabunt. atq; id habent hæ dictiones & numeri, quod utrunque simul significant: in totidem enim diebus aut mensibus hoc futurum ostendunt. Ita luxi, id est fleui, eadem ratione sexaginta sex, aut quadraginta sex propriè, & reliquos etiam numeros significabit. Significat ergo mœrorum finem in tanto tempore.

Numeri præterea natura sua tam apud Græcos & Hebræos, aliosq; omnes, quàm Latinos, proprias habent uires. Vnum, absolutum & desertum: Duo, confusionem & repugnantiam: Tria, perfectißimum, & in eo genere positiuum, comparatiuum, superlatiuum. Quatuor, decens, uenustum, congruens sed tamen in genere imperficto. est enim quadratus binarij. Octo autem, firmitatem in instabili genere, cum sit solidus binarij. Nouem, eadem ratione perfectam concinnitatem, ut uigintiseptem perfectam securitatem & in stabili genere: sex et uigintiocto, perfectionem in actionibus sed sex absolutiorē uigintiocto in maioribus negocijs declarat. Decē finē notat, ut centū, & qui ex eo cōponuntur sexdecim, summam in pulchritudine perfectionem decernit.

cernit. fit enim ex quatuor in se ducto. Omnes numeri uno differentes à perfectis, uoto frustrari in eodem genere cum prope finem fuerint significant. etsi deficiant, ut quinq; & quindecim ac uigintisex, ob inopiam & impotentiam: Et si exuperent, ut septem, undecim, uigintinouem, ob errores. Centum quoq;, & mille, significant dominationem. Et numeri usq; ad centum, significant annos: usq; ad triginta, dies: ad uigintiquatuor, horas: ad duodecim autem menses.

Præterea numeri qui una litera scribi solent cum o repetito, magna negocia paruis laboribus perfici indicant: ut decem, centum, mille. & quo maiores etiam, maiora. Si uerò similis numerus deficiat, qualis est quo significatur, in irritum cedet: ut nouem, decem octo, nonagintanouem, centum nonaginta octo. nam si ex 200 auferas 2, nihil remanet: at centum nonaginta octo, est duo minus ducentis, & ita 2997 irritum significat negocium. est enim 3 minus 3000, ablato 3 ex 3000, relinquuntur 000, quæ nihil significant. Eadem dicemus de numeris digitorum complicatione significatis.

Artemidorus autem quadrifariam numeros computat. Eos quidem qui negocio conuenire possunt ex literarum significato, iuxta ordinem suprà descriptum. His autem maiores, ex significato numero per seriem naturalem superaucto, ut à latere uides. Ergo δύο, quod duo, tria significat: & τρία, sex: & ἑπτὰ, quod est septem, uigintiocto significare deberet. sed quia ἕξ significat ordine literarum sexagintaquinq;, ideoq; habet proprium significatum infrà centum, ideo excipitur primum significatum seu ordo, & significabit ἑπτὰ uigintiduo tantum. ὀκτὼ ergo significabit triginta, & ἐννέα trigintanouem. Δέκα ex propria literarum natura significat triginta: et ideo ἕξ, quod est sexagintaquinq;, et δέκα quod est triginta, proprias retinent significationes, nec in serie naturali numerorum colligenda computari debent. Hoc tamen modo δέκα significaret quadraginta nouē, scilicet pro naturali serie numerorum. Quare post decem addit quadragintanouem singulis: ut δύο significabat tria, δυόδεκα significabit quinquaginta duo, δεκατρία quinquagintaquinq;, δεκαεννέα octingenta octo.

δύο. 2. 1|3
τρία. 3. 2. 1|6
τέσσαρα. 4. 3. 2. 1|10

Post in εἴκοσι & τριάκοντα, quod est uiginti & triginta, aliam quoque init rationem. Accipit enim numerum quidem significatum, & ei addit quadraginta nouem: & ita εἴκοσι significabit sexaginta nouem, & τριάκοντα nonagintanouem, colligens scilicet triginta per τριάκοντα significatum: & ei addens priorem numerum proximiorem, non δέκα,

sed

sed εἴκοσι & (ut dictum est) septuagintanouem, & fiet nonaginta nouem. Et quia δέκα etiam triginta significabat, quilibet horum numerorum compositus ex δέκα poterit sic componi, ut δύο δέκα trigintatria, δεκατρία triginta sex, δεκαεννέα sexagintanouem, εἴκοσι quinquaginta, τριάκοντα autem octuaginta. Quartam rationem inijt in his numeris, qui hac seruata ratione centesimum excedunt: ut τεσσαράκοντα, quod uel CXXXIX, uel saltem CXX significaret, cum non sit uerisimile tamdiu uicturum hominem: ideo numerabimus elementa, & erunt duodecim, & ideò significal duodecim. Et quia duodecim litera est M, & M significat quadraginta, qui etiam significatur per τεσσαρακοντα, ideò relinquemus ei etiam significatum quadraginta, ut significet duodecim & quadraginta, unum scilicet ex his, uel alterum. Ab hoc reliquos dinumerat: ueluti πεντήκοντα tredecim, uel N, quod est quinquaginta: & breuiter numerum significatum per dictionem, ita ut sit idem, uel tanto maior duodecim, quot denarijs maior est quadraginta. ita constitutis, pro τεσσαράκοντα duodecim, aut quadraginta pro singulis ordinibus uel unitas ad duodecim, uel denarius numerus ad quadraginta adijciatur.

Aliam quoq; obseruat rationem non absimilem nostræ iam dictæ in Latinis literis, sed generaliorem: quòd, ut dictum est, singulæ literæ apud Græcos aliquem numerum significent. ergo ρ bonum nuncium, pedestre iter, aliter manendum, animalium bonam tractationem, uincula: nam ρ cum centum significet, significat dictiones quæ eum numerum possunt efficere, scilicet ἀγγελὴν, ἐπ' ἀγαθὰ, πεζῇ, μένε, πέδαι, νέκε.

Refert Artemidorus, quod cum quidam nauclerus per somnium sibi uideretur interrogasse hominem, an Romam peruenturus esset? & ille respondisset οὐ, quod est non, ille existimabat non peruenturum, & peruenit in quadringentis septuaginta diebus, qui numerus per ου significatur, ut superius uisum.

In uniuersum tamen uerba occulta mala sunt, nec absimilia uerbis inimicorum, quæ solent, cum exaudiri metuunt, quibusuis modis obscurari clàm loquendo, susurrando, aliena lingua utendo. Ideo etiam uerba tam submissa uoce audire ut ea percipere non poßis, exitiũ luctus, fraudesq; prædicit. Nam amici in luctu ac multis grauioribus mussant: inimici, cum decipere uolunt, clàm loquuntur. Quòd amicus sit is qui dicit & ridet, minus malum est: non tamen bonum, sed non decoram actionem tuam significat.

Caput

Caput XLVII. De cibis, carne & ouis.

Cibos non minutim distinguere oportet, ut inter betam & blitum, quemadmodum Artemidorus facit. stultum enim est arbitrari, ex horū differētia, quæ exigua est, & exiguarum rerum, magna euentuum discrimina consequi posse sperare: nisi certis in causis, de quibus dicemus. Sunt autem à substantia primum ex animalibus magni momenti: inde ex arboribus inter plantas, tum panes, ob assiduum usum. Maioris enim momenti sunt quæ in usu sunt frequenti, ob magnam mutationem rei consuetæ: & quoniam ex usu diuturno multum possunt, ut etiam in ipsis rebus uidemus. In omnibus autem differentia ex septem principijs sumenda est: Fama rei, proprietate, nominis etymo, comparatione ad præsentem statum, sapore, odore, & colore. Quæcunq; igitur odore magno prædita, detegunt occulta, & famam spargunt: quæ si grato atq; iucundo odore sint, gratiam pariunt, & laudem: si graui, odium & infamiam. Apium, mortem ægris significat, & quæcunq; amara sunt: alijs autem dolorem animi intolerabilem. Si autem naturaliter significent, morbos præsagiunt. Fungi, uenenum, insidias, falsaq; blanditias. Quæ uentrem turbant, seditionem in domo decernunt: & extra domum, litem cum creditoribus, uel debitoribus. Tubera, inuentionem secretorum significant: non enim è terra prominent. Fungi etiam & muscus omnia detegi promittunt: nihil enim ex eis sub terra latet. omnia uilia, generalibus rationibus magna significare possunt. oportet tamen uel speciali quadam ratione singularia esse, uel in generibus ea consideratione obtinere principatum. Brassica, hominem ex magna familia, haud tamen nobili aut multiplicis usus significat. Quæq; magnæ sunt, & insipidæ, ut cucurbita & althea uocata, inanem & uanum hominem declarant. Idem etiam de spe, timoreq;. Legumina, negocia dura, & homines intractabiles. Faba inauspicata est, quoniam animal tetrum concipit, & sanguinem generat, & oculum habere uidetur, & Pythagoricis est uetita, nec ulli sacrificio adhibetur, nec utilis est proli. Quæcunq; à pauperibus manduntur panis loco, paupertatem significant: siligo nostra, milium, loba, zea, furfur, panicum. Fructus omnes breuem significant uoluptatem: nominis tamen ratione boni sunt, & opera absolui promittunt. Sal, salsaq;, prudentiam & uoluptatem ac diuturnitatem, sed sterilitatem significant. Sal enim satum non parit quicquam. Radices, occulta significant, laborem & difficultatem. Carnes ferorum animalium, & magnorum, robur, fortitudinem, sed improbitatem significant. Et si alia deuorent, iniusticiam: si non edant alienas carnes, ut elephantorum & taurorum, ab iniusticia aberunt. Carnes

paruorum animalium, imbecillitatem: sed si edant alia animalia, erunt fortes & improbi. sin autem ut ouiũ & capreoli, iusti, sed timidi. Carnes suillæ bonæ sunt, quoniam in usu maximo sunt. At ericij histricis carnes, insidias, maledicta & cruciatus significant. Panes autem puri & mundi pauperibus morbos, diuitibus iucundam uitam significant: at sordidi & uiles, pauperibus uitam sine solicitudine, diuitibus desperationem. Placentæ autem, uoluptatem significant. at si magnæ sint, & pulchræ, festiuitatem & lætitiam. Cum caseo tamen, & caseus ipse, dolos & insidias: cum melle, adulationem, & uinci à uoluptate. quæ fermento carent, negocia dura & grauia significant. Panem calidum edere, opes cum tædio: frigidum, cum quiete significat. Saccharum cum pane edere, bonam fortunam & opes prædicit: sed & sine pane. Cinamomum, diuitias, dignitatem, pulchritudinem, felicitatem. Nux myristica, utilitatem ab aduena, etiam si non edantur. Oua perdicum, opes à muliere nobili et honesta. Oliuæ, cappares, intinctus, morbos significant: quoniam ægris præcipuè exhiberi solent. Carnes crudas aut pisces edere malum est, significatq; abominationem, difficultatem, & plerumq; amißionem propriæ rei. Carnes ignoti uiri edere, bonum est: locupletabitur enim ex alieno. noti autem extremam significat necessitatem. Filij etiam, uel fratris deterius: nisi partes eas edere uideatur, ex quibus filius uictum sibi parat. tunc enim à filio pater alletur. Carnes parentum edere, mortem eorum significat: unde illius facultatibus aletur. Pisces edere, uictoriam contra inimicos ostendit. erunt autem tales, ut magnitudo piscium docebit. Delphines autem edere, locupletari significat ex morte amici. Mergos, laros, anates, anserésue edere, aut uidere, nauigantib. naufragium significat: reliquis utilitatem à uoracibus aut fœneratoribus uiris. oua edere, tædium: eduntur enim maxima cum cura. Butyrum, prosperitatem, lucrum & suauitatem nunciat. Placenta cum butyro, uitam segnem & uoluptuosam, & tamen lucrosam decernit. Et butyrum proprie significat sacerdotium, & maximè cum melle iunctum. Oua significant pecuniam, præsertim reconditam: & opera inchoata, & spes. oua ponere, est oppleri solicitudine, & premi curarum multitudine, spe lucri egregij. Si tamen citò prodeant pulli incolumes, res aliquot parui momenti, non sine assiduo studio ad optatum finem deduces.

Ciborum præterea triplex est differentia. alij enim cibi sunt, & tanquam cibi non sint habentur. alij cum cibi non sint, habentur pro cibis. cibi etiam alij non præparati, alij præparati, sed non appositi: alij iam incipiunt deuorari, alij deuorati. Præter id etiam, cibi aliqui expetuntur, aliqui auersantur,

ſantur, alij neutro modo. Qui expetuntur, deſideria infructuoſa lucri ſignificant: quos auerſantur ægri per ſomnum, mortem: aut ſi conſueti ſint, noxam docent. Qui non expetuntur, nec odio habentur, naturam & ſignificatum cibi proprie retinent. Cibos non præparatos habere, dilationem ſignificat: edere, aut præpoſteram actionem, ſi pauſcus ſit: aut abundans lucrum, ſi ſit copioſus. Cibum etiam edere, laborem plusquàm fructum oſtendit: deuoraſſe, bonum eſt, ſi bona ſignificat. lapides, ligna, res fœdas pro cibis habere, moleſtias graues præparatas ſibi intelligere debet. Quòd ſi partes ſint eduliorum, ut coria, oſſa, excrementa, inopiam. Cibos diuiſos in menſa, & panem ſimiliter, uinctis, certè alijs etiam, ſupplicium portendit. Ranas quoq; paratas uidere, lacerari in fructa. Quòd ab hoc periculo abſit, podagram ſignificabit. uiperas edere, luem aliquam, aut uenenum mortiferum portendit.

Caput XLVIII. De omni potu, tum lacte & ſanguine.

LAc ferarum bibere, ſi quidem ex genere rapacium ſint, lucrum ſignificat iniuſtum. Si rapaces non ſint, ab alijs expilari: nam lac bibere animalis, & eò magis ſugere, eſt ex eodem eſſe genere. at animalia rapacia ut aliorum carnes deuorant, ita non rapacia fiunt eſca alijs. Caninum autem, ut ſuprà dixi, ſi bibatur, etiam maiorem calamitatem ac timorem, uel ſi ſugatur, nunciat. quoniam homini nulla ratione conuenit: & canis animal eſt homini ſubiectum. Lac generaliter bibere, quoniam dulce eſt, dolores: & proprie, quoniam ægris exhiberi ſolet, morbos. Haurire ſanguinem, bonum eſt, & ſignificat pecunias & opes. uenas etiam eò plenas eſſe, bonum: ſed effundi, malum. fluente ſanguine lætari, eſt gratas expenſas facere: ut amicis donare, uel ædificare.

Vinum bibere, ſignificat ſecuritatem & hilaritatem. Ebrium fieri, ſolutionem curarum. bonum eſt timentibus tormenta: neque enim adhibebuntur. ægris tamen mortem: ſenſum enim auſert. negocium acturis malum: peruerſe enim aget omnia. item uinctis malum: detegent enim delicta. Et ubi de honore agitur, aut prudentia, ualde malum eſt. Aqua uerò ſolicitudinem multam & inopiam ſignificat: Ob paupertatem enim uel cuſtodiam ſui aquam bibere ſolemus. Sed & morbum ſignificat aquæ potus. Aquam uerò multam bibere, ſignificat indigentiam maximam, ſine ope.

Vinum aquæ miscere pro potu, est studium adhibere, & temperare animum & operationes. Vina autem insueta bibere, ut cerasorum dulcium & acidorum, pomorum & pyrorum, & mororum, propriam habet significationem, pro saporis primum differentia: deinde generaliter aut inopiã, quæ acerba sunt: quæ uerò statim corrumpuntur, ut cerasorum, luxum significant. Sed & pro ratione plantarum. Specialiter autem sic potus uini pyrorum, à rusticis & agrestibus auxilium significat: cerasorum, à delicatis & luxui deditis iuuamen uel emolumentum: è fragis, ab humilibus & pauperibus: pomorum, à malis & potentibus: è moris, à sapientibus atq; prudentibus: è persicis, ab amarulentis uiris, ac tristibus, ob qualitatem foliorum: è punica malo, à perfidis & aduenis: è cotoneo, ab artificibus & laboriosis hominibus: è prunis syluestribus, ab hominibus astutis, uafris, uelocibus, solitarijs. A fructibus autem non uinostis, est existimare se iuuari & emolumentum habere, & non habere, sed defraudari.

Zethum autem, quamuis aspiratione abundet, quæstionem significat. & ideò si boni saporis & odoris uideatur, quæstionem in alio exercendam significat. et si in sanguinem uerti, uel uenter intumescere, ditabitur ex inuentione secreti, uel detecto thesauro, uel intellecto arcano. Sed si fœteat, si acris sit sapor, ualde uel acerbus uel amarus, per tormenta de ipso qui tale poculum bibere uidebitur, habendam quæstionem significatur.

Sanguinem leonis bibere, est per uim ditari: lupi autem, per rapinam: uulpis, per furtum: simiæq;, per dolum: felis, per insidias, fictasq; blanditias: canis, per adulationem: draconis, per scelus & tyrannidem: gruis, uel ciconiæ, uel anseris syluestris, per mercaturam. Sed & sanguis ciconiæ, potum ueneni significat: uespertilionis, ex domus uel arcis custodia: tauri, uenenum bibere, aut ditari ex prouentu agrorum. sic etiam ouis, ex artificio. Sanguinem uiperæ bibere, significat conatum ad lucrandum per omnem dolum: sed non lucrari tamen, aut quid minimum.

Lac auium bibere, est inani spe lactari, & similiter serpentum, sed præter id improba ualde. uerùm piscium lac habentium, est rara fortuna uti. lac autem piscium lac non habentium bibere, est alimentis destitui, & ad ultimam inopiam per blandimenta redigi. Canis ergo lac calamitatem significat: quandoq;, licet rarò, lucrum per blanditias. sic & reliqua genera. huius autem significatio mala, ob causas dictas efficacior est.

Caput

Caput XLIX. De piscibus salitis, & sale.

PIsces saliti, spem & metum confirmant, exitusq; producunt. Sal enim diu corpora seruat. Significat etiam pœnam nouam pro flagitio antiquo. Sed si incisi sint, ac diuisi, totidem significat uulnera, quot frusta, ipsi qui illos deferre uidetur, non autem somnianti: & maximè si edat. Pisces salitos uidere, odium antiquum significat: & si parui sint, inopiam. Caro salita, dolorem ex uoluptate significat: paratum, si adsit: futurum, si edatur. Fungi saliti, auxiliū iacturæ atq; periculi, periculumq; absq; emolumento insigni. Sale condiri propias carnes, est publicè lacerari, & frusta suspendi in portis urbis.

Sal significat sapientiam, prudentiam, diuturnitatem, defensionē. Magnus aceruus salis, dolorem et tristiciam significat. Idem periculosam mercaturā, et commutationem in deterius: quoniam sponte liquescit. Salem multum deuorare, est audire multa maledicta, & pati cogi: Salem in domo liquescere, significat diminutionem redituum. Furari salem bonum est: significat enim sapientiam discere occultam, & antiqua dogmata. Sal sparsus in domo uel urbe, domum uel urbem desolandam præmonstrat. Salem in ignem ponere, est ingeniū in re ardua exacuere. quod si crepet, erunt tumultus ex hoc: si ardeat & consumatur, euanescet in irritum conatus ille, & cogitatio: Si exiliat, nihil perficetur: si colliquetur, dissoluetur. Sale radices plantarum spargere, est insidiari propinquis suis ad necem, ob hæreditatem. Salem multum mandere, aut edere, est re bona & utili perperam & male uti. Sal in puteum mittere, est insulsam operationem facere, & uitiare pura. Salem sibi totum è domo ablatum uidere, est omnia stultè & sine consilio facere. Domus tota sale plena, significat bonis consilijs defuturas opes & auxilia: & cum uoluptuosa uita, defutura necessaria.

Sal significat amicum prudentem, sed iracundum. Qui sal emit, acquiret huiusmodi amicum beneficijs. qui autem uendit, ob contentionem & lucri causa in dissidium cum eo ueniet. eadem ratiōe sal familiarem custodem tuarum rerum significabit. Salem insipidum fieri, nō stulticiam, sed amentiam prædicit, aut dolo tuo teneri. Aues salem edere, est consilio bono malè utizant (ut melius dicam) sagaciter, sed non sapienter agere. Idem præcidit spes pulchras futurorum: sal enim aues necat. ob id etiam sal sic exhibitum, significat mora in consulendo occasionem perituram. Salem edere à potu, uel bibere à salis esu, significat contrarias actiones: sed primùm etiam præposteras. Sale aspergere lapides, ligna, frondes, est inutiliter operam absumere. Cumulum salis inuenire, est occurrere congregationi sapientum, sed malorum hominum. cibos

adeò falsos uideri, ut degustari non possint, est: ubi speraba omnia iucunda, ibi inuenire omnia aduersa.

Hali nitrum, significat materiam irarum, rixarum, bellorumq; citra infamiam: ideoq; ex rebus.

Caput L. De artibus & scientiis.

NOmine artium, literarum atq; scientiarum, hic intelligo liberalium exercitationem tantum, non opus aliquod, nec discere. Sunt autem hæ fermè: Geometria, Arithmetica, Musica, Astrologia, Astronomia, Physiognomia, Metoposcopia, Auspicium, Aruspicium, Chiromantia, Optica, Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Somniorum interpretatio, scientia de põderibus, philosophia naturalis & supernaturalis, Magia, & Geographia, atq; Moralis, Iurisprudentiaq;.

Aruspicem factum esse, aut in ea contemplari (habet enim unaquæq; harũ duo genera uisionũ: unum, si adeptum se putet artem: alterum, si exercere) ei qui habet exercere, si nil aliud adijciatur, ἀνακρυπτικὸν est. adeptum ergo minus est quàm exercere: at exercere actum significat, adeptum autem cupere, aut ob latam occasionem, lanium futurum ostendit, aut metalla in terræ uisceribus quæsiturum. hoc enim est, exta inspicere ac diuinare. Quod si nobilior sit, trucidabit aliquem.

Auspicium autem omne genus uenationis significat: obseruant enim hi animalium motus, id est uolatus auium. Significat & Astrologiæ studium: nam & astra quasi uolare uidentur. & diuinam scientiam. Generaliter autem, uatem quouis modo factum esse, seu per auspicium, seu per medicinam, uel astrologiam, uel per inania commenta: uelut geomantiam, pyromantiam, multarum rerum scientiam. prædicit tamen curas multas & propriorum & alienorum negociorum. Significat & iter, quod huiusmodi homines peregrinari soleant. Sed uatem consulere, curas & molestias magnas portendit. Quòd si uates ille nihil tibi respondere uideatur, curæ illæ atq; molestiæ diu te uexabunt.

Astrologum factum esse, significat diuinorum ob astra, & magiæ ob occulta contemplationem. sed & deceptum iri, quod huiusmodi homines sæpe decipi soleant, ob artificum tamen imperitiam. Si præterea artifex, significat ocium in arte, & contemptum: sed si nobilis, uoluptatem. est enim maximè delectabilis.

Chiromantia si humilis sit, significat lictorem futurum: hi enim manus prehendunt. aut si nobilior fuerit, fures obseruabit. Significat & hoc studium furandi: quærunt enim hi quomodo ex manibus sibi lucrum parare possint.

Signifi-

significat & doctum aliquos scribere, aut pulsare.

Geometram factum, prædicit agros aut campos empturum: pauperi, agri culturam exercitaturum, difficilia negocia tractaturum, in quibus mensura exquisita opus sit. Præterea ocium & contemplationem, & architecturã exercitaturum: nam & hi circino utuntur, figuraſq; depingunt. item plasticẽ, sculpturam, picturam, & quæcunq; artes magna cum mensura exercentur: ut uestiaria, sutoriáue.

Arithmetica uerò, fœnus & debita persoluẽda creditoribus, & diuiti paupertatem, & pauperi diuitias & mercaturam. Præterea trapezitam: & si nobilis fuerit, quæsturam, ac similia.

Geographia, nauigationem, itinera, militiam, præfecturam, gratiam principum, negociationem, astrorum studia.

Astronomia, in pauperibus aut facinorosis triremes, pastoralem uitam, & generaliter rusticanam, etiam diuitibus, tum militarẽ. studiosis, Theologiæ studia, nauigationem, Geographiæ operam daturum prædicit: habitationem in montibus, fugam, uenationem.

Musica, inania studia, uelut chymicæ, necromantiæ: tum Reipub. operam nauaturum. ludum aleæ, artes ornandi: ut annulorum fabricandorum, & uestium. nec non, quæsiturum scire quædam dicta atque arcana ad eum pertinentia: conspirationemq; contra illum, nec non & machinarum construendarum artem.

Physiognomia, quæsiturum omnia quæ ad naturam pertinent: tum, philosophiæ naturali & medicinæ operam daturum. Quæsiturum etiam de amicis mores illorum: anatomiam exerciturum. Significat & amorem, & ornandi artes. Commune est etiam omni diuinandi arti, ut significet dolos, deceptiones, uanitatem, infamiam, Dei cultum, & superstitionem, ob hominum uulgatam de his opinionem.

Metoposcopia, seruitutem significat: serui enim & famuli diuinare coguntur ex frontis aspectu desideria dominorum. Idem significat eadem ratione, subire iudicium. significat & illud, tum & physiognomia de sontibus inquirere.

Iuris prudentia, significat in iudicem eligi, magistratum, potestatem, sapientiæ opinionem, morum cultum: flagitia, & scelera ac dolos. tales enim obseruant iurisconsultos, ut cautius si possunt agant: & laboriosam artem, ac negocium.

Morum disciplina significat sacerdotium, phratriam, magistratum: tum etiam seruitutem. coguntur enim alienis moribus qualibuscunq; uiuere. im-

probo

probo uerò carceres, uincto autem iam damnationem perpetuam.

Dialectica, significat studia omnium artium, contentionem & lites, alienam linguam discere, accusari uel accusare.

Rhetorica accusationem actiuam aut passiuam, contentionem & lites concionatorum, & studium rhetoricæ ipsius. commune enim est omnibus his uigintiduabus disciplinis, quoniam ad animum solum pertinent studia illarum, ut ἀναμνηστικὸν conuertatur in idolum. quoniam in nostra potestate est, ex uehementi desiderio discere quam cupis: uehemens autem desiderium, somniũ excitat de ea re. ob id somnia hæc, si qua alia omnia, fermè in idola transeũt: præsertim cum sæpius redeunt. Suntq; omnia auspicata, & oracula uocãtur, quòd pro diuinis habeantur.

Grammaticam ei qui eam nouit, ut etiam reliquæ, sed non adeò, didicisse, discere ue, inauspicatum est: significatq; reditum ad statum puerilem. propria autem puerorum sunt, uerberari, irrideri, iniuria affici, ineptire, desideratis non potiri. Quandoq; significat alienam linguam disciturum: quod optimum est in hoc somnio. significat etiam, maximos labores & ineptam curam de rebus parui momenti. Alias uerò linguas discere, significat noui operis semper aggressionem. Dicemus autem de hoc alibi. Cap. sequẽti.

Optica, significat studium curiosum admodum, & morbos oculorum, uel eorum curam: tum dolos, & mirabilia atq; inexpectata.

Somniorum interpretatio, significat uel uanam operam, uel magna negocia atq; pericula. hæc enim ex his quæ consequuntur, illa ob naturam rei, iuxta uulgi opinionem.

Magia significat religionem, superstitionem, infamiam, studia occulta, diuinandi desiderium, uitæ mutationem, studium nouarum rerum, apparatum nouum & multiformem, mendacia, ludos, res uanas atque ridiculas.

Philosophia naturalis prædicit eadem fermè quæ physiognomia: opinionem stulticiæ, & mores à uulgo, ac consuetudinem alienam.

Philosophia supernaturalis significat religionem, astronomiam, insaniam, segregari ab hominum societate.

Ponderum scientia, significat inquisitionem circa res uulgatas, mercaturam, & in arbitrum ac iudicem eligi.

Caput LI. De Artibus aliquid facientibus, seu opificijs.

ARtes & negocia consueta & cognita exercere ac perficere, est de rebus suis benè disponere, & felicem in eis successum consequi. at frustrari in eis,

eis, est, cum rectè agas, non esse in exitu fœlicem. Quæ quis non didicit facere, est præter rationem agere. successus erit, pro natura euentus qui in somnis uidetur. Res autem in singulis sic se habet.

Arare, serere, fodere, agriculturam exercere, filios optantibus bonũ est: nã agri fructus ferũt, & segetes. at cæteris malũ et lethiferũ, præsertim ægris. At metere, colligere fructus et uuas, uinũq; exprimere, est negociũ differre, uoto tamẽ post tẽpus potiri. Nauim gubernare, est negociũ periculosum & anxiũ agere: erit autem exitus, qualis in somno uidetur, malum litigantibus, ob terrores. Artemidorus narrat, quod (cum quidam uideret se arare, & triticum serere, somniantis uxor & filij qui extra patriam erant, redierunt.

Fulloniã exercere, malũ quod ad uitam attinet: mortui. n. lauari solẽt. in reliquis uariat significatum. nam decipere significat, & mentiri, & ornare, et lucrum facere. Coria tractare, significat laborem & actiones humiles, & negocia secreta detegi, propter odorem & strepitum.

Medicos uidere, aut medicũ factũ esse, oĩb. malũ est, præterq; ægris. In reliqs casib. significat infaustos exitus, dãna ac infirmas actiões, quæ medico egeant.

Aurifabrum esse, maleficiũ declarat, ob uenena quæ tractat, & torquiũ ac moniliũ implicatiões: significat & tractationem nobilium negociorum.

Plasticen & sculpturam exercere, cupiẽtibus fallere homines bonũ est: nam quæ nõ sunt, hæc ostẽdunt, uelut & pictura. Differũt in hoc, quod pictura significat effectus subtiliores, & res inexpectatas. Plastices autem opera uiolẽtiam declarant: nam & igne utuntur, & mutant dum fundunt substantiã rei. Si uerò hæc non significent, celebritatem nominis & famam decernunt: talia enim spectanda populo exponi consueuere.

Ars fabrilis, significat lites, discordias, tumultũ, strepitũ, negocia dura atq; difficilia. nã malleis igne res agitur. multi quoq; cõcurrunt ad has actiones, & folles quodã cõsensu ignẽ accẽdunt. significãt ergo diuisi et seditionẽ in domo. Instrumẽta quoq; quæ minuũt & diuidũt, mala sunt, significãtia seditionẽ & dãna. Quæ poliũt et læuigãt, inimicitias sedãt. Quæ dirigũt, secreta et occulta reuelant: aut cadẽtes actiones et negocia desperata reparant & exsuscitant.

Faber lignarius durũ negociũ indicat: nõ tamen adeò ut ferrarius, aut æris. Hic strepitũ maximũ ostendit, quòd nihil magis ære & cupro resonet. Sed cuprũ, dolũ etiã, propter mistionẽ: et cædem, propter tormẽta bellica quæ ex cupro fabricãtur, portẽdit. Significat. n. religionis opera: nã è cupro nolæ fiunt. at lignarius faber nec strepitus, nec contentionẽ tantã significat, sed industriã, laborẽ, & minimarum rerum tractationem: præter scobẽ multam, quæ iacet.

Literarũ studia significãt laborẽ, tædiũ, & quandoq; etiã timorẽ. Quæ uerò

didicit rursus discere, negociationē absurdā, irritam, & parū fœlicē: nisi si qs filium habere optet, & posßit. significat. n. susceturū, et educaturū. Linguam alienā discere, rē tædiosam laboriosam atq; & ancipitē prædicit: & tamē cū hoc etiā negocia cū gente illa peraget. Multis huiusmodi somniū uxores ex illa gente portēdit, alijs captū iri, & seruire huiusmodi homin. Literas legere lienas nō posse, est in negocijs cū alijs exitū nō habere, nec felicē successum: at proprias nō posse legere, est in domesticis reb. ac nemine impellēte cæcutire.

Venatio significat insidias, lites, impedimēta, labores, dolos, & quæcunq; in uenatione occurrunt. Sed & laquei & retia eadē significāt. Propterea habere hæc multo melius est uideri, quàm uidere aliū habentē. hoc. n. pati huiusmodi significat, illud agere: quanquam nec id sine discrimine, labore ac tædio.

Est etiā in artib. discrimē triplex, ratiōe habitus: ut discere, scire, docere, exercereq;. ratiōe ipsarum, et sunt liberales quæ in cognitiōe cōsistūt, quæ faciūt, q̄ agūt, q̄ resarciūt, quæ adipiscūtur: ut de uenatoria dictū est. ratiōe pſonæ, ut in se uel in alio. Discere artē, est res plena tædij et laboris. Docere idē significat, sed cū honore, illud cū dedecore. Scire aūt, est aßimilari morib. illorum: uelut nautā factū esse, significat diuersis periculis se obiecturū, in incerto uitā acturū. Exercere, significat uoluptatē, aut lucrū. Liberales, significāt uoluptatē in utilē. Quæ faciūt, lucrū significāt: quæ agūt, ut musica, uoluptatē & solicitudinē. Quæ resarciūt, turpe & uile lucrū, & amißionē honoris: ut medicū factū esse. at quæ adipiscuntur, lucrū fallax, rarū, cū multo labore. cū uoluptate tamen seipsum agere, exercere uel discere, ad se pertinet: in alio hæc uidere, si cognitus sit, uerē ad illum, causa tamē tua: sed si cognitus sit solum per somnū, ad te, sed differt à teipso in hoc, quod minus senties quod eueniet, nec erit adeò conspicuum: sicut nec, qui per alium mercaturam exercet.

Coquus, significat actionū ordinem, & leporem: & ægrotantibus ardores & inflammationes: & quæ occulta erant, detecta fore, aut detegenda. significat etiam lachrymas & conuiuia, ut in nuptijs ac luctu.

Lanio, significat mala sine dolore, & suppliciū publicū: & impudentia ac sæua facta. Diuitibus & innocentibus, malus: cædit. n. innocentia aīalia, diuidit q̄; ac dispergit q̄ in unū coierat. Significat & concubitū præter naturā. mēbra. n. sua stercore coinquinat: & quæ natura fecit, dum destruit, contra naturam facere uidetur.

Caupo significat magistratū: excipit. n. oēs. et dolos, ob mores, et meretriciā artē: huic. n. similis est cauponis. multa uerba propter pusillū lucrū. & aduentum peregrinorum amicorum, uel etiam incognitorum & peregrinationem.

Oīs ars et artifex mutuò se significāt, et ab instrumētis etiā significātur. ideo si qs opificē suæ artis mori sibi uideatur, ipse artis exercitatiōe priuabitur. Si

mortuus resurgat artificio destitutus, ipsius exercitationem recuperabit.

Et artes se mutuò significãt, ut qui resarcit calceos, medicũ, et medicus illũ. uterq; enim resarcit, ille calceos, hic corpus humanũ. Et medicus aduocatum, & aduocatus medicum: uterq; enim tuetur hominem.

Artes præterea ex industria & materia cõstant. Textura significat dolũ, & negocia implicata, et cõsilia occulta, ac perditiões. Fodere, est labi in deterius, ut extruere indignitate, eleuari et augeri authoritate. Serra secare, est cõtraria efficere, ac uelle. Lana significat ingẽs lucrũ, et cõtinuũ: sericũ, splendidũ, sed nõ adeò firmũ: goßipiũ, minus q̃ lana luculẽtũ: pili caprarũ, exiguũ et laboriosum: linũ, cũ dolo & implicatũ. Pelles animaliũ, lucrũ fœdũ & turpe, pili porcorũ, laborẽ inutilẽ, & uanã expectationẽ. Caudæ equorũ, speciosam artẽ, & negociationẽ cũ exiguo lucro. Aurifabri ars, propter metalla morbos significat. Molitores, significãt laborẽ perpetuũ, & utilẽ: pistores uerò, perpetuũ & iucundũ. tõsores, significãt leuamentũ molestiarũ: nã leuãt capillos & barbã, res molestas, & luctus indicia. Pigmẽtarij, significãt dolos, uoluptatẽ, graues morbos: laborantib. n. his pigmẽta adhibẽtur, ob odoris grauitatẽ. Significãt & principes mulieres, nobiles, meretrices, diuina opera atq; sermones. Suere, significat dolos et maledicta: ea. n. nõ secus ac acus pũgũt homines. Gẽmas expolire, est sermone ornato tueri causam suã. Vespilones, significãt facientes opera pia, & artes uetitas, ut fœnus exercere: occultãt enim ij actionẽ ut illi corpora humana. Militia significat exilium, labores, cõtentiones, cessationẽ à propria arte: quoniã est ars cõmunis. Professoribus piscari infaustum est: nã tales auditores habebit, quales sunt pisces: scilicet mutos.

Libros edere, ijs qui ex doctrina uictum quærunt bonum est: cæteris mortẽ repentinam indicat.

Aedificare, est opus aliquod egregiũ facere, aut libris generãdis operã dare.

Publicanus, significat rei cuiusuis finem. significat & perfectionem ob uerbum τελώνης. Significat & publicandam rem occultam, ob nomen. Et itinera, sed uario modo. Forum, turbationes significat. & militare, negocioßis ocium: quoniam maior cura minorẽ soluit, & quoniam nõ nisi omißis negocijs militiæ operam dare consueuimus. Sed ocioßis grauia & molesta negocia, qualia militantibus eueniunt, significat. Aliud genus significati est, ex affectionibus paßiuis ad actiuas: uelut militare est angi, anxium esse. tales sunt, qui flagitioße uiuunt & operantur.

Nere, uanas spes significat, ob superstitionem, ut ait Cicero. Mortem, si tamen non tu, sed mulier quæpiam incognita id agat: ob fabulam Parcarum. Significat & perseuerantiam in opere. Et si lanam neat, iter: si linum aut goßipium, ignominiam. Nec mirum calumniari expositionem à Cicerone, cum

nullæ artes tum essent in precio, nisi cædes copiosa hominum, & nugæ historijs de Populi Romani uoluntate quasi deo. Ob id tamen uitam hominis hæc actio refert, quod imbecillimo filo illa constat.

Ludum literarium aperire atq; docere, quomodouis magistratum declarat. Sed si non aptus sit, excitabit seditiones, aut typographus fiet.

Gladiatorium munus exercere, est diuidere sportulas aut munera in populo, aut præstigiatorem mimum ue esse.

Tondere, molestias leuare significat. Sed eradi & tonderi, ut neq; alia quæ ad passionẽ significant, contrariũ actioni referunt. Eradi ergo capillos, infortunium magnum euasurum portendit. nam & ex magnis morbis seruatis, & è magnis fluctibus fieri consueuit, & è seruitute liberatis. Sed & periculum triremium & carceris, & habitum sacerdotis significat. nam his raduntur capilli. Significat ergo fortunæ commutationem qualiscunq; in cõtrarium statum. Sed à tonsore melius est: significatq; molestiarũ leuamen. à seipso uerò, uel ab alio, magnas calamitates, morbos, non tamẽ mortẽ: naufragiũ, sed nõ submersionẽ. Vnctis aũt tormẽta etiã à tonsore portendit. Deradi principẽ ut sacerdos fiat, stultũ factũ, ob quod principatu priuabitur, ostẽdit. Forcipe uerò præcidi, paupertatẽ et miseriã. nam pili eradi cõsueuerũt, si tõsor operã nõ neget.

Caput LII. De uestibus.

VEstes dignitatẽ significant, tum quia cum illa mutari soleãt, tũ quia facilè per se mutẽtur. Significãt et uxorẽ: quoniã ab illa homo ornatur, aut uituperatur. Differẽtias recipit ex parte corporis, ex materia, colore & forma, actuq;. Exuere uestes, est dignitate spoliari, quasi uolũtaria. Sed exuri, lacerari, est turpiter ac p uim auferri. Vestis alba, læticiã cũ felicitate: purpurea, maiorẽ læticiã cũ ira et crudelitate: cærulea, morbos: aurea, dolores et tormẽta: uiridis bona est, plena spei et uoluptatis. Sericeæ, honores declarant: lineæ morbos, mortẽ et pauptatẽ. Pileus significat liberationẽ in uincto & seruo. Galen. aũt laureã. & laurea ipsa, Poesin & autoritatem profitendi, & uictoriam. Petasus dignitatem non magnam, sed tamen utilem: Cyrbasia, dignitatem militarẽ. Diadema, cidaris, regnum, aut potestatem magnam. Causia autem, sacerdotiũ: etsi rubet, summũ. Fœminea capitis tegumenta, ut mitræ, reticulum, uitta, stulticiã & lasciuiã. Carbasus, iter: quoniã eo in itinere uti solemus. Thorax significat dignitatẽ & magistratũ, & uxorẽ: albus formosam, uiridis castã & honestã, croceus diuitem & grauem, cæruleus tristẽ, niger iracundam & crudelẽ, ruber molestã, uarius & aureus impudicam. Interula etiã uxorem significat, & amasiã, & secreta cordis. Fœminalia, brachæ, subligaculum, ad uxorẽ pudorẽ, honestatẽ, obscœnasq; uoluptates pertinẽt. Caligæ, uenationẽ, et militiam

litiã magis etiã significãt. Sculponeæ, seruitutẽ, labores, paupertatẽ decernũt. ocreæ iter: cothurni & socci, uoluptatẽ & pompã. Calcei iter pedestre, & morbos, si deponantur: crepidæ, morbos, lasciuiam, mollitiem. Soleæ, dolum & insidias: non enim crepant. Sandalia, & reliqua quibus fœminæ induuntur, mollitiem, fœdas & indignas actiones, uerbaq́; tum dedecora. Sagum, militiam, aut tristiciam: sed læna grauem militiam, propter uillam. Heteromalla & amphimalla, longum iter, aut carcerem, uel seruitutem, aut nauigationem, uel paupertatem & miseriam nunciat. Sagum etiam, & uestes exteriores, rubra si sint, iram & cædem significant: si candida, sacerdotium aut quietem: uiridia, optimam spem: nigra, dignitatem, pudorem: sed & luctum maximè mornata & longa significant: crocea, impudentiam: aurata, stulticiam, impudentiam, uel regnum & magistratum. Laneæ diuitias, & è goßipio, sed minores. significant & morbos, & mollitiem. Nocturna capitis uelamina, morbos & uulnera. Exteriorum autem toga significat dignitatem: & nostra ætate si promineat à tergore aliquid, & cauda prælonga sit, & nigra, uestis est mortualis & luctus: prætexta autem, insigne decoris ac magistratus. Basilica uel segmentata, quæ cum gemmis intexta est, regnũ, aut principatum. Picta uestis significat uictoriam, ducem belli, aut mimum uel morionem, aut comœdum tragœdúmue. Polymita pluribus licijs intexta, significat dedecus: sed si preciosa sit, dignitatem non diuturnam. Cyclas, & uestis Melitensis, byßina & goßipina palla, omnisq́; alia uestis muliebris, significat delicias, aut stulticiam uel dedecus, aut mollitiem. semper autẽ quanto precioßior, tanto melior, aut minus mala. Et si solùm tractetur, uel ematur, aut habeatur in domo, significat uxorem, aut amasiam, uel concubinam. Prætexta pulla, luctum & funus omnino significat. Et muliebris omnis uestis pulla, mortem somniantis aut filiorum, aut agnatorum uel affinium decernit. Lacerna & penula, significant iter: sed penula est pauperiorum, scortea uerò pedibus peregrinantium. Significat & militiam. Sed lacerna cum cucullo, & cucullus solus, significat solitariam uitam & phratriam. Si uerò cærulea, uel omnino purpurea sit, sacerdotium nobile, & opes magnas decernit. Stola quoq; sacerdotalis, apex laniger, epomis, sed omnium maximè intertexta cocco, byßo, purpura, hyacintho, & quibus in quotidianis utimur sacrificijs: uestes quoq; pontificum olim Romanorum, opulentum denotant sacerdotium. Endromis, contentionem aut iter per equos dißpoßitos. Pelliceæ pulchræ dignitatem, sordidæ inopiam significant. Domestica uestis quoniam usui est, nihil significat: in foro autem, improuisum malum, aut uncula. nonenim aliter eò sic itur, nisi sit insanus. Pallium abstinentiæ, conti-

nentiæ & studij artium signum est. Paludamentum, imperatoris militum est, & dignitatis, maximè purpureum & gemmatum. Chlamys uerò, regiæ potestatis. Trabea pulla uel militaris, funus significat: cocco intermista, sacerdotium nobile: splendida uel intexta, regiæ potestatis & uictoriæ: undulata seu cambailota sine undulis, diuitias in senectute pollicetur. ea enim auari senes maximè delectantur. Ridiculè amictum esse, non solùm derisionem, sed improsperos euentus & uituperationem ostendit. Pallia & togæ, & quæ non amittuntur (quas Apostolicas uocant) iuxta coloris qualitatem fidem hominis decernunt. candidæ ob id optimæ sunt, & sinceram fidem declarant: rubræ uerò, contentiones, rixas & dedecora: non tamen infortunatæ sunt. felicissimæ uirides, morbosæ ceruleæ: & immundæ omnes uestes & laceræ, tædia, curas ac molestias, dedecoraq; portendunt. uestis munda, uetusta, liberationem ab antiqua molestia: noua & sordida, nouam molestiam superuenturam significat. Mulieri, cuius maritus erat in exilio, cum uisum esset in somnis, prodire in publicum sine ueste, prædictum fuit, nunquam uisuram illum. maritus enim ornamentum uxoris, uelut & uestis.

Caput LIII. De ornatu.

ANnuli significant fidem, dignitatem, uxorem, secreta: & signatorij, hæreditatem. Qui accipit annulum signatorium ab aliquo, fiet illius bonorũ maiore ex parte hæres. qui alteri dat ut retineat, hæredẽ illum instituet. Annulum non signatorium si amiseris, amittes uxorem, filium, uel dignitatem: ita si excidat, nec inuenias: illud autem accidet negligentia tua. Si signatorius excidat, uel sculpta gemma qua signare sis solitus, fies alieni iuris: ut in exilio, carcere, captiuus hostium. Si annulum amiseris qui tibi signatorius uideatur, non sit tamen huiusmodi tibi, decides ex spe hæreditatis, aut magistratus quem consequi speraueras. Epistola sigillo signata à principe, dignitatem: ab alijs, secretum, aut negocium. Gemmali annuli si frangatur, infirmabitur filius aut uxor, aut minuetur illius autoritas. Si excidat gemma ex annulo, filius discedet à te in longinquas regiones, nunquam reuersurus, si non inueneris: si serò inueneris, tardè reuersurus: si statim, uolet discedere, sed non discedet. Si annulum tibi quis ad os apponat, ab eiusmodi aliquod secretum magni momenti intelliges. Si princeps aut regina annulos plures habuerit in manibus, totidem ei nascentur filij. non enim in eis dignitates aut magistratus significare potest. Annulum si emeris cum gemma, filium habebis, aut uxorem, aut dignitatem, pro natura coloris & precij gemmæ. Si rubra, fidelis aut fortis: si uiridis, sapiens aut amabilis: si cærulea, pia uel casta: si aurei coloris, ma-

ligna uel

ligna uel fraudulenta: si maculosa, fœda uel infirma, si alba, pura uel ingeniosa: si opaca, humilis, etsi diues aut lucrosa: si preciosa, nobilis & magni nominis. Annulus etiam annuum spacium significat: cum enim circuli formam referat, circulum autem sol in anno percurrat, liquet annulum circuitum anni significare. Significat etiam annulus in non habentibus nec filios, nec uxorem, nec dignitatem, parentes: quoniam charissimi sunt, & coniunctissimi, & quoniam eorum nuptijs procreatus est filius. Vnde in filijs nothis hoc non significat. Auricularia significant ornamentum, & media ad intelligendum arcana, secretaq;, ac ocium & curiositatem. Sceptrum, caduceum accipere, pro eorum comparatione autoritatem & potestatem significat. Pallium regale, regis uxorem. Corona noua regi significat, filium regni hæredem. Coronam regiam accipere, agnato regis regnum: alieno autem, uitæ periculum portendit. Cingulus autem aureus, dignitates in iuuentute: argenteus uerò, lucrosum iter. Gemmæ cum auro è pectoris regione, calamitates & molestias: casus coronæ, amissionem omnis dignitatis & decoris, & rei in qua totam spem suam collocauerat. Et cingulus, significat filiam.

Coronæ è floribus, suo tempore bonæ omnes sunt, præterquam ex narcisso, apio, cupresso, plantisq; noxijs & malè olentibus. omnes enim hæ semper sunt malæ: cæteræ tempestiuæ læticiam, ocium ac luxum significant: intempestiuæ uerò, ex purpureis uiolis mortem: ex amarantho, quicquid aduersi patitur, insuperabile erit, nec corrigi poterit, nihil patientibus superuenturum aliquid huiusmodi ostendit. Ex lilijs ac rosis, produnt quæ occulta esse expediret. Ex odoratis herbis, ut amaraco, ozimo, sisymbrio, morbos difficiles & incognitos, exemplo artificij coronæ subtiliter elaboratæ. Ex palma filios, & olea filias, utræq; longæuos significant. Quercina, myrtea, laurea, honores & uictorias: laurea, præter id sapientiam: quercina palmeæ similior est, myrtea oleæ: utraq; imbecillior. olea concordiam, myrtea amorem. Cereæ malæ, ægris lethiferæ: nunc ob candelas quæ mortuis accenduntur, olim quòd νέκυα mortem poetæ appellarent. ratione, quoniam infirma res sit: & quæ cũ detrahitur, apum mors sequatur. Non sic de melle: cera enim apum domus cõstat. Coronæ ex metallis, lapide, sulphure, sale, omnes grauitatẽ & difficultatem negociorũ significant: sed è plũbo pessimæ. è sulphure infamiam etiam ob odorem addunt. è gemmis, auro aut argento, pauperibus & diuitibus sine satellitibus & comitatu egregio, malè: metus, insidias, dolos, pericula, quæ par adesse comitatum non habentibus esset, significant: cum comitatu autem, & sine uestibus ornatis, irrisionem:

cum utrisq;

cum utrisq; uerò, magna bona prænunciant. Ex hedera aut uite, uincula, aut insanum amorem: uinctis uerò suspendium, uel securim. Serpens aureus gemmis ornatus, dominium in excellentes & claros uiros portendit. Pallium regale ferre, nobili exaltationem primùm, inde exitium ostendit.

Caput LIIII. De armis & machinis.

ARma ad defensionem, ut galea & scutum, prudentiam & securitatem decernunt: quæ manu tenentur, ut gladius & sarissa, ministros, robur corporis & opes: quæ extrà mittuntur, ut sagittæ & pila, auxiliatores & uerba. Sagittas colligere, significat alicui capitales insidias moliturum. Arcum inuenire, iter suscepturum. Sed si ensem, eumq; sibi accingat, dignitatem ipse, uel pater uel filius adipiscetur. Nudum ensem, uel aliud armorum genus ab alio accipere, mortem uxoris prædicit. Sed si cum uagina fuerint, solùm ægrotabit. Thorax ferreus significat peruicaciam & crudelitatem. Instrumenta bellica, artificiosam rationem uincendi & dilationem declarant. Scutum pulchrè elaboratum, nobilitatem, honores, & operationes dignas, certaminaq; decernit.

Colossi frusta aliqua uidere, magnam felicitatem portendit, ac surgentes ex disciplina alicuius magni uiri atq; inclyti famosissimos discipulos: cuiusmodi sub Socrate, Platone, Hippocrate, Alexandro, & Consaluo Cordubensi, magnis. iuxta Græcam paræmiam, κολοσοῦ ταῦτα μεγάλα παράγματα εἴη: *de Adriano Tyrio Herodes Atticus. refert Adrianus Iunius, ut contra confractum colossum uidere, mortem uiri generosi.*

Caput LV. De uasis, & reliquis instrumentis domesticis.

ARtificiosæ res ostendunt negocia & homines. homo enim diuini consilij exemplar est. licet ergo ex unoquoq; genere in aliud transire. Generaliter autem artificiosæ res actiones artificiosas significant: id est solertiam, & industriam miram in adipiscendo intentum. Scena igitur ærumnas, pericula, iniurias & contentiones significat, si tragœdiæ sit: si comœdiæ, probra, dolos, deceptiones, contumelias & uanitatem. Instrumenta musica, ocium, dolorem luctum. Vasa potoria pulchra, ministros egregios, & præstantes. Lances, paropsides, patinæ, uitæ actum atq; cursum: quoniam quæ superueniunt, excipere solent. Lucerna animam, studium, amorem, disciplinam, principemq; significat. nam ut lucerna domum illuminat, ita princeps exemplo, moribus suis omnes instruit: iustus iustos, iniustus iniustos efficiens ciues. Animam uerò: quoniam ut lumen eius extinguitur. sic anima à corpore facilè recedit. amorem, in amore enim est quod urit, ut in lucerna ignis. studio seruit,

seruit, disciplina eius auxilio paratur: ideò utrumq; refert. cui ergo lucerna pulchra & nobilis est, is nobilis euadet sapientiæ studijs. nam & nunc lucerna Epicteti celebratur, magno precio empta. Vasa quæ nulli sunt usui, personas inutiles ostendunt: mariones, parasitos, mimos, adulatores, histriones, musicos. Quibus uerò gemmæ & nummi seruantur, uxorem: quòd ei charissima custodienda tradi soleant. Vasa in quibus unguenta recondi consueuerunt, sapientes, sacerdotes bonos, & œconomos significant prudentes. Scrinium autem ubi actorum memoria & tabulæ publicæ, & epistolæ seruari solent, uitæ nostræ cursum. Quod si fractum fuerit, mortem propinquam declarat. Vasa quæcunq; è metallo, uitæ constantiam significant, & iuxta metallorum naturam superius explicatam. Cornea uerò infirmiora sunt, & detegi facta somniantis declarant: figulina autem, imbecilliorem ad sustinendum capacitatem: occultiora tamen negocia, nec adeò illius acta in propatulo futura. uitrea, omnium peßima, fragilem uitam, inconstantia negocia, omnia publicè acta detecta. Artemidorus testatur frequenti experimento deprehensum, uisa uitrea uasa fracta à nauigantibus, naufragium significasse.

Nolæ decernunt congregationem, tumultus, & ostentationem. Horologium, actiones: illarum enim initium & finis horologio determinari consueuerunt. Propterea si frangi uideatur, confusionem omnium negociorum significat, uel etiam mortem. Eoq; deterius, quo in minora frusta dißipatur. auferri uerò, intermißionem ab operibus: nam recuperari potest. Cessare autem à motu, est impediri ab his per breue spacium. Mola difficilium negociorum absolutionem & durorum attritionem ostendit. pistillum refert maritum, mortarium uerò uxorem. Spinæ aculei, & spinetum magis, quo uti solemus ad linum extergendum, dolores, tristicias, iniurias, et amorem ob similitudinem referũt. Catena quoq; amorem, carcerem, uxorem, impedimenta. Peluis ancillam significat: bibere uel edere in ea, est illa potiri: speculari in ea, est ex ancilla filios suscipere. Auream uerò peluim uel argenteam habere, ancillam in uxorem ducturum significat. Peluis si frangatur, ancilla aut seruus morietur.

Speculum multa significat: dicemus ergo prius quædam propria, inde generalem tractabimus rationem. Imago in speculo significat & fratrem & sobolem: utrumq; enim assimilatur somnianti, uelut & imago. ideò si cito dispereat, aut obnubiletur, parum prosperam eorum fortunam decernit. Nuptias quoq; prædicit, & uitæ mutationem. Significat & amicos. Quod si in eo maculæ fuerint, dedecora illorum refert. At generali ratione, cum conuersa om-

nia ostendat, nec tamẽ ut cælata effigies, sed similia similibus, ideò de eo subtilius est considerandũ. Constat.n. primum, quæ dextra sunt nobis, sinistra esse his qui uidentur, & uersa uice: quæ uerò sculpta uidentur, cũ hac cõmutatione spectantur. at quæ cælata, dextra à dextra, & sinistra à sinistra, ut in speculo: sed quæ cælata sunt, dum effigiẽ in cera referũt, ut sculpta referũt. cõmutantur igitur cælata, & ob id contrariũ significãt. In speculo uerò absq; dubio cum multa cõmutari soleãt, etiã præter naturã quæcunq; sic cõmutant, malũ significãt: ut, uidere se cũ facie inferius cõuersa. quæ uerò commutãt ex natura speculi, neq; ut sculpta, neq; ut cælata sunt exponenda: sed quòd ad rei substantiam attinet, ut uidẽtur: uelut, uidere faciẽ mortui, moriturũ: duplicatũ, filiũ sibi omnino similẽ. at uidere se coronatũ aut uinctũ, postq̃ licuit se talem uidere, et nõ in speculo, contrariũ significat, nõ ipsi rei, sed uisioni. Dictũ fuit, dum de actionibus loqueremur, quod coronari significat irrideri: ergo coronatum in speculo se uidere, honorari prædicit. At dices: Cur (gratia exempli) faciem suam ut mortui uidere, mortẽ significat? Quia naturæ consentit hoc somniũ. neq; enim uidere nostram faciem uerè in uigilia licet, nisi per speculum.

Catena, uxorem, impedimenta & carceres, duramq; seruitutem significat: & uinculum amoris mutui.

Caput LVI. De magistratibus & honoribus.

Magistratus generaliter prudentibus, nobilibus et efficacibus, administrationes & negocia honesta significãt: miseris, ni significẽt incõmodi solutionẽ, magnũ malũ portẽdunt. Priuari solitis munijs aut donis, quæ magistratib. debẽtur oĩbus, malũ est, & graue. Præfici annonæ, operã medicinæ dare significat. sed et mortuis idẽ: quandoquidẽ multi sunt q̃ plures occidũt, q̃ seruẽt. Idẽ significat sacerdotiũ: sacerdotes.n. mortuos curãt. Mutare uestẽ ob magistratũ, et præsertim albis aut aureis uestib. indui, uel pictis, mortẽ significat. sic.n. mortui induũtur. Præfici negocio turbulẽto, nõ lucroso, molestias sine utilitate nũciat. Iudicẽ esse, illi q̃ nõ futurus est, uideri, paupertatẽ, molestiã ab inimicis, & iter agẽti periculũ à latronib. prædicit. Significat & gratiã apud principẽ. Iudicẽ uulnerare, est fauere potentibus, et gratiã ab illis consequi. In iudicio aliquem premere, est potestatem & ius in aliquẽ obtinere. Rectè iudicare, est gratiam apud principem, odium apud populum promereri.

Magistratus proprie mutationẽ uitæ significãt, curas atq; onera. uidẽtur ergo, quemadmodũ & pecuniæ, & actiones plereq;, in cõtrariã transfire naturã, si idolũ nõ sit. Eoq; magis malũ, si (ut dixi) præter rationem eueniat. Dicitur præter rationem, cum inepto contigerit: aut si etiã apto, cõtraria ratione in ornamẽtis ac potestate, locoq; incongruo. Vix autem pauperi & contẽpto

sine

sine magna iactura aduenire potest. præter reliqua, multis impẽsas superfluas prædicit: sed scelesto sontiq; publicam necem portendit, propter apparatum. nam & turba illum respicit, & satellites circundant, & loco altiore ac conspicuo sedet, & à carnifice ac consolatoribus seruitus & opera exhibetur. Propterea exules, uincti, nocentes, damnati, huiusmodi somnium admodum reformidare debent.

Prætorem igitur esse, significat curas maximas & periculum supplicij, & lictorem, tortorem atq; carnificem, nõ solum ob operationũ similitudinẽ, sed etiã ob uerbum δημόκοινος, seu δημόσιος, uel δήμιος, quod significat & popularem, factum esse. potest & nauitam significare, qui moderatur naui, ut in populo Prætor. Præses aũt, ob uerbum Επιστάτης præceptorẽ, magistrumq; ludi literarij, & custodẽ pecuniæ publicæ, et cocum significare potest: item assessorẽ. Senator uerò cantorem, propter uerbum αὐλῳδὸς. Curialis sortem subire, concionem congregare. Iudex, sacerdotem, sacráue curantem aut custodiẽtem, accusatorem, diuisorem. Iurisconsultus, laudatorem, adulatorem. Lauream consequi, est uincere, in pugna laudari. Quæstor, est collectorem esse halinitri, secretorum indagatorem, custodem furtorum, parochum. lictor uerò, est rusticum & agricolam fieri: uinciunt enim uites, plantas & animalia. sic & mulionem & agasonem, & carnificem & uespillonem, & lignarium. Aedilis, carceris curatorem, in carcere uinciri, ædificatorem domorum. Atq; ita à similitudine muneris & nominis reliqua interpretaberis: illud obseruando, quòd magistratus perpetui efficiunt somnia fatalia: reliqui uerò solum ad certum tempus, non ad unguem magistratu definitam significationem extendunt.

Caput LVII. De uitæ cursu.

ORiri rursus, est uitæ periculũ euadere: dicũtur. n. qui sic euadunt, denuò renati. Orior quoq;, & morior, una tantum litera cum differant, et opposita sint, uicißim unum in aliud transit. Significat & morum mutationem: nuper nati enim mores nouos induunt. Sed & nasci filium: in filijs enim renascimur. Oriri quoq; magnas molestias, quibus infantes afficiuntur, tum seruitutem ostendit. Infelicibus denuò nasci bonum: nam nouam subeunt fortunam. Multum autem differunt, denuò nasci, et in fascijs esse, atq; infantem. hoc enim non habet emphasim, & denuò nati pueri incommoda tum refert. Infantia morbos & indigentiam præsentem, omniumq; rerum ostendit, sed cum spe senectus extrema eadem fermè omnia, sed sine spe. Vinctum esse in fascijs, & carceres & mortem significat: hi enim linteis amiciuntur, illis manus & crura uinciri solent.

Vitæ decursus secundus, & per consuetas ætates, si sistatur in ætate quam somnians agit, bonum: & significat uitam suauem, molestijsq; uacuam. Quòd si insigne aliquid uideamus, cauere oportet ne bona pro malis aut contrà interpretemur. Semper autem uitæ decursum uidere, arcani aliquid continet. Quòd si uitam uideat suam, quasi depictam uideat, nec quicquam aliud, periculum est ne tametsi multos habeat filios, nihilo secius orbus moriatur. At si etiam sine filijs sit, ordinesq; plantarum uiderit, quot erunt, tot ex illo prodibunt stirpes. Puericia etiam timores, uulnera, seruitutemq; cum contemptu denunciat. Iuuentus pericula, labores, mortem uiolentam. Si seni uideatur quòd iuuenis sit, spes renouabitur, ualidam senectutem geret: sed non adeò honoratam, nec sine metu uiolentæ mortis. Senectus curas, solicitudinem, timorem, desperationem. Canum esse, honorem, & sapientiæ opinionem. Morbificam ducere uitam, existimationem aut paupertatem. ad ægros enim accedimus, non illi ad nos. Aegri etiam plurimis, ac ferè omnibus indigent.

Tempora serena, tranquillitatem: obscura & nebulosa, molestias & metus, turbatamq; uitam. Calida, animi æstus atq; labores: frigida, penuriam & inopiam: uentosa, cum pugna & contentione: tempestuosa, cum periculis & iactura: caliginosa, cum morbis: nocturna sine stellis, plena terribilibus casibus: cum stellis, inter spes & metus perpetuos. Videri longæuum, uitam significat laboriosam & mœstam, tum quia diu uiuentibus necesse est talia multa cõtingere, etiamsi felicissimus sit Monarcha: tum quia mœsticia tempus augere uidetur, ob moram.

Videre aliquem sibi similem conditione, est uitam etiam illi persimilẽ ducere. Cum aliquando uidissem Curtium medicum legentem Galeni antiquos libros, mirum in modum delectabar: tranquillè enim in paruo conclaui studebat. ostendit, me eandem professurum publicè artem, stipendio quali dum his libris studeret: scilicet minore quàm dum esset senex. atq; ita contigit: eundem enim locum ad unguem accepi. Paulo antequam hæc scriberem, sub fine anni M. D. LXII. uisus sum illum uiuentem uidere, sed non profitentem, in domo abdita quadam, lætum satis, & eius ætatis qualis nunc esset si uiueret, scilicet annorum LXXXVII. quod interpretari utile, mihi necesse est.

Vitã in paradiso uiuere, est uxore carere: quia orbi & cœlibes sibi beati, sed falso tamẽ, esse uidẽtur. Vitã sanã ducere, est in uno uitæ instituto constanter permanere: infirmã, mutare institutũ. Incolere incognitas regiones, est operã dare secretis artibus ac studijs. In somnũ meridianũ concedere, si non sit fa-

tale,

tale, significat desidia perditurum res suas, negleturumq; negocia. At si fatale sit, morietur in flore ætatis.

Duo sunt quæ maximè uitæ cursum ostendunt: unum, quorum est liber, manuscriptus præsertim, potius quàm impressus. qualis liber & affectus & scripta, talis uita erit. alterum est tela, & hæc magis supra uitæ longitudinem significat, sicut liber supra illius qualitatem. Si inchoata nuper sit, longitudinem illius prædicit: si propè absoluta, mortem propinquam. Erit etiam iuxta materiæ rationem. Ex gossipio, mollis & breuis: ex lana, molesta & honorabilis: ex lino, dura & diuturna: ex serico, fragilis ac nobilis: ex auro, grauis suspicionibus, & laboribus plena.

Caput LVIII. De urbibus.

VRbs significat habitationem, negocia & uitam, nec quisquam nouit ante me significatum. Nouam urbem incolere, & incognitam, est breui perire: alibi enim degunt mortui, nec ubi scitur. Si uerò mors non significetur, patriã mutabit, aut artem: hoc enim modo nouam habitationem ingressus uidetur. cũ alijs enim uersatur hominibus, & qui alienæ religioni abhorret. Habet hoc urbs, quod omnia hæc commoda & libera decernit: cum alia quibus eadem significantur, non eiusmodi sint. Solitaria in urbe esse, est inutili negocio uel arti incumbere, uel hæresin sibi propriam quandam fingere. Vrbem incolere cũ collibus multis, aut montes inhabitare, est discordiam & simultatem potentum subire, ex quibus uita inquieta fit. Vrbem populosam & incognitam colere uel ingredi, est multitudine negociorum opprimi. Si tamen statim exire uideatur, ab eiusmodi tædio liberabitur. Oppidum significat omnia minora, sed minore etiam cum commodo & uoluptate. In urbe propria, nihil absurdum: in aliena autem, subijci inuidiæ, & paucos habere amicos, aut perpetuò peregrinari significat. In insula, est circundari multitudine periculorum & turbationum, ideóque religiosam uitam ducere. tales enim neque in tumultibus sunt, neque participes fluctuationum: interea tamen uiuunt, & quandoq; ab ijs læduntur.

Caput LIX. De domibus.

DOmus, continens pro contento. ideo culmen illius, patremfamiliãs significat: & limen ac porta, uxorem: et fenestræ, filios & filias. cors autem, domesticos: sunt enim, & non sunt, in domo, & è domo. & penu, redditus & substantiam. & cubiculum, uxorem, filios & filias. Focus autem, artem & amicos: fouent enim hæc familiam. Et domus antiqua, pauperi paupertatem maiorem, diuiti autem diuitias: noua autem contrà portendit. Ruina fornicis

aut fastigij portæ domus, mortem uxoris aut filij aut œconomi significat.

Refert tamen Scirnachan Indus, quandam mulierem petijsse à Serim, quid portẽderet somnium ruinæ fornicis portæ ianuæq;, cuius pars intus, pars extra ianuam excidit: cumq; ille interrogasset, an coniugem haberet: eaq; respõdisset, habere quidem, sed iam diu proculq; cum filio abesse, ipsam tantum cum filia domi relictam: tunc respondisse Serim, reuersurum coniugẽ & filium cũ uxore ducta: filiã uerò collocandam in matrimonium uni, qui eam extra regionem abducat. Ratio fuit hæc. fornicis casus significauit mutationem totius familiæ. at quia pars ceciderat intrà, pars extrà, quidam manebãt domi, quidam extra domum: & eo modo ut cõmutarẽtur uices. igitur necesse fuit, ut qui domi essent, scilicet filia, nuberet, & extra patriam abduceretur, illi redirent.

Ascendere per gradus, bonum est felici, malum infelici: & descẽdere cõtrario modo. Et domus regia, significat potestatem eiusmodi: crescet. n. gratia uel nomine. Et prætoria, autoritatẽ: et uilis, paupertatẽ: et si incolueris ruinosam domũ, uiues inter timores et metus, et ærũnis affligêris. Domus incognita, et pendẽs in aere, significat mortẽ et animæ post obitũ felicitatẽ, aut bonã famã: & si sub terra sit, morietur & damnabitur. Et inhabitare domum oblitam pice, aut ligneam, significat mortem. nam qui extra patriam sunt, aut potentes, dum paratur funus, arca pice condita seruatur cadauer. omnes autẽ lignea arca conditi, sepeliri solent. Amplificari domum, est nomen, aut potestatem, aut rem, aut familiam amplificari: hæc enim quatuor per domum significantur. Et ruina columnarum domus, est mors aut exilium fratrum, uxoris, procuratoris antiqui rerum & reddituum. Et porta significat dominum domus, & uxorem eius. Et postes, dextra dominum domus, sinistra uxorem. & similiter ualuæ. Et cardines, significant salutem. ei enim innituntur tam uir quàm uxor. Et noua ianua, nouam uxorem significat. Et noua domus, nouam fortunam, nouam uitam. Qualis domus, talis fortuna uel uita. Et qui sustinet domũ cum labore, uxorem feret malam, aut infelix erit in negocijs. Et paries, est ipsiusmet somniantis robur, quod consistit in sanitate, uel existimatione, uel opibus. Domus gipso oblita, si quis eam inhabitare uideatur, per fraudes & dolos uiuet. Domus etiam ad urbem, et urbs ad domum certa ratione refertur. Et uerrere domum alterius, est lucrari: uerri autem propriam, est pecunijs spoliari, aut nuptias celebrari. nam solent uerri domus, & pecunia etiam minuitur, & multa foras exportantur.

Apothecæ & tabernæ significant possessiones & agros. Columnæ etiã domus, filios significant. & borealia iuuenes, sunt enim robustiores: australia senes. Orientalia masculos, occidentalia fœminas significãt: & sublimia dominos,

nos, infima familiam. Et fenestræ multæ malæ sunt, reuelant. n. secreta domestica, & parũ tutos habitãtes & rẽ declarãt, & fundamẽta significãt amicos & cõsanguineos. Vectes et repagula & pessuli & seræ, securitatẽ: sed seræ ad fœminas pertinẽt. claues fidẽ et securitatẽ, si adsint, & occulta esse quæ esse debẽt, pollicẽtur. Et familiares urbes et domus nunq̃ mortẽ significãt, nisi ex illis mors ortũ habitura sit. Quæcũq; ferrea sunt, & adamãtina, ac lapidib. durissimis, securitatẽ portendũt. Et si nihil timẽtib. talia uideãtur, durã decernũt uitã. Cõflagrare domus partẽ, dolorẽ significat ei qui per illã partẽ significatur: ut si penu, promo. Si uerò tota domus ardeat, nec absumatur, timorem irritum domino domus, aut gloriam uel infamiam maximam significat. sed si absumatur, exilium. neq; enim exulibus opus est usu domus in patria. Si domus tota conflagrasse uideatur, inde rudera frigent, iam proxima est miseria & egestas. Si autem rursus pulchrior exædificata uideatur, nec id bonũ omnino est. fieri enim potest ut opes tuæ in alium transeant, qui eis melius utatur. Si in domo magnus ignis accensus est, in periculo uersaris magno: sed & iacturam significat, si mediocris: splendida flamma, honorem & lætitiã. Aedes pulchræ præsagiunt hominem industrium, auctoritatis incrementum, famam post mortem, & sepulchrum nobile. Esse in domo incognita, nec exitum inuenire, audire tamen loquentes, & qui respondeant, est spem successuram de difficili negocio.

Caput LX. De morbis & uulneribus.

Febris significat iniusta lucra: urit enim hominem. Significat & æstum animi, accusare & accusari, & iniuriam pati. Hydrops, æs alienum quandoque, & proprias opes. Vulnus in corde iuuenibus & adolescentulis uniuscunque sexus amorem significat, senibus tristiciam. in manu autem, ob chirographum à somniãte factum: in lingua, ob uerba impudenter prolata. Castrari, est sterilem fieri, orbari filijs, uoluptatibus interdici. significat & opima parte bonorum spoliari.

Morbi & uulnera pro ratione membrorum: uelut capitis, parentum: oculorum uel cordis aut genitalium, filiorum: brachiorum, fratrum: uentris, iacturam opum: crurum & tibiarum, domesticorum. Et uulnera significant, hæc uiolenta esse: morbi autem, sponte superuentura. Et causa declaratur ex telo, uel homine qui offendit. nam si à coniunctis, erunt ob coniunctos: & si sagitta, erit propter uerba: & similiter, si lapide. Sed sagittæ significant uerba artificiosa, ut sunt accusationes in iudicio, uel apud dominum: lapides uerò, uerba obiter prolata. Ense uerò

se uerò uulnerari, est honoris causa, uel tutelæ. Et resolutio significat uitam segnem, & impotentiam, amissionemq; auctoritatis.

Vrigo, declarat curas: lapis in uesica, familiam multam sine opibus, aut opes occultas. Vermes interiora exedentes, seruos nequam & infidos. Elephantiasis, miseriam & contemptum, & odium multorum: iecoris uulnus, inopiam: carcinoma, luctum grauem, aut opes reconditas quæ in dies augentur. scabies, amorem aut iniuriam: appetunt enim hi ambo animum liberare ab ulcere. E' uulnere exire cerebrum, aut intestina, est propalari arcana. sed differunt: quoniam si cerebrum, propalabuntur arcana quæ ad honorem pertinēt: si intestina, quæ ad opes: si cor, quæ ad uitam: si dentes, tui interficientur. Vulnera pedum ualde mala sunt, & significant impedimenta omnium actionum & bonorum.

Arteriam præcisam diuiti contemptum, pauperi extremam inopiā. Surdum esse, mendacem significat: si princeps, inexorabilem. Hernia, solicitudinem de re turpi. Lapidei testes, uel genitale, herniam. Elephantiasis & lepra, non in domesticis opes inuidiosas ostendunt.

Narrat Artemidorus, quòd cum quidam claudus claudum uidisset famulum, inuenit illum potiri amica sua. Morbi corporis, animi uitia pro ratione significant.

Pestis, si publicum sit somnium, bellum, aut in bello uictoriam, aut hæresim significat. Sed si priuatum sit somnium, pugnaturo uictoriam. at alijs fugam, carcerem, exilium, infamiam, egestatem: propriè uerò, anathemate damnari.

Caput LXI. De morte.

MOri quid significet, superius generaliter explicatum est: nunc autem specialiter de morte agendum est. neq; enim sine magno affectu uerè, per somnum autem fit & cum eo, & sine eo: cum maiore, quod in nulla alia re contingit, fieri non potest. Atq; etiam de eo quod est mortuum esse, agendum est. Fiunt igitur octo genera: uiolenta, naturalis, quæ fit, quæ exacta est, quæ cum affectu magno, quæ cum exiguo: unaquæq; species cum magno, & sine magno apparatu. Mori ergo sine affectu, et naturaliter, & sine magno apparatu, est cōmutare mores ad bonū: si uerò cum affectu malo, ad malū. Cū apparatu, autem, et sine affectu, est sacerdotem fieri, aut monasticam uitam subire. At si cum affectu graui fiat, seruitutem, exilium, morbos, impedimentaq; significat. At si uiolenta sit mors, carcerem, triremes, deportari proscribiq; prædicit. Quòd si mors uiolenta sit, & sine affectu, seruiet quasi coactus, sed cum utilitate. At si cum magno apparatu pereat, & cum leui cruciatu, aut perijsse

iam

iam uideatur, legem mutabit: sponte enim id agit. Leuior est autem omnis mutatio quæ peracta est, quàm quæ fit. Febre mori, est ob animi dolorem mutasse qualitatem uitæ. Fluxu mori, est fœda committere. Hydrope mori, est grauari negocijs, & tractatione pecuniarum. Senio confici, est ad inopiam deueniri. occidi, si sit cum sanguinis effusione, est pecunias amittere: illæ enim fluunt. aliàs lucrum significant. nam pecunias parando occidere uidemur. Sic, si uestes sanguine conspurcentur. Malleo occidi, & nil prorsus sanguinis defluere, ualde malum est, significatq; opprimi adeo ut ociosus remaneat. Mors mala est negociatoribus & artificibus ualde, quia ocium significat. cadendo mori, ob id talibus pessimum.

Caput LXII. De sepulchro.

SEpulchrum exædificare apud exteros, aut mortem, aut nuptias, aut habitationem in illo loco portendit. Sepulchrum nobile, librum significat egregium, & reconditæ sapientiæ. Sed & maiorum nobilitatem declarat, illustreque aliquod factum: nam monumentum dicitur, quo posteri illustrantur. Sepulchrum apertum esse, mortem domini, uel alicuius ex eius familia prædicit. Sepulchrum floribus exornatum uidere, iniustam necem alicuius, & ob inuidiam ad sepulchrum pertinentis, demonstrat. Sepulchrum dirutum uidere, est dominos eius in exilium mitti, & extorres esse. Sepulchrum ardere, est famam sepulti inclarescere, uel moriturum aliquem fama dignũ. sed si sine flamma, scelesta facta alicuius ad sepulchrum pertinentis portendit. Sepulchrum tuum adornare, est te, uel aliquem è tuis mori, cuius fama nobilitentur posteri. Sepulchrum serpentibus plenum uidere, significat maiores illius fuisse scelestos: si cancris, ignauos & fœdos: bufonibus, omnino despicatos: muribus, fures: lacertis, innoxios: draconibus, potentes ac nobiles: lampyridibus, famosos, & cum authoritate in Repub. Sepulchrum, præsertim alienum, carcerem significat. Sepulchrum in formam domus exornatum uidere, mortem domini nunciat. Plura sepulchra extruere, multa decernit facta egregia. Sepulchrum uenerari, est aliquem è maioribus mori: osculari autem, mortem filij: aut si eruditus, & maximè sine filijs, pulchrum librum conscribere. Latere in sepulchro, est flagitium patrare: habitare autem, mori. Ex sepulchro eruere thesauros, est librum aliquem reconditæ doctrinæ inuenire, aut secretum aliquod ualde utile perdiscere. Ex terremotu concidere sepulchrum, est edicto principis exautorari familiam. E' sepulchro nasci urborem, est mortuam iam gloriam in ea familia restitui.

Caput LXIII. De domesticis omnibus.

MAter patriã significat: atq; ideo cũ matre concumbere, patriam subigere prædicit. quod somnium Cæsari euenit. Causantur quòd Hippiæ contigerit, frustrato euentu. is fuit Pisistrati filius, patriáq; potitus infelicem sortitus est exitum, quemadmodum & Cæsar. Cum enim patriæ possessio multis modis significari possit, sic exitum infelicem decernit. Vtcunque mortuam uidere, infaustum est: quoniam ad lachrymas solum, non ad actiones mulieres aptæ sunt. Significat & mater terram. unde sub matre esse, in illius'ue uentre, uel cum ea concumbere, uel osculari ab illa, lethiferum est: nisi, ut dixi, principibus uiris quandoque concubitus dominium patriæ portenderit. Cum matre etiam absurdo modo misceri, ut fellari, uel eam irrumare, uel masturpari, uel pedicare, mortem propriam & filiorum, & exitium totius domus significat: ut etiam phœnicissare. Exitiale etiam hoc uxori, & mendicitatis præsagium. In impijs uiris nonnunquam nefandas actiones & inaudita scelera significat. Parentes mœstos uidere, ualde malum est: si te moueant, caueto diligenter. Peius autem est patrem mœstum uidere, quia prudentior, & minus mouetur affectibus. Patrem mœstum uidere, quandoque iniustas tuas actiones significare potest. Parentes lætos uidere, non tam faustum est, quàm tristes infelix augurium: à mortuis enim raro læta expectare oportet. cumq; id in omnibus, minus in parentibus, qui non nisi magnis in casibus adesse solẽt. Si parentum aliquis mortuorum filium à te petat, aut filiã, nec perneges, morietur: si perneges, & quasi iratus abeat, euadet qui uocatus fuit ingens periculum. Parentem sequi per eadem uestigia, est illius mores ac uitam imitari, aut de illo maledicere. Efferri parentem, non est malum: liberabitur enim à seruitute: si pater, coacta: si mater, uoluntaria. parentes enim dominorum uicem referunt. Quicquid parentes dixerint, uerum est: neque enim filios fallere cupiunt. Parentes uerberare seu uiuos seu mortuos, malum est: nam impedimenta & infamiam significat. nonnunquam uerò agnatos aut cognatos turbabit. Vitricus & nouerca, mali sunt: & si irati sint, odium implacabile ostendunt: si blandiantur, uanas spes. nonnunquam exilium significant: aliena enim patria quasi nouercæ loco est, sicut propria parentum. Vnde parentum lætitia exuli reditum significat. Parentes, proprias res nostras significant, ad mores & uitam pertinentes. Magna enim cura est mortuis parentibus de salute nostra ac filiorum nostrorum, tum de moribus: non ita de diuitijs aut honoribus. Absentium parentum uisio, similis est ei quæ de mortuis habetur, si non ad idolum pertineat. Parentes tacitos uidere, non lætos, nec mœstos, si/

gnificat

gnificat impedimentum explendi desiderium, ob pudorem & uerecundiam. præsentibus enim illis, solemus ab omnibus turpibus abstinere. Multum etiam refert, quales illi essent dum uiuerent: nam si tristes, iracundi, seueri, rigidiq; & parum amantes tui, tristes uidere & iratos, minus malum est. si mites, blandi & læti ac beneuoli, contrarium. Patrui parentum seueriorũ loco sunt: & si tutores aut curatores fuerunt, seruitutem renouari prædicunt, cum uiuere & unà tecum esse uidentur. Si uerò extra domum, & peregrinari, nouos luctus: tristes enim esse solemus, cum hi discedunt. Vocari ab illis, nec uidere, mortis aut magni infortunij signum est: sed si uiuant, ad res gerendas opportunitatem significat. Parentem rursus ut mortuum deplorare, si pater sit, agnati: si mater, cognati mortem portendit. Sed & hæreditatem significat. parentum enim morte hæreditas ad nos deuoluitur, & fletus gaudium prædicit. Auus & auia defuncti uiuentibus parentibus, idem significant quod parentes mortui. Mater etiam, à μητίεα, consilium & prudentiam: πατὴρ, seruatorem, & eum qui calcat, significant. Aui proauiq; antiquarum rerum tractationem portendunt: succedent autem pro ratione affectuum illorum. & thesauri inuentionem: sunt enim sepulti & iucundi. & mortem: non enim aliter cum eis esse possumus, quàm moriendo. Parentes senes ac mortuos uiuos uidere, et nobis iuniores, est omnia præter sententiam uentura: iuxta illorum uultum. Sed si uiuant, & iuniores nobis uideantur, præ repturum filium habenas illis significat: plerunq; tamen faustum, & antiquatas spes renouandas.

Frater autem quasi ferè alter, teipsum, & amicum, & quicquid affine tibi est, significat. Potest & sororem demonstrare, propter affinitatem, ἀδελφὸς & ἀδελφὴ. & significat rem ueram & propriam. Germanum enim esse, id est fratrem, & uerum, non fictum, neq; adulterinũ, dicimus. Triplex, ut in parentib. gemina tantũ, differẽtia est: Qui sunt, qui nõ sunt, qui fuerũt, id est mortui sunt. Mortuos uidere fratres, significatum idem habet quod de patre & filio: sed & mater intercedit, quoniam ex utroq; parẽte genitus est tecũ. sed si ex uno tantum, minus efficax erit oraculum. Soror fratrem eadem ratione significat: omnia etiam quæ frater, sed minora & mitiora. Soror peculiater significat sæparationem & diuisionem, ab etymo nominis sui. Significat mammas & nates, quoniam geminæ sunt, & fœmineo sexu differantur: ut etiam suras & manus. frater autem testes, eadem ratione pedes, oculos & brachia. ut ergo afficientur illi, uel unum eorum, ita & membra hæc, uel unum ex ijs. Et ita pater caput significat, & genitale: nam ipsum generat, ut pater. Mater aũt uterum, quia in se concipit: & linguam, quæ fœmineo sexu est, & capiti

coniuncta pareat cumq; fratres & sorores, ut dixi, trifariam uideri possint, & singulis modis uiui aut ut mortui, fient utiq; sex modi: sed præsentes obseruare non decet. nam si sint, somnium est ironicum: quoniam quid attinet scire ab eo qui præsens est, per somnum, quòd longè melius scire possum à uigilante? Propterea ad somniorum genus alterum pertinet, quod ex memoria præcedentiũ actionum, affectionum, cogitationumq; oritur. Si uerò absentes, ad idolũ. At de idolis quæ per se nota sunt, licet longè rariora, hic non est tractatio. nam idola & somnia in eodem genere sunt: sed idola, ut diximus, absoluta sunt & perfecta: somnia uerò, prognostica imperfecta. ut ergo in gemmis, arboribus, animalib. quadrupedibus, hominibus pro uno perfecto mille sunt imperfecta, ita etiam in somnijs: imò ut in rebus neq; inter centum millia unum est cui nihil desit, in quouis genere: quanto minus in somnijs, quorum generatio fermè prodigiosa est? At mors eorum qui sunt, aut quos non habuisti, proculdubio auxilium singulare tibi defecturum prædicit. Si autem mortui uerè sint, & tecum loquantur, aut aliquid agant, obseruandum est quales dum uiuerent erga te essent. nam hostes nihil boni significant. Si enim minantur, obsunt: si blandiantur, decipiunt. At si, quod plerunque contingit, te non oderant, qualescunq; sint, monitis illorum, ni absurda sint, parêre & credere oportet. At si absurda doceant hi, aut parentes, aut amici, uel filij, quod tamen rarò admodum accidit, res repetito statuenda est: aliter, cum nõ sit uerisimile defecturos in monitione qui chari sint, aut interpretanda erit, aut deploranda. Persæpè enim non licet amicis manifestare, nisi sub ænigmate: ut Demetrius Mithridati: quæ uentura sunt, nonnunquam significatur ita tacitè, ut solum nouisse uideantur. hoc autem non amicorum est. Rursus siletur nomen rei, & euentus tegitur, cum res necessaria fatis urgentibus prædicitur. Tuncq; amici est, meliore modo id declarare. quamobrem id totum sic se habet. Itaq; uidere aut audire ab amicis quæ nõ intelligere possis, infortunij est signum. Sed quid si læti sint? non enim uerisimile est lætari amicorum calamitatibus. tunc ergo futurã rem nunciant bonam, aut non omnino malam: uelut mortem, quæ morituro mala uidetur, non fratri forsan, aut parenti. Fratres quoq; inimicos significãt, quoniam partem bonorum auferunt. & iuxta illud:

– Tanta est discordia fratrum.

Non tamen semper, ut dictum est aliàs, in omnibus, sed conuenienti modo. Ergo sepelire fratrem, est inimicum mortuum uidere, aut liberari à contentione & lite.

Vxor animam & artem propriè significat, tum ob dilectionem, tum coniunctionem, tum frequentem conuersationem. Et cum uxor parit filium, pulchrum

chrum opus edet in arte. Nuptias celebrare, mortis signum est. Sed si filios habeat, aut filias, aut in utero, nuptias filiorum portendit. ideo prægnanti bonũ est. Nonnunquam celebrare nuptias cum alio aliáue, diuortium & separationem à coniuge significat. Sunt autem, ut dixi, modi generales, aut cum habeas, uideri habere, aut nõ habere: aut cũ mortua fuerit, aut cũ nõ habeas. eadem aũt est ratio mulieri de marito, quæ marito de uxore. Exosculari ab uxore, est utilitatẽ ex arte capere. Vxor etiã ostendit equũ: illi.n. incumbimus. Vxores plures habere, est cõcubinas habere, aut Mahumetanũ fieri: illi.n. plures ducũt uxores, aut pluribus artib. operã dare. Nuptias celebrare, significat usurũ amicorũ opera ob necessitatẽ: quod si eis in mensa ministrauerit, cũ eorũ iactura id erit. Quod si cantus et musica modulatio adsit, erunt lachrymæ et suspiria. Attamen si cum lumine candelarum ac cereorum fiat, uel pompam funebrem, aut magistratum significabit. Etsi plures uocauerit conuiuas, nec tum adsint, benefaciet pluribus amicis. Quod si in conuiuio adsint unguenta & odores boni, causa beneficiorum erga amicos laudabitur. Et si uinum dulce illis exhibeat, solabitur & adiuuabit illos. Et si cum uxore nuper ducta concumbere nõ potest, frustrabitur uoto suo. Et si mortua uxor resurgere uideatur, noua cura per totam uitam eum exagitabit. Et si mortuæ uxori aliam superinducere uideatur, erit domus tota in contentione: maximè si ex prima filios susceperit, aut suscepisse uisus sit. Et si uxorem non habens, habere uideatur, significat nonnunquam auxilium. Et si habens, non habere uideatur, significat molestiæ aut rei charissimæ ablationem. Vxores plures habere, plurimas molestias ostẽdit, quoniam uxores plures habere nõ licet. id uerò exit cum infamia. Vxorem dimittere, cum ea diuortium facere, alienari ab ea, est artis exercitationem relinquere. Vxorem ducere aliena forma, aut habere, aut filium, quod ad subiectũ attinet, idolum est. forma autem, ut mores, aut fortuna eorum eiusmodi erit: uelut uxorem uirum habere, erit autem sterilis, aut uiro dominari uolet. Si autem lapidea sit, sensu carebit: si uacca uel scrofa, meretrix. Vxorem ducere, est etiã phratriam ingredi: utrunq; enim perpetuum est, & à nobis separari nequit. Amittere uxorem, est amittere annulum: quoniam uxores annulis donare solemus. Si mortua uxor resurrexisse uideatur, inde denuò mori, significat filium aut filiam ex ea susceptam interituram. Quod si filium non susceperis, nec filiam, res à qua liberatum existimabas, rursus te torquebit, & rursus ab ea liberaberis. Si uxorem habẽs cœlebs uideatur, aut ad iololum referendum erit: aut si artifex sis ditatus, relinquẽs artem. aut multitudinẽ amicorum significabit: nam cœlibes à multis coli solent.

Filius significat genitale, cor, oculos, puerum etiam alium. Cum quadam

nocte uidissem filiũ meũ quadrimum crcuisse in immensam magnitudinẽ, sequẽti die oblatus est mihi puer xij. annorũ quouis puero xvi. annorũ maior. Filius à φίλος græcè dicitur, quod est amicus: propterea significat amicos, et oẽs delicias: et filia, propius φιλία, et cõcordiã, reconciliationẽ, fauorẽ studiũq; significat. Sed & semẽ, genituram, coitũ, stirpẽq;, propter γόνος: et genua etiã, propter affinitatẽ noïs. Et rursus puerũ, iuuenẽ, ramũ, satietatẽ: propter νίφος: et nigrũ ac purũ, ob νοχὶς, graui cũ accẽtu: et famulũ, uel impubẽ, pupillũue, aut infantẽ propter παῖς: et partũ, à τίκτω: et pignus, atq; artẽ, & catulum, τίκνον: et nepotẽ, et adoptatũ, ab ὑὶὸς. Ergo tot significare oportet, uel qa nomẽ illius ab aliena lingua deriuatur, uel qa nomen eius in aliena lingua illa alia significat, uel etiã propter propinquitatẽ et etymõ. Sed etymo utimur in oïb. interpretationibus aũt aliarũ linguarũ et deductionibus, nisi in ijs q illarum linguarũ periti sunt. unde hic maternã, latinã ac Græcã, tanq; magis familiares et cõmũes proposuimus. Eadẽ aũt erit ratio Hæbræis et Germanis, ut in sua lingua deducant et ab etymo sumãt interpretationẽ. nã si iuxta interpretis scientiã et linguarũ pitiã deduci posset, ad oẽs linguas cõfugere liceret. At linguas esse, fuisse, futurasq; infinitas, demonstrauimus in lib. de Arcanis æternitatis: atq; singula singulis demõstrari posse noïb. ut bos aliquãdo canẽ significaturus sit. Itaq; sciẽtia hæc, sciẽtia nõ esset: at est. et somnia ut gẽmæ, quarũ quædã sunt ueræ, q̃dam falsæ. ita somniorũ genus (ut dixi) totũ ex falsis uerisq; pmistũ est. Concũbere cũ filio, mortẽ illius aut abdicationẽ significat. est. n. oïo cõtra naturã. et corruptionẽ uocamus seminis emissionẽ. Si uerò semẽ emittere nõ uideatur, abominãda perpetrabit. Deosculari filiã ueneris gratia, benefacere amico impotẽtiori. neq;. n. adeò absurdũ est cõcumbere cũ filia, ut cũ filio: nec deosculari amoris causa, ut concũbere. filius aũt et filia nõ solũ amorẽ ex noïe Græco significãt, φίλος, sed ex natura ipsa rei. ideo hæc noticia est apud oẽs gẽtes uelut actus primus, qui deducitur ad secundũ. at noticia nominis Græci aut Latini non est nec in actu primo, nec secũdo, nisi apud eũ qui didicit illã. Quẽadmodum ergo scimus mouere musculos ad quẽcunq; situ ac motũ mẽbri cuiusuis, nec tamẽ scimus quõ faciamus: ita nota naturæ significationẽ suã retinent in somno, quia à causa naturæ imperãte oriũtur, licet nõ sciamus illa. Quòd uerò ex noïb. ipsis originẽ ducũt, nullã habẽt causam huius originis, nisi uolũtatẽ et cõsensum hominũ, qui cũ assiduè permutetur, infinitũ euadere necesse est. at infiniti nullam esse disciplinã, nulla præcepta, palã est: tamẽ minus incõstantis. q̃ aũt secundũ naturã, etsi plurima sint, ad pauca reduci posũt p ordinẽ, imò tãdẽ ad unũ, ut in lib. De uno docui. Quæ igitur secũdũ naturã significãt, interpretationẽ iuxta solertiã nõ somniãtis, sed uatis ipsius sortiũtur. Filij significãt curas, ex regula generali tradita, qđ q̃ bonũ significãt, cõtrariũ etiã significãt, si in malã par-

tem

tē accipiantur. Filios inuicē pugnare, est negociū tractare difficillimū, adeò ut nescias q̄d uelis. filios ferre humeris, est tolerare illorū improbitatē. Reliqua ex similib. Flētes tamen filios uidere, magnū patri denūciat infortuniū. Esse sine filijs, nec tristari, bonum est: nam significat abundantiam omnium rerum.

Agnati significāt res ad patrē ptinētes, et ex eo originē ducētes, et cognati à matre, et affines ab uxore: uel fratris aut filiorū, uel patris uxorib. Neq; absurdū est, animas nostras puriores facta cōiūctorū cognoscere: eū etiā idē accidat in uigilia. pleriq; n. norunt suorū negocia melius q̄ illi ipsi. Sed in somnis alia ratiōe. ob id. n. quoniā animā habēt illustriorē, aut puriorē. Supiores in omni genere patrui magni, materteræ, patrui, soceri, socrus, potētiores aut seniores amicos ostēdūt: ut cōtrà minores, nepotes ex fratrib. aut sororibus. Aequales aūt, amitimi, cōsobrini, patrueles, cōsoceri. Horū propriū est, de nuru & filio uel genero filiaq̄; aliquid significare. Differunt à parētib. ij oēs, ac filijs, quoniā nihil syncerū significant. Differūt etiā ab amicis, notis, familiarib. atq; domesticis, quoniā res significāt quæ ex cōiunctione sanguinis pēdēt: ut lites, diuisionē bonorū, eorūq; dispēsationē ac distributionē, et eomes cōsanguineos. Bonū est, ac magis propitiū, eos uidere qui curā tui gesserūt dū uiuerēt, & qui hæreditatis partē tibi reliquerūt, et qui sine filijs obiere. Magnū. n. uideri debet, eū q filios reliquerit, illorū cura omissa, tui agere. Q̄d si cōtingat, uel etiā in q̄buscūq; oportet cōsiderare, quō antea erga te affectus fuerit, et qualib. morib. ubi habitauerit, et ubi et cū q̄bus uersatus, et q̄bus in rebus fuerit. Q̄d si nihil poßis cōijcere, recurre ad nominū interpretationē. uelut uolēs honorē egregiū representare, coronæ noīe Græcè, q̄d eius linguæ nō sis impitus, ostendit. uocatur aūt corona Græcè στέφανος: subijcitur huic nomini (exēpli gratia) sororius tuus: tu sororiū uides, quoniā illū huic noī anima subiecit. ita nulla facta mētione coronæ, uisio sororij ingentē gloriā decernit. Agnati. n. causa bonorū mali sunt, quoniā cū huiusmodi litigare solemus causa in honorū boni: at cognati in causa honorū nō sunt adeò utiles, magis tamē fauent saluti. Affines uerò omnibus in causis sunt meliores. Contrahere cum sorore aut cōsanguinea matrimonium, cœlibatum significat. Videre se pluribus consanguineis septum, calamitatem magnam nunciat, aut nuptias: in ijs enim & luctu & magnis infortunijs solemus à consanguineis circundari. Agnati pauci, aut singuli, lites significant. Agnati significant nasum, oculos, labra, dentes, ossa, neruos: cognati autem, carnem & sanguinem: affines uerò, ungues, capillos, quia adnascuntur, item membra genitalia. Consoceri significant magna negocia, & grauia, & prudenter tractata. Consanguineos nigra ueste indutos, aut alba, moriturum aliquem ex ijs significat. & ad te etiam pertinere

potest:

potest: hoc quidem, quia mortui pauperes sic efferuntur: illud, quia coniuncti sic in luctu induuntur. Eadem alijs lugubribus signis decernuntur. Actiones cõ sanguineorum seniorum persæpè docent quid opus sit tibi agere consanguinei omnes significant dentes. Affines etiam, sunt ministri artis. Et concubitus cum affinibus alicuius, significat inimicitias cum illo, atque iniuriam illatam ab eo qui concumbet.

In domesticis eadem ratio, quæ in coniunctis & amicis, habenda est: mediũ enim possident locum. quod si quid ex memoria præteritorũ, quod & in alijs dictum uelim, oriatur, proculdubio ad mentis affectum referendum est. Solemus tamen & in ijs melius persæpè per somnum quàm per uigiliam prævidere: quòd minus ab affectibus teneamur, & à sensibus distrahamur. unde etiã minimum dolorem per somnum, tanquam rem magnam & grauem, percipimus. Itaq; solers anima, quandoq; etiam melius per somnum exitum rei, ut minus impedita præuidet, quàm per uigiliam: ut neq; hoc secundum genus somniorum sit ex toto uanum, sed tamen non adeò certum ut quartum: tertio sanè fermè par. Causa tamen erroris, si qua est (ut homo falsa à ueris distinguere queat, & iudicia recta ab erroribus) est, cum aliqua in parte per somnum res maior uidetur, aut magis timenda, aut maiore cũ spe, utilitate, facilitate, quàm sit: tunc falsum redditur somnij iudicium.

Cæterum de domesticis, ut retulimus, ratio media inter amicos & coniunctos generaliter haberi debet. Specialiter autem sic definiemus. Prodromus significat anticipationem negocij. hæc autem uel errorem uel celeritatem exitus denunciat. Dispensator significat alienam negociorum tractationem, cum solicitudine. Qui est à libellis, significat res secretas & occultas tractaturum. Cubicularij significant morbum & periculum: ijs enim utimur, cum male quoquo modo ualemus. Procurator significat paupertatem: eo enim maximè utimur, cum pecunijs indigemus. Qui à pedibus sunt, iter & inimicitias portendunt. Siue ergo quis in aliena domo se talem factum existimet, quod deterius est, siue suos aliquid agentes uideat, eadem significantur. Porrò cum ad corpus comparantur, prodromus pedes, dispensator uiscera, procurator manus: cubicularij uentriculum, pulmonem, iecur: qui à libellis est, cor, cerebrumq; significant. Qui à pedibus sunt, partes exteriores, quæ nos tutantur. Cocus, dolores et curas, quia ab igne uritur, iuxta Poeticum illud: Cor urunt curæ. Et ex membris palatum & gulam, os & dentes. Calones autem, uesicam & anum, & uiles ac turpes humilesq; actiones. Famuli qui parant mensam, & laborãt, humeros & actiones necessarias. Qui uerò uoluptatem exhibent, ut aucupes, mimi,

mimi, scurræ, pueri pudenda. Domestici omnes, pro illorum diuersitate et munijs dentes significant: ut dentes, domesticos.

Caput LXIIII. De notis.

AMici, curas significant: inimici, pericula & molestias: familiares, labores & iacturas, nonnunquam utilitatem. Amicorum monitis & prædictionibus fidem adhibere debemus, iuxta illorum prudentiam: narrationi autem plenam habere decet. Inimicorum monitis credendum non est, neq; historiæ, nec prædictioni: sed duntaxat monitis, quæ suis dicũt. Inimicorum loco significantur omnes nostri animi perturbationes: sensus quoq;, & agnati, ut serui, & famuli, ac uoluptates ipsæ, & filij in opulentis, & artis eiusdem professores. Amicorum aũt loco, æmuli, ratio morbi, paupertas, studia, labores, nũmi, prædia. Familiariũ, mors, inuidi, et qui ex ordine uersantur in domo tua Medici, sacerdos, uicinię, pistor, geruli. Vnũ uidere amicum bonũ est, auxiliatur enim amicus: plures autem malum, conueniunt enim non nisi in magnis calamitatibus aut nuptijs. hac igitur solũ feliciter significare possunt. Plures unum post alium uidere amicos, magnum periculum aut dignitatem ostendit. Vnum uidere inimicum, malum: plures autem simul iunctos, bonum. Solent enim cõgregari in magnis inimici felicitatibus. Familiarium ratio eadem est, quæ & amicorum, sed minus efficax. Amicos discurrẽtes uidere, periculum præsagit, aut iacturam magnam: inimicos autem, bonum. spem enim tibi magnam futuri boni, aut potentiam declarant.

Amicam uidere mulierem, & honestam, hortantem ad uirtutem, paupertatem significat, in qua diu manebis. Amicum uidere similibus indutum uestibus, significat æmulum. Amicum equo insidentem uidere, ac illum moderantẽ, bonum est: ratione enim utêris, & feliciter tibi eueniet. Amicum te prementẽ uidere, est morbo premi, à quo sis euasurus, & quem bene feras. Premi ab inimico, est morbo quem molestè feras detineri, & periclitari de uita. Amicum uidere cogitantem, & pallidum, significat studium tuum futurum assiduum circa rem aliquam. Amicus sedens & defatigatus, aut sudore perfusus, laborem significat. Amicum uidere in arca, uel occultatum in domo, uel splendidis uestibus ornatum, lucrum & diuitias ac nummos significat. Si uerò amicum spicis ornatum, aut pampinis uitium, aut in horreo, prædium utile & fœcundum promittit.

Inimicum uidere nos prementem, est à perturbatione uinci. Et si lædaris, etiam perturbatione uictus admittes aliquid mali. Inimicum uidere blandientẽ, est à sensu deceptum aliquid damni aut periculi pati. Inimicum uidere tecum litigantem, aut in speculo illius effigiem inspicere, erit cum agnato litiga-

re. Inimicum uidere sibi prorsus similem, est à filio improbo decipi, uexari aut lædi. Inimicum uidere tuis indutum uestibus, aut similibus, est contra aliquem tuæ artis pugnare aut litigare. Inimicum uidere solicitantem te ad libidinem, aut mastuprantem te, aut fœdius aliquid tecum committentem, est propter uoluptatem quippiam turpissimè admittere, cuius causa pœniteat te. Inimicum uidere ingredientem & egredientẽ è domo tua, aut epulantem in domo, est pati insidias ac pericula à seruis aut famulis.

Familiarem uidere cum falce, aut arcu ac sagittis uenientem ad te, nec quicquam dicentem, aut solum uocantem te, mortem proximam significat. Familiarem inspicere macilentum, pallidum, ac oculis lachrymosis, est inuidum aliquem eadem quæ illum agere uideris peragere. Familiarem uidere uisentem te in lecto, aut longa ueste indutum, significat medicum tuum. Familiarem uidere deum aut diuum aliquem, aut horum habitu, aut sacra tractantem, aut sacra tibi ministrantem, significat sacerdotem. Obserua igitur quid post agat, & talia ab illo patieris. Semper enim aut plerunque in actionibus diuersis illud præ oculis habendum, quod priores significant, quod significatur, & posteriores personæ qualitatem, aut contrà. Velut uideo familiarem meũ panes tractantem, inde auferentem uestem, dicam pistorem infamia me aspersurum. Neque necesse est ut sit ille tuus pistor, sed qualiscunq;. Familiarẽ quoque uidere placentas tibi dantem, pistorem significat: at laceris uestibus et pannosum, gerulum.

Amici inimicis permisti, aut amicos inimicos futuros, aut inimicos amicos: aut amicos esse falsos, uel frustra illos pro inimicis haberi significat, aut uariũm successum. Inimicos exosculari, maioris inimicitiæ indicium est.

Creditorem uidere qui à te exigat debitum, mortem significat: ut etiam inferius docebo. nam seu Deus quæ mandauit, ut rationem eorum reddas, seu natura, corporeum hoc indumentum ambo interitum significant.

Homines quoq; noti, nec consanguinei, nec familiares, nec amici, nec inimici, nec domestici, sed ut uicini & magistratus, famam publicam nunciant nõ certò ita esse. Qui nec amicus est, nec inimicus, is ab incognito differt: quoniam in his quæ ad historiam pertinet, fidem habet, sed nec plenam. in monitis autem uel prædictione uim non habet: neque enim prudens quisquam solum tibi cognito rem magnam referendam committit. at incognitus, & Deum & uitam, & mortuum & dæmonem, & amicum & inimicum, & eum qui nunc incognitus est, aliquando autem fiet cognitus, referre potest. quapropter incogniti & fallere & uera dicere possunt, pro ratione personarum: eorum qui ad te non attinent uerba parum habent fidei. Noti, interrogationis uice habendi

benda est ratio. ut, ægrotat frater tuus? Sed iam pro personarum differentia res ipsas distinguamus.

Noti qui nec amici sunt, nec inimici, nec consanguinei, nec familiares, nec domestici, sunt uicini primum, inde amici uel inimici tuorũ, & inimici recõciliati, & amici qui ab amicitia tua recesserunt, & qui ambiunt tuã amicitiam, & quorum opera aliquando usus es, & quia tua opera aliquando usi sunt, & salutatores, & magistratus, & qui in fõro manent, & qui notati sunt ignominia, & qui præclaro facto innotuerunt, & sacerdotes consueti templi, & qui eandem exercent quam tu artem, & coniuncti amicorum aut inimicorum tuorum. Rustici autem nostri pro familiaribus, non pro notis habendi sunt. Vicini ergo res pro fama notas ostendunt. Amici autem tuorum uel inimici eadem quæ amici uel inimici tui, sed non adeò certè, ostendunt. aderit autem aliquid etiam medio illorum coniunctorum, & iuxta eorum naturam: ut si fratrem habes parum prudẽtem, sed leuem, parum aut nihil amicis illius tribuendum erit: sed pro nugis & inani fama, quæ egerit aut dixerit, habenda sunt.

Amici reconciliati, dolum aut adulationem ac uanam spem significant. Amici qui amplius amici non sunt, dissolutionem alicuius rei gratæ atque iucundæ minantur. Qui uerò ambiunt tuam amicitiam, ij falsam spem, adulationem, leuemq; utilitatem prædicunt. Ii quorum opera aliquando usus es, si eos deseruisti, uanam spem & dolum significant: si cum opus est eis uteris, utilitatem raram ostendunt. Qui uerò opera tua aliquando usi sunt, nec te deseruerunt, beneficium in aliquem non satis certa ratione collaturum declarant: si deseruerunt, indignationem. Salutatores, longinquas spes & fabulosam negociationem: unde cauere oportet, ne irridearis. Magistratus, timores periculáque atque anxietatem etiam decernunt, cum noti solum fuerint. nam qui te nouit, nec amicus est, deterior est eo qui te non nouit. Qui in fõro manent, rumorem uulgi & publicam infamiam designant. At notati ignominia, malum rerum exitum decernunt: sicut contra præclaris factis noti, egregia cœpta & cogitationes: quæ tamen nisi auxilium ab alijs somnijs sortiantur, incassum cedunt. Sacerdotes rem legitimam, & tamen parum faustam decernunt: quoniam plerunq; ad calamitatem aduentum uocantur. Qui eandem exercent artem quam tu, iniuriam & insidias notant. quandoq;, quæ illis euenire uideris, tibi euenient. Coniuncti quoque amicorum & inimicorum tuorum, eadem penè quæ amici uel inimici tuorum coniunctorum. Semper autem tum in his, tum in alijs, habenda est ratio morũ personæ illius, ac potentiæ, tum imminentium tibi bonorũ aut

malorum, aut eorum quæ animo conceperis. Coloni, utilia negocia aut necessaria ostendunt.

Hæc igitur sic dicta sint, cum aliqua breuissimè tradiderim, ut prolixitati parcerem, præclarisq; ingenijs tædium non afferrem: alia autem, qualia hic diffusè: ut non solum intelligerentur hæc, sed & omnia ad eandem normam retracta: ita libros hos & actu breues, & potestate immensos effecimus.

Caput LXV. De incognitis.

INcognitæ personæ duo significant. aut enim animi passiones, aut personas quæ non nisi perfecto somnio innotescent: uelut si quis filium occideret, inimicum illum esse existimans. Animi ergo perturbationes habentibus sunt incognitæ, & nos mouent, negociumq; cum illis est non secus ac cum hominibus alijs. & masculi significant perturbationes corporis, et actiuas, ut amare, odisse, irasci, lætari: fœminæ autem, animã, & affectus passiuos. Anima enim apud Latinos, Græcos, Italos, sub fœminino genere profertur: corpus quasi masculino, quamuis & Græcè & Latinè sub neutro articulo uarietur. Sunt autem passiuæ perturbationes, dolere, tristari, timere, inuidere. Sermones cũ incognitis, sunt umbræ rerũ, ac spes inanes, atq; suspiciones. Verùm actiones pro successibus habendæ sunt. Ideo contigit, quod quidam cum adhæsisset Principi, prima nocte qua in illius domũ receptus est, uisus est interrogare ignotũ, quid illi ex huiusmodi seruitute sperandum esset? cui ille, cum Nerone positus es, respondit. Scisciatus est à me, quid portenderet? respondi, infecta re exibis è domo: interim cum spe ut diteris, & timore ne te occidat, uiues. talis enim Nero fuit. nihil autem eorum continget, quoniam responsum est incogniti. cum ergo nec ille te ditaturus sit, nec tu securus uiues, necesse est breui amicitiam dirimi. In longo enim tempore aliquid præter suspicionem contingere oportet. Incogniti reges potentesq; uiri declarant maximos in nobis affectus. ij sunt timor & spes: quibus proxima sunt mœror & lætitia. hæc enim sunt eorum quæ sunt, illa eorum etiam quæ esse non possunt, ideo infinita.

Est etiam incognitum futurum, quodcunq; præteritum cognitum. quod uerò habetur pro indifferẽti, id est de quo nihil tale cogitamus, est præsens. Videre ergo homines incognitos, incognitã urbẽ, talia erunt uitæ tuæ futuræ spacia, læta tristia, felicia infelicia, cõmoda incõmoda, laboriosa mollia. Incogniti fructus opera tua, aut eorum compẽsatio. Nascituri ergo ex te, etiam pro incognitis habendi sunt. Opprimi ab incognitis, est consilijs hominum decipi atq; succumbere. Incogniti etiam actiones referre possunt uelut adulteriũ uxoris, furtã domestici: hæc enim tibi ignota cũ sint, sub persona incogniti referũtur. Actiones. n. per homines significari possunt: uelut est in prouerbio, Res ipsa loquitur.

Obsoleta

Obsoleta quoq; & uetusta, incognitorum personarum sub specie referuntur. Significat & incognitus eum in quo deciperis, scilicet perfidum amicum, & eum qui cum tibi amicus sit, inimicum esse existimas. Quoniam uerò incognitum ad cognitum semper deducere necessarium est, non solum in genere, sed etiam in specie (aliter inutilis esset huiusmedi doctrina) ideo ad sex hæc respicere oportet: formam, habitum, locum, socios, actiones, ac uerba. uerba quidem declarant persæpe ad quem pertinent, quis'ue auctor sit: locus maximam uim habet, ut uel eorum quæ ibi gesta sunt memoria cognoscamus, de quo agitur: actiones etiam multum faciunt ad declarandum quid sit de quo agitur (tria enim plerunq; sunt de quibus quæritur, quis, quid, à quo) inde forma & habitus docent qualis sit: demum socij. Si enim ex ijs aliquis prioribus ex coniecturis agnitus sit, deducet nos in cognitionem principalis. Considera etiam ætatem, sexum, uultum, ac reliqua. Quod si tandem nihil offertur, exitum rei potius significari quàm prohiberi intellige, ut non nisi malum præsagiat.

Caput LXVI. De Regibus & Principibus.

TYranni significant plerunq; affectus utiliores animi, amorem, metum, spem magnam, & ex rebus casum: uxores, filiæ, sorores, amasias, matres, tyrannorum fortunam, & uoluptatem, ac spem etiam, sed inanem. Tyrannus, sed non sub tyranni cognitione, uiolentum & potentem inimicum ostendit: ut si Phalaridem uideam, nec de illo cogitem quod sit tyrannus. Rex autem significat legem, usum: & si potens sit, regulum quempiam. Deum significare non potest, quia cum illo nobis nihil est: aut si est, ignotum est. Regina, & filia regis, & uxor regis, & amasia, fortunam, sapientiam, legem etiam, & religionem significant: ab omnibus enim ijs regimur, sed & Rempublicam: hæc enim Regi intima est, ut quæ diximus mulieres & fœmininо sub sexu comprehendi. Regnare sibi uideri, mortem publicam etiam nunciat: quoniam cum pompa ducuntur qui sic moriuntur, et à stipatoribus more regum cinguntur. Significat & priuationem affinium: quoniam insociabile est regnum, & occulta reuelat. nam reges in oculis sunt omnium. Bonum est seruo, libertatem enim significat: et philosopho, quoniam liberè uiuet. Aegro mortem portẽdit: nemini enim subiecti sunt mortui. Significat & rex publicam pecuniam, quoniam in ea imago apparet. Quidam accipiens ex ore regis duos dentes, duabus sententijs à Rege latis uictor euasit. Alius cum uideretur centurio à Rege factus, centum epistolas regias accepit. Alius argentei templi præfectus factus uidebatur, & factus est dispensator regiæ pecuniæ.

Cum Pontifice esse, uel Cæsare, uel Rege, uel principe, significat seruitutẽ: ut etiam carceres. nam qui huiusmodi seruiunt uiris, quasi in seruitute & car-

cere sunt. carceres tamẽ nõ significãt blandientes, sed solũ seruitutẽ cũ spe. Interest aũt inter Pontificem ac Cæsarem, & alios principes quod Pontificũ potentia abest à uitæ periculo: quoniã quatenus sacerdotio præditi sunt, neminẽ occidere fas est. non tamen adeo securæ sunt expectationes ex illis. Cum tyranno esse, molestiam, timorem, seruitutem, carceres, morbos, paupertatẽq; significat. omnia enim talia in nos tyrannidem exercent. Cum Pontifice etiam esse, est cum maiore respectu et timore uiuere. Significat etiã cultum religionis, & studia pia: talis enim est institutio illius supremæ pietatis. Sacerdotib. Põtifex maximus fortunam illorũ significat: quæ talis erit erga illos, quales uidebuntur eorum uultus. Principem tratum sibi uidere, malum est omnibus, præsertim tamen subditis. Regem dominari, significat securitatem: mori autem, præsidio magno destitui. Regem adorare, est religionem uenerari, ac Deum. Rex quoq; significat animum nostrum, qui corpus regat, & nobis imperet. Vnde Regem captum uidere mortuum in obscuro loco, & inter nebulas, significat mẽtis casum, & decedere ex sensu. Duos reges uidere, oculos. semper significat. uniũ autem, quandoque unũ: quicquid patietur Rex, patietur & oculus tuus. Quæ cunq; etiam propiora sunt natura, minus uerenda sunt: unde pauperi uidere regem, aliquando mortem publicam nunciat. quid enim pauperi cum Rege? diuiti autem melius est.

Duo præcipuè in hoc obseruanda sunt: commutatio, & esse cum illis. Esse quidem non malum est, & ad uultum ac uerba eorum respicere oportet: at commutatio sanè periculosa est, quoniam non conuenit priuatis. Optima est ijs qui commutare personas solent: nec tamen bona absolutè. huiusmodi sunt Poetæ, Comœdi, & scenicæ personæ, moriones & mimi. Deterrima est, cum fuerit cum uestibus absonis: supplicium enim capitale significat.

Pontificum regum, Cæsaris, principum dicta, pro ueris habenda sunt. Et si uera sic esse non possint, interpretatione indigent tali, qualem superius te docui. Propterea cum Rex significet, ut dixi, præcipuè quatuor, legem, usum seu cõsuetudinem, animum, et regulum quempiam aut supremum magistratũ, distinguere oportet iuxta coniunctas affectiones etiam ipsas res. uelut si absurda facientem uideris regem, hoc ad animum magis tuum pertinet, quàm ad magistratum, legem uel consuetudinem. Quòd si uiolentum aliquid agat, ad consuetudinem uel principem aliquem. quòd si uinciri, cogi, iuberi, certa ratione ad legem hoc potius pertinebit. Quòd si basiari uel dormire, & quæ ad utilitatem pertinent, hæc ad principem potius quàm magistratum, qui rarò donare solent.

Hoc habet rex distinctum à priuato, seu noto seu ignoto, & à lege, cum lex

lex per aliud quàm per regẽ significatur, ut semper regi parêre sit necesse, nõ recusare, non uincere, non subterfugere. Interest autem inter tyrannum & regem, quòd cum uterq; sit ineuitabilis atq; insuperabilis, à tyranno iniusta, à rege iusta solum imperantur. Et quòd rex exorabilis est, & in pœnis mitior: tyrannus autem inexorabilis, non quia semper ita sit, sed quod ob id refertur per tyrannum, ut intelligamus quod proprietatem obseruare nos decet. Est tamen cum actio uitiat naturam: ueluti si deijcere regem è sede sua uidearis, peruinces contra consuetudinem: & percutere conculcareq; tyrannũ, animi affectum tyrannicum superabis. Et si tyranno irascaris, non obedies affectui: postquam obedieris, pœnitebit. At si uelis distinguere iratus tyranno, nec discedens & tristis, pœnitebit factí: at si lætus, aut discesseris conuicijs iactatis, effugies flagitij actionem. Damnari in iudicio à principe, est uituperari: non adeò enim magnum est, ut à iudice: quoniam non est principis hoc proprium. Priuatas res à principe accipere, & principi proprias dare, ut palliũ, coronam, ensem, sceptrum, bonum: contrà uerò, malum.

Caput LXVII. De Peregrinatione, nauigatione & naui.

PEregrinatio, mors est: peregrinari, mori: & præsertim si nesciat quò uadat. & si cum pluribus uideatur esse, cum pluribus morietur, in bello, uel seditione, aut naufragio, uel pestilenti morbo. & hi qui adesse uidebuntur, morientur. Nauigatio autem uitæ cursum significat, sicut etiam peregrinatio, in quibus mortem non prædicit. Nauigatio autẽ tranquillißimam aut laborioßimam decernit, peregrinatio medium inter utrunq; Nauigatio præterea pericula maiora peregrinatione significat. In peregrinatione multum refert, cum quibus et quo tempore. nam cum socijs et amicis sereno tempore, bona: cõtrà uerò, mala. Si enim fuerint uenti, erit periculum à latronibus & seditione: si pluuia, à morbo: si niues, frigus ab inopia necessariorum: si grando, à latronibus uexabitur, & malos caupones sortietur: si à montibus, dura, laboriosa, et metu plena erit peregrinatio: si lacus, flumina, torrentes, à potentibus uiris, populis ac iudicibus.

Nauis malus, dominũ domus significat: prora, ministros: puppis, amicos et auxiliatores: carina, opes et pecunias: uela, fortunam: temones, consilium & prudentiã administrantiũ: anchoræ, reis securitatẽ: actores aũt impediũt, & in negocijs ea in longum ualde protrahunt: rudentes, pacta et cõuenta: rostra, decus negocij: uenti et mare, publica monumenta in litibus: alijs autem in causis principes ac magistratus. Si in naui fueris, & ignem in ea uideris, quacunq; parte uideris, mane uentos ex eadem expectabis. scopuli, & arenæ cumu-

cumuli (sed hi minus) pericula in rebus agendis significant. Tum uerò remi, nautæ, si in naui sit, significant si non, procuratores & ministros. Ministri nauis, familiares tuos: Arma, actiones singulas, & animi fortitudinem ac promptitudinem. Nauclerus autem, exitum rei ac finem. Nauis significat congregationem hominum, maritum & uxorem. Quicquid naui euenire uideris, dum in illa te esse existimas, uxori eueniet: quicqd uidebitur uxori, eodē modo tibi. Et si uxore careas, filijs: et quicquid de illis nauigantibus uideris, uicissim tibi. Quòd si etiam filijs careas, loco illorum erit uicinia, collegium, aut amici uel consanguinei, dum modo congregationis speciem referant. Et si congregationi in naui ad te aliquid contingere uideatur, tibi illa euenient. Et si nauis in sicco uideatur uehi, difficultates & impedimenta maxima, ac labores. Qui nauigare uidetur, semper erit inter timorem & expectationem: donec significatio somnijs absoluta fuerit. fluctuabunt.

In quibuscūq; locis uideris esse, nec exitum inuenire, si loca incognita sint, aut publica, aut mortuis dicata, aut cum mortuis fueris, mortem significant. At si cœnosa, paludosa, spinosa, labores, damna & morbos. At si uiæ liberæ, apertæ, iucundæ, latæ fuerint, nec difficiles: incolumitatem, felicitatem, & bona omnia cum alacritate promittunt. Generaliter autem exitum non inuenire, res est omnibus hominibus & in omnibus causis pessima: ægrotanti mortem, litiganti oppressionem, iter acturo libertatem, seruo perpetuam aut saltē diuturnam seruitutem: quærenti, aut aliquid expectanti, irritum uotum facit.

Peregrinationis differētiæ sunt ex parte modi: eques, in camelo, in asino, in elephante: pedibus, item ad orientē, occidentem, meridiem, boream: per deserta, culta & urbes: solū, cum socio, cum pluribus socijs. Cum socio, ille est genius tuus, quodcunq; fecerit, dixerit, annuerit, deduxerit, obseruato. Si quidem ille (ut aliàs dixi) etiam pro ætatis ratione significationem mutat. Cum pluribus socijs, est uitam ac fortunam communem subire. Solum autem, uitam quandam peculiarem sibi seligere. Quocunq; etiam perueneris, siue urbs sit, seu mons aut flumen, et ibi quieueris, adnotabis nomen formamq;. nam hæc erit ultima pars uitæ, & mors. sed si statim somnus soluatur, mors inopinata erit, iuxta significatum. Si ergo in solitudinem perueneris, morieris inter studia: si in urbem, inter negociationes: si in montem, inter duros labores: si in uillam, miserè & inops. Si ad flumen, uel in eo casu præripieris impeditus. Si ad mare, magna meditans. Si somnium non de longa, sed breui sit peregrinatione: negocia huiusmodi habebis, & per hæc genera transibis, non tamen in eis morieris. Per deserta si sit iter, erit cum inopia & metu: si per urbes, cum turbatione & uoluptate: per culta, cum securitate: in asino, lucri par

ui cau/

uī causa: in camelo, magni: in equo, honoris: in elephante, potestatis. Ad orientem cum cogitaueris, cum incremento: ad occidentem, cum diminutionē & inclinationem: ad meridiem, cum debilitate: ad boream, cum robore.

Itinerum non fatalīū somnia quandoq; cogitationes, quandoq; negotiationes significant. propterea in itinere medio, aut ante finē interrumpi, est meditata non perfici. quòd si iter mutetur, negociatio quoq; mutabitur, aut cogitatio et institutīū. In uniuersum, itinera cum et cursum uitæ et mutationē ostendant, magnā uim in decretis hominū præ se ferunt. Si finē itineris honor exactus excipiat, aut boui insidens, aut capræ uel oui, uel sui seu arieti, iter ipsum agat, aut torque dum locum attigerit donetur, aut spectaculum uideat, in sublimi loco positus publicè peribit.

At uehi naui secundo flumine, ualde tranquillā uitam significat: ut cōtrà aduerso, laboriosissimā. In lacu nauigare, multā turbationē et paruū emolumentum prædicit. Nauigare in torrente, est uitam malè tutis consilijs fidere. At contrà non naui, sed pelui aut ligno flumine secundo uehi, est consilio bene uti, sed deesse necessaria.

Eadem fermè ratio erit equitādi leonem, nam securè uiuet: ceruum, semper in timore: draconem, ab omnibus timebitur: serpentem, cum difficultate uitā trahet, et sæpius è statu suo excidet. Equitare lupum, uitā ducet inter rapinas: equitare sceletum animalis, uiuet ex opere circa mortuos, ut si sit uespilo, aut mortuorum curator, aut in perpetua tristicia & solitudine uiuet.

Iter agere insidendo aui, generaliter malum est: quoniā et periculosum iter significat, & negociū non posse diu protrahi ostendit. Grypho tamen insidere, est potestatem regiam pauco tempore obtinere. Insidere anati, anseri, colūbo, meticulosissimā uitā est agere: aquilæ uerò, tutiorē et honorabilē: falconi et accipitri, minus. cycno, est operā dare poesi, ac disciplinæ quæ de dijs tractat.

Sub terra iter agere, est secretis inquirendis tota uita intentū esse, aut obscuram & sordidam uitam ducere. Iter molestè agere, est ægrotare sæpe. Caponæ in itinere, auxilia uitæ nostræ & bonos euentus, aut etiam malos significant. Caupones autem, consultores & fautores, & filiorum ortum, ac nuptias, & quæcunq; sunt in quibus uita nostra renouari uidetur.

Caput LXVIII. De damnatione, exilio & carcere.

DAmnari in iudicio, mortē, aut magna mala, atq; oppressionem ostendit, damnātur pœna pecuniaria & dedecore, exilio, uerberibus, carcere, triremibus, deportati ad metalla, membri priuatione, morte, et morte in tormentis. horū unumquodq; aut simpliciter, aut iam ut ducantur ad pœnā. De singulis ergo dicendū est: generali primò regula tradita, quòd simplex damnatio est

uelut affectio: initium autem pœnæ, est uelut actio. actio uerò contrarium significat: affectio autem causam, & quasi in idolum transit. neq; tamen semper hæc affectio, cum causam notã habeat, scilicet iudicis sententiã, idoli uim habet: nec initium actionis, cum sit finis affectus transit in contrarium: sed cũ iam actio ad medium peruenerit, uelut si damnatus ad laqueum ductus fuerit usq; ad scalam. Hæc igitur iuxta quantitatem sunt interpretanda.

Cum igitur ita sit, liquet oportere in huiusmodi euentum ex contrarijs semper mistum esse lætitia atque tristicia. Quid ergo omnia hæc significabunt, quasi secundum unam rationem? emolumentum quæsitum, & impetratum magna cura, solicitudine, laboribus, iactura rei, periculis, infamia, incõmodis ualetudinis, atq; huiusmodi. Nihil autem deterius quàm damnatum, atque iam ad locum deductum, liberari. hoc enim post sumptus, labores, cæteraq; huiusmodi, incassum reditura omnia, non sine dedecore, significat. atque hæc generaliter.

Speciatim uerò, pecuniaria pœna siue mulcta significat liberationem à cura & solicitudine pro magnitudine ipsius pecuniæ. & præponi ærario, & inscribi seu ascribi pro magistratu uel munere: & conducere à fisco. Significat & iustum fore, integrum, honorabilem, non solum ab ἀπαιτίᾳ, communi nomine: sed quoniam qui mulctantur, ab omnibus conspiciuntur, & iusti efficiuntur absolutione. sed & magnum crimen admissurum nunciat, uel reum agi, ob uerbum ἀλῶναι. significat & iacturam quamcunq; magnã, cum ad affectus causam refert.

Dedecore uerò affici est honorã consequi, et magistratũ: tum uerò turpia facere, pro turpia pati, misericordia subleuari: est enim affectus & passio in cõtrario. Et si uinctus in publico sit, erit hoc ex dignitate uel officio publico: tales enim publicè alligati sunt. Et si in ornatu & uestibus, dignitate ornabitur.

Exilium significat damnationem capitis, amissionem ciuitatis, peregrinationem, absolutionem à muneribus, mortem coniunctorum, destructionem familiæ, ruinam domus, uxorem ducere alienigenam: in alia urbe domum, aut agro prædium suum facere seu acquirere. carcerem etiam, & anathema.

Verbera significant morbos, luctum, commiserationem, lucrum præteritum & beneficium. Quod si triremes significent, ad idolum imperfectum attinent. Si ex uerberibus sanguis in terram fluat, expensas faciet publica causa.

Carcer uerò morbos significat, & quietem à negocijs: & si perpetuus sit, mortem significare potest. item studia literarum, uitam solitariam, consanguineorum & amicorum mortem: arcis præfecturam, aulam, magistratũ. hi enim custo-

custodiuntur. & cancellis fori præfici, & in naui esse: nullus enim firmior carcer. peste quoq; detineri.

Triremes nauigationem, piscationem, mercaturam, iter longinquum, publica alimenta, artem laboriosam, nec unquã quiescentem, podagram. alligati enim sunt utriq; pedibus. adolescere & augeri, & quæcunq; fiunt cõmunibus laboribus, ut fodere fossas, et aggerẽ erigere in bello, quãuis magis remota.

Deportari ad metalla, est suos coniunctos mori, ipsumq; hæredem instituí. Mortuu etiam significat, quoniam aliò ablegantur uincti, et sub terra manẽt. Sed et chymisticã artem. et secretorũ inueniendorũ anxiã curã decernit. præterea amißionem nominis, duram uitam, flagitiosamq; cum studio rerũ sordidarum. Catenatum autem ibi esse, impedimenta & fœdos amores. Cum pluribus, catena una uinctum, amorem mutuum causa quæstus sordidi, aut scorti haud insignis.

Damnari ad membri amputationem: siquidem manus cessabit ab arte, aut frater morietur, aut separabit se. Et si pes, res suæ reddentur inconstantes cum statu suo: auferetur q; id in quo maximè fidebat: si oculus, abibit filius, aut morietur. Cum enim priuationem significet, duplici modo ea fit. Et si dente mulctetur, priuabitur, parte redditiuum. Et si lingua, in lite succumbet, aut uoluptate priuabitur, aut auctoritate. Et si ut tondeatur, damnabitur ad triremes, aut fiet sacerdos, aut magistratu priuabitur, si in eo fuerit. Et si testibus, auferentur omnes illius deliciæ, uitaq; iucunda usq; ad mortem, & autoritas. Et si stigmata imprimantur in facie, fiet notus omnibus, & hoc ob insigne infortunium ac dolorem. Et si aures præcidantur, fiet infamis: & à studijs disciplinarum, si eis operam dare consueuerit, impedietur. Et si nasus, hoc est maximum infortunium, nisi semet in solitariam uitam redegerit.

Damnari pœna capitis, deterius est quàm ullo alio mortis genere: quoniam corpus minuitur, non seruata æqualitate. ideo significat amißionem dignitatis, auctoritatis, potentiæ, deniq; libertatis. Ad laqueum, est pendere animo, dignitatem aut ministerium consequi, supereminere alijs, laudari, inuideri. At strangulari in carcere, est prohiberi ne detegat: esse à secretis principis aut magistratus. Exuri autem, est ambitione oppleri, coli pro diuo, extolli ad sidera, magna pecunia ad nomen insigne ascendere.

Rotæ autem inseri, est sublimi loco firmiter conspiciendũ stare, ministros multos habere. non tamen liber erit: principalibus negocijs se immiscebit. Palo transfigi, est inhærere lucro & spei, pueris obscœnum. In crale torreri, est quiescere inter curas opum, & in uoluptates eas consumere. Diuidi

in frusta, & appendi diuersis in locis, optimum est filios aut fratres multos habenti: illi enim in diuersas regiones migrabunt, constitutis locis, & famo si euadent. Serra diuidi, est paulatim ex una domo atq; familia duas facere: item plures habere seruos, ideo pauperibus bonum est. unus ut in fouea sepeliatur damnari, est thesauris inuentis aut partis, totum in illorum cura esse, aut in studio arcanæ alicuius rei, uel impediri prorsus ab actionibus.

Caput LXIX. Senarii authoris ignoti, ex Adriano Iunio. 60.

ADieci hæc carmina, quòd aliquid præter ea quæ dicta sunt continerent: & ut intelligeres, rationes superius traditas omnium qui de hac materia rectè senserunt, congruere. Porrò non hæc sola significari existimabit, sed apposita præcipua in singulis significata, & quæ frequentius eucnire solent.

Celare noli somnium, quando liquidum est.
Pigrè moueri, semitam duram facit:
Actus secundat, somnies si currere.
Calcare prunas, noxiam signat grauem.
Botros edere, notat madores imbrium.
Ficus edere, cauilla scurrarum notat.
Molestias signat, uorare dulcia.
Comesa lactuca, indicat morbum grauem.
Oua edere, continereq;, ostendit mala.
Si somnians ridebis, angor te premet:
Sed si fleas, repleberis tunc gaudijs.
Succendi ad iras, hoc acerbum est somnium.
Petræ insidens stabili, bonam spem contine.
Muro insidentem, sors secunda te manet.
Mulcta grauaberis, super stercore sedens.
Putoris omen, esse crede molestias.
Animæ inquinamentum notat, cœno infici.
Cœnosa peragrans, sentiet uitium ingeni.
Fons limpidus, mentem serenam denotat.
Potare limpidam, bonum omen prædicat.
Cœnosam aquam bibens, agit in angustijs.
Ebulliens aqua, perduelles nunciat.

Sere-

Serenat animum uappidi potus meri:
Sopit dolores dolio exhaustum merum.
Vinum bibentem pugna te manet grauis.
Fluuius inundans, hostilem incursum notat.
Aequor serenum nare, faustum est somnium.
Aequor natare turbidum, angores notat.
Aurum tenere somnians, uoto excides.
Clauos tenens, ab hoste periculum caue.
Iactura certa est, passer euolans manu:
Tenens columnam, numinis speres opem.
Votum obtinebis, si manu accipitrem premas.
Accipiter euolans, malum adfert principi.
Claues tenere, stabile fœdus indicat.
Remoram notant flagella torta uitium.
Se eluere totum, exterminat curas graues.
Abluere dextram, curarum fascem fugat.
Eluere plantas, diluit curas graues.
Latos pedes habere, portendit malum.
Viam ingredi nolito, succiso pede.
Inglorius eris, te ustulatum somnians.
Curis eris liber, necem si somnies.
Volare, successum rei lætum notat.
Præsagiunt pugnas hostiles, basia:
Aduersa sors portenditur præcipitio.
Se iacere pronum in fossam, signat tristia.
Est mysticum, cœlum uidere uoluier. Aliter:
Currentem equi pullum uidere, mysticum est.
Damnum ominare, si columbas uideris.
Visi boues, sinistra portendunt mala.
Diram augurantur mortui pestem boues.
Visum cadauer, indicat necem grauem.
Est ominosa res, atros uidere equos.
Albos equos uidere, faustus nuncius.
Signant periculum ab hoste uesparum agmina.
Videre lumen, res loco in claro notat.
Pelagus quietum cernere, est omen bonum.
Fremitus maris, negocijs turbas notat.

Albens caro, res auſpicata eſt admodum.
Nigratio cutis, bonum nulli notat.
Canum latratus, hoſtium inſultus notat.
Hoſtile conamen cadet, uiſa niue.
Omen bonum in ſomno eſt, amictus candidus.
At pulla ueſtis, curæ inanem non facit.
Purpurea ueſtis, non grauem morbum notat.
Rubens ſtola, euentus rerum felicitat.
Magnam foue ſpem regia indutus ſtola.
Diſrupta ueſtis curarum faſcem eximit.
Præciſa zona, celeriter expedit uiam.
Damnum in negocijs, coma obraſa indicat.
Diſcrimen ingens crinium caſus notat.
Tentus manu enſis, auguratur prælium.
Confringere enſes, hoſtium ſtragis nota eſt.
Tonitrua ſomni nunciorum dicta ſunt:
Qui ſe ſenem uidet, manet eum dignitas.

LIBER SECVNDVS DE SOMNIIS, PROVT PROPRIIS differentijs diſtinguuntur.

Caput primum. Non poſſe hanc ſcientiam deduci ad exactam perfectionem, nec debere, ob tres cauſas: Fati repugnantiam, Exemplum aliarum ſcientiarum quæ diuinare docent, tum ob id quod eſt in ipſis de potentia: quia animæ eſſentia immortalis eſſe non poteſt, ratione eorum quæ ſunt in actu: quod'q; tantum abeſt maximum, quantum minimum. Reſponſio ad Ciceronis obiecta.

NOn eſt exiſtimandum, quod multi tamen credunt, eam poſſe tradi de ſomnijs doctrinam, quæ uelut in Geometria aut medicina uel architectura, hominem ad perfectam, exactam ac propriam cognitionem rei deducere queat. nam neq; ratio primùm fati id admittit. Si enim quæ uentura ſunt, omnino uentura ſunt, & perfecta intelligantur antequam uentura ſint, duorum alterum euenire neceſſe erit:

se erit: aut ut quæ uentura sint, certè non eueniant: aut ut nostra uoluntas non libera sit. quorũ utrunq; perabsurdum est. Nã non futurum esse quod futurum est, & quod liberum est non esse liberum, omnino ut sit fieri non potest. Deinde quòd uideamus omnes huiusmodi scientias quæ futura docent, Astrologiam, Physiognomiam, Metoposcopiam, Chiromantiam, non ad ultima peruenire: nec ita definire singula ut naturales solent, aut artifices. Verùm omnes hi circa generalia quædam subsistunt, nec ultrà progrediuntur, quoniã progredi nequeunt. nam si Venus benignitatem fortunæ pollicetur, & Mercurius studiorum et sapientiæ causa, cum & studiorum innumera sint genera, & bonæ fortunæ etiam quòd Mars Ioui mistus medicinã significaret, adhuc ad hoc ipsum quod quæritur definiendum penè infinitæ differentiæ cognoscendæ relinquuntur. cuiusmodi, qua in urbe, cum quo Principe, qua in medicinæ parte, quando, quantum, ac reliqua huiusmodi. Verùm quod maius est his duobus impedimentum, est ipsa rerum natura, scilicet animæ & uisorum, infinita. quæ enim uidentur, uideriq; possunt, infinita sunt. Quomodo igitur infinitum, quãtumuis magnis libris ac multis cõcludetur? At uerò anima, ut ad actũ refertur, omnisq; alia natura præter diuinam, finita est. Ob id aberrat Cicero toto tramite, existimans memoriam hanc tam grandem, ut illi uidetur, seu ut Hortensij (quem plurimum in ea ualuisse referunt) seu propriam, cum secundam Philippicam recitabat, seu Cyri, quem dicunt totum exercitum singulosq; milites (erant autem penè ducenties mille) seu Mithridatis, si uerum est quod uiginti duarum gentium, quas sub imperio suo regebat linguam, teneret: aut Cyneæ, qui uno uel altero die Senatores singulos facie noscere, ac nomine salutare didicit, tum etiam equestris ordinis nobiliores: seu Senecæ, qui de se etiam refert, potuisse firmiore adhuc ætate duo millia nominum discere ac recitare, immortalitatis animi aut infinitæ naturæ esse argumentum: magis quàm Coruini Messalæ, quem referunt etiam proprij oblitum esse nominis. Nihil enim quod commune sit mortalibus, quantumuis excellat, infinitæ aut immortalis naturæ argumentum esse potest. tantum abest quod maximum est, quàm quod minimum: seu uideas ut lynceus, seu sapias ut Aristoteles, omnia hæc tam absunt ab infinito, quàm quod maximè ab eo distat. Est enim naturæ infinitæ argumentum solum, quod nil cum mortali commune habet, uelut esse capacem omnium, seu illa sit memoria Platonica, seu intellectus quidam, seu potestas ad omnia, ut materia illa prima. Neque ergo id quod spectamus, quod magnificimus nos, immortale est: sed immortalitas plerunque abdita est in uilioribus rebus. Anima

uilis

uilis scarabei sempiterna manet, decus Phydiacæ artis & Apellis citò perit. Potestas est in his inferioribus quæ immortalitatem declarat, & infinitatem, non actus ullus. Vtrum enim uitæ infinitum actu cognoscant perfectè, ut à nobis differant, an non, ut à Deo, alterius est considerationis. Verùm quod ad hanc pertinet, illud est nihil seipsum cognoscere præter Deum. Vitæ enim seipsas cognoscunt in Deo, sicut homines & animæ in operationibus. Proptereà quæ agunt omnia, præter Deum, quasi naturaliter agunt, non uelut mens artifex: dico elementa mouentur, finemq; suum norunt, quomodo moueantur ignorant. Plantæ nutriuntur, crescunt, flores & fructus pariunt: quomodo id agant, non norunt. animalia lacertos mouent imprudenter, rectè tamen: quod in nobis ipsis experimur. neque Galenus cum sua anatomia uel unum musculum ad digitum antè uel retro mouendum mouere ac dirigere nouit, sed digitum quidem ut uult mouet, ac ex uoluntate, musculum autem natura. Ergo uitæ quæcunq; sunt, opera cœli dirigunt in nos, aliaq; uiuentia cuncta: nec hoc ipsum norunt quomodo dirigant. Horum ergo cognitio à Deo emanat, nec quæ recipiunt intelligere possunt quomodo recipiant. At mens inest illis, ac dæmonibus, hominibusq;? Inest profectò, sed quæ non regit corpora. natura enim corpora regunt, mente intelligunt. Sicut ergo nos cibos canibus offerimus præparatos, quomodo præparentur à nobis illi non norunt: ita quæcunq; futura sunt, non aliqua, sed omnia, silenti animæ per somnium offeruntur. at illa non solum raro, sed rarissimè ea percipit: uel cibis obruta, uel humoribus obfuscata, uel curis impedita, uel sensilium motu immodico uexata. Itaq; non solum infinitam esse naturam somniorum necesse est, sed & tractationem ipsam infinitam. at nullum quod ad singula usq; perueniat, infinitum esse potest: non ergo potest tractatio de somnijs ad finem ullum deduci, nec limitibus inscribi, nec finem habere. quare ut difficillima sit necesse est: & cum infinita finitis contineantur, tractationem euadere difficillimam. Comprehendi tamen possunt multis infinita, quia paucis & paucis, uno tantum principio: uelut & quæcunq; sunt, fuerunt, erunt ue, uno principio, scilicet Deo. Sed neq; Deo solo tanquam unico principio, sed in diuersis diuersa sunt principia, potestate quidem infinita, uelut hominum homo, & formicarum formica. Cum igitur omnis bona tractatio & à mente proficiscatur, & rebus ipsis sit accommodata, mens autē potestate sit infinita, infinitus & numerus rerum, necesse est bonam tractationem ita esse ordinatam, ut plures sensus sub eisdem uerbis contineas. Omnis autem huiusmodi difficillima est. Quamobrem omnis bona tractatio contemplans, quo melior, necessariò eo difficilior. Verùm quæ de rebus ipsis agendis est, & facilis esse potest, & perfecta: quòd

rerum

rerum nostrarum quæ actione constant, nulla sit infinita. Sed quoniam non solum rebus ipsis, sed etiam legentibus, & legentibus simul atq; scribentibus, in quouis scribendi genere aliquid condonari potest, propterea ex multis cõstat præceptis omnis oratio: legentes enim claritatem exposcũt, ornatus autem et ordo tam legenti quàm scribenti necessarius est. quod doceant scribentes, delectent legentes, in omni eo quod scribitur quatuor hæc desiderabuntur: difficultas ob infinitatem, claritas, ordo, & ornatus. Horum primum solum ad diuinitatem pertinet: reliqua adeò non illi congruunt, ut ei etiam repugnent. Ordo quippe apud nos est eorum quæ numero constant. nam apud Deum est omnium, & infinitorum. at numerata non possunt esse infinita. Itaque difficile est omnibus satisfacere. nam hanc infinitatem soli philosophi amant, quia soli intelligunt: sed non omnes, uerùm clariores. at cæteri oderunt, ut contrariam claritati. Tractationem autem claram in his quæ ad contemplationem pertinent, ut diuinitatis expertem, ut absurdam, ac proprio carentem neruo, philosophi aspernantur. at rhetores magnificiunt quicquid dilucidum est, perspicuum, ornatum, atque ordinatum. Sed neque curant eam uim probandi quam demonstrationem Latini, Græci ἀποδείξιν uocant: philosophi autem, ut nil aliud. Quamobrem quæ Cicero scribit in huiusmodi rebus, indigna omni fide sunt: cum idem esse existimauerit, acutè de huiusmodi, doctéq; disserere, & ornatè. neque enim idem sunt: imò, ut dixi, pugnantia: quoniam quæ claré dicuntur, nec tam subtiliter, nec ut se habent dici possunt: ornatus autem claritatem postulat. Assuetus enim ille multitudinem persuasione fallere, hoc non contendit ut ita esse demonstret, sed ut homines in suam sententiam trahat. quæ quanto elegantiora sunt, sunt autem plurimum (plurimũ enim ualuit dicẽdi arte) eo sunt deteriora, ac simillima ueneno quod in melle conditum est. dum enim suauitate delectat, fallit, & fallendo enecat. in de illud omnino intolerabile, quod concludit in fine libri de Diuinatione, non disceptasse de his quod in aliquam partem inclinaret, sed ut suspensam mentem atque opinionem in huiusmodi faceret. O præclarum philosophum, qui nil aliud agit tam longa disputatione, quàm ut incertos reddat. Præstabat fefellisse, quàm dubios reddidisse. Quid tanto dispẽdio temporis lucratus sum aliud, quàm quod antea habueram, ut incertus essem? At bellè egimus, laborare ut ignoremus? at non poterat, etiam si clarus fuisset philosophus, de his rectè disserere, quæ inuicem coniuncta sunt: nisi ut, quemadmodum Archimedes in suo libro de Sphæra & Cylindro, rem totam per ἀποδείξεις perpetuas deduxisset: sicut & Aristoteles, & nos à primis principijs, licet paucis eorum ab illo discrepemus. Verùm causa erroris, & falsò somniorum diuinatio-

nem insectandi, fuit omnino, quod ille testatur se nescire distinguere genus totum somniorum ab his speciebus quæ ueræ sunt. quo non facto, & nos iampridem confessi sumus, non posse inueniri causam ullam ac regulam ueritatis in illis. Ergo quod ad hoc attinet, parum à Ciceronis opinione discrepamus. Si enim ille potuisset inueniri in quo falsa à ueris seiungeret, uolebat acquiescere eorum diuinationi. at cum non posset, damnauit uniuersum genus. Sed iam audiamus Ciceronem de hoc disputantem, atque inuectum nimis ambitiosè in hanc causam: quippe suo more sibi nimium detulit.

Primùm igitur illud uulgatissimum affert in omne diuinationis genus, atq; admodum pertritum: Si fato uentura constant, nihil proderit diuinatio, & præcognitio hæc malorum etiam nos torquebit. si non, ergo nulla erit de futuris scientia, quia non esse possunt. Quid si ego uno uerbo respondeam utriq; interrogationi? ostendamq; dimissa captione, utroq; modo scientiam diuinandi utilem esse? Nam si fatum non est, sed necessariũ est, (gratia exempli) ex causis cõstitutis, me duci in carcerem, præmonitus somnio nõ ducar: quæ captio, quæ insaniæ sunt, negare utile non fuisse hoc somnium, quod me monuit? quid differt somnium ab eo qui consciius consiliorum me admonet? an ego illi dicã, cum aliquid repetet ex me, Nihil profeci sti, quoniam non debui capi? O pulchrum responsum. Quid egit ille cum sua Seruilia, dum de coniuratione admoneretur? an indignam præmio illam iudicabat? cur tanta exploratoribus, non illi solum dederat? an non melius est moneri à dijs ex somnijs, quàm à uili scorto? ab impudico exploratore? quæ furiæ, quæ amentiæ sunt hæ? Narrabo inferius, quónam pacto ex somnio, cum desperassem collegij medicorum ingressum, eum sum assecutus. num ero ingratus erga Deum post factum, ut ille fuit de Marij somnio? quod ut præsens amplexus est, atq; utile sibi existimauit: ubi reductus est ab exilio, irrisit Dei, non dico Deorum (forsan enim illud nõ adeò impium fuisset) prouidentiam. Facinorosis nauigantibus is similis uidetur: qui cum è tempestate emerserint, uota abiurant erga superos habita. sed hi aliquãto minore cum impietate, utpotè metu ac periculo extorta: at gratuità hæc munera quis nisi ingratissimus non repẽdet? Itaq; meruit, quod etiã queritur, nunquam amplius moneri, tam ingratus. Vtinam ego, qui gratiam de hoc habui, pro filio quod expectabam monitus essem: non certè periisset. Sed quod in Cicerone aduenit ob improbitatem uitæ, idem euenit Socrati à suo Genio ob gloriam nominis eius. nam qui illum in leuioribus casibus admonuerat, ab impendenti periculo uitæ non retraxit. At forsan, quod non negarim, & Ciceroni & Socrati et mihi eadem causa fuit: scilicet peccata. nam admoniti, nõ quantum debuimus, resipuimus. Sed Socrates, licet nõ contempserit, dubitauit: ego

non

non pro beneficio accepto gratus fui: Cicero autem, cũ etiam esset augur, contempsit: non solum beneficium acceptum, sed autorem irrisit. autor enim somniorum uerorum, ut dixi, solus est Deus, infinita illa sua sapientia. Quamobrẽ rectè instituit Moses, ut eum unum ac solum coleremus.

Sed fac ut Fato fiant omnia, ita tamen constat hic ordo, ut quoniam capi non debui, somnio monitus sim: ita quoniam non debui euadere nisi beneficio noctis, cuius tamen aduentus necessarius est, Deo non debebo qui noctem constituit? at hoc magis: cum sit peculiare beneficium, noctis autem generale. Deniq; quod antea optamus scire, pro quo oramus uota persoluturi, cur impetrata contemnemus? Adijcere autem libet ad rem multum, ad hominem parum opportuna Iosephi uerba, in tertio libro Iudaici belli. Vbi autem hostilis « multitudinis minas comperit Iosephus, nocturna somnia reminiscitur: quibus « ei Deus & futuras Iudæorum clades, & quæ Romanis essent euentura Princi « pibus ostendit. erat enim interpretandis somnijs idoneus, & coniectari « quæ ambiguè diuinitus ostẽderentur norat. Et infrà, cum Vespasianum allo- « quitur, inquit: Iotapatenis post diẽ quadragesimũ septimum excidiũ prædixi, « quodq; uiuus in custodia à Romanis asseruarer. quæ cũ Vespasianus uera cõpe « risset, fidẽ habuit polliciti imperij, de quo idẽ Iosephus somnio edoctus eũ monuerat. Itaq; hic solutus catenis, felicẽ pro conditione gẽtis uitã duxit, principalẽ locũ apud Imperatorẽ obtinẽs. Sic Sylla dictator felix, si hac in uita quisquã hoc nomine dignus esse potest, somniorũ monitu sæpius adiutus, adeò ut nihil potius duceret. Sic Augustus: quis. n. eo felicior? Et Synesius ipse ex hac disciplina se maximos gradus adeptũ, maxima uitasse pericula testatur. Atq; id meritò, quandoquidẽ solũ hoc diuinandi genus (ut iã diximus) gratuitũ sit, & à Deo immissum: cætera, quasi uiolẽta extorquere nitantur, quod Deus patefacere nolit. Itaq; hoc quasi donũ est: illa aũt ut subrepta furto, aut extorta improba peruicacia, aut ui quadã ablata. Vide modò quantum intersit inter munera, & furta aut rapinas. Sed, inquit, à Deo non sunt immissa. Deus primùm non hæc tam uilia curat: rarò mittuntur, non mitterentur improbis ac contemnentibus. cum opus est, non possunt impetrari: at Deus liberalis largitor est. Nescit modum quo Deus immittit: immittit ut Solem ac pluuias, super probos, improbos, contemptores & gratos: uerùm illi qui contemnunt, suo malo plectuntur. Sic cuncta ordinauit, ut cum futura sint, in animam euentus sui imaginem imprimant. Si nimijs illi cibis, potibus, uenere, curis seipsos ne recipiant impedierint, num hac in parte Deus cuiquam denegauit munus? an ille potius sua causa id præuertit? quod si etiam quibusdam id deneget, an tenetur? Quod gratuitum est, cui libet dare potest.

Quod si extremis in casibus defecit, ut mihi in filio, an iustam ob id causam conquerendi de Deo habeo? Primùm qui scit non obtulisse occasionem, eam me non arripuisse? Sed fac non dederit. an ei qui ducenta dono dederit, quod non omnia dederit irascar? quæ nugæ, quæ intemperies? Obijcit deinde, nil frustra à Deo fieri. Cur tot somnia uana, ut tam pauca in usum ueniant? cur tot pluuiæ in irritum cadunt? cur tot soles? Ordo diuinus est per se stabilis, semper utilis: materiæ fluxu & inconstantia plurima depereunt. quot lepores occiduntur? quàm pauci leones? plures tamen esse lepores quàm leones cõstat. alia est prouidẽtia Dei in immortalibus, alia in his inferioribus. Pulchrũ fuit, & forsan necessarium, cum Fati serie hanc somniorum prouidentiam conserere, quantacunque pars eius fructus deperiret. Præstantium enim uel sic exemplorum referti sunt libri. Superest ars, admiratio, & cultus diuini imago, parsq; non leuis apud sapientes. quid uulgus agat bonorum expers, malorum impatiens, non curat. quot gemmas sub terra recondit, cui usui, ut paucæ in manus hominum ueniant? Subijcit inde, cur non in uigilia hoc effecit? Primùm quis es tu, qui à Deo expostulas? an solus quereris pro tanta, quàm tibi dono dedit, facundia? num tu exactor es rationum mearum uermicule fœde? at perturbata essent omnia, essent omnia plena miraculis. Iam non esset hic ordo naturalis, sed superflua curiositas. Potes habere, si uelis, tanquam in uigilia, temperantia & continentia. At quid opus est interprete? ait. poterat clarè omnia ostendere. Imò ostendit, ut dixi: nostrum est uitium, qui nebulam offundimus. Eiusdem rationis sunt, quæ interpretantur & idola. Cur non rogas, quare tot flores frustra casuros, & in fructum nõ transituros effecit? Cur in Italia sycomoro immensam multitudinem florum dedit, fructum prorsus nullum? Repugnat materia, dicis. at hic & materia & hominum facta repugnant. Post addit: Si omnia sunt à Deo, cur falsa plura: si nõ omnia, cur miscuit se ijs nugis & nebulis? O præclarum philosophum. Solis radios emisit, nebulæ oriuntur à terra: an quicquam ad mortalia mitti ex alto potest, quod mortali confusioni non se immisceat? an præstitit nõ mittere? Sed quomodo distinguemus? ut solem à nebulis, ut priuationem ab habitu, ut impedimentum à facultate & opere, ut contrarium à contrario? Demum se conuertit ad irrisionem, cum Deos circumuolitare circa grabatos dicit: ut in sternentes uisa immittant. Quis non uidet, non ueritatem hic quæsisse, sed hominũ opinionem, famam sapientiæ? quandoquidem uidetur uelle obtinere, non disceptare de causa ista, scilicet an per somnium fieri diuinatio possit. Ergo generalis est ratio somnia immittẽdi, quã nos præpedimus: et eadẽ ueritatis forsan ratio. Cũ uerò in mortalib. nihil cõmune sit nisi principiũ, ut cor in aialib. (neq;

enim

enim nascitur homo ex qualibet re, sed ex uiro mulierecq; nec fruges in paludibus, nec in sicco pisces, nec flores in ficu aut quercu, nec quouis tẽpore: ita necesse est quasdam horum causas generales, in hominibus scilicet, insomniorũ esse. Etenim Garamantes referunt nunquam somniare. quidam fermè nihil quod uerum sit, in tota uita uident. Et quamuis multis continentia abstinentiaq; multum profutura sint ad insomnia uidenda, et uera etiam insomnia, nihilominus quidã sunt qui nec un quã uisuri sunt somnia, etiã si Zenone sint cõtinẽtiores. Quin etiam multi philosophi non solùm ob institutum, sed etiã paupertatem, tum uerò sacerdotes nostra ætate, ut quos uocant Capucini, miram obseruant uictus ac uenereorum obseruantiam: nec tamen mira uident somnia, sed plura ac uana. quamobrem etsi necesse sit eos qui uisuri sint moderatos esse in uictu, non tamen ex moderatione contingunt insomnia ac oracula. Quin etiam Pythiam illam uirginem non in cibis continentem admodum fuisse legimus, sed uirginem solum, & Deo illi sacratam. Et ut sapientia & generatio non ex immodica abstinentia proficiscuntur, sed hæc potius sunt quorundam hominum & naturarum munera, ad quæ iuuat tamen continentia et temperantia: ita & somniorum ratio. Vis ergo hæc generalis est uaticinandi per somnia, sed tamen circumscripta certis naturæ legibus, uelut generandi, discendi literas, felicitatis, bene beateq; uiuendi. & quamuis notum sit omniũ non esse, non tamen notum est quorum sit. non prudentium solum, aut eruditorum, aut innocentium: plerunq; tamen eorum qui magna tractant, & qui diuturna felicitate fruuntur: hi enim aut soli fermè talia uident, aut soli rectè seligunt: quandoquidem (ut dixi) non posſimus diuinare neglecta electione, maximumq; in hoc negocio argumentum adipiscendi intenti sit rectè seligere.

Illud autem mirum, & imperitiæ crassæ argumentum, tam inepte dictum quàm eleganter à Cicerone: Animi cum sustinẽtur membris et corpore & sensibus, omnia certiora cernunt, cogitant, sentiunt: cum autem hæc subtracta sunt, desertusq; animus languore corporis, tum agitatur ipse per sese, itaq; in eo uersantur & formæ & actiones, & multa audiri, multa dici uidentur. Speciosa quidem uerba, & Cicerone digna: sed quæ nullum contineant sensum, ni si apud philosophiæ prorsus imperitos. plures enim longè errores quàm sententiæ, pauciores paulò minus quàm uerba. ita contingit omnibus, qui à populo & uulgo blandiente transeunt ad doctrinas altiores & sapientiam tractandam. Sed de his hactenus. Vnum ergo quod ab initio proposueramus, statuendum erit: eam Synesij obseruationem negotiosam fore, & infinitã, nec tamen pro tanto labore utilem. Sed magis dandam operam, ut quemadmodum Gemmarij solent ueras ab adulterinis gemmas uno intuitu dignoscere, sic &

nos uera somnia à uanis secernere ualeamus. quod cum fuerimus adepti, ad genus rei transeundum erit. quod non adeò arduum est inuenire, quàm scire eligere quæ generis sint diuini, & quæ tumultuosa.

Est sanè somniorum genus uerum in hominibus præstantibus, quiq; magnam fortunam consecuti sunt, aut consecuturi: & in initijs operum, & cum nascituri sunt. simile quid uident parentes: & tempora sunt curarum & magnorum periculorum, unde maximè sub morte uisa uera apparent. Cum ergo & in magnis curis aliquando, & magnis periculis longè frequentius talia appareant, pericula uerò curæ, non curas pericula sequantur, uerisimile est, ab ijsdem (ut dictum est, dicetur q;) causis utrunq; procedere. Quamobrem cum non possint curæ periculorum esse causæ, sed pericula potius curarum: erit, ut somnia ipsa proficiscantur ex cœlestibus constitutionibus. Et quemadmodum ad figuram imprimendam necesse est solidam esse materiam (nam non in aqua, nec luto bene imprimitur) & ictus esse uehementes: ita in somnijs cõcipiendis oportet uehementem esse motum constitutiones cœlestis, animamq; non degenerem, sed leuem ac solidam, ut excipere possit uestigia formarum.

Sed adhuc urget Cicero: Mirum est, quod ab ea die, nec antea, ullum somniũ diuinum aliud uiderim, si modò diuimũ illud fuit. Causa est non obscura, multitudo cogitationũ. uoluit enim ciues omnes qui in aliqua essent existimatione, è facie cognoscere. familias & cognationes, amicitias, odia, causasq; scire: prædia præterea, domos, uillas, cõsum, pecunias q; in fœnore collocatas singulorum: studijs incubuit non solum Rhetoricæ, Latinæq; ac Græcæ linguæ, tum historiarum, sed etiam philosophiæ, causas agere, longisq; orationibus ciuium facta defendere aut oppugnare. quare uix locus erat inter tot imagines fingendi in somnij. tum uerò dolor, cum uidit, multa excusserat: & causa calamitatis maxima illi uidebatur, certè non lenis fuit. potuit ergo semel uidere, nec amplius. Ergo quatuor uidentur esse causæ multa insomnia uera uidendi: Anima præstans ac solida, nitidaq; ut speculum (quare qui talia uident, omnes memores sunt, & plerunq; acri ingenio præditi) motus uehemens (unde in periculis maximis, & initijs magnorũ operum, uel dum mutanda fortuna est, uel in ipso ortu, frequentius conspiciuntur) Vacatio à studijs (unde mihi cessationem aduenisse existimo somniorum anno quadragesimo tertio, quod primùm tunc ei muneri delegatus fuerim. ita Socrates potuit uidere, dum in carcerib. ociosus uel inuitè uiueret: et Sylla ac Cæsar magis quàm Hortensius aut Cicero, & Eudemus magis quàm Aristoteles) Temperantia præterea & continentia, omnium bonorum parentes.

Quamobrem illud diligenter animaduertendum quod dixit Hippocrates:

Que-

Quæcunq; præter naturam accidunt, uehementiora sunt. Ita insomnia diuina, quæ aduersantibus horum quatuor quibusdam fiunt: uelut si à multa lucubratione, aut cibo potuq; ac libidine: uel in summa animi relaxatione, uel quæ his adueniunt qui non præstanti animo sunt, hæc omnia cum ab urgentibus causis fiant, necessariò sunt efficaciß ima, ueriß imaq;. Sed adhuc redarguit nos Cicero cum suo Antiphonte: Cursori qui in curru uehi uidebatur, cum alij victoriam prædixissent, quòd victores in Olympijs coronari & curru uehi solerent: Antiphon dixit, Vincendũ à pluribus, quod eum qui in curru sit quatuor equi (à totidem enim uehebatur currus) præcedere soleant. Atq; ita duo alia refert exẽpla. Sed malignè causam hanc, non ex æquo iudicio insectatur. neq; enim solum hoc uideri potuit, uehi s. curru: sed neq; ex hoc solo, si cõtingat, rarò tamẽ eueniet, iudicare oportebit, sed reliqua respicere, quæ simul uidentur.

Sciendũ tamẽ, esse tria genera somniorũ quæ diuinitus immissa uidentur: significatiuũ, monitoriũ, et deceptoriũ. Huiusmodi duorũ primorũ exẽpla plurima in quarto libro habebis. Verùm deceptoriũ contingit, (nõ ut illud Amilcaris, cum somniasset intra Syracusas cœnare, cœnauit quidẽ, non uictor, ut existimabat, sed captus. unde ambiguum dici potuit: et si prudens fuisset, deuitare licuit) cum homo contrarium uidet ad unguem eius quod subsequitur: uelut si certaturus in Olympia, uidisset se coronari, & inde in certamine ultimus esset: nam nec immeritò id contingere potest. admiramur enim uictores qui coronantur, & victos qui ultimi omnibus cessere. nec scio exemplum ullum huius rei illustre, præterquam Pompeij, cum in Pharsalica pugna uictus est: præcedenti enim nocte somniauerat, sibi in theatro Romæ uniuersum populum Romanum plaudere. inde exornare spolijs Veneris templum. quod somniũ uictoriæ signum erat: non eius pugnæ, in qua nõ solum uictus succubuit, sed paulò pòst ex ea fugiens occisus est dolo Achillis Aegyptij, stirpsq; tota eius exciſa est. Quamobrem & horum causam inuenire expedit, ac dignoscere quæ nam sint huiusmodi somnia. neque enim uerisimile est, Deum generaliter ac quasi secundum naturam talia immittentem in huiusmodi uiris, tam raris exemplis, tentare illos decipere: tum maximè, quod non ex somnio ad pugnam adactus est, sed hostis uafricia & suorum improbitate. Certum est enim huiusmodi somnia nõ fallere nisi certaturos seu in acie, seu in monomachia, aut honoris causa. nam alijs cõtigisse huiusmodi exempla nec legisse, nec audisse me memini. Quo fit, ut existimẽ huiusmodi somnia contigere ob nimiam mentis intentionem, dum cupidè aliquid desideramus. Et ob id obliqua in hoc casu tutioria sunt. uelut illud Syllæ, cum. C. Marij filio dimicaturi, quãdo uidit patrẽ monentem filium ne sequenti die prælium committeret, esse enim eam nomini

suo

ſuo infauſtam: plus fuit, quàm ſi uidiſſet admonentem ut pugnaret. Hoc uerò cum monitorium eſſet, adhuc euidentius eſt quàm ſi uidiſſet ſe in curru triumphantem uehi. at hoc etiam minus fuiſſet, quàm ſi ſe pugnaſſe ac uiciſſe ſomniaſſet. obliquitas enim illa diuini oraculi argumentum quoddam eſt, ut nimia explicatio & claritas ſuſpecta, ne non ſomnium obuenerit nimia ſolicitudine & uolutatione imaginum præcedentis diei. Ergo in huiuſmodi totum ſomnij decurſum conſiderare expedit, cæteráq; ſigna ac coniecturas conſiderare, præſertim alacritatem animi proprij, tum militum & equorum. Sed hæc extra artem. Illud ex arte, quod etſi obliquè ſomnium uotis faueat, uidendum eſt diligenter ut aliquid ſit quod ad actionem futurã pertineat: ut ſanguine reſperſum eſſe: aut cum exercitus Cæſaris fame premeretur, uideri exercitum ſuum fame urgeri: aut in pompa milites Cæſaris præcedere, ſuos autem ſequi (nam uicti uincti in triumpho antea agebantur) uel puluerulentum eſſe. At uidit exornari templum Veneris: hoc potius pugnam decernebat infauſtam, quandoquidẽ hoſtis originem ſuam referebat ad Venerem. ob id Pompeius ſuſpectum habuit hoc ſomnium. Semper tamen ſigna ex contrarijs deſumpta operationibus, principali præterita, inauſpicata ſunt. Quanquam de hoc Pompeij ſomnio à Plutarcho adducto ſatis addubitem, quod Cicero, cui hoc recens maximè factum fuit, nõ illud prætermiſiſſe uideri potuit, quòd ad ſuã confirmandam opinionem plurimum faceret. Sed ſeu ſit, ſeu non, quæ diximus certam habent rationem.

Ergo ſomniorum diſciplina omniũ diuinationum certè præſtantiſſima eſt: præſertim cum non, ut in omnibus alijs, liceat quaſi ludere, ac ridiculam facere. Etenim in ſortibus toties repetunt & mutant, ut pro mala bonam extorqueant: in extis tot uictimas cædebant, ut uel inuitis (ut ita dicam) Dijs litarẽt: in Aſtrologia tot cõminiſcuntur interpretationes, tot anſæ in diuerſa uertendi, ut nunquam mala genitura, nunquam certũ ſit periculum, nec certa ſalus. Sola ſcientia ſomniorum non patitur has conuerſiones & deliramenta.

Igitur omni uitio uacat hæc ars? Non certè: nihil tale apud nos. habet ipſa impedimentum nõ leue: quod rariſſimè, nec cum uolumus, immittuntur: unde eorum uſus, uelut præclariorum gemmarum, raritate nimia nos fatigat et torquet. Expectanda ſunt pauca in tota uita. Et quibus frequenter eueniunt, uileſcunt, ac ui illa illuſtri deſtituuntur. ſunt enim magnarum rerum prænuncia. atq; utinam tam ad manus eſſent, quàm reliquæ diuinationes: nihil certius, nihil pulchrius, nihil utilius aut delectabilius uideri poſſet.

Caput

Caput 11. De somniis obscuris.

OBscura somnia fiunt uel ratione imperfectionis nimiæ uarietatis, uel ob res ipsas natura incognitas, uel ob magnam dißimilitudinẽ cum statu præsenti, uel ob fabulosa. Ad caput igitur communium regularũ recurrere oportet. Exemplum. Quidam uidit leporẽ factum esse filium suum. primò quidem timidum, et uelocem in cursu, pronunciabit. uel si iam sit adultus: tunc. n. nullo modo somniũ conuenit. nam si talis nõ sit, non erit uerũ: si sit, erit de manifestis ut cadat ex morbo comitiali, uel lapide uesicæ curabitur. scribunt enim medici, leporẽ totum combustum, lapidem frangere, et coagulum illius curare comitiales. Rursus puer sit, nec ullo tali morbo laboret: catamitũ futurũ existimabimus. fabulosè enim dici solet, nec uulgatum est, hoc animal utroq; sexu uti. Si uerò quis chimæra uideat, uel centaurum, & huiusmodi fabulosa, à nomine, à forma, à significato, à fabula. à nomine: ut Sphinx, ἀπὸ τοῦ σφίγγω, cõstringo, amplector, arceo. item à fabula: perniciem enim attulit Thebanis, atq; exitium. Sic etiam errorem & perplexitatem denotat. à forma, ut chimæra capite leonino, uentre & dorso capræ, cauda & posteriore draconis partemons est Lyciæ, cuius cacumen ardet, & leonibus abundat, media pascuis, infima serpentibus. Ergo durum initium, & terribile: in medio negocij spes, & omnia mitiora: finem claudet dolus & insidiæ, & ueneficium forsan. à significato, ut illud: Cap. 15. lib. 1. regũl. 32.

Nec non & Tytion, Terræ omniparentis alumnum,
Cernere erat, per tota nouem cui iugera corpus Porrigitur.

Constat enim uoluptatem significari, seu libidinem. periclitandũ ergo ob libidinẽ docet. Velut et Centauros, magistratus significare ex forma discimus, atq; significato: parte. n. prima placidi, posteriore feri sunt. Significatum etiã centaurorũ est multitudinis inconditæ. Differt nomẽ à significato. per nomẽ, intelligo etymon ipsius: per significatum autẽ, id cuius causa finxerunt eam fabulam: cuiusmodi innumera habentur exempla apud Phornutum et Palæphatum. Mulier cum sibi uisa esset hippocẽtaurũ peperisse, duos uno partu filios edidit, propter duo corpora quæ habere finguntur: et ambo periere, quod animal huiusmodi esse non posßit. Alia somniauit, se expleuisse oẽs Herculis labores, & igne absumpta perijt. sic enim mortuum esse, poetæ fabulantur. nec ipsa huiusmodi laborum capax erat. Viro autẽ præstãti, idem somnium ingentẽ gloriã significare posset. Quod si fabulosa prorsus historia fuit, simile quid somnians sperabit, sed frustra uenturũ. Dracones in homines cõuersi, heroas significant: et similiter lamiæ, nugaces præstigiatores: leones, uiros feros: itamores retinẽt prioris formæ. & admirabiles casus significant. Ex causis etiã

maximis ac præcipuis, ineuitabilibus fermè, obscurorum somniorum, est mistio rerum peractarum, memoria illas representante: uel etiam desideratarũ adeò ut partem à parte segregare difficillimum sit. Cum enim anima spe, metu, uoluptate, tristiciaq; per sensus perturbetur: licet ipsa nec doleat, nec lætetur, perturbantur tamen uisiones à sensibus, ac si in ea hi affectus sint. atque id est quod maximè impedit somniorum interpretationem. Oportet autem separare memorata à uisis: aliter irrita erit omnis consideratio. hoc autem assuescere oportet sensim facere, adhibita maxima diligentia: uelut alijs in rebus difficillimis. Vt uerò separes, cogita quæ maximè mouerunt animũ tuum præsentibus proximis dieb. ut luctus, timor, spes magna, gaudium, lætitia, uicta lis, iniuria, odiũ: atq; segrega quod in eo est. Si frater aut parens, aut filius repræsentetur in somno, qui paulò antè perierit, uehementiam affectus & uictam animam significabit. Et si etiam te moneat, haud tutum erit illis quæ dicit credere, cum à minuta perturbatione animi procedant. Sed tamen si expressa sint, negligere non oportet. Quod uerò unum ab alio separat, est ordo. Vix enim fieri potest ut tam ordinata sint quæ ex duobus generibus cõstant, quàm quæ sunt unius tantum generis. Eximere autem oportet superaddita, & ijs fidere quæ animam in admiratione magna relinquunt.

Ex causis etiam obscuritatis somniorum est, quoniam homines existimãt omnibus somnijs magnas res significari, quia ad quædam magnæ res sequuntur. Sunt autem res magnæ: è bonis, hæreditas, lucrum ingens, inuentio thesauri, ortus filij, sacerdotium pingue, amicus singularis & potens, amicitia principis, magistratus: è malis, mors illius uel filij, fratris ue, aut parentis, exiliũ, carcer, amißio facultatum, odium principis, amißio membri, morbus diuturnus, inimicitiæ cum potentibus diuturnæ: ex indifferentibus atq; ancipitis exitus, uxor, lis, honor, societas, iter, mutatio loci, seruus, ædificatio. In omnibus ergo magnis somnijs mentem dirigit ad aliquid huiusmodi. unde cum nihil tale expectare poßit, ambigit in interpretatione, somniumq; obscurum redditur. Exemplum inferius habebis. Causa autem cur somnijs minima declararentur, est, animæ illustris uigor, & quoniam non eadem sunt magna apud nos & apud Deos. Propterea antiqui obseruabant somnia circa magnas actiones: ut prælium, ingressum in prouinciam. Sunt enim (præter fatalia) de imminentibus: quoniam, ut diximus, à causis imminentium mouentur: atq; ob id similia ipsis euentibus. non ergo nisi rarò, etiam ex magnis somnijs, magna expectare oportet.

Caput III. De somniis obliuiosis.

OBliuio in somnijs contingit uel ob leuem impreßionem, uel uelocem motum,

tum,uel conturbationem. Conturbatio fit,superuenientibus aliis insomniis,et quandoq; sine illis. Quæ euenit ob alia insomnia,fit ob multitudiuem negocio rum,aut ob animæ sensum nimis exquisitũ. Egregiũ exemplum habetur apud Danielẽ,in sacra pagina. Itaq; non omnia somnia obliuiosa nullius sunt significati: sed solũ ea quæ uel ob conturbationẽ fiunt, aut quorũ penitus obliuiscimur. quæ quidẽ exiguã faciunt impreßionẽ, serò eueniũt: quæ aũt ob uelocitatẽ nõ imprimũt,ualdè citò. Discrimẽ inter illa dignoscitur: quoniã in his quæ parũ imprimũt,pauca uidemus: in uelocibus autẽ multa,sic ut ex uno in aliud transgredi uideamur. Porrò conandum est, ut maiorem partem in memoriam reuocemus. Quæ enim pars facilius in memoriam reuocatur,ea etiã euidentiorem & celeriorem sortitur effectũ. itaq; operã dare oportet, ut quæ uisa sunt,ad memoriam reducantur. Ergo ubi partem reuocaueris præcipuã,illa erit explicanda. bonum est autem scribere quæ uidisti,& per singulas partes cõuenientia in memoriã reducere. hoc præbet intellectus agens: ut ubi attigerit,oblita statim ad memoriã reuocet. ostensum enim est hoc in Theonosto.

Quæ uerò somnia obliuiosa uisa sunt,deinde denuò ad memoriam redeũt, ob id hoc illis euenit,quòd impreßio quæ impedita fuit à uaporibus, aut delituit ob leuitatem,cessantibus uaporibus uelut nube quadam emicuit, aut ab intellectu agente excitata est. Horum igitur somniorum effectus serò euenire consueuerunt. Plerunq; autem somnia huiusmodi ad res non proprias pertinent: uelut opes,amicos,& coniunctos: quoniam quæ extra nos sunt,non solent nos adeò mouere,ut quæ sunt propria nobis. eadem autem est ratio imaginum & rerum. Ita quæcũq; per huiusmodi somnia significantur,ad alios quasi transferenda sunt: aut leuiter ac sero nos attingere solent.

Præcipuum habent aliud obliuiosa somnia,quod omnia sunt uera. nam cũ ab intellectu ad memoriam reducantur, naturam retinent æternæ memoriæ, quæ in nobis est. æterna aũt memoria tantũ uerorum est. igitur obliuiosa somnia uerorum sunt,& non pertinentiũ ad nos,& tardè uenturorum.

Ea uerò somnia quorũ statim à somnio experrecti recordamur,paulò pòst autẽ obliuiscimur,leuium sunt,& tardè uenturorũ. Potest etiã id somniũ ex humoribus oriri: eiusmodi enim somnia plerunq; ex his fiunt. quamobrem & morbos etiam præcipuè significant. hi uerò minus,ad præsentẽ tractationem.

Caput IIII. De somniis imperfectis.

IMperfecta somnia quatuor sunt generum. alia quidem, in quibus somnium non perficitur,sed homo expergiscitur: alia, in quibus in aliud transit: alia,cum finitur desinitq; somniare, non dormire: alia demum, in quibus homo non recordatur totius somnij,recordatur tamen somnium perfectiũ

uidisse. Palàm autem est, hoc ex genere esse obliuiosi. Tertium uerò genus ab initio noctis aduenire solet, ideoque ex cibis ac potibus originem ducit. Cum enim dormire incipiunt homines, halitus qui ex cibo ascendunt, cum non possint statim animi spiritum sistere, imagines ostendunt: inde grauato spiritu conquiescunt, ac nihil uident.

Dubitabit autem aliquis, quomodo, si non perfectè firmato spiritu necesse est insomnia uideri, quicunque in somnum incidunt, somnia non uident? Et rursus, cur Garamantes nusquam somnient, ut Plinius refert? Mihi quidem in his quæ iam ratione constant, nunquam moris fuit contrariorum experimentorũ causam afferre, cur ita esse possint: nisi prius quòd ita sit, compertum habuero. Verùm ad id quod prius adductum est, respondeo: tam celeri motu homines in somnum delabi, ut deprehendi non possint. Illa initia somniorum: quandoquidem etiam iam inchoata ex memoria obliterentur. Præterea somnia uidentur, ex quiete ad motum translato spiritu, non contrà. causa est, quòd motus ille paruus latet sub magno & concitato: at in somno, ueluti per noctem iam silentibus omnibus, quiuis exiguus motus deprehenditur.

Reliquum est igitur, ut de duobus alijs generibus somniorum imperfectorum dicamus. Eorum rursus quod in aliud somnium relabitur, ad somnia composita pertinet. ergo de illis suo loco agendum erit, non hic. Quæ ergo imperfecta sunt, sunt in quibus expergiscimur. nec refert an casu, an natura id contingat: quoniam (ut dixi) naturale est quod uidetur in omnibus, uel in pluribus. Præterea si Fato constant, eadem causa impedior, & fortuito & natura impedior, scilicet infinita & omnipotente: id est, ordine ipsius Fati. Quamobrem ubi id contigerit, considerandum an ex magnorum somniorum genere sit (hoc autem suo loco docebitur) an non. si non, negligere potes: in tanta enim copia magnorum & perfectorum somniorum, parui atq; imperfecti curam habere, nimis diligentis uiri est. At si magnum sit, cauere oportet ualde: quoniam id refert, quasi amicus monere te uelit, uoluerit ue. sed non potuerit. Pleraq; igitur somnia huiusmodi mala sunt, atque uerenda. Conandum est autem, ut diligenti coniectura expleantur, uel ex partibus ipsius quas iam memoria tenes: uel etiam auxilio præcedentium somniorũ, uel ex rebus imminentibus, uel succedentibus insomnijs. Porrò aliquid etiã conferent, quæ inferius dicam de compositis somnijs.

Est uerò ex imperfecti somnij genere illud, cum aliquid in somno petere uolumus, & ante petitionem expergiscimur. Et rursus cum petimus, & statim ante responsum euigilamus. Et cum non soluitur somnus,

sed

sed ille minimè quæsitis respondet. Demum, cum respondet, sed respon-si non recordamur, sed solius quæsiti. Igitur primum significat, actionem ex eo genere non inchoatam: secundum, inchoatam non consensuros eos ad quos pertinet, illisq; inuitis: tertium, omnino repugnaturos, irritumque negotium futurum: quartum, ambiguum euentu & ex genere obliuiosorum somniorum est.

Caput v. De Somniis, in quibus euigilare uidemur.

SOmnium in quo dormire uidemur, impedimentum & uacationem à negocijs ostendit. omnibus enim actionibus dormire impedimentum affert: sed tormenta timenti, bonum: qui enim dormiunt, haud sentiunt. Dormire in uia, templo, sepulchro, aut inter mortuos, mortem portendit. hoc tamen ultimum uitam ganeonis inter ganeones ducturum prædicit. In uia dormire, etiam mortem repentinam prædicit. In templo, etiam auxilium diuinum, & seruari præter spem. Cognoscere se somniare, mentis uigorem ostendit, quo cognoscit mens etiam per somnum, nec decipitur cum alij decipi solent. Signant & ueritatem uisorum. nihil enim tam uerè uideri potest à dormiente, quàm dormire se.

Euigilare uerò, est decipi ab aliquo, in quo maximè confidis: uel in errorem alium, cum ab uno fueris liberatus, decidere: aut quæ tum uidentur, uera esse. ut in comparatione ad somnum. Vera uigilia errorem detegit eorum quæ uera fuisse existimauimus: ita falsa uigilia falsam ostendit tum uisorum tum aliàs auditorum interpretationem. Euigilare in somno etiam illud ostendit, quod dici solet, Noli dormire, teipsum expergiscito. signant ergo periculum ingens, aut imminentem deceptionem. Modus est ergo somnij hoc, non somnium, sed illud quod præcesßit. Videre ergo se experrectũ, admonet ut animaduertas quæ uideris: nam ea referunt negociationem in qua dolus latet. Quandoq; etiã ad negocia simpliciter diurna refertur, cum quod somniamus obliuioni mandauimus. Vigilare inter dormiendum, quasdam curas excellentes habere, aut habiturum esse ostendit. Si euigilare nos existimemus, ac rursus dormire, negociũ intricatum significat. Cum enim somnium in se reflectitur, nihil refert an semel an sæpenumero accidat. Euigilata insomnia generaliter dolos, detecta quæ occulta erant, & deceptionem ostendunt. Eueniunt autem ob cognitionẽ imperfectam. nam alterius generis sunt, quæ mox subiungemus.

Sunt qui in somno dormire se intelligunt, estq; id exemplum quasi eorum quæ sunt à morte. igitur somniantem dormire se intelligere, ueritatem somnij partim significat, partim tollit. nam quæ uigilantes uident mente, non neces-

sariò uera sunt, imò rarò collimãt: at sic intelligere non possumus nisi pura anima. partim igitur hoc somnium uerum est, partim autem non. Quinq; enim sunt ordines mentis nostræ, ut ab operatione intelligendi comparatur. uel enim cognoscimus uigilantes, uel dormire nos intelligimus, uel uigilare dormiẽtes nos existimamus, aut omnino somniamus, aut profundè dormimus. Hæc autem si ex causa distinguantur, perfectè intelligẽtur. Anima primùm somnia uera uidet, quoniam ex leuissimo motu spirituum à mente iuuatur: neq; enim cũ magno motu futura prospicere potest, neq; omnino sine motu intelligere. cũ ergo exiguum motum habet, in uigilia quidem non intelligit, alijs præpedita ualidioribus motibus: in somno autem intelligit: quãto igitur motus leuior est, tanto exquisitius quascunq; minimas cognoscimus differentias futurorũ. Qui ergo uigilant, & qui profundè dormiunt, non præuident futura. uigilantes enim impediuntur à sensilibus, nouisq; sensibus rerũ: profundè dormientes nihil uident. qui uerò intelligunt se somniare, uigiliæ proximiores sunt, cũ sensile cognoscant. Est autem eadem ratio habitus atq; priuationis. motũ igitur ualidiorem habent in spiritibus: quare nõ adeò præuidere possunt futura. Duorũ igitur qui per somnum concipiant se dormire, aut dormiuisse, hi quidem quod uigilare se putant, falsa habent somnia, & deceptionẽ tum tunc, tum in actis atq; agendis significant: illi uerò obscura ac ualdè dubia, quemadmodum sunt spes uigilantium. Proprium tamen est quoddam horum, ac omnibus generale qui se somniare ac dormire intelligunt, leuem habere somnum, & ualde perspicaces sensus interiores, mentẽq; ualida præditos: & quanto frequẽtius id contigerit, cõtingunt autẽ, licet rarò, mistiones etiã horum: ut cũ dormire se intelligũt deinde euigilare falso uidẽtur: tũc ergo liberata anima ab errore, rursum in errorem incidit. nam qui somniant, omnes uigilare sibi uidentur, at hoc non cogitant: qui uerò se euigilare putant, hoc amplius habent quod dormisse se existimant.

Caput VI. De mediis somniis.

SVnt quædã somnia ex ecstasis genere: cum homini quædã uidentur, nec satis nouit an uigilans an per somnum talia uiderit. Quinimò post multos menses recordatur, & dubitat an sit res facta uerè, an uisa per insomnium. Et in quibusdam nõ potest certior reddi, nisi quia cognoscit rem nõ potuisse esse. Et tunc etiã imaginatur se legisse, uel pictã historiã uidisse. Nonnunquam deuenit post longã cogitationem in ueritatis cognitionem, cognoscitq; somniũ fuisse per syngrapha & alias coniecturas, uocaturq; uigilia somnifera. cui adunguem contrarius est somnus uigiliæ: id est cum homo per somnum intelligit se dormire. hoc autem est uigilare. Est et tertium genus, etiã mediũ. audit somnum.

num,& expergiscitur,& uidetur iterum eundem somnum aut reliquum orationis intelligere. Et maius hoc est, si idem uidere uideatur. Ergo audire se uocari à mortuo, cognito hoc modo, significat breui moriturum. Si autem uocẽ non agnoscit, erit in magno uitæ discrimine, aut maximam animæ anxietatem patietur. Sed si, qui uocare uidetur, uiuit, procul abest à periculo uitæ: sed tamen admonetur de eo, uel de magna cura quam subibit causa unius qui uocanti similis est prænomine, uel arte, uel amicitia, aut huiusmodi. Est & quartũ genus medij somnij, uigilia ipsa, cum homo ante lucem, post eam dormire consuetus, expergiscitur: quod mihi semper magna mala & curas graues significauit. Estq; medium insomnium, quia malum prædicit, & tristes euentus: non tamen speciem illorum declarat. ut ergo terribilis illa species in somno uenturi mali, se ostendens per somnum anima quieta, cuius sit generis se prodit: ita hæc cum magna sit, & terribilis, hominem à somno iam obrutum cibo, cum nihil potest percipere, exturbat, nec amplius somnũ obrepere sinit. Mihi sanè sem per (ut dixi, nisi bis, cuius causam ignoro) nũcia fuit rerũ tristiũ atq; lugubriũ. nouissimè hac nocte præcedenti, scilicet quæ nonas Iulij præcessit, Anni M.D. LXI. experrectus ante diẽ plusquã per tres horas, cũ nox per se breuis sit, nec in somnũ ulla arte redire cũ licuerit, dubitabam malũ, me aliquid auditurũ noui. neq; n. ut antea, certò sperare poterã, quod ex octuaginta uicibus bis (ut dixi) me hoc fefellisset. Itaq; dũ suspensus sequenti die manerẽ, et incertus eorum quæ contigissent, manè primum literas accepi, quibus intellexi, Piscariæ principem negasse se concessurũ quod ex pacto iam mihi à ministris regijs debebatur: eaq; de causa munus profitendi, tum ob iacturã, tum dedecus, omittere cogebar. Dum domũ ad prandiũ redeo, nũciatur, nepotẽ infantulũ ex filio, morbo periculosissimo laborare. Post prandiũ, cũ inuiserem præfectũ urbis, alter eius gener admonet me de quodam amico, quod ab alio quem amicum existimabat, in existimatione grauiter læderetur. Id ego mei muneris esse putans, fide silentij accepta eidem renuncio: ille statim iræ impatiens, ac fortasse de mea fide dubius, genero ipsi cuncta aperit. ita postmodum & ab illo, & ab eo de cuius maledictis agebatur, in discrimen magnum uocor: quod etiam si euadã, neutrius tamen perpetuam offensam uitare licebit. Vesperi eiusdẽ diei, quodam (ut reor) malo fato me urgente, puerum anagnosten, maximè mihi gratũ, atq; tũ unicũ qui fide erga me esset integra, è familiaribus, cũ cæteri parũ probi essent (credo ob aduersam fortunã, casusq; graues, quibus ab omnibus desertus uidebar) paulũ abfuit ne iniustè (cum tamẽ eodem malo fato ille iustã de se suspicionis eius causam impellẽte dedisset) furti damnarẽ: unde ille, quod quàm parũ abfuit, merito iratus abiret, quodq; mihi reliquum esset boni totum euerteret.

Caput

Caput VII. De somniis meridianis.

EST uerò illud consideratione dignum, an somnia meridiana possint esse perfecta? nam ut quæ media nocte aduenium, propter cœnæ propinquitatem uana habentur: ita & quæ meridie ipsa. nam prandio proximiora sunt, quàm illa cœnæ. Videntur etiam somnia efficaciſsima, quæ in magnis Solis mutationibus aduenium: quales in illius ortu & occasu. in altero enim lux ex tenebris, in altero tenebræ ex luce fiunt. quapropter somnia maximè circa ortũ & occasum Solis uigent. Meridie aũt mutatio exigua fit, sed qualitates uigent. ob id meridiana somnia ob hæc uana existimantur. Sed cum etiam quæ media nocte accidunt, non omnino falsa sint, nec id de diurnis existimandum est: multo etiam minus de meridianis ipsis. At ea solum animaduertere oportet, quæ (ut dixi) multum animam mouent, & pura sunt, ordinata atq; perfecta. Tametsi enim parua mutatio contingat, & ob id in paruis spacijs, ob paruitatem spacij sit insensilis, uelut ungi uel fricari: aut in magnis ob paruitatem qualitatis, ut cum uidentur uerberari, aut currere, aut habere duo capita, non constanti somnio, cum tamen fuerit purum, ordinatum, perfectum, animamq; ipsam admiratione atq; stupore tum metu perculerit, aut spe impleuerit: necesse est ut mutatio magna facta sit, non ob Solis situm, sed animæ nostræ liberationem. quapropter somnia huiusmodi etiam uera sunt, nisi sint (ut dixi) imperfecta, obscura, uel inordinata, uel impura & leuia. In ipsa autem meridie sunt efficaciora quàm in cæteris partibus, eadem ratione quæ dicta est in Astronomicis expositionibus. Itaq; memini me legisse, quosdam in meridie de incumbentibus admonitos, quorum alij dum cauerent effugêre periculum: alij dum contempserunt, oppressi sunt.

Somnia tamen quæ post ortum Solis paulò contingunt, ueriora sunt meridianis: quæ autem ante occasum, aut statim pòst, imbecillia sunt. An uerò debiliora meridianis, quandoquidem de eis non habeam experimentum, determinare non ausim. Satis sit, si quæ dixi affuerint, posse esse efficacia: ut scias, quod Meridies ostendit multa somnia, & distincta, & præcipuè æstiua, pluſquam faciat nox longè: & præsertim, si quis post fructus & caseum diu dormiat.

Caput VIII. De Ecstasi & tremore.

QVæ quidem per ecstasin uidentur, idem habent significatum cum idolis, & uisionibus euidentibus: nec tam prope abesse solent ab idolis huiusmodi, quòd efficaces habeant causas, quæ quasi in uigilia mouere animum possint. Etenim in ecstasim multis modis delabuntur homines: aut per syncopim, aut animi deliquium, aut etiã propriè abducto sensu omni externo, absque alia causa. id uerò contingit consuetis plerunq;, & nimio affectu alicuius

rei

rei laborantibus. Verùm dices: Si sensus exteriores detinentur, interiores manent in ecstasi, in quo illa à somno differt? nam & in somno eadem contingunt. neque dicere possumus, manere motum in ecstasi: nam etsi maneat, etiam in somno manifestißimè manet.

Dicendum est ergo, eos qui ecstasim patiuntur, omnia audire, non autem uidere: atque in hoc à somno differt. nam in somno discreta uox non intelligitur, sonus tamen dormientem mouet, aliter non excitaretur: in ecstasi autem etiam uox ipsa intelligitur, sed quasi sonus auræ & procul ueniens. in uigilia autem tota uox percipitur, cum sensu atq; significato uocis.

Ergo ex hoc perspicuum est, auditus sensum tenuiorem esse quàm uisus. siquidem internis sensibus qui in somno manent, auditus magis quàm uisus assimilatur.

Etenim ecstasis medium est inter uigiliam & somnum, sicut somnus inter mortem & uigiliam seu uitam. Et in ecstasi ipsa sopitur uisus, non auditus, nisi (ut dixi) ex parte. Plenius etiam in somno uisus, quàm auditus: nam delato lumine magno, tametsi apertis (ut multi facere solent) dormiat oculis, non expergiscitur. Auditus ergo tenuior est, & magis diuinus, quàm uisus. Ob id etiam cæci multi, prudentes: non ita surdi. Cum ergo uisa in uigilia, certiora sint uisis per somnum, erunt etiam uisa in ecstasi (quæ uigiliæ propior est quàm somnus) certiora in somnijs: & eadem ratione clariora & euidentiora. Quòd si somnus idola profert, quanto frequentius ecstasis. Et ut uigiliæ propria sunt semper idola, somno uisa familiariora idolis: ita ecstasi idola familiariora uisionibus atque imaginationibus quibusuis. Quemadmodum autem est uia quædam somnum conciliandi, ita etiam ecstasin.

Quæreret autem quispiam non immeritò, cur in somnum naturaliter & singulis diebus decidamus omnes: tam pauci, atque pauci illi tam rarò, decidant in ecstasin? adeò ut ob raritatem, & uisorum euidentiam, pleriq; arbitrentur Deorum esse monita quæ uidentur per ecstasin, aut audiuntur. alij uerò etiam fingunt talia esse.

Igitur causam esse reor, quòd difficilius sit circa medium consistere, quàm extrema. unde etiam uirtus, quia circa medium est, in ea consistere difficillimum sit. itaque non nisi per morbum in ecstasi consistunt homines, aut ex animi robore, aut proprietate. Ego ecstasin (ut aliàs dixi) cum uolo, patior: sed in ea tandiu consistere nequeo, donec aliquid uideam, nisi postquam modum uidendi imagines illas dæmonum instar inueni. An uerò in ecstasi (uocant aliqui phanaticos huiusmodi homines, ἀναγωγὰς melius

lius Dionysius, sed nec sub illo sensu proprie cum diuina contemplamur: neque ergo est is mentis raptus, nec stulticia aut insania, nec furor sacerdotum Cybeles deæ, sed (ut dixi) naturalis status in medio somni atque uigiliæ, in quem ex doloribus etiam maximis sæpenumero incidunt homines) liceat uidere quicquam, ac simul audire, uere dubium est. Sed non, dum audiunt hæc, uident, uerum cum non audiunt.

Igitur planè somnus est? Non equidem: interturbantur enim uoce, si audiant quicquam. uident autem cum non audiunt, audire tamen possunt: cum qui dormiunt, nec audiant, nec possint audire. In hoc ergo conueniunt somniantes, & ecstasi deprehensi, quod utrique silentibus sensibus omnibus, & omnibus etiam (excepto auditu) uinctis, talia uident: sed ecstasi deprehensi audire possunt, qui dormiunt non possunt.

Cum uerò in ecstasi minus soluta sit anima à sensibus, & ob id magis quàm in somno præpedita, oportet si uidere aliquid debent, adeò illam purgatam esse, ac tenuis sensus, ut etiam alligata eatenus corpori ab imaginibus illis moueatur: imagines autem illas uehementius mouere. quare per ecstasin uisa, uera sunt, & præsentia.

Porrò ecstasim efficere ex intenta cogitatione licet: tum etiam alijs modis. Diuinam autem non adeò facile. cogitationi enim intenta anima, quomodo alia uidebit?

Atque ut hoc nobis cum alijs commune est: ita proprium, sentire me prorsus uigilante cubiculum tremere, manétque diu id symptoma.

Cum uerò anno præterito bis, circa initium anni, iam die adulta, me cubante euenisset: statui, si rediret, animaduertere causam. nam cum surrexissem, quieuerat: iterum cubante cum redijsset, animaduerti esse spiritum leuem, qui non in corde, neque circum, sed paulo inferius palpitabat. Sed cum tremor ille à nullo perceptus foret (dico cubiculi) id rescire non licuit, quia tum nemo aderat præsens. Vt ergo spiritus circumuoluti in cerebro, circumuerti quæ exterius sunt demonstrant: ita sub corde, tremorem illum circumstantium. Itaque desij timere, quòd morbi loco esset, non ostenti. At cum plures sentiunt, nec tamen extra cubiculum, ostenti, & non leuis, loco habendum est. Verùm ad eandem causam in illis etiam referri potest: ut una causa sit communis.

Si igitur illa ex astris sit, ut cum pluribus simul aduenit, uerisimile est portentum esse, & plusquam somnium: naturale tamen, & ut somnium luctuosum, calamitosumq;.

Obser-

Obseruaui, cum iam annus ab utroque excesserit, an aliquid portenderet: timui enim meis. Sed Dei gratia, seruati sunt omnes. periit solum Gugliermus familiaris, adolescens ualde mihi charus. Exiguo tamen metus & solicitudines significare. tametsi naturali ex causa pendeat: quandoquidem causa illa generalis, non propria fuerit.

Caput IX. De seipso duplicato.

DVo fiunt cum anima separatur à corpore, ideo mortis est signum. Est & signum morbi in ipsis ægrotantibus, nec tum aliud quicquam significat: quoniam uisum non est, sed turbulentia animi, ob uapores morbificos. Significat & in sanis uxorem, uel amicam, quæ te uehementer diligant: & fratrem optimum, est enim ferè alter. & optimum amicum, & filium tibi simillimum. Et decepturum te aliquem. nam qui decipit, duplicem se exhibet: unum apud se, alium apud eum quem decipit. Significat & ancipitem consilij. nam qui sic sunt, quasi duo sunt in uno. Oportet igitur occasionem præsentem considerare, & iuxta illam iudicare.

Potest & significare hominem tuo prænomine appellatum, ludente imagine, & grauia ad leuia transferente. Et tum diligenter animaduertere oportet, maximè si aliàs tibi fuerit ignotus: namque ab eo mali aliquid aut boni insignis habebis. tales enim sumus erga nos ipsos, ut uel uehementer nobis simus utiles, studio uel errore pernicioso. id ergo decernit hoc, illum nobis adeò esse similem, ut sub nostra persona significetur.

Animaduertere autem oportet, quónam pacto alter ab altero ex ea duplicatione aliter atque aliter affectus sit. nam nisi aliquod fuerit discrimen, morbosum est. Sin autem fuerit, caue ne aliquem tibi simillimum aut coniunctissimum lædas, aut ab illo lædaris.

In hoc autem genere sunt etiam somnia, quæ supra cogitationem sunt: ueluti est, in duobus locis simul esse, aliquid esse ac non esse, ac huiusmodi. quæ mens in somno concipit: dum uigilat, cogitare non potest.

Atque hæc quidem omnia uanas cogitationes, spes inanes, admiranda quædam initia, sed sine fructu portendunt: & persæpe etiam perni-

ciem, unde sperari nulla ratione poterat: & morbos, & anceps consilium, ac inextricabilia negocia.

Caput x. De expositione somnii in somno.

DEmiror maximè, illos qui de una tantum re scribunt, adeò esse imprudentes, ut pleraque capita, & maximè utilia prætermittant: in quibusdam autem adeò sint prolixi, quæ tamen ad rem multum non faciunt, ut tædium pariant. Velut Artemidorus Daldianus, qui huius fermè princeps disciplinæ habetur, circa differentiam ciborum, quæ minima quasi est omnium quæ in somnis considerari possunt, singula quæque distinguit: at uerò in generibus ipsis quæ omnia maximi sunt momenti, quàm multa prætermittit? uelut hoc caput, & Tertij libri nostri partem maximam. Neque id factum ab eo est, quod solum comperta experimento tradiderit: tunc enim laudandus esset. sed constat, doctrinam ex resolutione illum facere conatum, sed non potuisse scopum attingere. Prætermisit & idem multa quæ à nobis in Primo libro tractantur: Secundum quoque totum. Neque in Quinti libri sui, qui Quarto nostro assimilatur, ea attigit, per quæ fides somniorum confirmaretur. Ergo somnia hæc specularia uocantur, quoniam si quis speculo iuxta ponat, uidebit in speculi alterius effigie, quæ in alio conspicitur speculo, imaginem propriæ faciei, aut alterius cuiuspiam rei.

Exponam autem infrà duo exempla, unius quidem in quo erat uestigium specularis somnij, alterius quod prorsus erat speculare, non solum euigilatum. & de euigilatis suprà sermonem habuimus.

Lib. 4. ca. 4. Somnijs 12. & 34.

Videntur autem tria repræsentationum genera. Primum, cum uidemus rem, discernimusque qualis sit: ut mortuum, quòd mortuus sit, licet loquatur: non tamen eò peruenit mens, ut quod esse non potest, dum uidet, somniare se intelligat.

Secundum, cum cognoscit se somniare ob id, quod id quod uidet, tale non posse esse uerè cognoscit.

Tertium, cum id superaddit, ut interpretationem audire somnij uideatur: quamuis in hoc fallatur, quod tum cum audit, uigilare se existimet.

Igitur in somnijs specularibus, primùm quod maximè somnium est considerare oportet, atque in eo uersari iuxta regulas passim conscriptas. Quod si appareat expositio somnij, illam rursus comparare oportet ad ea quæ tum apparent. nam si ea expositio à diuo, aut sacerdote, aut sapiente aliquo fiat, Idoli rationem habebit. Sin autem ab incognito, uel amico quopiam, sed imperito: quæ ab incognito fit, si specie

libe-

liberali sit, idolo proxima erit: sin autem improba, & uiri praui, per oppositum erit interpretanda. Demum si à muliere, uel uiro cognito uulgari, non tamen amico, ad simulachrum referenda erit. Ea igitur quæ expositione adduntur, palam est, addenda esse somnio: uelut si uidero me esse aliqua in urbe, iuxta illa quæ ibi uidero somnium interpretari oportet. at cum nomen ipsum ei additur, et nominis interpretationem iuxta ea quæ dicta sunt addere oportet. Omnia quæ dicta sunt, in perspicuo esse intelligo, præter unum: id est, cur addatur nomen illud ab alio: nec à seipso, ut reliqua, concipitur. Contigit id propter personæ naturam, quæ in considerationem uenit. ergo in huiusmodi etiam habenda est ratio personarum, ut dicemus inferius.

Ergo in somnijs specularibus id diligenter obseruandum, quod uelut effigies ultima minus uidetur: & in iride tertiam reflexionem uideri negant. ita quæ succedunt primo somnio, sunt obscuriora præcedentibus: quo fit, ut etiã minus certa sint. Videntur ergo insita illa in profundiore somno, quoniã impressa firmiter nõ poterant obliterari. sed superueniẽte noua imagine, superinducitur uelut cortex alius: & quod prius uisum erat, obscurius redditur, sed additis nouis rationibus, facilius tamen suscipit interpretationem. unde eiusmodi somnia semper imperfectam retinent expositionem, & inæqualem multiplicemq; naturam. Fieri autem potest, quod aliquid proprium retineãt. certè robustæ mentis signum sunt: ut etiam iris, quæ aliam remittit, necessariò ualdè conspicua est. Diuersis etiam somniorum & imaginum & subiectorum substantijs constant.

Caput x i. De somnijs terribilibus.

SOmnia terribilia ex rebus ipsis fiunt. si quis in prandio edat sanguinem nigræ ouis, aut agnæ, cum sale, dormieritq; paulò pòst in pellibus nuper mactatæ eiusdem, atq; aliarum furuarum pecudum, nondum bene siccatis, somnia uidebit terribilia: præsertim si pridie ieiunauerit, edatq; cum sanguine illo in prandio tria fõlia solani uiridis, eius quod erucæ similia habet decem aut duodecim stipitibus, à radice concaua alba cubito longa & crassa surgentibus, in quorum uertice nucleus quasi oliuæ fructui similis, sed pilosus extat, flore nigro, fructu corymbi, quali in hedera, sed paulò maiore ac molliore (quamuis usus maior sit radicis) capiti uerò supponatur silicis magni frustum cauum, nigro ac cinereo colore distincti, atq; splendentis. huiusmodi enim est Necyomantia Homeri, poetico & antiquo sub uelamine ab illo descripta. Forsan & radix herbæ quam Veneti uocant Beladona, loco solani faciet: aut fructus ille spinosi mali. At uerò meliora & certa euadent, si horum loco panem cum amygdalis recentibus, & sale saccharoq; edat, ouium albis pellibus incum-

bat, caseumq; ouis edat, aut sanguinem candidæ ouis. similiter in prandio: lætiora enim & puriora somnia euadent. capiti quoq; candidum silicem substernat.

Cæterùm si nõ ex cibo terribilia se insinuent somnia, proculdubio magnorum impendentium malorum signa sunt. nam si etiã ex humoribus accidãt, furorem aut melancholiam significant. aliter autem mortes, luctus, carceres, tormenta, exilia, longos morbos, insidias, iras principum, infamiam, iniurias insultas, persecutiones graues & diuturnas, mendicitatem, & mille alia quæcunque poßũt excogitari mala portendunt. Sunt autẽ terrorũ plura genera. pessima hominem excutiunt è lecto: perniciosa enim semper sunt. inde, quæ surgere cogunt: pòst, quæ clamare. Quæ ad nihil horum impellunt, non adeò undequaq; sunt exitialia. Sunt autem deteriora, in quibus nihil certum cognoscitur, aut in quibus quod futurum est perspicitur tanquam idolum: ut se à latronibus uel ab aliquo alio occidi. Quæ autem à mari, fluminibus, terræmotu, belluis, igne, fulgure, grandine, supplicio impendente, minus mala sunt. illa enim plerunq; humorum exuberantium præter rationem sunt affectus. hoc ultimum uerò, unum propriam habet significationem, quæ suo loco dicta est.

Filio Violantæ Marinonæ, matronæ nobilis, duodecim annos agenti, antequam crudeliter à familiari, cui pueri cura demandata erat, occideretur, multis diebus apparuit somnium, quo occidi uidebatur, & cum clamore exper/giscebatur.

Terribilium somniorũ sexdecim sunt differẽtiæ. aliæ. n. fiunt propter montes & ruinas, alia à fulgure, alia à terremotu, alia à casu, alia à naufragio, alia à supplicio publico, alia à latronibus uel alijs hominibus, alia à feris, alia à serpẽtibus, alia ab obscuritate, alia à die Iudicij, alia ab incerta causa, alia à morte, alia à peste, alia à fuga, alia à monstris. Harum omnium, casus et ruina semper maximum malum significant. Incertus quoq; terror malus est, sed non adeò. Naufragium etiam malum est, & iacturam significat, turbas & tumultus. Terræmotus, publicum supplicium, & mors, fuga, & monstra, & obscuritas, non semper malum portendunt. Dies iudicij significat iusticiam in loco illo in quo apparet iudicium illud, & finem curarum & negocij. Monstra, significant hominem notum sub ignoti ratione. Obscuritas autem, errorem, timorem atque ignorantiam. Fuga hominum bellum portendit, & pestem, & calamitates publicas: non tamen necesse est ut somnians ex his lædatur. Serpentum ac ferarum timor ingens, si non lædant, malum non portendunt, sed periculum tantum. Si autem te aggrediantur, etiam si non lædant, modò in pugna somnium soluatur, malum significant.

Omnia

Omnia præterea somnia quæ perpetuam significant coniunctionem, aut separationẽ, & quæ ad ea quæ ad funus pertinent, & quæ ad pompã, & quæ ad mutationem uitæ (de quibus suo loco dicetur) periculum indicant, & suspicione non uacãt. Sicut & uehi in animali magno, maximè elephante, & præcipuè mulierẽ tum ob naturam rei, tum quia feretro elephas assimilatur. Et si quis mõte deferri uideatur, dupliciter periculum portendit: & magnitudinis ratione, & naturæ repugnantia. Sic discessus in longinquas terras, et uale & salue suis intimis: domus in cœlo, in nubibus, sub terra: liberari, cum nõ sis seruus: exire è carcere, cum in eo non sis: nubere senem, diuortium celebrare cœlibem, esse in utero matris: concumbere cum mortuis, mastrubari, fellare: dare uestes, argentum, cibos illis: in tenebras ingredi cum eis, nec exire: deferri ab illis, nauigare, cõcedere uestes proprias quas induat & exuat, terribile est, atq; mortiferũ. Velut & cum dijs iungi, uerberari ab illis, colloqui cum mari, ebibere totum unum flumen, conflagrare uel ruere domus culmen, amputari uel cõflagrare pedes, hiatus sepulchri paterni, oculis ambobus aut naso carere, aut etiã capite: ossa nudata sua cernere, lugubrem habitum suorum uidere: matrem sibi incumbere, pascere minuta animalia, tanquam abeuntem lachrymas fundere: uocari se à dæmone, aut mortuo cognito, nec eum uidere, sed agnoscere cuius sit uox: domum sacerdotibus aut luminibus plenã uidere, claudi in arca, frumentũ aut plantas è corpore oriri: mures, formicas, in os uel aures ingredi: liberũ ab omni solicitudine esse, cum coniunctis tuis mortuis celebrare nuptias, lethalia ualde sunt. Magistratũ, quẽ ciui nõ liceat gerere, aut dignitatẽ muliebrẽ adeptũ esse, uel è collegio alienæ urbis, quod ciuibus illius urbis tantum concedatur, etiam mortis signum est. In cauponã et lupanar incognita ingredi, nec egredi, aut ad Tartara descendere cum hoc proprium mortuis sit, et sub terra, illa uerò sint cõmunia loca, mortem significant. Vestem ex ea materia ex qua tegi solet feretrum, induere: talia agere, pati, priuari, quibus solẽt cadauera aut mortui priuari, agere, pati, omnia funesta sunt. Præterea luteũ, testaceum factum esse: aut etiam testaceum, uerti in immortale, aut immortalẽ esse factum mortale rursus. Cereæ somnium propter plura terribile est, & lethiferũ. cera enim cum ex aluearibus detrahitur, apes pereunt. Cera alba funera decorantur. Mortuis oĩa languent, uelut quæ cerea sunt. imagines quoq; cereæ solent tẽplis appendi, cũ quis magnũ euasit infortunũ. Cera utimur in ulceribus quibuscunq; tum doloribus, ac similibus. Vestes induere ligneas aut lapideas, lethiferũ rursus est. Focũ apud exteros ædificare, sibi extruere sepulchrũ, atq; adornare: domum ignotam ingredi, in qua plurimæ sint officinæ, cuius habitatores mortuos esse intelligas, mortem portendit.

Ter-

Terribilia somnia sunt, quæcunq; ingens aliquod malum prænunciare solent. Sunt autem mala ingentia, mors tum propria, tum coniunctißimorum: uincula perpetua, ut deportatio: morbus aliquis insanabilis, & fœdus, uel sæuus, ut elephantiasis, carcinoma, lapis uesicæ, & pauperi hernia, & amißio uisus aut auditus: tum extrema inopia. reliqua omnia à forti uiro ferri non solum possunt, sed debent: uno adiecto, quod omnibus deterius est, licet feratur, insania scilicet.

Aliqua uerò terribilia dicuntur insomnia, ab effectu non significato. qualia sunt, si quis se inter dæmones aut mortuos uideat, à quibus terreatur: hæc enim somnia nihil terribile significant, quoniam substantiam definitam nõ habẽt, eo quòd apud multos huiusmodi opinio inanis habeatur, scilicet uel quòd sint, aut quòd lædere possint. Et similiter terror rerum quæ non perficiuntur: ut si mons cadere uideatur, non tamen cadat, aut in alium locum decidat: atq; ita de fulmine. hæc quidem pericula, non damna significant: illa uerò, inanes aggreßiones ac metus. Quæcunq; uerò ex his à quibus timere non debemus uidentur terribilia, si quidem à parentibus iustisq; uiris, flagitia nostra denunciant: si autem à filijs, aut improbis parentibus, quibus tamen dum uiuerent chari eramus, errores nostros, qui nobis damnum ingens sint allaturi, ostendunt.

Omnia acria, & præcipuè allia, cœpe, sinapis, & siliqua rubra, luctus & lachrymas decernunt. Hæc quidem (dices) superius enarrasti: sed tamen si lachrymas, si suspiria, si terrores excutiant, longè deteriora erunt, & firmius habebunt significatum. Miserabilis quoq; disiuncto à te, luctuosa est, si uel parens, aut filius, aut frater uxor'ue à te discedat. Quod filius & uxor uale sibi inuicem dicant, tu autem desleas, hunc discessum si quidem primus luctus signum non edat, ille solus morietur: si autem edat, ambo morientur ex hoc somnio. uelut contigit Timagoræ et Meleti, qui una nocte periere. Et communis luctus significatio est, uidere coniuncti etiam lachrymas, aut gemitum, suspiriá ue: affici uerò eo dolore, ueluti si cui uideatur cum terrore uxor lachrymas effundere, morietur communis filius: & si ipse afficiatur adhuc, filius morietur. nam non lachrymas effundit, quia non ut illa quod futurum est nouit. Sed si omnino non afficiatur, aut nõ morietur filius: aut morietur filius quidem, sed inuisus non matre. luctum significant, quæcunq; consueta sunt genti: atq; in his mores potius quàm rem spectare oportet. Alij barbam nutriunt, ut Itali: alij radunt, at olim Græci: alij cineres super caput spargunt, ut Hebræi. Suas ipsius carnes edere, aut etiam mordere, luctuosum est. At si cui ex domesticis, aut domino domus, nouæ portæ in domo ipsa uideantur, dominus

nus domus morietur. Quod si præter id, etiam intus uideamur claudi, ea mors exitium toti familiæ afferet.

Porrò in igne esse, uel glacie, lectos multos uidere, ac etiam per illos ambulare, & super eis, nec non unguenta parata, æstus animi ac corporis significat, & calamitates: non tamen adeò, ut luctus, acerbus. si tamen cum miseratione sint, ac terroribus, nonnunquam etiam luctu, seniores erũt. Volutari in cœno, iacere in fimo, linteo detergi post sudorem, aut sudare sanguinem, præsertim toto corpore, maximas ostẽdit calamitates. sæpe uerò qui detergit, causam calamitatis præbebit. Mœstos, & multo silentio uidere obrutos amicos atq; coniunctos, magna declarat infortunia. Idem, sed non adeò magnum est, si uiderit inimicos lætos, ridentes, congaudentes. Deos, aut propitiũ diuũ audire dicentẽ, Væ tibi, aut tristem & lacerum, uel quasi exarmatum uidere, miserias sine auxilio aliquo portendit. Coniugiũ cum dæmone, cum tartarea furia, cum serpente, tum magis concubitus, etsi pestifer sit, saltare cum sceleto, cerberũ in domũ admittere, funesta, prodigiosa, horrendaq; sunt, furereq; semper. Præterea obcæcare, obsurdescere, dentes omnes cadere, ruere ex alto, brachia amittere, aboleri nomen tuum, si non exilium hoc significet, maiora certè mala portendunt. Vngues aut pilos omnes cadere, maximos saltem, terrores indicat, & imbecillitatem omnium operationum, magnamq; omnium bonorum imminutionẽ. Cyclopis uisio inauspicata est: & illius antrum apertum, & tragœdiarum representatio, formidolosa sunt, & ruina pulchri ac nobilis ædificij. Sacrificare cacodæmonibus aut dijs inferis, luctus aut mortẽ prænunciat. Si cui uel regi uel priuato uideatur auferri dimidium eius quod possideat, primùm quidem ab inimicis spoliabitur bonis. inde etiam paulò pòst morietur. nam ut dici solet, dimidiũ est plusquã totũ. Omnia in domo etiã cõuersa uidere, ut puteũ, latrinã, uasa culinæ, umaria: euersionem bonorũ omniũ, dico opum, actionum, & amicitiarum significat. Refert Scirnachã Indus, quendam adesse Serim illius magistrũ, interpretemq; somniorũ, ac dixisse: uidi me equitare equũ præstantẽ, & cum ambulasse mille in passus, illum sustuli humeris, ac detuli tantũdẽ. cui Serim dixit: Quando hoc uidisti? tũ ille: Sub aurora. cui Serim: Breui in prælio occidêris. Quæcunq; etiã magno cum strepitu et absq; lumine fiunt, aut sub terra reconduntur altius, mala significare solent.

Quæ uerò miserabilem inopiã portendunt, sunt cum gemitu aut terrore, sed hoc rarius: aut cum lachrymis, quod frequentius est. Si quis segetes suas ab alieno demeti uideat, fructus colligi, sibi eradi omnes pilos, atq; barbam tõderi, uestibus spoliari, si detrahi sanguis, si quicquid est in quo maximam spem collocauit, si frigus & nines, tum uerò grandines & pruina, dupliciter ino-

piam significare solent: & ob frigus, & quod fructus ac sata destruere soleat. Tum uerò sordidus panis, & furfureus, & fractæ arcæ, & aqua pro uino in dolijs & in mensa, & murum atq; aranearum abundantia, & culcitra antiqua & obsoleta, & lectus sordidus: omnia hæc summã pauperiem denunciãt. Sed & collo uinctũ esse, si uoluntarie, amici aut adulatoribus sua largietur: si per uim, auferentur litibus, aut ab inimicis, & omnino per uim: ut à principe & magistratibus. nam uincti, ut liberentur, omnia dare solent. Venter quo que uacuus paupertatem nunciat: & si flatu plenus sit, diues tamen existimabitur. Et si uulnus insanabile accepisse uideatur, breui omnibus bonis spoliabitur. Ex proprijs autem signis paupertatis, atq; causa potentioris uiri est, cum tu uel domus tua uel ager abducit à flumine uel torrente. Sed si mergi & aqua obrui uideatur aliquid horũ, impensis proprijs & à creditoribus spoliaberis.

Nihil tam simile est paupertati extremæ, quàm morbus. qui enim ab alterutro horum premuntur, pariter multis indigent, alieno imperio parere coguntur, frigus & æstum patiuntur, tristantur, aliorum auexilio opus habent: quod destinarunt, efficere nequeunt, tum multa alia. In uniuersum, somnia terribilia plerunq; mala sunt. atq; eiusdem generis malum portendunt, quale est causa terroris: Et si cum miseratione sint, luctuosa sunt. Et si perseuerent cum ignota causa, insaniam denunciant. Et somnia mortuorum & ignotorum hominum, sunt eius significatiua.

Caput XII. De somniis magnis.

SOmnia magna trifariam adueniũt: aut ex actionibus nostris, aut tempore, aut euentibus. Actionibus quidem nostris, ut potissimũ cum inierimus magistratũ, aut decreuerimus aliquod magnũ opus inchoare, uel cũ mutauerimus regionẽ. Et generaliter in omnibus initijs, uel sub initijs magnarũ mutationũ: et præcipuè cũ quis in templo magno, Deo et diuo loci sacrificauerit, ibi morã ducturus. Ex tempore, in initio anni scilicet, Calendis Ianuarijs, in die proprio natalitio, in primo die lunæ: sed hoc rarò extenditur ultra mensem, quod promittitur: et similiter in Calendis mensis: uel si quid uideatur die aliqua, qua quis inierit magistratum, aut dignitate ornatus sit, aut parentes aut filiũ aut fratrem aut uxorem amiserit, aut infortunium aliquod passus fuerit. Ex successu, cum quis uidens præclarum somnium, ex insperato aliud quid ei succedit magnum bonum, malum'ue: uelut si quis uideat se decutere capita multorum papauerũ in horto, aut uiuus sepeliri, inde præficiatur urbi: primus quidem, multos homines ex eo magistratu, etiam præter consuetum occidet: secundus, in carcere tetro & sub terra diu manebit.

Dicuntur autem magna somnia, quæ ex tribus unũ significant: scilicet aut mor/

mortem, aut generis uitæ mutationem: aut monent nos de aliquo impendenti malo magno, uel bono, quod diuturnum erit, non tamẽ perpetuũ. uelut si quis in carcere, uel æger toto biennio futurus sit. Et si etiam perpetuũ sit, nõ tamen multa significet, erit magnum, et non fatale. Omne enim Fatale somnium magnum est, sed non omne magnum est fatale. Si quis ergo moneatur de uxore impudica quam duxerit, filio improbo quem susceperit, uel suscepturus sit, aut paupertate aut exilio, seu finem hæc sint habitura, seu non, magna dicuntur. Et si moneat, nec sequatur effectus, magnum tamen erit somnium. Et plerunq; gratum hominem Deo ac pium esse significat. Quod si improbus moneatur, uel ad maius & crudelius supplicium reseruatur, uel illud contingit causa publici commodi aut ultionis: ut in Sylla & C. Cæsare Dictatore. Ergo de equo, de leui morbo, de cubiculo patruo, uel amico, non proprie dicitur somnium magnum: sed de nobis, atq; intimis.

Quæ autem significant, sunt Dij, Diui, Heroes, Dæmones, Statuæ, Astra, Cœlum, Elementa integra, Fulmẽ, uxor, oculi, cor, pedes, domus, fastigiũ, mortui intimi, uoces etiam ex his: tamen à rege & à parentibus præcepta. Ex impressione facta stabili, & ut diu imago illa somnij ante oculos obseruetur tanquam nuper uisa. Ex affectus etiam magnitudine, cum anima quasi admirata remanet. Et ex affectibus magnis, si aliquis in ea relinquitur. Solent autem magna somnia plus mouere affectum Fatalibus: tum quòd sint unius tantum generis: tum quæ non sunt exitialia, magis uidentur afficere animam, cum exitialibus magis succumbat. ut etiam in morbis uidemus.

Caput XIII. De somniis fatalibus.

FAtalia ergo ex horum genere sunt, sed ad mortem usq; extenduntur, & cursum totius uitæ, non unum infortunium, aut felicitatis genus unum decernunt. nec monent Fatalia ut uitentur, sed impellunt potius. Plurimũ autem refert an somnium fatale sit, et ad ultimam horam extendatur: etiam si non Fatale sit, sed unius tantum generis boni aut mali, modò ad mortẽ usq; perueniat. Nam ut in libris de utilitate ex aduersis capienda docuimus, duo sunt genera importunæ mortis, uel infelicem mori ac pauperem cum filijs, uel cum filijs stultis: aut felicem sine illis, ac etiam sine nepotibus, quos uel non diligas, aut si sint inutiles. modicum ergo tempus quod finiat uel felicitatem uel infelicitatem, aut statum uitæ, multum conducit aut obest. unde Fatalia & perpetua à magnis scire distinguere, quæ non ad uitæ finem perueniunt, plurimũ interest.

Et quamuis, ut dixi, non alijs signis aut causis quàm magna distinguantur, & eisdem temporibus accidere soleant: nihilo minus natalicijs

diebus deciminoni & trigesimioctaui anni & quinquagesimiseptimi, quòd huiusmodi conuersionibus astrorum status priori assimiletur plurimum præcedenti, plus tribuendum est. Et uelut, si anno quadragesimosecundo muneri profitendi addictus fui, anno sexagesimosecundo natali die, uel die consimili electioni somnium aliquod uidero, magnum erit. Sed quinquagesimoseptimo peracto, fatale: nisi septuagesimum sextum excessero.

Sunt autem Fatalium somniorum tria genera. Primum, cum solus exitus demõstratur: ut Philippo, quòd quadriga periturus esset. sed id pro oraculo habetum. Secundum, cum uitæ processus, ut Cæsari Dictatori patriæ dominatio, ex matris concubitu. Tertium, quod exactißimum est, cum utrũq; : ut Septimio Seuero Imperatori. nam & quòd imperaturus esset, & quo animo moriturus, per somnium uidit. Solent autem Fatalia somnia ex idolorum genere esse: quòd à causa fiant ualidißima. At dices, exitij somnium fatale non uidetur, si nec morbi ad interitum terminantis. Respondeo, quòd cum exitium multo antè præmonstratur, uariante interim uitæ genere, uidetur in illo exitio qc quid est inter medium, cognitum fuisse: ac uelut Poeta ille dicebat,

Nascentes morimur, finisq; ab origine pendet.

At secus est, si quis ante morbum statim se morbo laboraturum, ex quo diẽ sit obiturus, intelligat: nihil præter morbum, & uitam cum morbo agendam, somnium illud præmonstrasse uidetur. ideo magnum est, propter exitium: fatale non est, quia uitæ nullum decursum ostendit, nisi morbum.

Conueniunt & Fatalia parentibus pro filijs, ut de Astyage memorãt: quod tamen (ut Xenophon, qui prætermisisse uidetur tantam rem) fabulosum existimo. ex manu enim aui Cyrus (ut dici solet) regnum accepit. constat sanè, in ortu filiorum parentes fatalia de illis somnia uidisse: uelut de Scanderbego Epirotarum rege, quem referunt, cum in utero adhuc esset, matrem imaginatam fuisse párere serpentem, qui totam Epeirum tegeret, caputq; in Turcicam regionem extenderet, Turcasq; deuoraret: caudam Venetias usq; deduceret. Sunt & alia, sed propria, partim aliena. Guglielmus Ruffus, Guglielmi Normanni primi Angliæ regis filius, per somnum uidit, abruptas sibi brachiorũ uenas sanguinem mittere. Solitarius autem uir imaginatus est, eundem regem à Christi statua percuti. Itaq; cum hoc somnium alius quidam narraret, qui aderant, eorum unus cachinnum sustulerat. is fuit, qui in uenatione regem fortuitò, dum feram occidere nititur, peremit: ac quod maius est, euasit: ut diuino miraculo, & ab inuito rex occideretur, & illi impunè esset, ne non diuino iudicio interemptum quis posset dubitare.

Sed & prioris Guglielmi felicitatem mater, quamuis concubina, non legitti-

gittima uxor esset principis, præuidit. Henricus quoque rex Angliæ eius nominis primus, somnio monitus est, ut à flagitijs abstineret: iáq; fatalis quod dam aliud genus insomnij fuit. At Ricardi etiam Tertij regis eiusdem gentis fatale somnium ostendit, quòd malè ob flagitia esset periturus.

In uniuersum, genus uitæ fatalia somnia demonstrant. nostra quidem tria alibi narrauimus: ob id repetere non decet. Sunt etiam fatalia, quæcunque cum miraculo coniuncta sunt: ut somnium illius qui nucem se in manu habere somniauit: & experrectus, cum antea non haberet, habere se deprehendit. quod ei exitiale fuit. Similiter & de Galba: quo adeptus est imperium. Et somnia magistratuum perpetuorũ fatalia sunt, etsi magnum aliquid non significent. neq; hoc necessarium, nisi quoniam fatale omne somnium (ut dixi) necessariò magnum est, cum ad uitæ finem extendatur.

Caput XIIII. De somniis repetitis.

REpetuntur somnia eadem nocte sæpe, & interposita quandoq; etiam uigilia. Et sunt somnia quæ pluribus noctibus repetuntur. Quæ ergo eadem nocte, & antequam expergiscamur redeunt, plerunq; ad humores pertinent. Si tum nihil cuarient, & de rebus sint ad humores non pertinentibus, rem præteritam nuper ostendunt. Si uerò interim homo expergiscitur, die sequenti succedent, iuxta temporum tamen rationem dictam. Quæ ex genere sunt idolorum, si mortem significent, uel quodcunq; aliud, omnino euenient, & statim: sin autem uisionum, & repetant, quæ mortem significare solent, non significabunt. nam mors non sæpius redire solet: uisio uerò aliud significat quàm ostendit. In cœlum ergo ascendere, uel habere ibi domum, etsi mortem significet, hoc tamen sæpius uidere, non mortem, sed glorioſum factum, aut in Repub. dignitatem prædicit.

Quæ uerò longa post tempora repetunt, non secus ac nostra negocia, quã uis eadem, diuersa tamen significant, sed quasi sub eadem similitudine. Velut puero, iniuria aliquem afficere, est uerberari: nam iniuria creditur affectus ab eo, qui puerum uerberat. At iuueni significat, offendi ab illo: nam hos iniuria afficere conamur. Seni, stultè se gesturum erga illum, denunciat: nam senex cum sit imbellis, & suis incommodis satis oneratus, stultè facit, cum quærit odij causas.

Similiter puero basiar, pati turpia significat: quoniam huiusmodi oscula præcedere solent. uiris autem, & præsertim artificibus, lucra: nam amant, qui lucrum exhibent. senibus irrisionem: absurdum enim est, & non serio dignum, senem osculari. Somnium ter repetitum pro oraculo habendum est, uel etiam si res constet, quædam uerò aduenticia solum uarientur.

Somnia repetita si frequentent, aut post longũ tempus repetantur, non procul esse quod significant scias. Sin autem per certa quædam spacia recurrant, nec singularem emphasin ultimum retineat, futurum insigne aliquid, sed nondum instare declarant. Somnia repetita aut repetitos effectus nunciant: uelut phratrio Gaspari, cum uolare se somniaret, ægrotabat. aut si non repetantur effectus, & nihil succedat, magnum aliquid est expectandum. cum enim redit gerulus sæpe, aut cumuli multi fiunt, aut magnus necessariò aceruus.

Somnia repetita in quibus recordamur aliorum, actiones nostras potius quàm casus, sed insignes prænunciãt. Multos idem somnium uidere, ueritatis argumentum est. Sed cauere oportet, ne (ut Claudius Cæsar à Messalina & Narcisso) deludamur. Somnia monitoria perseuerantia, magnam fortunam & grandes progressus significant. Somnium repetitum, sed quasi contrarium, cœptum negocium euerti debere significat. Si non contrarium sit, sed exitum ualde habeat dissimilem, pro diuersis significatis interpretandum erit. Præsertim autem in prægnantibus repetitionem animaduertere oportet. In infantibus etiam, ac pueris, seu per ipsos, seu per parentes si sæpius eadem uideantur, magnam habet efficaciam. In senibus uerò repetita somnia aut mortem, aut sacerdotium, aut, si pecunias habeat, emptionẽ domus uel fundi significat, quando nil aliud insigne factum contingere possit. Quandoq; etiã in cruda senecta mutationem patriæ ostendunt. Serotina enim tanquã fines, magnis iudicijs prænunciari solent.

Somnia repetita parum ad hanc tractationem spectant: quoniam plerunq; idola sunt, uel ex memoria præteritarum actionum contingũt. Propterea uulnerari, in carcerem trudi, cruciari, cædi, iniuria affici, uel etiam ab homine noto, idem significant quod per somnium prædicitur: nec aliunde petenda est interpretatio, cum sæpe repetierit.

Caput xv. De somniis consuetis.

COnsueta somnia sunt, quæ non solum sæpe, sed sæpe & sæpius aduenium homini: & in hoc à repetitis differunt. Raro hæc aliud significant quàm humorum dominium, aut naturalem animi inclinationẽ. & ob id nec illa negligere oportet. Velut mihi tria fuere consueta, sed duo quidem tota ætate, unum autem in puericia. In puericia quidem, uidebam gallum, inde loquentem humana uoce audiebam: & dæmonem imaginatus, parum aberat ne ex lecto me deijcerem, nisi matris & amitæ cura, inter quas cubabam, detentus essem. surgebam enim, & nonnunquam clamabam. Id indicabat, sanguinem tenuem & atrum cor petentem, & ex corde ad cerebrum delatum.

Secundum erat, quod uidebar plerunq; in templo diui Laurentij, nonnun-

quam

quam diui Stephani, uidere tartara plena animarum, quæ in tormentis essent: & in ipso ambitu templi ossa mortuorum plurima, & strues etiam, quemadmodum in aliquibus templis uetustis spectari solent. Tartara autem in profundissimo barathro, iuxta templum. Indicat illud, curas graues, & tristiciæ causas, quæ ob philosophiam in uigilia attingere animum non possunt, uexant in somnis illam præsidio destitutam. Tertium est, de uolatu in pueritia quidem, nonnunquam tamen aliàs, post autem sola iactatione crurum & pedum: & ideo sublimis non esse solet, sed ad summum usq; domorum culmina. Significat corpus mundum à grauioribus humoribus, et appetitum indefessum noua inueniendi, & gloriam ac nomen parandi. sic ergo solum naturalem affectum decernit, non aliud. Ex his tamen naturam hominis perdiscere licet.

Est & quartum genus, quod mihi non obuenit, quod uersatur circa actiones: ut in facinorosis, qui terrentur in somno, & significat mores & uitam hominis. non enim nisi sceleratis talia accidere solent.

Quintum genus est, cum aliquis magnam fortunam adepturus est, aduenit genus somnij ad illam actionem excitans: seu bellicam gloriam, seu studia, seu religionis cultum. Estq; quasi genij proprij imago quædam, seu bona seu mala. Consuetas uidere operationes, qualescunq; sint, omnino nullum habet significatum. Et si uideat, ad somnia irrita transferendum est. Si uerò immutatas ualdè, ut si medicus uideat se clysteria imponere, uel sanguinem mittere, quæ ad tonsoris officia pertinent, aut uenenum pro medicamento propinare, significat mutationem præsentis fortunæ, & uarium euentum, & expectationem euersam. cogitur enim ad insuetam normam transire.

Et somnia quæcunq;, quamuis parua, in magnis uiris magna euadũt, et maximè his qui uirtute uel uitio fama inclaruerunt. at contrà magna in humilibus, sordidis, ignauis, uel abiectis, parua omnino euadunt, & maximè si bonã fortunam polliceãtur. nam mali euentus cuiq; præsto sunt, boni non ita: et maximè (ut dixi) humilibus & ignauis.

Caput XVI. De somniis compositis.

MEminisse decet genera esse quatuor somniorum: ἐνυπνιτικὸν, cibarium, ex humoribus, & uisionem. & quomodo distinguantur, scire oportet.

Rursus somniorum diuinorum tres insuper esse differentias: Imperatiui, interrogatiui, & docentis. Alia est diuisio, in perfecta & imperfecta. Quædã rursus pertinent ad affectus, quædam ad actiones uel pasiones, & quædam ad opera. Rursus somniorum quædam significant generalia, quædam propria. Et iterum, quædam generaliter significant, ut terror, commiseratio: & quædam specialiter, ut terror ob leonem, casum montis, casum è muro. Li. 2. ca. 46

Sunt

Sunt etiam perspicua, obscura, obliuiosa, confusa. Alia etiam consueta, ite rata: alia idola, alia uisiones, alia ecstases & media. Sunt etiam ordinata et interturbata: & continua, & fracta atq; diuisa.

Sunt præterea distinctiones ex affectibus animi, læta tristia, iucunda grauia, efficacia remissa, tranquilla, cum agitatione, cum spe, cum metu, cum commiseratione. Quædam longa, alia breuia: alia conuenientia personæ, alia incongrua: quædam ueri similia, quædam absurda: quædam quorum partes cohærent, quædam quorum admodum discrepant. quædam etiam magna, alia parui momenti: quædam obliuiosa, quædam quæ admirationem in animo relinquunt, & ill. diu impressa insident. Quædam præterea res ostendunt, quædam imagines rerum: quædam auditam orationem, & quædam scriptam. Permiscentur etiam simul eodem tempore, quandoq; solum inunguntur.

Lib. 1. ca. 5. cap. 18. Scire autem oportet unumquodq; genus seorsum agnoscere. Porrò genera inter se distinguere docuimus superius: paulopòst uerò, etiam idola à uisionibus. Sed & plures alias ex his differentias suis locis retulimus. Imperatiuum somnium, seu quod nos admonet, ab alijs duobus generibus dignoscitur, quod circa mediocritatem uersatur. Neq; enim in eo sol, luna, stellæ, leones: nihil terribile præter Deos, diuos, dæmonas, mortuos, & quæcunq; humana forma pingi solent, in illis uidemus.

Verùm mista somnia genere eodem modo distinguuntur inter se, quo etiam dignoscuntur: quanquam hoc facilius sit ob continuitatem & similitudinem. Velut ergo prius diapason noscere discimus post diapente, inde diatessaron, demum diatriton & diaecton: ita & maxima primum somniorum discrimina pòst minima. Ita & cum sculpere aut pingere uel celare discimus, primum crassiore modo membra maiora distinguimus, demum usque ad minimas partes deuenimus. Si ergo diuersi generis somniorum unum alteri succedat, irrita fiunt, nisi sint connexa. Ex tumultu enim animæ & spirituum accidunt. At quæ in diuersis generibus sunt, sed connexa, ut cum ex actione ad actionem transimus, facilius percipiuntur.

Proponamus quòd homini uideatur, asinum alienum equitare, inde descendere, inde asinus fugiat ad dominum suum: si quidem amicus ille fuerit, à laboriosa administratione priuaberis, sed molesta: si inimicus, à lite quam cum illo habes, & forsan ipse fiet uictor in ea causa. Somnia igitur mista in eodem genere, differunt à mistis ex pluribus generibus: quoniam quæ sunt in eodem genere, sunt difficiliora, & obscuriora, & efficaciora, cum sint ab uno impulsu: quæ uerò mutant genus, non sunt adeò diuturna, quoniam non indicant successionem, sed conditiones insomnij. Rursus, somnium mistum ex

pluribus

pluribus eiusdem generis, utpotè actionibus, uel tribus uniuersalibus, ut specialibus, constat uel consilio tantum, uel fortuna, quibus ambobus omnes res humanæ aguntur. consilium quidem & error ad actiones pertinent, fortuna ad rem. Somnium etiam ex pluribus eiusdem generis rebus mistum, magis congruit homini ipsi, & somnianti: & corpori, sed quod est unius generis, alijs et coniunctis & animæ affectionibus. Melius autem est, in malis somnijs confestim consulere interpretationem, ad uitãda mala: sed in bonis ne curaueris scire, ob id quod somnium tunc portendit spem & scientiam, & initium rei, non autem rem. Si autem somnium sit de gloria, de sapientia, de sanitate, statim debes quærere interpretationem. plurimum enim proderit ad effectum rei perfectè celeriter ac facilè consequendum. Ita in omnibus calamitosis, & quæ sunt eorũ quæ in tua sint potestate, aut in quibus consilium plurimum ualeat, utile est scire quid significet somnium. sed si sit de re fortuita, tunc debes omittere interpretationem, donec res iam in tuto sit, ubi sit: postmodum quærere significatum, ut possis te dirigere ad augendum illud, exornandumq;.

Mistio in eodem genere, sæpe significat unius interitum: uelut oculos habere in auribus, significat cæcitatem: audiet enim, quæ uidere uellet. nasus in oculis, amissionẽ olfactus: & aures in oculis, auditus. Sic etiam nasus in ore, olfactus amissionem: gustu enim odorem probabit. at os in oculis, non idem significare potest, nisi quod gustus sensum quis amittere potest: & ego uidi in Augusto Corbeta. ita in auribus, audiet qualis sit ab alijs cibus et potus. Attamen & os in oculis alio modo significare potest: scilicet, uisurum carum amicum. amicus enim iucundus est, iuxta illud Horatij:

Nil ego prætulerim iucundo sanus amico.

Quod autem iucundum dici solet, est, quod gustum delectat. oculi itidem in ore, nil iuxta primam interpretationem significare possunt: neq; enim licet cæco ore, quemadmodum auribus, de omnibus certiorem fieri. ob id significat, prudentia in sermone opus esse. nam os quæ solum offeruntur tractat, oculi autem longè prospiciunt. Quod si oculi illi ænei sint, uel plumbei, uel cretei, uerbis ex suis intelligat detrimentum & infamiam accepturum. Si manus in oculis sint, aut segnis erit, & quæ facere debebit inspiciet, aut consilio magna peraget.

Est etiam in eodem genere utrunq; contrarium: ut dies & nox, calor & frigus, lætitia & tristitia, turpe pulchrum, dolor uoluptas, diuitiæ paupertas. omne igitur contrarium, contrarium significat: quia significat quod futurum est: id autem fiet. quod autem fit, ex eo quod non est fit: igitur contrarium contrarij index est. Et rursus, quia in somnio res uidentur ut in speculo,

in speculo autem apparent dextra sinistra, & sinistra dextra, & quæ sursum quandoq; deorsum: & si speculum planum non sit, difformia, maiora minora, conuersa curua, & alterius coloris: ita & in somno. At quia unumquodq; fit à suo simili, apparent necessario similia: sic enim imagines sunt rebus futuris, à quibus fiunt, seu ab earum causis, similes.

Præterea si fierent à contrarijs quibuscunq;, fierent ab infinitis contrarijs, ut nihil incertius. Dicendum est ergo, quod fiunt à similibus generaliter, seu maxima ex parte. aliter homo diues, albus, magnus ac sapiens, fiet ex rubicundo, paruo, stulto, paupere: quo nihil esset incertius.

Dicemus ergo, quod contrarium fit solum ex contrario ea in parte, qua fit: ut diues ex paupere, non albus ex rubicundo. non enim fit albus, sed est albus: ideo non est necesse ut appareat rubicundus aut niger in somno. Ex his autem in quibus contrarium ex contrario fit (quod solum est mistum in eodem genere, cum (ut dixi) partim tunc necessariò fiat ex similibus & uno cõtrario, ut sciamus quid nam sit, aut omnino ex similibus, & est simplex illud, distinguendo dignoscemus. quæcunq; enim perfecta sunt in suo genere, contrariũ significant: ut dolor, uoluptas, pecuniæ, filij. nõ. n. idem significare possunt: idolum enim esset. idolum autem omnes rationes rei secũ coniunctas habet. significãt igitur contrariũ. Imperfecta aũt significant pro sui ratione. nõ enim contrarium habẽt, quoniam actionibus carent: ut iucundus odor fumã, aues et flores uoluptatem & iucunditatem, colere agrum diuitias: ex cultu enim agrorũ fructus colliguntur, ex quibus diuitiæ comparantur. Hæc ergo est ratio somniorum simplicium, & mistorum eiusdem generis, exactissima. Porrò mistio in eodem genere tot modis contingit, quot sunt species etiam in eodem genere: & etiam iuxta priuationes, ut cæcitatis & oculorum. contingunt autem mistiones, ob debilitatem animæ separantis causas futurorum.

Caput decimumseptimum, De somniis perfectis.

PErfectum dupliciter dicitur. aut ut imperfecto opponitur: & sic tot modis dicitur, quot modis imperfectum. Aut si pro perfecto absolutè intelligatur, omne genus perfectionis complecti debet, secundũ quod imperfectum dici potest. Si uerò simpliciter & per excellentiam dicatur, duplex adhuc est: aliud in idolorum genere, aliud uisionum. Perfectum igitur somnium est, quod eò usq; deducitur, ut ad finem propositum perueniat, nec commutatur, nec homo ullius partis obliuiscitur, nec quicquam impertinens admistũ habet, tametsi multa uaria interposita habeat. & licet assimiletur fabulæ & incredibilia contineat, tamen iuxta rationem quandam, & ut Horatius inquit,

Atq;

Atq; ita mentitur, sic ueris falsa remiscens,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Est quincuplex licentia mentiendi. Ac primùm comœdiæ, tragœdiæq;, cum quæ esse potuerunt, non tamen fuerunt, extolluntur ac poliuntur. Est fabula, qua præsertim poetæ utuntur, cum quæ esse non possunt, ea ratione traditur ut humanis actionibus moribusq; assimilentur. Est pictoribus al quanto maior libertas, ut etiam extra morem aliquid referant. Somnijs uerò perfectis una tantum licentia non permittitur, scilicet ut incongrui sint connexus: uelut si peluim loquentem audiam, ex ea autem prodeat fumus, ex quo cœlum ardeat. hoc minus est quàm ut à pictore fingi debeat: somnio tamen conuenit, quoniam in eodem subiecto perstat. at si, ubi peluim uideris loquentem, inde asinum uideas cacantem, & homines pugnantes: hæc quidem somnium admittit, sed perfectum non est: quoniam quæ uidentur, non cohærent. Oportet ergo absolui finem somnianti desideratum, non obliuiscì uisorum, & per conuenientia illud progredi. Est igitur triplex ratio somnij perfecti, quod ad partes & numerum attinet. Ex essentia autem illius est, ut dilucidè omnia perspiciantur in somno, atque ordinatè, sic ut eadem non redeant, tanquam connexa prioribus redeant. Ex effectu uerò, ut animam post somnum admiratione plenam relinquant. At perfectum admodum est, cum personæ & imminentibus perpulchrè congruit: uelut si erudito cuipiam uideatur quòd sepultus sit, & sepulchrum fulgure tangatur, flammaq; ex hoc emicet, quæ ad cœlum usq; tendat, ille eo somnio inter mortales celebris fiet. Nam sepultum sibi uideri, libros refert, qui nomen authoris retinent, atque intus abditam mentem. fulgure percuti sepulchrum, est monumenta illius, id est libros, louis dextera, in qua & uirtus reposita est, & fortuna fingitur, euehi ad cœlum, id est supra mortales omnes. quæ enim in cœlo sunt, altiora sunt mortalibus omnibus, & perennia, & cunctis perspicua. Huiusce generis congruentium, non dico de significato, plura ego uidi, quæ suo loco referam.

Sed & illud quod Artemidorus narrat, de eo qui patrem suum comburi uidit: tamen ipse somnians mortuus est, ad hoc pertinet. uritur enim patris mês in filij obitu.

Dices, quomodo interpretari hoc poterat? quoniam flamma & aqua feruens maxima mala nunciant: hæc lachrymas calidissimas, illa flagrantiam. erat autem pater qui nil tale mereretur, & amans filij: propterea, ut dixi, personæ huic, non illi, somnium perfectum erit.

Quæ autem sunt de incumbentibus, uelut illud quod à me recitabitur de serpente uiso maximo, at que illud etiam de Alexandro magno, & hæc ma- Li. 4. ca. 4.

ximè perfecta esse solent, nisi sint ἀναμνηστικὰ. Proprium aũt uerorum somniorum est, ut uerissima sint, & plerunque ob perfectionem facilè intelliguntur. Et fatalia omnia sunt ex hoc genere, & magna etiam somnia fermè semper. Et idolorum pauca sunt perfecta, ratione partium: nam immista habent somnia diuersi generis, & obscura, & sæpenumero carent debitis partibus. ut enim in sigillis, cum quis profundius imprimit, aut non æqualiter imaginem, aut non totam exprimit: sed nec leuis omnino impressio utilis est, sed media. Et cum sint tres modi in idolo imperfectionis, ratione partium defectus, obscuritas, genus aliud: perfectum nihil horum habet, sed ratione effectus & essentiæ idolum semper perfectum est. Ratione autem personæ & imminentium, quandoque est perfectum, quandoq; imperfectum. cum autem perfectum fuerit, oraculum dicitur. Anamnistica autem minimè perfecta esse solent, ut in tractatione de idolo docebimus. Proprium autem uitium anamnesticorum est collisio, & ex collisione concisio. cum enim ex memoria fiant, succurrentibus alia causa quàm diuina imaginibus, priores absolui nequeunt: unde perfectum nullum anamnesticum est. Sed neq; cibalium, ob eandem causam. Pauca ex humoribus, & rarò perfecta euadunt: & quæ huiusmodi sunt, temperamentum & sanitatem plerunq; denunciant.

Porrò perfectionis somniorum causæ sunt, uis diuina potens, anima præparata ac ualida, & absentia omnis impedimenti. cum uerò ita sit, necesse est omne somnium perfectum aliquid magni significare. Et si tardè euentus successurus sit, statim tamen inchoabit: quare magnum effectum, cuius tam longa erit series, significare necesse est. Si uerò somnij partes quædam absolutæ, quædam non uideantur, uelut in picturis, interpretari oportet: multa enim ex eo principio serò uentura portendit. Et senes & pueri rarò perfecta somnia uident.

Quædam etiam somnia sunt eorum quæ supra mentem humanam sunt, uelut aliquid simul esse ac non esse: quæ ex genere sunt eorum quæ perfecta sunt. dictum est autem de his loco suo.

Caput XVIII. De idolis.

IDola, somnia sunt, quæ rem ut se habet ostendunt. Ea uerò solum apud quosdam, & uulgus præcipuè, somnia esse existimantur: atque ideò etiam immissa à Dijs, aut dæmonibus. sed res neq; ita se habet, neq; lex ipsa docet. Quippe Iosephus in Pharaone, per uaccas pingues non uaccas, sed annorum ubertatem interpretatus est. idem etiam in pistore, ac socio, per ænigma, non simpliciter uisa exposuit. Tum uerò huiusmodi somnia neque à Deo, neque à dæmonibus immitti, his argumentis perspicuum est. nam tam uisionum quàm idolorum illi causæ essent. cur ergo opus illis esset ut occultarent, quod docere

uellent?

uellēt? præsertim tot ambagibus? An non possunt, cum uolunt, huiusmodi, si libet, clarè docere? aut si possunt, malunt nos obscuris istis imaginibus inuoluere, tanquam nobis inuideant quod sponte largiuntur. Præterea omnia hæc idola permista sunt uisionibus, ut nullum idolum uidere liceat purum, sed in omnibus aliquid desit: aut peruersum est, aut obscurum. Velut si præuidero (quod mihi sanè non semel obtigit) occursum amici, quem iam diu non uidi: uideo autem sequenti die, atq; amplexor, uelut uisus eram amplexari: eodemq; illi loco (quod etiam contigit) occurro quo uisus sum illi occurrere. non tamen socium uideo per somnium, ut in uigilia erat, atq; ita deficit aliquid: aut uideo alio habitu, uel uultu, ut pro læto tristem, aut contrà, sicq; iam peruertitur somnij imago. aut quædam, imò plura per somnium prætermissa & obscura, quæ in uigilia uidentur. Atq; hæc ab his quæ deficiunt, aut deficisse uidentur, plurimum differunt: quia quæ defecisse uidentur, iam per somnum non aderāt: quæ autem non adesse uisa sunt, & tamen in uigilia aderant, sic deficere uidentur, tanquam non deprehensa sint, nec animaduersa. Cur ergo, si Deorum hoc opus est, aut dæmonum, non perfectum est idolum, & absolutum? an qui possunt præuidere exitia regnorum tot antea seculis in quibus tot comprehenduntur, tot sunt necessarij successus: hominem qui in caupone iam delitescit, quomodo uestitus sit deprehendere non poterunt? Sed neq; decens est, Deos curare, an hic amicus meus penula an feltrio, albo'ne an rubro sit circūdatus: atq; id etiam non solum curare, sed palàm uelle significare. Demum, quod clarissimum est huiusce rei argumentū, pleraq; idola uisioni permista sunt, ut superius in illo exēplo soceri mei ostendi. Quod enim ei essent septem filij, quod interiret, quodq; illius mortis me miseresceret, idolum planè totum hoc erat. quòd uerò uerberaret filios, ut illorum iacturam sua morte significaret, quodque uir ignotus pro socero subijceretur, id totum ad uisionem, non idolum pertinebat. Palàm est igitur, somnia hæc inuicem permisceri. Velut ergo si uideas in plāta eadem pruna uiridia, alia colossena, non diuersarum specierum illa existimabis, sed unius, quòd eandem habeant originem: longè uerò euidentius, si plures species fructus, partim uirides, partim colossenos: quis dubitat uisiones atque idola non unius esse naturæ, & ab eadem causa proficisci? uisionum itaq; uerissimarum argumentum est, cum idolo iunctæ sunt. Est autem modus unus præcipuus, cum rem ignotam ex somno discimus: ut animal, quod neq; uidimus unquam, nec de eo audiuimus, aut legimus, & eius modi est tūc actio uel proprietas: uisio est non dubia. Li. 1. Ca. 14

Verùm dices, cur non à Dijs uel dæmonibus somnia hæc haberi poterunt, Clara est ratio. Velut enim stultum est, cum ratio nos doceat, quomodo in fa-

me utendum sit pane, in siti aqua uel uino: & qui secus agunt, à Deoq; specialiter obtinere uolunt, quæ ille nobis generaliter modico labore habere & obtinere docuit, spe destituti sua malè mulctantur: ita stultum est, credere somnia nobis à dijs aut dæmonibus immitti, quorum tota sedes naturalis est, & nobis ampliter concessa. Est enim perinde ac si quis triticum nõ sereret, sed è cœlo demitti expectaret. Non negauerim, in quibusdã huiusmodi idola à Dijs, uelut & in defectu artis medicæ sanationes, immitti. quale illud: Surge, & tolle puerum, & uade in Aegyptum: sunt enim qui animam pueri quærant. Sed miracula sunt, & extra artis considerationem, sicut & sanationes illæ, & reliqua huiusce generis.

Ergo idola, ut dixi, rarò pura sunt, quin aliquid habeant uisionis admistum. contingit autem hoc in omnibus naturæ operibus: euidenter in metallicis lapidibus, ac fructibus, ut non tota sint absoluta & perfecta, sed parte aliqua non absoluta, aut magis impura. quamobrem cum natura idolum perficere semper intendat ut fructum maturum ac perfectum, contingit ex materiæ defectu & contumacia, ut uisionis pars annectatur quæ in idolum transire non potuit: perspicue ut etiam tota fiat uisio. Vt ergo idolum à uisione distinguamus, quando ambo (ut dixi) eiusdem sint speciei, distinguanturq; tanquam imperfectum à perfecto, quæ pars est nobilior ac melior uisionis: aut ut purum ab impuro, quod sordidius est ac minus nobile, hac ratione agendum est.

Idolum semper est rei quæ esse potest ac consueuit: uisio plerunq; impossibilium aut absurdorum. Idolum præterea, ut perfectius ac efficacius, mentem magis mouet, estq; purum: uisio autem non adeò hominem in admirationem trahit, & aliquid semper minus conueniens solidis euentibus admistum habet. Verùm idolum à uisione distinguere perquàm facile est, ut quod totum secundum naturam sit, illa non: At quod est, difficilius est, ut illud à somnijs quæ ex memoria fiunt præteritorum (ἀναμνηστικὰ Græci uocant: nos eo nomine caremus, quasi memoratiua diceremus) distinguere sciamus. Idolum ergo admirationem parit, ἀναμνηστικὸν autem terrorem atq; dolorem, quia hi affectus, aut si de re læta sit somnium, contrarij cum memoria eius rei necessario coniuncti sunt. Ex antecedentibus etiam dignoscere unum ab altero licebit: nam in anamnestico affectus, sermones, cogitationes de eadem re præcessere. in idolo nõ, aut omnia leuia. Quod uerò maximum est hac in causa, quoniam nihil magis est quàm inter hæc duo scire distinguere (adeò ut multi ob id crediderint somnia omnia talia, esse huiusmodi: id est, ut à memoria cogitationum præteritarum, non ab alia causa seu naturali proficiscantur: & ille cecinerit ob id,

Som-

Somnia ne cures: nam mens humana quod optat,
In somnis uigilem per somnum uidet idipsum.

abrogareq; omnem à somnijs fidem tentauerit) obseruandum est hoc unum, in idolo esse aliquid semper fermè coniunctum imperfectum ex uisionis genere, & in anamnestico uix deesse inconcinnum aliquid & absurdum. quæ si adsint, facile est intelligere in quo genere sit somnium illud.

Præterea in idolo partes sunt distinctæ admodum, & perfectæ, & est prolixum sine reuolutione: anamnesticum autem est cum motu concitato, cum partibus parum bene distinctis, & breue, uel cum reditu ad eadem. fit ex his etiam, ut idolum magnam habeat admirationem, eamq; euigilatis nobis retineat: non ita, ut dixi, anamnesticon. Apparent etiam idola plerunq; sub aurora, & colores ac species rerum illustres habent, cuiusdamq; diuinitatis participes, & uoces perbreues & appositas: anamnestica autē ante auroram, colores uix sentiuntur, aut intensi sunt potius quàm pellucidi, facies concitatæ ac motus, uoces nullæ aut perturbatæ uel incompositæ, aut cum longis sermonibus. Et ut generaliter dicam, idola habent omnia pura, discreta ac pulchra, etiam si atrocia significēt cum motibus appositis, aut quieta sunt omnino: anamnestica impura, turbata, inuoluta, obscura, cum impetu & reuolutione. Illud sanè mirum est, ut uitro uilißimo magis adulterantur gemmæ, quàm alijs gemmis: ita uoluisse naturā, ut anamnestica somnia, quæ omnium sunt uilißima, idolis nobilißimis in eo genere maximè aßimilarentur.

Duo præterea sunt specialia, quorum alterum si adsit, idolum esse declarat omnino quod uisum est, non uisionem, nec ἀναμνηστικὸν. unum, si somnium usque in uigiliam extendatur, ut lachrymæ uel risus. hoc autem, ut palàm est, bifariam contingere potest: uel ut fletus, quod maximum est:
uel ut effectus, scilicet lachrymæ, quod non omnino adeò acerbum est. Alterum, cum affectus est sine obiecto:
ut odisse, & nescire quem.

HIE-

HIERONYMI CARDANI
MEDIOLANENSIS MEDICI
De somniis liber tertius.

Caput 1. De necessitate uatis.

SOmniorum quatuor genera superius esse docuimus: atque in quarto genere idolum collocauimus, cuius causa accersere uatem non est necessarium. Verùm cum multæ sint causæ obscuritatis in interpretando, utq; hæ ad quinq; genera reducantur, necesse est persæpe uatis auxilio uti, qui non solum causam obscuritatis somniorum intelligat, sed postmodum illa explicare norit.

Per pulchrum autem existimauero, has singillatim causas explicare, postquam somnij historia magis intelligitur: atq; hic proprie locus est huic narrationi. Ergo causæ obscuritatis somniorum aut sunt ob impressionem leuem à causis factam, cum res parua est, aut multo ante significatur: uel ob species in anima paucas, nec satis accommodatas effectui demonstrando, atq; ichnographiæ depingendæ: uel ob ipsam animã satis ineptam huic negocio, rudem et disciplina carentem, aut mistionem generationem aliorum somniorum maximè ἀναμνησικῶν, unde pauca habentur pura somnia: uel ob imperfectionem, quæ contingit dum homo ex somnio soluitur ante illius absolutam uisionem. Ex quibus contingunt etiam tria genera imperfecti insomnij, uelut in gemmis ac plantis. primum, cum pars pura nitida est, & perfecta: alia pars uel est obscura, uel prorsus non adest: uel est ex eodem genere, sed imperfecta. ut in adianto adest radicula, surculus, quorum nullus est usus, sed solum foliorum: eiusdem tamen naturæ sunt omnia. Oportet igitur in his quæ admistum habent aliquid generis alterius, non solum prorsus ea segregare quæ ad genus somnij cibarij, aut ex humore aut ex memoria & affectibus præcedentibus profecti, sed ex toto abijcere, quod autem purum est interpretari: in eo uerò quod partes habet imperfectas, eiusdem tamen generis, annexas illas distinguere atq; interpretari seorsum singulas (nam non parum ad ueritatis & principalis cognitionem conferent auxilij) quæ uerò imperfecta sunt somnia, ut antea
Li. 2. Ca. 10 diximus, perficere conari. Considerare autem in omnibus oportet quæ superius descripta sunt.

At uerò ad hæc omnia uates non parum commodi afferet. Primum quidem, quòd ab affectu uacuus sit, qui solet & spem accẽdere, & timorem augere, contrarium quoq; efficere. Deinde, quòd promptior sit exercitatione ad inue-

inueniēda (ut dixi) generalia uniuſcuiuſq; tum rei tum affectus, cum idola cōparando elicere ſubiectum ſomnij: atq; ita duos hos motus perfectius peraget, atq; celerius. Inde quòd, ut magis expertus, & qui rem hanc quotidie tractat, multa intelliget experientia, circa quæ alius diu hæſitabit. multa circuncidet, quædam interrogabit, quæ alius non animaduertens, aut perperam animaduertens, nunquam ſe poterit explicare. Ille etiam uelut in moribus, legibus, conſuetudinibus, phyſiognomia, lineis manuum ac frontis, morborum modis, quædam obſeruabit, ſomnijs huius urbis & regionis peculiaria & conſueta, quæ ex libris diſci non poſſunt. Denum quòd is à cœleſtibus influxibus ad collimandum adiuuatur: ab eiſdem enim aſtris, quibus ad artem hanc inclinata eſt uoluntas, ab eiſdem etiam facultas exercendi illam fouetur, & incrementa non exigua accipit. Circa etiam generales conditiones quæ ad errorem impellunt, nō adeò præteriendo illas aberrat. Melius temporum differētias nouit, & aeris ſtatum ut reliqua animaduertit. In uniuerſum, undequaq; meli/or eſt, quàm ſi quis interpretetur ſua ſomnia: uel ſi nulla ratione, quòd non intentus huic cognitioni, non corrumpit ipſa ſomnia. Dum enim homo huic arti operam dat, multa uerſando, timendo, ſperandoq;, uana incurrit ex mentis agitatione ſomnia.

Duobus tamen præſtat proprij ſomnij interpretatio, ei quæ uatis uel cum experientia aliquid didicit, quod conſuetum eſt certam rem omnino ſignifica re: uel cum non cuncta refert, ſeu ob pudorem, ſeu quia non meminit, ſeu (ut in criminibus) non tutum eſt narrare quo in ſtatu res ſuæ ſint.

His itaq; difficultatibus ſic ſtatuo occurrendum. Quiſq; autem in hoc libro traditam diligenter teneat: forſan, quod plerunq; accidet, nec uates ipſe artem huiuſmodi tenebit. inde ſomnio uati enarrato, illius accipiat interpre/tationem: eam ad normam eorum quæ hic tradita ſunt examinet, & perfectam habebit interpretationem. Illud moneo accuratè, ne unquam interpretationi confidat, donec omnia conuenire in ſomnio deprehenderit. Ne uerò ex interpretandi ſcientia obturbentur ſomnia, diſcat artem totam, ut eam, quemadmodum docui, in ſua principia redigere norit: & tunc ab illius ſtudio & cogitatione ſe abſtrahat, eaq; ſolum cum opus erit utatur: affectuſq; omnes circa euentus ſegreget & abdicet, prudentiamq; exerceat.

Cæterum & ob id etiam uatem conſulere præſtat, ne ad omnia ſomnia explicanda recurras, ex quo & ars uileſcit: & dum ſucceſſu fallitur, ſeu quod non eueniant quæ tum non ſunt euentura, ſeu fallatur (quoniam parua cum ſint, & magna exiſtimet, illa non agnoſcit: aut etiam, ut fieri ſo-

let, omnino non animaduertit) damnat artem, & fidem omnem indignè ab ea abrogat, & in posterum euidentibus (quæ maximè sunt obseruanda) non dat operam. Atq; in eundem etiam errorem incidit, dum sine uate errorem aliquē non animaduertens, atq; ideò deceptum se putans, fidem abrogat (ut dixi) arti ipsi. Quædam enim talia sunt, ut non omnino apud aliquem significent quicquam eorum quæ hic scripta sunt, licet simile & sub ratione generali cōprehēsum. hoc enim necessariū: ille uerò dum hoc nō animaduertit, existimans non hic exempla generalium significatorum, prout fecimus, descripta esse (nam ipsa significata omnia describere, infiniti operis fuisset) aberrat, & in eodem errore perpetuò manens, quia uatis auxilio non utitur, à quo facilè causa erroris, ac eiusmodi proprietates hominum facilè ob consuetudinem cognoscuntur, in desperationem deuenit ueritatis ipsius artis. Etenim hoc ipsum etiam magnum est, imò quasi maximum, totum arti se dedere, nil aliud facere, nil aliud cogitare, quod uates ipsi faciunt. uocant autem huiusmodi somniorum interpretes Βριξομάντεις, seu Βριξομαντίας, et Ονειροκριτικὰς, et Ονειροπολήσεις.

Inter causas igitur necessitatis uatis cum repositæ sint, consideratio præcipuè dignitatis hominis, tum conditionis, & morum & fortunæ, & uitæ, & artis, & filorum seu orbitatis, tum naturæ, sexus, ætatis, ualetudinis, mutationisq;, quia alia alijs significant, propterea de his dicendum erit.

Caput II. De dignitate seu hominis statu.

IN omnibus quæ hic, tum infrà aut superius scripta sunt, animaduerte, primum an habeat quod somniat: an habeat aliquid ei simile, sed non illud: aut omnino non habeat. Et si habet, an sit melius quod habere uidetur, quàm quod uerè habet, an secus. In omnibus autē, seu habeat, seu non, an congruant personæ, dignitati, ætati, moribus, loco, tempori, legi, & consuetudini: & quomodo ex his afficiatur animus, quid alij sentire uideantur, quis demum rei finis. meliora enim grata, speciosa, congruentia, cum fine laudabili: contraria uerò, mala. ueluti deferri opulentum, & in magistratu, cum applausu per urbem, incrementum potentiæ & dignitatis significat: pauperi autem & seni, publicā mortem. non enim aliter possunt multi de illo admirari. Consolatio potentib. quidem pro iniuria est, miseris autem solatium affert: namq; somnij hoc proprium est, ut quæ nota nobis sunt, nō significet, uerùm tantum ignota, seu præsentia seu præterita, tuncq; admirabilius: seu futura, quod frequentius est. Ob id cum ego patrem uidissem me uiginti annis specie iuniorem, admirabar. (fuit autem septimo Idus Octobris præsentis anni M. D. LXI.) unde cum rem incredibilem significaret, iam uerò coniectura assecutus essem, Senatū uelle me profiteri

fiteri (id autem incredibile) quia tum id suspicabar, somnium ad hoc pertinere non existimaui. sed huic admirabili paradoxo aliud etiam maius successurũ prædixi: quãuis hoc admirabilius sit, quod quomodo euenire posit nõ uideo. Itaq; consolari felicem absurdum est: aut enim infelix fiet, aut absurdi quippiã ei qui consolatur continget. Dixi ei qui consolatur, non somnianti. nam si cõ solari uideatur quis amicum aut fratrem, calamitas illi eueniet. oportet tamen meminisse qualis sit persona quæ consolatur. nam si fide indignus sit, timere adeò non debemus.

Somnia de principibus, & eo magis principum ipsorum, Idola sunt fermè semper, & id significant quod ostendunt, nisi admodum uideantur factu difficilia: tũc uerò ex proximo sunt interpretãda. Somnia dignitatũ et magistratuum, ad suum tempus referenda sunt, non ad præsens: uelut ab initio anni creantur urbis prætores, annonæ præfecti, & uiarum, atq; huiusmodi: & senatores, ex morte aliorum. ideo tempus illud prædicere atq; expectare oportet. Si princeps aut uxor eius annulos in digitis habuerint, totidem illis filios significant, quot annuli sunt: quoniam magistratus uel honores non possunt significare.

Cum terra loqui, principibus uictoriam significat, quod si eorum qui audiuit recordetur, felix erit toto tempore uitæ suæ. Principi si uideatur, uenena tum potũ aut cibum sumere, ex quo capilli decidant, inimicos dolo superabit: sed si priuatus extiterit, ad maximam inopiam necessariorum omnium deueniet. Sacerdotem cum uestibus, quas ferre in pompa solent, aut principem ingredi in locum non consuetum, significat ruinam totius illius regionis. atq; hæc etiam priuatis uiris contingent.

Principi si uideatur eradicare arbores aliquas, nobiles aliquot euertet. Si uerò arbores illæ sponte cadant, morientur nobiles illi, non principis facto. Quod si ab imo arborum surculi exurgant, augebitur populus suus. Omnes quoq; uestes tenues infortunium significant priuatis, principibus autem felicitatem: crassæ autem contrario modo.

Cum uir potens aut princeps accendit multas candelas & cereos, maximè magnos, in domo sua congregabit homines sapientes & illustres. Et si uideatur lucerna quæ domum totam illustret conflagrare tota simul, dignitatis hoc significat incrementum, sed paulò pòst periturum. Et equi proprij sella, significat principi regnum suum: eodem ergo modo afficietur. Princeps si uideatur Solem in manu habere, significat captiuum habiturum principem. Si hoc nobili uideatur, erit rebellis: si priuatæ personæ, soluetur curarum molestia. Stellas uenerari, aut ante illas

fiere, gratiam aut beneficium obtinendum à principibus significat. Principi tapeta si uideantur explicari, bonum nuncium significat. Sin autem corrupti fuerint, & laceri, breuem uitam. Sin uetusti, solum speratæ rei finem bonum adepturum significabunt. At in priuatis personis euentus eosdem expectare oportet. Priuato ægro odores boni & musica salutem significant, principi autem mortem: quoniam talia in principum exequijs solent adhiberi, nõ autem in priuatis. Pompa insignis Principi ægrotanti mortem ostendit, priuato autem liberandum ex morbo, & (ut dixi) publicam mortem.

In dignitate constituto nihil fermè deterius est, quàm in nubibus sedere. nam homini ibi diu esse concessum non est. locusq; periculosus ac præceps: ideo ruinam omnium, & breui. portendit. Qui autem sic ruere non possunt, cædem cum ruina. nam qui occiduntur, magnam famam hoc facto apud homines relinquunt: quæ nebulis similis est. At si in rotæ summo se uiderit, fortunã quidem habebit aduersam, non tamen adeò exitiale est. infelici esse sub imò rotæ, contraria ratione ualde bonum.

Plurimũ refert, si quiuis uerberari se somniet, qua conditione sit, & à quo uerberetur. nã ut nobilior est qui uerberat, ita quod uerberatur, deterius est. is aũt qui uerberat, ut nobilior est, maius malũ, sed & bonũ significare potest. humilis parum mali, boni nihil potest significare. A magistratu uerberari, nõ per satellites, citra infamiam, feretur sententia contra illum, & damno afficietur. Et si amicus sit, erit utile etiam hoc, & citra damnum.

Quæ somnia ex communibus, cœlo, elementis, urbibus, tempestatibus, uentis & similibus aduenium, Principibus, magistratibus aut designatis, uel sacerdotibus, uel artificibus circa publicam comparationem, ut medicis pro peste, si personarum quarumlibet perturbatio uideatur: uel diuina priuato homini, de homine certo, publica sunt.

Caput III. De moribus.

MOres ad prædictionem multum conducunt, non solum eorũ qui somniãt, sed qui in somnijs uidentur. Somniantiũ quidem quæ ad supplicia et iras deorũ attinẽt, uerissima sunt in improbis: secus aũt in probis, per contrariã rationẽ ac declinationẽ aliter interpretationẽ deducere oportet. Probis omnib. et oppressis ac infelicibus Herculem uidere auxiliantẽ, aut illius statuam, bonum est: iniustis autem & improbis omnibus, malum. sed & accipere aliquid ornamentorum eius, uel ab aliquo diuo nostro, uitam & ærumnas illius à quo accipimus significando, malum est. Eruditis & peregrinantibus Mercurius, & qui apud nos docti habentur diui: castis & insontibus, qui solitariam

uitam

uitam egerunt. Fortunam uidere, similes casus significat, quales sunt illius actiones. in rota, super sphæra, bonum est miseris, malum felicibus. Dæmonem ferre, crucẽ significat malo uiro: probo autem, feræ periculũ demõstrat. Qui cunq; pueros amant, si quid uideant circa eos, perinde est ac si alij idem contingat circa uxorem, concubinam, aut aliam mulierem. Verùm si id uideatur alieno à puerorum amoribus, rem insuetam, anxium negocium, infamiam, metum ac damna significat. Gulosis conuiuia & comessationes nihil significant: fiũt enim illis ob memoriam actionum, & studium. alijs morbos & curas. cũ enim huiusmodi agimus, cura detinemur.

Semper autem mores somnium habent simile aut dißimile, aut contrarium. & simile quidem, ac contrarium, in quibusdam cum ad actionem pertinent, idem significabunt, scilicet in affectibus: uelut parasito, impleri & esurire: ad effectum enim pertinent. At uerò ubi mores actum non decernunt, sed actionis priuationem, ut abstinentia, continentia ac probitas, quæ similia sunt, ad affectus quidem traduci possunt: uelut qui habet uxorem, & eam solam diligit, cũ ea si sibi concumbere uideatur, affectum quoquo modo significare potest. at si adulterium perpetrare, aut incestum, aut cum puero concumbere, aut cum quadrupede, ad affectum traduci non potest, qui nullus est: sed significat & actionem, & affectum moribus contrarium ex actione prouenientem: ac eo maiorem, quo res à naturali ordine & consuetudine illius fuerit remotior: ut in exẽplo de concubitu diximus, iuxta ordinem exempli.

Quod si mores illi non à natura & consuetudine sint alieni, non tamen in uitio consistant: ut castum esse, uel solitarium, uel opum cõtemptorem. Et in eisdem perseuerare, uelut in alijs, nihil magnum significat: at tractare aude pecunias, suauiari fratrem, ducere uxorem, effectus quidem non malos significabit, illi tamen curas graues: atque ob id irritos metus, ac forsan mœrores.

Quæcunq; uerò, ut diximus, à fine consequuntur, ea tertiam subeũt rationem, atq; ad finem ipsum retrahenda sunt. uelut furibus manus plures habere, significat uincula: contentiosis autem & pugnacibus, uulnera: artificibus, pulchra opera, & felicem artis successum: probis & mansuetis, amicos, quorum opera fungi poterit uelut seipso. Illud etiam considerare oportet, quod mores aliqui contra leges sunt: atq; hi infaustum magis exitum habent, his quorum actiones à legibus non puniuntur. ideo non omnino fidendum: in alijs securior est actio, etsi praua sit.

Caput IIII. De conditione.

PEdicæ seruis autoritatem, & fidem habendam à qua tamen ingrati excident, nõ paruam ostendunt. nam uincti, magni æstimari solẽt. Seruo mors heri significat libertatem, si seruus ille administrationem bonorum illius non habeat: neq; .n. mortuis heri ulli demõstrantur. At si habeat administrationẽ, auferetur ab illo: mortui enim nihil administrant. Mactari aut sacrificari publicè, seruis bonum est: sed & liberis, at non tantum. nam seruis autoritatem addit, quod ad publicum attinet, & libertatem mors. idem tamen contingit si à feris dilanietur. Secus, si in pelui seipsum uideat, ipsam seruitutem, qualis futura sit, intelliget. Seruis caput amputari, libertatem significat, aut heri mortem: alijs alia. Seruum ab hero occidi, libertatem significat: ab alio autem libero uiro, est subleuari à cura ac molestia: à seruo uerò, imi micitias cum illo geret. Ignem in olla ex carbonibus accendere, libero seruitutem prædicit Principis: seruo autem, actiones circa illam. Quod si prunas extinguant, dominum prodent illi. Et seruus Principis si comederit prunas, felicitatem consequetur à domino: liber autem, à Principe. Et ciuis, significat fortunæ bonæ reliquias quasdam.

His autem qui in uinculis sunt, tria somniorum genera consideranda sunt: quæ supplicium significant, quæ tormẽta, quæ liberationẽ. His igitur applausus populi bonus non est, cum crimen, de quo quæritur, fuerit capitale: nã supplicium significat. At insania et ebrietas, cũ omnibus in causis alijs malæ sint, in hoc prosperum declarant euentum. insani enim quolibet uagãtur, ideo solutionem uinculorum significãt: ebrij autem doloris non solum, sed etiam curarum sunt expertes.

Pompæ similiter publicæ periculum portendunt, etiam si religiosæ sint: nã de more mactandos sacerdotes comitantur, & imagines uenerabiles. Oleum significat liberationem: & eo magis, si feræ inungi uideantur. Mortiferum bibere medicamentum, uel lacerari à fera, supplicium decernit. A tonsore radi, tormenta significat. E carcere exire, ei qui in illo est significat diuturnam captiuitatem: tales enim diu de hoc cogitant. Et somnium est cogitationis, non effectus: sed ei qui in carcere non est, mortem.

Exulibus quoq; alia, alia significant. dicuntur enim exules capite diminuti. Exilij autem quatuor sunt species. Simplex, cum, modò in patria non sis, liberè quôuis ire licet. Relegatus autem ad locum certum mittitur, sed absque custodia. Deportatus uerò, cum à custodia ac uinctus eò deducitur, & sæpe ad pœnam, ad triremes, ad fodienda metalla: relegatus semper sine pœna. Proscriptus uerò dicitur, qui ad mortem damnatus est à iudice, sed euasit illius

lius potestatem. Sunt ex eo genere, quorum neci sunt addita præmia.

Porrò de deportatis non agam, cum genus sit carceris, atque atrocis: de eo enim diximus. Qui uerò liberi sunt, & damnati, pro natura exilij somnium interpretari debent. Verùm in hoc differunt relegati, & in libero exilio, à uinctis: quòd tuti sunt à periculo uitæ, nisi ei sponte se exponant, tum etiam à pœna omni: deportati uerò, à periculo uitæ, non à pœna: proscripti cum uinctis commune habent periculum, sed tamen effugere possunt, si uelint: maximè hi, quibus addita non sunt præmia siccarijs. Alijs ergo somnia solum ad reditum spectant, & etiam deportatis ad liberationem: proscriptis autem ad utrunque, scilicet necem atque liberationem. capti enim statim solent supplicio affici: sed quibus præmia mortis capiti imminent, ijsdem tria genera interpretationum spectanda atque consideranda erunt: publici supplicij, cædis, atque liberationis. Si somnio quo exilium significatum est, conditio annectatur, quæ perpetua esse non possit, liberabitur. uelut pendere in eculeo: hoc enim finem sibi postulat. Aut si somnium somnio exilij contrarium superueniat: uelut si cum, antequam exularet, caput sibi amputari uidit, postea somniet sibi restitutum caput: aut si in mare cecidisse, atque in imo esse, antequam iret in exilium, inde se emergere à mari, dum est in exilio: quod de flumine Ciceroni uisum est. Et si absque hoc exuere uestem rubram, quod rubra exilij indicium sit. Apparatus quoque itineris, ut in patria exilium quandoque significat, ita exuli reditum persæpe pollicetur. Et renasci, & domum fulmine ici, quod exilium portendit in exilio. Si domus sit quam in exilio habitas, eaq; percuti uideatur, reuocationem ab exilio significat. Et exuli ciconiæ, grues, birundines, siue ante exilium, siue in exilio, reditum promittunt. Si herba in corte quam habitas domus oritur, reditum in patriam significat: sicut fulmen & herba eodem modo in domo patria, exuli exitium portendunt. Et proscripto omnia somnia quæ necem significant, aut mortem, licet leuiter, supplicium aut necē eidē significabunt. Et somnia uinculorum & carceris, proscripto supplicium significabunt: quasi amicè ille mitius uoluerit supplicium ostendere. ueluti qui exomologesin suadent pro admonitione supplicij. Et somnia omnia læta de patria, & in patria, dum homo est in exilio, mala sunt: quoniam eius longitudinem portendunt. Et parentes uidere lætos, maximè matrem, exuli reditū, alijs alia significat: quandoq; etiam infaustum.

Caput v. De fortuna, seu opibus.

Sordidis & agricolis animalium stercus bonum est, cæteris damna & tristitias significat. Homo diues si supra caput alicuius stercus demittat,

tat, illi opes suas impartiet: pauper autem si sit, contemnet illum. Diuiti flumen si è domo exire uideatur, bonum est, & potestatem atq; autoritatem in populo habiturum decernit: pauperi autem, uxorem aut filiam prostitutam. Gallus œconomum in diuitis domo, in pauperis autem dominum ipsum significat. Dilaniari à feris diuiti malum est, significat enim opes illius dilapidãdas: pauperi autem diuitias, carnibus enim suis multos alet. Deum factum uideri, opulentis etiam potentiam addit, pauperibus uerò incrementa bonorum. Et si indutus diuino habitu uideatur, apparebit potens ac dives, talis tamẽ haud erit. Suas carnes edere, quæstum pauperi significat, diuiti autem inopiam & expẽsas: sicut etiam stercus suum edere, suam 'ue propriam urinam bibere. Scilla potentibus & opulentis terrores & curas significat, agricolis sterilitatem, miseris ambigua: nonnunquam enim miseriam eorum soluit, nonnunquam tormenta & cruciatus adijcit, lachrymasq;.

Excubiæ & nocturnæ festiuitates pauperibus ac mœrentibus bonæ sunt, diuitias enim significant, & tristiciam soluunt: Diuitibus autem turbationes & diuulgationes, absq; tristicia tamen, quoniã in huiusmodi bacchationibus etiam homines inebrientur. Vomitus autem pauperibus bonus est, qualiscunque rei sit: illi enim non perderent, nisi haberent. opulentis autem damna et detrimenta significat: & quanto meliores rei fuerit, ut sanguinis, eo maiora decernit. Vænum proponi, aut uænundari, pauperibus, seruis, atq; mala fortuna utentibus bonam mutationem status ostendit: ob id autem opulentis atq; potentibus, felicibusq;, diuersa ratione omnino malum. Venundari autem maius est, quàm uenum proponi: & iter agere, quàm uelle iter agere, semper enim actus maior est uoluntate. idem tamen significant. Vænundatum autem esse, peregisse iter, nuptias celebrasse, an maius sit quàm agere hæc? ita distinguimus: Quorum finis est aliquid factum, maius est finem consecutum esse, quàm quærere uel consequi, ut nupsisse quàm nubere, & domum ædificasse quàm ædificare. potest enim non id agere, nec perficere: qui ergo perfecit, plus aliquid peregit quàm qui facit. Sed si non maneat aliquid, ut pulsare, canere: maius est agere, quàm egisse. In balneo depilari, diuitibus ualde malum: multa enim amittent. pauperibus bonũ: soluentur enim molestijs. Pauperi, ferri ab hominibus ornatum, & in pompa, tamen laudari ac suspici, mortem significat: diuiti autem, factum egregium.

Quæ prædia significant, sunt, iecur, horrea, fontes, coronæ spiceæ, aut ex pampinis, scrofa pariens, boues ac bubulci, rastra, currus, torcular, sarculum, ligo, & talia, cum plura fuerint, & uarij generis.

Omne quod amissionem significat, ut naufragio, furto, aut à latronibus spoliari,

liari, diuitibus charis priuari significat, pauperibus uerò diuitias acquirere neq; enim amittere posset, si iam non haberet quod amitteret.

Caput VI. De uxorem habente, sacerdote & cœlibe.

SAcerdotibus (quoniã apud nos cœlibes oẽs sunt, nec uxorẽ ducere poßũt) quæ uidentur, quasi ad iam habentes uxores referuntur. Considerãdæ ergo sunt actiones eorum, quales esse poßint. Quæcunq; igitur uxorem significare possunt, in illis circa sacerdotium & famam sunt intelligenda. adhæret enim sacerdotium sacerdoti, ut uxor coniugi. Si ergo locupletem sibi uideatur uxorem ducere, alio sacerdotio pinguiore ornabitur. Si uxor perire uideatur, sacerdotio priuabitur: si infirmabitur, litigabit pro sacerdotio. Quæ autem non referuntur ad uxorem, sed communia sunt, partim ad uxorem trahi possunt, & sic eodem modo interpretanda sunt. ut suscipere uel educare filios, est in spem successionis sacerdotij aliquem aut aliquos inducere. Quæ uerò omnino nihil cum uxoria re simile habent, uelut hominem occidere, uidentur indifferentia.

Rursus cœlebs ab utroq; differt. Et ideò cœlibi uxorem ducere nõ est absurdum: diuortium celebrare absurdũ. contrà sacerdoti diuortiũ, aut uxorem habenti, non absurdum: ille enim sacerdotium renunciabit, hic ab uxore se abdicabit. ducere aũt uxorem, absurdum utriq;: uterq;. n. turpia & nefãda cõmittet.

Caput VII. De orbo & filios habente.

QVæcunq; orbo uidentur, quæ non nisi filios habenti cõuenire possent, ad charißima & desideria referri debent: & rursus ad uana uota, ac spes irritas. Ergo si cui orbo filius perire uideatur, oculum amittet, aut fratrẽ, aut patrem, aut dentem. At si ornari filium uideat, irridetur quod aliquid speret, quod uel habere non poßit, uel etiam supra conditionem suam sit. Si cui habenti filios ea quæ orbo conuenirent uideantur, non eadem est ratio: sed periculum est, ne ad eam orbitatem deueniat: aliter autem bonam & egregiam fortunam significat.

Habenti filios fulmine percuti, dirum: orbitatem enim exẽplo plantarũ inducit. Sacerdoti impietatem, orbis & eruditis claritatẽ nominis decernit. At si domus columna icta fuerit fulmine, habenti filios eripietur morte unus, sacerdos de sacerdotio periclitabitur, orbo peribit aliquis ualdè utilis ad domus cõseruationẽ. Quæcunq; damna filijs significant orbis, ea in causa necesse est ut in irritum cedant. Horũ tamẽ quædam malũ, quædã bonũ illis significãt. quæcunq; enim cõmutantur, ut in fratres, parentes, uxores, malũ illis filiorũ loco portendunt. Ex alijs autem quæ non cõmutantur, splendida & generosa, bo-

num:humilia omnia, oblæsa, inordinata, deficiẽti, malũ. Alæ si pilis nudẽtur, filiabus inopiã significãt: quoniam alæ propriè filias referũt: At non habenti filios, ancillas ostendunt: has ægrotaturas, aut è domo ejiciẽdas portendit somnium. hoc enim est pauperiores fieri: sic enim his quæ habent præsidijs spoliabuntur. Pedicæ in orbo significant filios, in carente uxore uxorem: in habente utrunq; negocia grauia, à quibus uix unquam explicabitur.

Osculari membrum proprium, habenti filiũ extra domũ, reditũ significat: habẽti in domo, morbũ: nõ habẽti, habiturũ. atq; ita uides q̃ uariet significatũ.

Caput VIII. De artificio.

ARtium quadruplex genus est. aut enim agũt, aut acquirunt, aut faciũt, reficiũt'ue. Agunt, citharistia quæ equos regere docet, et mimorũ. nam uel exprimũt aliquid nouũ, uel referunt, uel docent. in quo genere est etiã, docere loqui aues. Quæ reficiũt, ut medicina ueterinaria: differũtq; ratione subiectorũ. Facientiũ aliquid aliæ etiã materiã efficiũt ipsam, ut plastices. aliæ præparãt, & formam præbent, ut pistoris & farciminũ & lanæ. aliæ uerò solũ faciunt: hæ uersantur circa lapides, metalla, ligna, & carnes: unde lanij, tum uerò pistores. Agricultura autem est ex reficientium genere: nautica ad agentes pertinet: sutoria, textoria, & uestium fabricatio, quæ cõposita est. Acquisiticiæ celebriores sunt quinq;: uenatoria, piscatoria, aucupium, metallozeutica, & lithozeutica. uitri uerò ars ad plasticen refertur. Architectura ad faciẽtes pertinet. Cauponum autem & cõmotica, circa præparationem tãtum, ut etiã coci: Fullonia ad plasticen, militia uerò ad actionẽ: quamuis finis sit acquisitio per sæpe. erũt itaq; artes sic distinctæ, quas mechanicas uocãt, principales numero triginta & una. Harum itaq; ratio sic definiri debet.

Manibus quouis modo impediri, omnibus artificibus peßimum est, etiã cursoribus, quorum opus est ut nautarum. Similiter quæcunq; significant contemptum, solitudinem, & finis frustrationem, & inopiam: quandoquidem artiũ finis est opus, artificis uerò lucrum. Specialiter aũt, his qui agunt leuia somnia, & quæ ad multitudinem pertinent, ut irrideri à populo, acclamari, lapidibus impeti, bonum est. Grauia, seria, lenta omnia, mala: præterquam in militia & nautica. hæ enim grauia & seria admittunt, lenta autem mala sunt: magisq; nautis atq; cursoribus. Quæ præter rationem sunt, & infirma ac fœda, nec congruentia, omnibus artibus aduersantur, præterquam his quæ reficiunt, ueterinariæ medicinæ, agriculturæ. At in agricultura dominis hoc non est bonum, sed solum his qui operam suam alijs locant. Quæ materiã faciũt, ut plastices omne genus, seu metalla, seu uitrum, aliud'ue fusile liqueſcat, ut sulphur, seu ut ex linteis contritis uetustis linteis ignis, significationes faustas habent:

bent: ut etiam quæ concrescunt eo, uelut laterum structura. Sic fullonia, & reliquæ. Quæ uerò præparant & adornant, cauponis, coci, commoditæ, pistoris, lanæ, farciminum, fausta somnia sunt, leuia, iucundaq; : nam hic est finis iucunditas. leuia uerò, quoniam nec grauatè munia hæc fieri postulant: nec quæ tractantur, præter lanam, diuturnam moram admittunt.

Quæcunque faciunt, ut fabrilis, atque huiusmodi grauia & seria, & robur significantia, somnia libenter admittunt: leuia autem mala sunt in huiusmodi, & cessationem & imperfectionem & procrastinationem atq; contemptum indicant.

Sutoria quoque, textoria etiam, & huiusmodi, uelut nere, compaginare, leuibus non gaudent somnijs, sed celeritatem maximè significantibus: sed neque grauia his congruunt.

Architectura, quoniam sæpe impensis domini agitur, procrastinationem significantibus non lædit: sed si conduxerint ædificij structuram, maximè eis aduersantur huiusmodi somnia. Cæterum in hac, grauia somnia utilissima sunt.

Artibus aquisiticijs ea congruunt somnia quæ inuentionem præsagiunt, & quæ conformia sunt idolo rei: ut metallorum & lapidum inuentioni, quæ alijs infausta esse solent, commigrare ad inferos, fodere, defodi uiuum, ruere domos. nam ruentibus domibus, palàm multa detegenda, quæ latent. Sic mergi in aqua, si idolum non sit, auspicatissimum piscatoribus: & à feris circundari atque terreri, uenatoribus. At contrà magistratum habere, cõuiuari, saltare, mori, ebrium esse, & quæcunq; ocium significant, aut aliud negociũ, uelut militia, quæ omnibus artificibus aduersatur: & quæcunque artes artibus opponuntur, ut fabrili piscatoria, & lauandi pannos: & plastice, lanio: omnes malæ sunt. Et quæ inopiam significant, ubi ars circa preciosas res uersetur, et opulentiam circa uilia, & quæ contrarias actiones & affectiones continent, uelut carbonario & fabro uestes pulchræ mundæq;, et cloacas expurganti unguenta: omnia hæc absurda, infeliciaq; sunt. Considerare quoq; decet proprias cuiusq; artis rationes iuxta materiam artificij, modum operandi, et ut se habeat ad paucos uel multos, uel populum: & etiam qualis sit ipse artifex, uulgaris an elegans, & præstans ac celebris. Cõuenientia & significantia, quæ conueniunt, bona sunt: contraria uerò alterutro modo, mala. diximus autẽ, in quibus, quæ uidentur absona, nihilominus fausta sunt.

Caput IX. De naturæ proprietate.

Somniantis naturam diligenter considerare expedit. nam quibusdam uana firmè somnia eueniunt: uelut ijs qui mendaces sunt. nam

par est eos illa uidere & audire, quæ sunt cogitationibus suis congruẽtia: ob id ueracibus ueriora somnia apparent. Secundum est, quoniam hominibus quibusdã somnia omnia ad certos euentus magis diriguntur. Quod est eo mirabilius, quoniã quandoq; ad illa diriguntur, quæ non tamen sæpe eis eueniunt. ueluti quibusdam uuas comedere lucrum significat, tametsi parum toto anno lucrentur: alijs uerberari à medico, medicinam accipere. Est tertium, quòd quibusdam somnia felicia sunt, quæ alijs sunt calamitosa: & hoc ex natura somniantis. In uniuersum, qui melancholici sunt, plura somniant: et si animi abiecti, omnia uana: sin præstantis, uera. Pituitosi inania ob id habent somnia, biliosi uera: sed omnium constantiores, qui æquali sunt temperamento.

Rursus quibusdam somnia non sunt uera, nisi certo cum signo, quibusdam autem generaliter. Optimum autem est causas horum noscere, non solũ quod certius sciantur quæ per causas, sed quoniam illis notis licet ampliare numerũ somniorum: cum ex diuersa mistione semper diuersa procedant.

Secundum igitur sic se habet, quoniam operatio illa etsi rarior sit, attamen maximè ei cordi est. sed & res quæ uidetur, aut familiaris est, aut in magna existimatione, ut una per aliam significetur. Qui uerò animas habent minus impeditas & ualidas, ac magis exercitas, ij idola cernunt: segnes & ineffacces magnis cum ambagibus, medij medio modo.

Rursus quod somnium pluuiæ uni faustum sit, alteri calamitosum, ob hæc accidit: nam primùm quæ somnia mutationem significãt, ea miseris bona sunt, beatis autem grauia. Et quæcunq; sunt iuxta exercitationem et uotũ et mores, bona: contrà, mala. bonis ergo, aliena re uti, paupertatem significat: non enim nisi commodatò boni alienis utuntur. at malis lucrum, quoniam uix illi habent qui credant eis. Quibus confestim euentus succedunt, ijs natura mobilis est, atq; moræ impatiens: contrà serotini sunt, cum de rebus magnis, in quibus necesse est finem negocij multum distare à principio. Itaq; principium rei parum fermè semper à somnio tempore distat: finis autem, plurimum. Sed si etiã principium distet, non tamen causa aut mutatio morum. Cum uerò somnia quibusdam uera signum aliquod cõiunctum habent, necesse est cogitationes eorũ efficaces esse. Et ut in actionibus nostris quas efficere omnino uolumus, signũ quoddam efficimus: ita & in somnijs. Natura uerò tantum potest, ut etiã in fortuitis quidam frequenter, & supra fidem atq; expectationẽ diuinẽt. contingit hoc (ut dixi) ex intẽta actione. Porrò actio intenta est uel ob robur agentis, uel ob ipsam exercitationem. Sunt etiam homines qui sæpe uident somnia uera, & sunt melancholici & à ciuilibus negocijs segregati, & similium morum, & in cibo moderati: sunt & qui rarò uideant, ijs contrarij. Sunt qui

uideant

uideant purißima,& idola rerum:sunt qui obscurißima,& quæ artificiosa indigent interpretatione, quorum animi sapientiæ studijs incumbunt.Sunt qui facilia,ut simplices & rudes uiri,quorum etiam est uidere idola: sed idola adueniunt,cum res omnino futura est, nec uisio obest euentui. Sunt qui parua quæq; uident maximis insomnijs,quorum animi soliciti sunt, & actiones leues:alijs augentur quæ uisa sunt per somnũ,contrario modo se habentes.Quibusdam recta est quasi interpretatio,quibusdam conuersa, ut mala per bona, & bona per mala significentur illis.Sunt quibus statim quæ uisa sunt perficiãtur,sunt quibus serò. Sunt qui multa admodum somnia uident,quorum numero ambigua redditur obseruatio:sunt qui pauca ualdè,& quasi solum cum opus est.Sunt quibus clara,& quæ facilè memoria continentur:alijs obscura,et obliuiosa.Sunt qui bonorum,sunt qui malorum futurorum tantum euentum præsagiunt,alij utrorumq;: & horum quidam pariter, alij hæc magis quàm illa.Sunt quibus quædam peculiaria sunt spectra, & peculiare etiam aliquid semper significantia:sunt quibus diuersa semper, semperq; significatum uariantia:in quibus prædicere difficillimum est.quod accidit ijs qui uersatili sunt ingenio,cum prædictio forsan euertatur.

Caput x. De ætate.

IVuenis si se infantem uideat in cunis,resolutionem breui patietur.neq; enim aliter fieri,ut infans,potest.Si utero ferre,morietur:animam enim emittet tanquam fœtum.si in utero sit matris,breui morietur: & eodem in tempore, quod ad partum supereße imaginatur.in aliam enim uitam demigraturum se sentit. In cunis esse fascijs uinctum, artifici uacationem ab opere, pauperi non defutura alimenta,diuiti malum:nam sua alieno arbitrio administrare cogetur,nec familiæ suæ poterit imperare.Seruo gratiam domini,sed seruitutem diuturnam: habenti uxorem,diuortium,aut filium:negociatori & pugnaturo nullum potest obuenire somnium deterius. iacet enim infans fascijs uinctus imbellis.ægro mortem portendit:institis enim uinciuntur mortui,ac linteis.

Infantem loqui,admirandum factum nunciat. oportet autem quæ dixerit, tanquam uera obseruare.

Senem in cunis sic esse,si non resolutionem significet,bonum est:ad extremam enim uenturum ætatem nunciat, nam tales ut infantes sunt.ideo somniũ est consequens,& minimè extortum,quale esse debet quod uerißimum est.

Puer si senem se uideat,morietur: adolescens autem grauiter ægrotabit.Et idẽ, si uideat quis de filio. Senex uel iuuenis si puer euadat, dignitatis iacturam faciet.

Plurimum refert ætas in his qui uerberari se somniant.nam puer & adole-

ſcens nihil mali patientur:eoq; magis,ſi à parentum aliquo,uel patruo uel magiſtro. Nam corrigentur. at ſenes uapulare, malum:ſignificatq; iniuriã paſſuros,atq; dolorem.

Caput xi. De ſexu.

Foemina ſignificat imperfectionem omnem:et actiones decoras,ſed non generoſas.Si tamen ſit pulchra,ſignificat ueritatẽ.fœda et humilis,infamiã: impudica,audaciã,impudentiã,dedecus:fucata,dolũ,technã:irata & compta, iniuriã:blandiens et ornata,bonã fortunã:laceris ueſtibus,paupertatẽ & miſeriã:pallida & mœſta,inuidiã. Fœmina ſignificat ueſtem,quoniã ueſtis ſignificat fœminam.In fœminã uerti, magiſtratibus amiſſionem adminiſtrationis: infelicibus bonum,mitius enim agent.Significat fœmina negocia malè ordinata,& confuſa,importuna, & quæ exitum non habent.iuxta prouerbium,

Fœmina fœmineum non bene finit opus.

Anus robuſta,ſignificat fortunam propriã & antiquã:iuuenis,uel puella, nouam fortunam.Fœmina ſignificat dolum, uafriciam,impudenter facta,cõtentionẽ,lites,iurgia.Significat et equum,& carpentum,& agrum:quoniã fœditur.& ſterilis ſterilem,& fœcunda fœcundũ.Et ſignificat maximè irrita deſideria.Significat & delicias,& uoluptates,& facta turpia.Significat & filios,ac filias magis. Androgyni confuſionem,dolum,horrendos ſucceſſus, & inexpectata ac monſtroſa facta.Et felicibus malum,infelicibus bonũ.Et mutatio in androgynum,propriè ſignificat genitalium morbum. Et mutatio ex maſculo in fœminam,pro negocijs utilibus mala,pro periculis & in malis ac metu bona:ex fœmina in maſculum,contrario modo. Vtraq; præſentis ſtatus mutationem & infamiam prædicit. Vtero gerens ſi ſomniauerit ipſa,uel maritus pro ea,párere ciconiam maſculum, adoleſcet infans, & parentes ſenescent,& filius eos alet:ſi uiperã,breui mater morietur.ſi araneum,natus occidet parentes.

Caput xii. De ualetudine.

Optimum in ægrotante ſanitatis ſignum eſt,uidere leonem ſimiam edentẽ. Aſphodelus ægrotantibus morbo periculoſo,mortem prædicit: quòd apud inferos herba hæc abundare dicatur. Simili modo malua. Creditur,ſi exigat ab ægrotante, periculũ indicat. ſi æger perſoluere uideatur, morietur. natura enim creditorem refert.Deus quoq; pietatis & iuſticiæ ſeruatæ aut neglectæ rationem exigit:ideo ſomnium hoc improbis parum conuenit. laniſq; ægris mortem & dura prædicũt,ob ſimilitudinem. Somnia omnia lethi ſignificatiua,mortem certius in ægris portendunt. Somnia omnia læta in ægro mortem ſignificant, ob nominis affinitatem lethi cum læto; & quoniam non fit

transitus

transitus repentè ad secundum ordinem, æger non potest lætari nisi iam adepta sanitate: ergo somnium non debet transgredi ad læticiam. Aegrotare ægro tanti iam, id est, incipere cum iam ægrotet, solutionem morbi significat: neq; enim conuenit bis ægrotare eodem morbo. Aegrotare eodem morbo, in morbis gradus & ordines habentibus, est ex uno in alium transire, uelut si quis lippitudine laboraret, & somniet se lippitudine laborare, euadet cæcus: nam ex lippitudine in cæcitatem naturalis est transitus. Et ita si uulneratus somniet se uulneratum esse, nec sit ἀναμνησις, transibit in ulcus. Et si habens ulcus, pati ulcus, transibit in Chironium & fistulam. Et apium, cupressus, ægris sunt lethifera. Quæcũq; ægris salutaria sunt, sanis morbos significant: uelut sudare, liberari à morbo. sed hoc etiam significat liberandum à cura graui. Nouis uestibus indui, supplicare Deo ob recuperatam ualetudinem, medicum discedere: quì enim liberabitur, cum non laboret? At contrà quæ sani faciunt, si æger facere uideatur, sanitatem prædicit. Memineris etiam, quòd ægri tria habent somniorum genera: salutis, mortis, & neutrius. sani autem tantum unum, ægrotandi: neq; enim habent sanitatis futuræ.

Caput XIII. De mutatione.

Est igitur mutatio bona plerunq; miseris, felicibus autem mala. Miseris ergo proprie mutatio in melius conuenit. Et quæ pòst antè, & quæ sinistra dextra, & quæ deorsum sunt si ascendant, & quæ cum spe lætitia ac promptitudine omnia uidentur in melius: & quæ fera sunt si fiãt mansueta, & quæ inutilia utilia, & quæ muta uocalia, & quæ stulta sapientia, & quæ mutila integra, & quæ nuda uestita, seu natura, seu arte: & quæ secundum naturam, ut ex puero iuuenis: & quæ in nobiliorem statum, ut è fœmina uir. Sed si iuuenis senex fiat, aut contrà, dubitatio est. in horum enim altero ordo naturæ desideratur, in altero mutatio in melius. In his tria sunt consideranda. Primum, quoniam mutationum aliæ sunt prorsus contra naturam, ut nullo modo unquam contingere possint, ut à mortuis resurgere, uel regredi in ætatibus: alio modo, cum quandoq; fiunt, uelut ex fœmina fieri masculum. Secundum, quod mutatio aut est in re solum, aut etiam intelligitur: in re solum, ut cum mortuum patrem uideo uiuum, intelligitur autem, cum scio esse mortuum, & uideo ipsum resurgere. Tertium est, quod mutatio est uel ex re in rem, ut in ætatibus: uel non ex re in rem, sed ex priuatione in rem, ut cum simius loquitur. Si ergo hæc tria simul sint præter naturam, ut quòd uideam patrem meum resurgentem, aut me ex sene factum iuuenem, plus potest mutatio contra naturam ad significandum deterius, quàm ipse finis ut sit in melius.

Sed

Sed cum defecerit una conditio, tunc erit bona, & in melius, cum turbatione tamẽ multa. Mutatio in Deos, astra, reges, bona est: sed præcipuè priores duæ, modò perfecta sit.

Refert Artemidorus, quod quidam cum uidisset se in Solem mutatum, & per forum ambulare cum radijs undecim, dux exercitus factus post undecim menses in ipso magistratu interijt. Quoniam enim magnum aliquid (ut dixi) mutatio in astra significat, si non absolutum sit, magnos errores, casus, lapsus que significat: ut potius ob defectum uideri possit somniũ, quàm ob ipsum principale significatum. Omnia somnia quæ nouum aliquid & diuturnum significant, si idem bonum fuerit, ad uitæ mutationem in melius pertinent. non tamẽ uitæ mutationem omnia significant: quoniam per uitæ mutationem intelligimus, cum maxima pars actionum & status nostri permutatur. Sunt autẽ præcipua, quo ad hoc, tria: opes, ualetudo, filij. nam fermè humana omnia ad hæc reducuntur. Qui opes habet, habet amicos, honores, potentiam, & cætera. Vrsæ catulus nuper natus, propriè commutationem in melius significat.

Mutatio in deterius est triplex. Aut secundum rem, ut cum solitus uidearis equitare equum, & equitas capram. Vel cum res ipsa deterior fit, ut equus ex iuuene senex factus. Aut ratione comparationis. ut cum solitus ingredi frigidã æstate, ingreditur hyeme. nam hoc significat inopiam, & diminutionem reditus & lucri: quoniam eo quod fuit uoluptati, nunc intempestiuè utitur, ob inopiam. nam diuitibus par est esse balnea pro ratione temporis, calida hyeme, frigida æstate. Et etiam frigus per se, ut uisum est suprà, semper significat egestatem. Quod si quis uideat se esse in balneo calidæ in æstate, postquam usus erat eo per hyemem, aut significabit inopiam, licet non adeò magnam: aut affligetur ab his à quibus iuuari deberet, uelut à filijs: uel importunè utetur actionibus suis. Et mutatio rerum in deterius, uel usus, significat corruptionem illius: uelut si quis frumentum uideatur exhibere equis.

Quidam cum uidisset pratum uirens, inde aridum factum, interrogauit Serim quid portenderet? respondit, malignã somniantis naturam. Fungi, piper, ozimum & sinapis, pisces, mutationem diuersis causis in deterius significant. nam fungi pernicioſi sunt, & facilè corrumpuntur. eadem ratione pisces mortui, licet non sint adeò lethiferi: cocti enim perdunt homines, & crudi putrescunt celeriter. Sinapis, quod acris sit, exulceret, lachrymasq; excitet, infortunia & morbos prædicit. Piper, quod acre sit, sed bene oleat, pugnas & dolores prædicit. Ozimum uexationes, molestias usq; ad desperationem præstat: quoniam acris est, & odorata, sed inutilis: creditúrq; scorpiones generare, hostes & insidiatores hominum. Raphanus autem quia malè olet, significat mala con-

la consilia, dolosq; & prauos homines. Ideo etiam eiusmodi radicem trãsplantare, uitã prauam in posterum ducere significat. Sed & pastinacæ malæ sunt, & morbos ac graues curas ostendunt, quoniã difficulter concoquuntur. Adeò uerò prauæ sunt, ut si coctæ comedi uideantur, mortem breui credant portendere: sed ut mihi uidetur, solum morbum grauem.

Quæ mutent in deterius, sunt descensus scalarum, retrocessus è loco quieto amœnoq;, pedum uel fundamentorum læsio: miluus, à proprietate: lupi, mures erodentes, casus ex alto, senes decrepiti, mulier crinibus expassis, rota fortunæ cum felix fueris, ipsa fortuna irata, uel genius tristis: homines qui ex felicitate in miseriam deciderunt: homines historia uel usu cogniti, qui ex optimo statu in pessimum deciderunt, uelut Priamus, Oedipus, Dido, fons aquæ pulcher siccatus, arbos generosa euersa. Astaci etiam, quia retrocedunt: bufo ingens, quod credatur infaustam ubi inuenitur domum reddere. Talpæ emergentes è terra, aut multos cumulos & magnos terræ suffodientes: multæ araneæ telæ in domo textæ. quicquid conuersum turpe habetur: uelut currus ducẽs boues, mulier uirum subagitans, lepus canẽ persequens, ornamenta domus fulmine icta atq; confracta, membrum uirile amputatum, aut oculi effossi, inimicus potens in domo tua cum honore exceptus. Omnis ruina, nisi rei malæ uel suspectæ, & omnis ædificatio & fabrica rei quæ damnum perpetuum afferre soleat, uelut torrentis, & fornaces laterum, mutationem in deterius ostendit. Et beatis generaliter, quæ commutant, sunt tristia: uelut eradi, renasci, mori, habitu nouo uti, urbem domumue nouam inhabitare, in fœminam uerti, repuerascere, pluuia, casus fulminis super pedes. Omnibus maximè proprium commutationis in deterius signum est, miluus auis assistens, uel superuolans: uel si tu ipse in eam auem conuersus sis, quod deterrimum est: adeò enim mala erit commutatio, ut aliquando fame pereas.

Quatuor quidem sunt genera signorum mutationum. alia semper bona, quæ in melius semper mutant: alia mala, quæ semper in deterius: alia dubia, quæ felices euertunt, infelices subleuant. alia augmenti, quæ incrementum semper significant, augentq; præsentem fortunam, qualiscunq; sit: ut scalarum ascensus, et cucurbitæ, heliotropiumq; herba. Sed omnium quæ mutationem uitæ significant, nihil maius est morte. siquidem mors commutat uitæ genus, cum mortui nihil habeant commune cum uiuis: quanto magis commutare possunt uitæ genus? pòst, monastica uita, exilium. pluuia uerò, leuem mutationem uitæ significat, & in una tantum causa. Et scias quod utroque modo id prædicunt, seu fiant, seu facta sint: ut mori, mortuum esse: pluere, pluisse ue. Sed actus significat mutationem cum anxietate, res autem peracta sine illa,

sed quasi sensim ad eam traductum. Quæ commutant malam fortunam in bonam & bonam in malam, semper & propriè sunt: crocus, & herba Alexandrina, sed non adeò, & ursus.

Caput XIIII. De nobilitate maiorum, successione posterorum, & fama post mortem.

NOn coniunxissem hæc quæ uidentur esse in diuerso genere (siquidem nobilitas maiorum uidetur solum significare, non significari, ut quæ sit notior quàm ut per somnium innotescere debeat: successorum autem fortuna & fama post mortẽ significari, non significare potest) nisi mutuò hæc sibi responderent. quippe nobiles & reges successores uidere (ni idolum sit quod uidetur) declarat famã post mortem: hoc enim ad id consequitur. aut aliquid inuenturum, quo ex nobili stirpe descendisse manifestum sit: aut si id non eueniat, ita tamen esse. Sunt enim aliqua quæ ita declarantur per somnia, ut aliter, non tamen nota sint. Et quædam docent rem ipsam, ut demonstrationes problematum aut contemplationum mathematicarum, aut proprietatum rerum: & quædam docent modum inueniendi quæ quæruntur: & quædam simpliciter rem docent, ut homini relinquatur dubia de re uisa opinio. Omnia enim hæc ex principijs somniorum apparent, quæ suprà docuimus. Generalissima enim effectuum principia & præcedentium sic mouent animam (nam hoc ostendere opportunum non solum hic est, sed ad totius tractationis cognitionem necessarium) quoniam si perijt tibi absenti frater iam octo diebus, necesse est uinculum fratris abruptum esse in causa, quemadmodum etiam in effectu: at impedita anima prioribus octo diebus non sensit, hac die sentit, liberata impedimentis omnibus. ob id talia somnia maximè obrepunt uacuis mentibus.

Sic & si auus meus, uel proauus, aut alius ex maioribus aliquando strenuo facinore nobilitatus sit, aut flagitioso damnatus, & tamen causa ut coniuncta est mihi (nam illi coniuncta fuit) perpetuò mouet, sed ob exilem sensum non uidet anima eò usq;, donec liberata prorsus omni cura, & per certos circuitus obuia recurrens ad causam qui maiorem meum affecit: scintillas quasdam & uestigia imprimit eius effectus, qui tum fuit usq; ad certa tempora. nam nihil mortale infinitum esse potest: & si etiam esset, obueretur à tot motibus maioribus & euidentibus intermedijs. Ergo uidere nobiles maiores, uersa uice declarat stirpem nobilem futuram, aut gloriam post mortem. hæc enim etiam, ut clarum est, se consequũtur. Et similiter famam sparsam de se bonam uel malam, tales fuisse maiores, aut futuros posteros tuos declarat: omnia enim hæc sibi inuicem recte & adamussim respondent. Quædam uerò unũ

sibi

sibi determinant, cum defecerit stirps aut famæ spes, ut in ualde pauperibus, damnatis, seruis, habitantibus in locis longinquis à propria patria, in solitudine. at maiores nulli deesse possunt: quocirca loco filiorum, si filij desunt, fama subingreditur: & loco famæ, si famam ille non possit consequi, filij. atque hic primus est modus, propter quem etiam quæ significandi ratione coniuncta erant, coniunximus.

Secundus modus est ex proprijs: nam funus & sepulchrum significant famam: sepulchra maiorum & stemmata & imagines maiorum, nobilitatẽ: uiri lia & uiscera, descendentes. Sed distinguere singula oportet. nam funus famã breuem significat, sepulchrum autem perennem.

Quinq; autem modis sepulchrum præcipuè afficitur: si fulmen in illud incidat, & conflagrare uideatur: uel enim magnam famam somnianti, uel posteros suos magnos futuros pollicetur. si uerò disiiciat ac dissipet, contrarium propè minatur.

Si aperiatur sepulchrum, apparebunt facta somniantis post eius obitũ, quæ liacunq; fuerint: et si fuerit homo qui scripserit, scripta eius illustrabuntur. Si statua quæpiam pulchra aut fœda super sepulchrum constituta uideatur, aut diuturnos honores, aut aliquem ex sua stirpe magnum futurum ac glorioſum denunciat. Si resurgere mortui uideantur ex suo sepulchro, uel libri occulti publicabuntur, uel exurget aliquis ex stirpe qui familiam & genus nobilitabit: uel gloria illius reuiuiscet. Exornari quoq; sepulchrum, famam post mortem significat, aut aliquem è familia illustrem obiturum declarat. Similiter sepulchra maiorum si fulgure tacta ardere uideantur, inclitum facinus perpetrabit somnians, uel ei arcta affinitate iunctus, uel descendentium aliquis. Et si aperiantur, morietur fermè tota familia.

Et quandoq; detecta maiorum sepulchra, declarant aliqua in lucem proditura, per quæ nobilitas illorum detegetur magis, et illucescet mortalibus. Et uiscera propriè significant filios, genitalia filios & descendentes, renes autem posteros magis quàm filios. Ex his igitur arbores animaliaq; oriri, tales significat eos qui successuri sunt: sed arbores ad potentiam & statum pertinent, animalia autem ad mores. plantæ enim crescunt plurimum, sed mores non habent: animalia moribus prædita sunt, sed non differunt multum.

Quæ etiam à tergo sunt, posteros: sed nisi aliquo modo coniuncti uideantur, alienos eiusdem ordinis aut dignitatis significant: à latere, potentes: ante autem, maiores, quasi conuerso ordine.

Quartus modus, à renouatione solium habetur. quæ enim post mul-

tos solis circuitus contingere uidentur, ad posteros pertinent. & similiter quæ post Solis occasum: ut contra, quæ antea per multos circuitus eiusdem, aut illius exortum, maiores nostros significant. Et similiter quæ ad domus ruinam, aut nouam reparationem. Et surculi arborum, posteros: & arbores uetustæ, maiores significant, et alia similia in ijs. Et pater filium, patruus filium ex fratre, auus nepotem, frater aui nepotem ex fratre, pronepos proauum, proauia pronepotem ex filia aut nepte, aut proneptem, atq; ita conuerso semper ordine significant. Et generaliter, ubi adest consignificatio temporum.

Caput xv. De oraculis: & quod uigilantes diuinare possumus.

CAeterum absoluta somniorum historia, de oraculis agendũ est: etenim pœnam in utrisq; rationẽ esse, ueri simile est. At cum in somnijs anima nõ sit adeò sensibus impedita, melius uacare potest futurorũ diuinationi, fatiq; imaginibus. cum enim nõ tunc solum, sed semper, neq; noctu, sed interdiu, & quacunque hora circunferantur imagines futurorum, ueluti in rota quadam, eædem in anima ipsa relucent semper, sed spiritu occupato à nobis non animaduertuntur. Idq; indicium est, animam esse principium nostri corporis, non autem uim. neq; enim à sensibus impediretur, sed incitaretur. Oportet ergo eos solum oraculis intendere, quibus natura concessum est per somnum multa & præclara et euidentius cernere. nam si cũ soluta impedimentis natura per somnum id non possunt, aut omnino rarò, & non perfectè: qua ratione, dum uacant sensilibus, id sperare consequi possunt? Adiuuanda quoq; hæc operatio erit ea in parte qua anima obsidetur, tantum illi auxilij impertiendo, quantum est id quod illi ex uigiliæ actionibus deperit. oportet etiam, quæ impediũt, quatenus licet amouere. Ea sunt autem motus omnes, tam interiores quàm externi, sensuum: quos nec concitare decet, nec exercere. At uerò animæ impedimenta quæ iam parata sunt, ellebori purgatione, abstinentiaq; ciborum ac potuũ minuuntur. Anima uerò ipsa ijsdem, et lapidibus, sed suffumigijs propriè ad hæc adiuuatur. Abstinentia igitur uini plurimum prodest, & ciborum qui caput turbant: qualia sunt, omnia quæ acria sunt, aut difficile concoquuntur, & atrã generantia bilem, & quæ uenerem excitant. hæc autem bifariam plurimum obsunt, & imaginationes mouendo, & quod ueneris usus corpus et animam turbat, impuramq; illam reddit. Quocirca in hoc opere eligebatur Phytonissa uirgo, quod & ob puritatem, & ob sexus mitiorem naturam anima non perturbaretur. apparebat enim, dum impleretur Deo, id est spiritu illo terræ, perturbari totam, ac similem effici ebriæ. Vnde Poeta:

Non

— Non uultus, non color unus,
Non comptæ mansere comæ: sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument: maiorq; uideri,
Nec mortale sonans, afflata est numine quando,
Iam propiore Dei. —

Quid ergo fiet, si iam temulenta fuerit anima cum corpore, seu ingestis, seu animi perturbationibus? quamobrem & certis cibis ac potibus, & certis horis, & parcè etiam utroq; opus est uti: gemmas uerò gestare, quæ animum tranquillant ac serenant, cuiusmodi sunt smaragdus, hyacinthus, sapphirus, & topazius. Sunt etiam qui lapides aliquos à proprietate id posse contendant, ut oculum hyænæ, & oculum Indicæ testudinis (uocant chelonium) si sub lingua detineantur. Ego non tam sub lingua, quàm eregione cordis id efficere posse crediderim, si modò id possunt. nam aliquos eiusmodi natura lapides esse reor, raros tamen specie, ac ex his etiam rarissimos qui id possint: ut uidemus inter lapides herculeos, qui magnum trahant ferri frustum: tum uerò id diu gestatos, nec nisi in quibusdam (ut dixi) hominibus. Ob id pauci id tentarunt. Sed quod euenit, potius felici id quadam euenit fortuna. Magis nota & efficaciora sunt suffumigia, ut dixi: ex his, fontium quorundam aquæ, ut quæ in Bœotia iuxta Trophonium. Sed nihil certius specubus, in quibus ex halitu terræ longè magis diuersæ species uigilantibus obuersantur, quàm somnientibus sine illis. atq; id Aristoteles retulit in libro de Oraculis, Plutarchusq;. Sic in Delo, uirgo uaticinabatur. Trophonium uerò antrum etiam ualidius afficiebat epota aqua ingredientes, quoniam omnes uidebant. Idq; in religionem à falsis sacerdotibus, seu etiam ignorantia naturalium causarum, uersum est. Neque credas idola offerri, & plana responsa, sed ambigua, et insomnijs prorsus simillima. Quamobrem huc eam retraxi tractationem, quòd eodem modo ijsdemq; præceptis eorum interpretatio constet.

Liquet ergo, & puris hominibus & uirginibus, simplicibusq; uiris aut fœminis, sobrijs atq; abstemijs, huiusmodi potius apparere, quàm reliquis: quosdamq; sponte in hanc diuinationem deuenire, è quibus quidam tantum semel, quidam bis, alij perpetuò diuinant. facile enim abrumpitur hæc facultas, difficile retinetur. Sic mulieres quædam unum pariunt filium tota uita, deinceps steriles. Hoc quæsisse Adrianum, et impetrasse, fama constans est, occiso etiam adamato adolescente Antinoo: non tam, ut reor, diuinandi cupiditate, quàm ut de manibus certior fieret. Quo desiderio, sed importuniore, et minus consulto, antea flagrasse Neronem, haud dubium est. Sed frustra opera sunt naturæ omnia: perperam manes sic quærimus, perperam prohibemur. Suffumigio

odorato, si arte quærenda sunt oracula, ex uilissima materia simplici atq; cœlesti facere solũ ea oportet. Quodcũq; aũt tum euenerit, seu in mente carmen, seu cogitatio aut uisio aut incitatio, pro responso habenda sunt. rarò enim non per ambages, quemadmodum & Pythiæ, sed pura idola repræsentari solent. Id quoq; huic melius quàm illi, ob naturam ad diuinationem propensam. neq; enim credendum est, uirgines illas quæ Pythiæ uice fungebantur, æquè aptas ei muneri omnes fuisse. Ideóq; & oraculorum authoritas modò augebatur, modò minuebatur, iuxta uatum præstantiam. itaq; & alios consulere in proprio negocio quandoque melius est, quàm à seipso petere id munus. quod etiam non sine concussione mentis, & agitatione totius corporis fit. Vnde fanaticos hos homines, & tamen & in posterũ appellare solemus: quasi semi insanos. Cæterùm illud forsan te torquebit, quo nam pacto ad immi nentia me parabo, ut uel Dodonea, uel Ammonis aut Delphici oraculi respon sa impetrare possim? tamen præcipuè conuenientia uoto, & congruentia ex pectationi? tum maximè ab alieno? Somnia enim offeruntur non de his quæ nolumus, aut quæ nostris necessitatibus satisfaciunt, sed qualia fortuna obiece rit, etiamsi uerissima sint.

Nec Oracula ipsa semper interrogatis respondebant. Romanus ille (si modò uera sunt quæ Lucanus refert) dum quæreret de belli exitu, responsum de obitu proprio in Euboœa insula accepit. Ergo diuinamus ob id, quòd ex omnibus quæ obijciuntur, tum etiam maximè instantibus rebus, spiritus affectu incitatus mouet conuenientes imagines. Sic enim primum uidemus hominẽ in turba, quem quærimus. de alio uerò, cũ difficilius sit causam reddere, ob id nõ adeò fidimus alieno ut proprio oraculo. Antea uerò homines ad huiusmodi di uinationem non se conferebãt, ueriti ne per dæmones fierent: alij, nõ esse eam putantes. Verùm & diuinatio est, & naturalis: sed non in uulgus propalanda. Profanata enim quæ mystica & arcana erant, desierunt essẽ miracula. quæ solum puris, & ab omni iniusticia mundis, quiq; omnia ob sapientiam contemperint, nec opes curauerint, uideri solent. Quamobrẽ neq; Peripateticis ob improbitatẽ, nec Platonicis, aut simplicibus hominibus ob imperitiã talia conceduntur. Natura uerò quidam simplices et rustici, tamen ob certi generis ciborum usum assiduum, de quibuscunq; diuinare solent. Quanquã peculiare sit omni diuinationum generi, solum de quibusdam, non de omnibus diuinare: Neq; enim paruum est, Elysia claustra naturalibus uiribus quasi uiolenter reserasse. Ob id Deo Opt. Maximoq; hymnum canamus, qui per mortalia effecit, ut ad immortalium noticiam accederemus.

Caput

Caput XVI. De usu somniorum.

Finis somniorum, usus est. finis autem, propter quem omnia fiunt. Vsus igitur, pars nobilissima est somniorũ. Quæcũq; igitur per somnia prænoscũtur, aut præsentia, aut præterita, aut futura sunt. & præterita aut præsentia mutari nequeunt, ob id scire illa tantũ expedit. sciemus igitur, si supra coniecturam somniorum, diligentiam in indagando adhibuerimus. At uerò ita existimare oportet, tanquam hoc ipsum nos retrahat, non impellat (Socratis dæmonij instar) ad aliquid. Veluti uideo per somnum, famulum me decipere. nũ illum abdicabo: sed non committam ut ita me possit decipere, ut nequeam animaduertere: sed solum committam ea illi negocia, in quibus si fraudauerit, deprehendi certò queat.

At futurorum quædam sunt, quæ ad actiones nostras pertinẽt: quædam uerò ad euentus, ut ægrotare, mori. ac rursus quædam bona ex his, quædam mala, quædam magna, alia parua, alia mediocria. In paruis seu bonis seu malis, obseruare sufficiat: in mediocribus autem, & magnis, si bona sunt, coadiuuanda sunt, si quid potes: sed non nisi ut naturali coniectura præuisa. Ergo uerè si uideris morbum uenturum, purgaberis, abstinebis à cibis, potibus, uenere, curis, laboribus superfluis. Si mortem timeas, cuncta tanquam morituras ordinabis: non tamen illud dices alijs, nec ab honestis actionibus te subtrahes.

Sunt qui codicillis uentura describunt, quemadmodum credo feciſſe Adrianum. si euenerit, aut ostendunt, aut uidenda relinquunt: si non euenerit, exurunt illos. Quæ curiositas parum à me laudatur: non enim quicquam tale ego ago. Bonum est sapere, non uideri sapere. Qui in friuolis studium adhibent, necessaria & honesta sæpius prætermittunt. Studendum autem maximè est, ne fugiendo fatum, fatum impleas. quamobrem sic enitere, ut in suspicione uersari potius uidearis, quàm timere, aut negligere. Porrò in his quæ ad actiones tuas pertinent, maiori consilio opus est. Cum enim quædam promissa legittima, quædam indifferentia, quædam flagitiosa: atque in adipiscendo triplex singulorum modus, similiter legittimus, uiolentus & flagitiosus: legittimo, in legittimis & indifferentibus, cum spe somnij insistere debemus. in flagitiosis, leniter, si prauo studio satisfacere uolueris: secus, desistere melius est. Flagitioso ac uiolento, in flagitiosis quantacunque spes in somnijs affulgeat, adipiscendi modo opera danda non est. Honesto uerò uiolenter, flagitioso autem modo etiam studebimus cum eadem spe. nam hinc periculum se objicit, aut scelus: illinc finis honestus, & non mediocris spes. In indifferentibus autem, ut lucra, honores, qui tibi non debentur, nec

negari

negari tamẽ iuste possunt, uiolẽter insistere possumus: modò cõsentiant undiq; somnia, immunemq; à periculo polliceantur. secus, non. nam huiusmodi spes multos fefellit. consecuti enim quod quærebant, alijs ex causis uehementer afflicti sunt.

Præter reliqua autem studendum est diligenter, ne te iactes: non enim solum uersaris in periculo, ne irrideare, & ut leuis uidearis, sed etiam ne frustreris exitu. nam publicata spe propalantur actiones tuæ, quibus illi occurrunt. Eademq; calamitate ac leuitate, qua euulgantur, etiã euanescunt sperata.

Memineris enim dicti illius aurei Senecæ, nihil tam certum esse in futuris quibusuis, quàm nihil certum esse, & artem esse de futuris, & coniecturalem: & homines nil, uel mediocriter assequi.

Verùm quidam irrident hæc, dicentes: Nos non ex somnijs, sed actionibus ipsis humanis, felicem fortunam pendêre arbitramur: quandoquidem ex illis eam consequi perspicimus. nosq; contemptis huiusmodi beati facti sumus, & ad summam potentiam euecti. Ergo & his respondere dignum est.

Causæ hæ naturales sunt: quas seu negligas, seu magnifacias, eueniunt tamen effectus. atq; ijdem somnia uidẽt: quæ si negligas, quod dono superûm accepisti, tua solertia adeptum te existimas, unde etiam deterior euadis. Incautus uerò, & tui nimium confidens, opprimeris: nec ullius qui solum mortalibus actionibus atq; solertiæ uafricieiq; confidit, beata uita est, ob impietatem. nec in stirpe, tam necessaria parte salutis prætermissa, diuturna potentia. Indicio est, quod omnes qui diuturnam dominationẽ obtinuere, huiusmodi disciplinã maximè obseruarunt. reliquorum incrementa fortuita, uita tumultuosa, breui in nihilum redigitur.

Cum uerò somnia, pleraq; maiora repræsentare soleant, illud diligenter cauendum, ne consilium placeat repentinum, tum ob id, tum quod nox omnia maiora facit. fallacia enim sunt, quæ per somnium uidentur: deinde etiam, quæ nobis uigilantibus nocte consilia capimus, ut non pauci ex hoc præcipitati sint in negocijs. ut enim per silentium uox, ut in tenebris lux, longè maiora uidentur: ita quæ per noctem aut speramus, aut timemus. Sed neq; his quæ in uigilia primùm placent, & nobis ipsis solis, & maximè dum spe aut timore uel ira concitamur. fallacia enim rursus sunt, tametsi non adeò quàm quæ per tenebras excogitauimus. φιλαυτία enim persæpe, etiam si non alia perturbatione, decipimur.

Quartus ergo est, cum prudentibus, & eius negocij expertis atq; amicis omnia narramus ex fide, eisq; indicium rei permittimus. Hi enim nec amore, nec odio, nec spe, nec metu impediuntur. Hoc sanè iudicium est optimum omnium,

nium,præter illud quod proximè in ipso euentu rei habetur, ubi & euentus & casus perspiciuntur,tum reliqua omnia quæ adiuuant & impediunt. ob id qui promptissimi sunt in consilijs capiendis,persæpè magna deuitant infortunia: & melius consulunt rebus ipsis prudentibus,qui multò antè rem coniectura,sed imperfectè sunt assecuti.

Sed ut ad rem reuertar,cautum oportet esse hominem in iudicando,singula quæq; diligenter expendere. uelut si cui uideatur se esse damnatum ad laqueum, nec tamen ducatur.ibidem explicaui,damnationem hanc,quia non ducitur, si milem esse ueræ damnationi, quo ad affectum. sin autem ducatur, felicitatem magnam portendere:hoc est,magnam super alios exaltationem. Quomodo igitur hæc? Dico, quòd in huiusmodi casu cupiet maximè exaltari: & ob id, cum sibi alios prælatos uideat,maximo animi angore discruciabitur. Li.1.ca.68.

Alius rursus se existimat concionari ad populum, inde excipi ab eodem cum applausu:paulopòst eligi in regem,& cum pompa reduci domum. Hic aliquando capietur:hæc enim est conditio necessaria.inde torquebitur: hoc enim est concionari.ibi & fatebitur delicta:sic enim cum applausu à quæsitoribus excipitur.pòst damnatus ad supplicium:hoc enim est in regem eligi. deducetur domum,id est ad mortem. hic omnia plana esse uideo, præter unum: quoniam dices, Qui de crimine interrogantur, non coram populo quæri solent. Verùm somnium,ut dixi in primo libro,conditionem propriam in specie facit generalem,tametsi repugnet. Cum ergo in publico, dum torquentur, accurrat populus in disquisitione,iudices & fisci procuratores et quæsitores populi & turbæ uicem subeunt. Cap.15. li.1 reg.62. & 57.

Quòd si paululum in pluribus uariare soleant somnia,illud obseruabis,& ubi maximum est discrimen ac minimum,adnotabis in duobus generibus tanquam oppositis:utpote si maximè aberret in homine,minimè uerò in minutis animalibus,in animalibus magnis & domesticis multum aberrabit, transferesq; significatum ad propinqua significato ab homine. & pòst in animalibus magnis,feris:post in paruis,sed mansuetis,inde in piscibus. At uerò in plãtis atq; lapidibus ac elementis pones ea omnia,quasi ab aduersa circuli parte, sic ut minimum maximo coniungatur,scilicet elementa homini proxima, inde metalla,lapides & plantas,quas constitues proximas paruis animalibus, & ita translato significato inuenies quæsitum. Sit,ut quoties somnies de homine noto,qui(ut dixi)famam significat,ut uerbereris:iam hæc est passio,& plusquam affectus.ubi somnies de cimicibus,qui concubinæ tædia notant, ab uxore molestia afficieris: tum uerò constitues,totam eam medietatem quæ est à minutis animalibus ad hominem, cum incremento reliquæ minues significa-

ta. Equus ergo qui significat existimationem & robur, significabit dignitatem & magistratum: arbor uerò contrà, quæ te aut tuos significare solet, animalia tua referet, ut equum aut bouem uel ministros: atq; ita de alijs. Non fit autem comparatio æqualis, nec quo ad medietatem, neq; in excessu, sed est similis duobus circulis, quorum unus alio includatur, diuersa centra habentibus. Sed neq; interualla hæc æqualia sunt inter se, sed fermè semper magnitudine dissimilia, ratione uerò eadem.

Est etiam in somnijs ea obseruanda ratio, quæ omni diuinationum generi communis est: scilicet ut similia similibus comparentur. inde quæ adduntur, rursus similia, donec ad dissimilia perueniamus, quæ in similib. maiorē quàm in dissimilibus differentiam pariunt: uerùm similium seruata ratione, quæ in dissimilibus prorsus nulla est. Ponamus, exempli gratia, quòd patri & filio diuitibus, & ambobus iurisconsultis, paria quidem eueniant somnia, de equitatione & equis similibus: at in hoc differant, quòd pater in locum obscurum, filius autem pellucidum perueniant. Erunt hæc insomnia similia in pluribus existimatione, uitæ cursu, qualitate ministrorum & artium & studiorum: hac manente in omnibus similitudine, quæ ex loco lucido & obscuro non peruertitur: superueniente tamen illa differentia, pater quidem infamis morietur, filius glorioſus, quod maximum est discrimen: quia inæqualia quā to magis exquisitè æqualibus iunguntur, eo certius inæqualitatem efficiunt. At ponamus, quòd cauponi cuidam somnium idem, quale filio contigit, sed in sue sedenti accidat. Caupo ille, patri illi nil simile habebit, cum non conueniant: in fine tamen plus conueniet cum patre, quàm filius. morietur enim infamis, luxq; illa & splendor illius turpitudinem & ignauiam deteget, ut in Iurisconsulto obscuritas nomen illius obfuscabat. Ex dissimilibus ergo similia magis, dum componuntur, quàm ex dissimilibus & similibus euenire possunt: cæterum nil simile. Oportet autem similia seorsum obseruare, quoniam à dissimilibus non uitiantur: quamuis mista postmodum similitudinis cuiusdam speciem efficiant.

LIBER

LIBER QVARTVS
DE EXEMPLIS.

Caput primum. In quo utilia sint somniorum exempla, & illorum ratione.

DVorum cum sint generum somnia, alia quidem quæ rem ipsam declarant, idola uocata, quorum maxima pars oratione & auditu, non uisu constat: horum quidem unica ratio erit, confirmare opinionem de illis. alia uerò, quæ ex naturæ similitudine, aut fortuita quadam ratione usque humanæ cõiuncta, ueri similem exhibent de se coniecturam, in quibus non solum somniorum ueritas confirmatur, sed etiam interpretandi modus ac solertia declaratur: cuius causa plurima talia Artemidorus Daldianus, qui & de chiromantia & auspicijs tractauit, ultimo suo libro, quem huic negocio destinauerat, conscripsit. Neque enim artis singularia tam bene doceri possunt rationibus atque regulis, quàm exemplis: quoniam in exemplis relucet coniectoris seu interpretis præstantia, quam maximis laudibus effert Aristoteles. Vt enim aqua mota imperfectæ imagines rerum apparent, quas qui intentè & cum iudicio intuitus fuerit, poterit dignoscere: & quo motus minor fuerit, quiescente omnes uidere possunt & agnoscere: ita coniector quæ occulta sunt, ob imperfectionem interpretatur. ob id iudicio ut præstet acerrimo, et uersatili quàm maximè ingenio sit, opus est. Atq; hæc de interpretis qualitate uera sunt.

Sed & id necessarium est, ut natura ad hoc paratus sit. cum enim omnes homines seligant ex infinitis, quæ significari possunt, multa: necesse est aliquem esse qui pleraque uera seligat, ut alium qui nihil: atque id etiam sine astrorum aliquo auxilio. nanque res ipsa postulat hoc, ut postquam cunctorum est diuersa electio, ut quidam sint qui uera solum sorte quadam fermè seligant, atque hi optimi erunt interpretes: nec hoc in collimationem aut causam aliquam manifestiorem reducere oportet, sed in ipsius naturæ rerum necessitatem.

Cæterùm exemplum illud de imagine in aqua, Aristotelis, non sanè, quanquam tanti philosophi, rationem docet, cur somnia unum per

aliud significent: quandoquidem non sunt somnia secundi & tertij modi idolorum partes, sed aliud omnino genere. Velut nix paupertatem & inopiam significat: frigent enim homines ob niuem, & nihil oritur in terra dum à niue tegitur, nec quicquam colligitur. Quid tamen niui cum inopia?

Propterea primum illud uidendum, cuius causa hunc ultimum librum confecimus, an in somnijs aliqua sit ueritas: & an ars ulla possit de eis constitui?

Videtur autem, multas ob rationes, quòd non. Primùm quidem, quod neque omnibus uera uidentur somnia, nec ulli tota uita: ars autem utrunque habet, & disciplina, ut omnes possint, si uelint, ea uti, & aliquis sit qui eam perfectè norit. Deinde non uidetur ratio, quod à Deo immittantur, qui solum seipso contentus est, & de quo dubium est an serias res hominum curet, nedũ ut uelit tam friuolis adhibere auxilium. multa autem talia in somnijs uideri solent, sine quibus etiam homo rectè esse potest: ut amissio modicæ pecuniæ, fuga pueri familiaris, amici mors aut dilecti catuli.

Præterea si Deus immitteret somnia, utiq; probis (non dicam sapientibus) immitteret, quemadmodum inquit Aristoteles. Scriptum enim rectè est: Qui abscondisti à prudentibus, & reuelasti ea paruulis. & quoniam quos simplices Aristoteles appellat, hi sunt uerè sapientes, iuxta illud: Nos stulti uitam illorum reputabamus insaniam, & uitam eorum sine honore, illi autem annunciauerunt opera Dei, & facta illius intellexerunt. Solis, non autem improbis: hoc uerò secus habet. nam non minus improbi futura præuident, quàm probi: ut de Sylla, Caligula, Augusto, Domitiano, alijs mõstris horrẽdis sæuitiæ, ambitionis, libidinis & auariciæ.

Accedit, quod maximum est in hac causa, quod si non arte constant, fortuita sunt. Et huius causa, & quod ita docet experimentum, minima pars talium quæ non ad naturam referuntur: ut bilis, repletionis, doloris, uera est. At in omnibus fortuitis aliquà uera esse, & iuxta opinionem euenire deprehenduntur: uelut aleæ iactu, & sortibus. non igitur maior est ueritas aut fiducia uel ars in somniorum prouidentia, quàm in huiusmodi: at huiusmodi nullam habent fidem aut securitatem, nec ulli usui sunt, aut esse possunt: itaq; contemptibile necesse est esse huiusmodi diuinationis genus.

Ergo uidendum, an sit aliqua ars? Et certè si ad totum genus somniorum res hæc referatur, ars omnino nulla est: sed si ad euidentia & perfecta, quorum maxima pars sortitur effectum, erit de illis ars atque scientia. plurima enim horum uera sunt, taliumq; aliqua noticia: ueluti sanationum nulla est scientia, quoniam plurimi casu sanantur: sanationum autem quæ à medicis fiũt, ars aliqua est, & certa ratio.

Et

Et rursus, tempestatum fortuitarum nulla est certa prædictio: earum uerò quæ ad asellorum nebulosum ortum, certa est prædictio. at in puris fortuitis sortibus talorum iactu, non possumus genus uerorum à non ueris segregare: neq; sunt euidentia alia, alia obscura, perfecta & imperfecta, efficacia & remissa: quocirca talia omnino, ut etiam Geomantia, Hydromantia, Pyromantia, atque huiusmodi fortuita sunt pura, & nulli scientiæ subijciuntur, neq; arti. Quæ igitur præsciri possunt, nec ad consilium nostrum pertinent (nanque illa prudentium ex acumine pendent) duorum sunt generum. alia quidem, quæ ex naturalibus causis pendent, quorum duplex est præcognitio. ex causis: ut cum florentem in messem eclipsis magna Solis inciderit, erit penuria frugum. aut ex signis: ut in Physiognomia, sed magis in Metoposcopia, Chiromantiaq; atq; huiusmodi, est certa in se noticia. nos tamen quoniam rarò perfectam tenemus artem, sæpè in prædicendo fallimur. Alia uerò sunt, in quibus secernere licet euidentia efficacia ac perfecta, à tumultuosis & casu factis. atq; horum genus nulla arte constat: pars tamen quæ sæpè ueritatem ostendit, arti cuipiam, sed non adeò constanti ut priora, subijcitur.

Primùm igitur in his segregare euidentia, et quæ arti subijciuntur, ab alijs oportet: hoc autem iam docuimus. Deinde quærere, cur quibusdam uera appareant somnia, quibusdam non. Et unde illis ueritas: inde etiam, quomodo ad aliud transimus rei genus. Velut cum (ut diximus) ex niue inopiam deprehendimus. Oportet autem ordine doctrinæ, ut in cæteris omnibus, ex manifestis hæc deducere.

Primùm quòd neq; bonis neq; malis, neq; sapientibus neq; stultis, nec eruditis nec imperitis, semper accidant, aut nunquam, experientia docet. Cibo autem & uino oppletis non accidere, perspicuum est: quoniam uel omnino quiescente spiritu nihil uident, dum dormiunt: uel, ueluti ex stagno orta caligine obumbratur anima. Itaq; hoc opus est animæ quiescentis, quæ non impedita curis, sensibus aut motionibus, nec crapula leuissima sensilia percipit: uelut cum minimum sibilum tibiæ sonum imaginatur, & subdulcis pituitæ casum mellis esum, ut Aristoteles dicit. Hoc autem quod relucet, aut in ipso fati ordine constitutum est, aut in ipsius hominis deliberatione, aut in serie facti, aut à dæmone subministrante, uel cœlo. Ex cœlo autem, ueri simillimum est: est enim causa omnium, & Astrologi multa prædicunt, & in quibusdam est, quibusdam non. Imprimit autem magnum aliquid: quoniam quod imprimit, tale est.

Porrò uelut facilius est cognoscere procul corpus quàm animal, & animal quàm hominem, & hominem quàm Socratem: anima quæ procul uidet,

uidet magnum aliquid, & oppressionem: generalia enim sunt. cum uerò uel somno obturbata, uel curis non libera, uel immobilis & sensus hebetis, nõ potest percipere, sub magno hominem subijcit casu, montẽ aut mare aut flumẽ: coniector autem pro his hominem subijcit, atq; ita opprimendum à potenti uiro significat. Periculum est ergo his, ne idolum sit. ut si à mari obrui uideatur, ne uel à potenti uiro opprimatur, uel etiam mari ipso uerè submergatur. idq; idolum erit. Sapientiæ igitur coniectoris erit, ad generalia se conferre: ut monte cadente, ad magnitudinem & offensam se recipiat. quod si clarius uideat, uidebit hominem nobilem, non tamen quis sit dignoscet. quod si sensus animæ uigeat multum nec interturbetur, sitq; uis cœli magna, cognoscet etiam illum. Demum si omnia conueniant, quid etiam sit acturus intelliget. Idolum igitur etiam cum reliquis modis unum genere est. sed ut procul uidens, plantã esse credit quod homo est, quia non mouetur, & tamen idem uidet rem longã, rectam, minimè latam: ita eiusdem naturæ est imago idoli & somnij secundi aut tertij modi. Aristoteles ergo non rectè aßimilat hanc speciem, illi quæ in aqua mobili apparet: sed ei quod procul aut propè uidetur. Semper autem omnia propter sensum sibi coniunctum generali imagini aliquid unum subijcit sensile, ut montem, mare, flumen, arborem, animal, prout illi celerius occurrit, uel etiam ex adiuncta alia generali conditione: ut si uelociter moueatur, fluminis, ab alto casum: uelut etiam in puerilibus interrogationibus, cum alter alterum interrogat de re magna, quæ currit: unus respondet flumen, alius cœlum, alius potentem uirum dicit. Liquet autem, quod responsa auribus per somnum percepta, puriora sunt uisis, quod auris non excipiat simulachra rerum materiarum. Hoc autem modo etiam ex halitu terræ uatem in Delphis præuidisse per generalia futura, existimandum est: quemadmodum & in somnijs unde responsa caligine inuoluta, uera tamen semper, seu dæmon sit qui præuideat, seu non. Ergo cum fabrilis ars, & cerdonis, clauem aut calceum semper faciat, in quocunq; fuerit homine, faciles enim sunt: somniorum autem diuinatio & uatum uera sit non nisi (quod etiam in medicina & alijs difficilibus artibus accidit) in excellentibus interpretibus, alijs autem ob inscitiam aut incuriam mentientibus: ob id fabrilis & cerdonis artes esse existimantur: somniorum autem non, sed nugæ ac gerræ. Trium igitur quæsitorum propositorum ratio conspicua est. Sed id clarum, in belluis eadem ratione apparere uera somnia, tametsi illorum non sit prouidentia.

Caput

Caput II. De exemplis alienis in primo genere, idolorum scilicet.

NOcte quæ cædem Iulij Cæsaris præcessit, Calpurnia illius uxor imaginata est, collabi fastigium domus, maritumq; in illius gremio cõfodi. Prima autem pars somnij ad secundum modum significandi pertinet. nam fastigium domus patremfamiliãs significat. 1

Augustus cum æger esset in castris, monitus à Philippo medico, qui per somnium illum uiderat in tabernaculo ab hostibus opprimi, aliò se contulit. Sequẽti die M. Bruti milites uictores ingressi tabernaculum, lecticam eius multis uulneribus confoderant, existimantes illum ibi esse. Quæ spes hostibus, qui Deos haberent aduersas partes mouentes? 2

Narrat Plinius uigesimoquinto Naturalis historiæ libro, uir ab omni superstitione alieniss̃imus, historiam huiusmodi. Nuper cuiusdam militantis in prætorio mater uidit in quiete, ut radicem syluestris rosæ (quam cynorhodon uocant) blanditam sibi aspectu, pridie in fruteto, mitteret filio bibendam. In Lacetania res gerebatur, Hispaniæ proxima parte: casuq; accidit, ut milite à morsu canis incipiente aquas expauescere, superueniret epistola orantis ut parẽret religioni: seruatusq; est ex insperato, & postea quisquis auxilium simile tentauit. 3

Galeni quoq; somnia inter hæc admiranda recensere operepretium fuerit, præcipuè autem tria fuere Patris repetita, quibus admonebatur, ut filium medicinæ traderet. Aliud, quo ut scriberet de uidendi ratione, cuius meminit in libris de Vsu partium: uelut alterius in Methodo, & de librorum propriorum ordine. Tertium magis dignum miraculo, cum bis per somnum monitus ut arteriam secaret quæ inter pollicem & indicem est, idq; agens liberatus sit à diuturno dolore, quo infestabatur ea in parte qua septo transuerso iecur iungitur, idq; in libri de Sectione uenæ fine testatus est. Magno certè exemplo, quòd tantus uir in medicina eam adhibuerit somnio fidem, ut in seipso periculum uitæ subierit, in arte propria. Deinde probitatem admiror, ut quod potuerit solertia ingenij sibi inuentũ ascribere, Deo cui debebatur reddiderit. Dignus uel hoc solo uir immortalitate nominis, & librorum suorum. 4

Annibal uir sacrilegus, nedũ superstitiosus, cum columnã aureã in templo Iunonis Laciniæ auferre destinasset, perterebrauit primũ, ne nõ inaurata esset, nõ aurea. inuenit ergo aureã. Sed nocte sequẽti cõminata est p somnũ illi Iuno, reliquo oculo eũ excæcaturã. quo timore territus, nõ solũ columnã nõ auulsit, sed 5

ſed aurum quod terebrando exemerat, in buculæ formam redactum, columnæ ſuperpoſuit.

6 P. Decius, ille Q. F. qui primus è Decijs conſul fuit, cum eſſet tribunus mil. M. Valerio & A. Cornelio conſulibus, à Samnitibusq; premeretur noſter exercitus, cũ pericula præliorum iniret audacius, moneretur q; ut cautior eſſet, dixit (quod extat in Annalibus) ſibi in ſomnijs uiſum eſſe, cum in mediis hoſtibus uerſaretur, occidere cum maxima gloria. & tum quidem incolumis, exercitum obſidione liberauit. Poſt triennium autem, cum conſul eſſet. deuouit ſe, & in aciem Latinorum irrupit armatus: quo eius facto ſuperati ſunt, & deleti Latini. Cuius mors ita glorioſa fuit, ut eandem concupiſceret filius.

7 Ariſtoteles quoq; ſcribit, Eudemum Cyprium familiarem ſuum, iter in Macedoniam facientem, Pheras uenisſe, quæ erat urbs in Theſſalia, tum admodum nobilis: ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu premebatur. in eo igitur oppido ita grauiter ægrum Eudemum fuiſſe, ut omnes medici diffiderent. Ei uiſum eſſe in quiete, egregia facie iuuenem dicere, fore ut breui conualeſceret: paucisq; diebus interiturum Alexandrum tyrannum, ipſum autem Eudemum quinquennio poſt domum eſſe rediturum. atq; ita quidem prima ſtatim ſcribit Ariſtoteles conſecuta, & conualuiſſe Eudemum, & ab uxoris fratribus interfectum tyrannum. quinto autem anno exeunte, cum eſſet ſpes ex illo ſomnio, in Cyprum illum ex Sicilia eſſe rediturum, præliantem eum ad Syracuſas occidiſſe. ex quo ita illud ſomnium eſſe interpretatum, ut cum animus Eudemi ex corpore exceſſerit, tum domum reuertiſſe uideatur.

8 Simile quid de Sophocle, qui cum ex æde Herculis patera aurea grauis ſurrepta eſſet, in ſomnijs uidit ipſum Deum dicentem, qui id feciſſet. quod ſemel ille iterumq; neglexit. ubi idem ſæpius aſcendit, in Areopagum, detulit rem. Areopagitæ iubent eum comprehendi, qui à Sophocle erat nominatus. is quæſtione adhibita, confeſſus eſt, pateramq; retulit. quo facto, fanum illud Indicis Herculis nominatum eſt.

9 Cum bello Latino ludi uotiui maximi primùm fierent, ciuitas ad arma repentè eſt excitata. Itaq; ludis intermiſſis, inſtauratiui conſtituti ſunt. qui antequam fierent, cumq; iam populus conſediſſet, ſeruus per circum cum uirgis cæderetur, furcam ferens ductus eſt. Exin cuidam ruſtico Romano dormienti uiſus eſt uenire qui diceret, præſultorem ſibi non placuiſſe ludis. idq; ab eodem iuſſum eſſe eum Senatui nunciare: illum non auſum. iterum eſſe idem iuſſum, et monitum ne uim ſuam experiri uellet: ne tum quidem eſſe auſum. Exin filium eius eſſe mortuum. eandem in ſomnijs admonitionem fuiſſe tertiam: tum illum

etiam

etiam debilem factum, rem ad amicos detulisse, quorum de sententia lecticula in curiam esse delatum. cumq; senatui somnium enarrauisset, pedibus suis saluum reuertisse. itaq; somnio comprobato à Senatu, ludos illos iterum instauratos, memoriæ proditum est.

10 Caius Gracchus multis dixit, ut scriptum apud eundem Cœlium est, sibi in somnijs Quæsturam petenti, Tiberium fratrem uisum esse dicere, quàm uellet cunctaretur. tamen eodem sibi leto, quo ipse interisset, esse pereundū. hoc ante quam Tribunus plebis Gracchus factus esset, & se audisse scribit Cœlius, & dixisse multis. quo somnio quid inueniri potest certius?

11 Simonides poeta cum ignotum quendam proiectum mortuum uidisset, eumq; humauisset, haberetq; in animo nauem conscendere, moneri uisus est ne id faceret ab eo quem sepultura affecerat, si nauigasset, eum naufragio esse periturum. itaq; Simonidem redisse, perisse cæteros qui tum nauigassent.

12 Cum duo quidam Arcades familiares iter unà facerent, & Megaram uenissent, alterum ad cauponem diuertisse, ad hospitem alterum. qui ut cœnati quiescerent, concubia nocte uisum esse in somnijs ei qui erat in hospitio, illum alterum orare ut subueniret, quod sibi à caupone interitus pareretur: eum primo perterritum somnio surrexisse. dein cum se collegisset, idq; uisum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse: tum ei dormienti eundem illum uisum esse rogare, ut quoniam sibi uiuo non subuenisset, mortem suam ne inultā esse pateretur: se interfectum, in plaustrum à caupone esse coniectum, & suprà stercus iniectum: petere, ut mane ad portā adesset, priusquā plaustrum ex oppido exiret. hoc uerò eum somnio commotum, bubulco manè præsto ad portam fuisse: quæsisse ex eo, quid esset in plaustro? illum perterritū fugisse, mortuum erutum esse, cauponem re patefacta pœnas dedisse.

13 Mauritio imperatori uisus est Christus in somnis, dicēs: An uis in hac uita, an pòst, flagitiorum tuorum pœnas luere? cui Mauritius: Hac in uita potius. Tum Christus: Et lues. nam imperio & uita tu tuiq; filij ac uxor spoliabimini, imperiūq; Phocæ tradetur. Manè Phoca nobili quodam accito, ab eo metu liberatus est. cum rogasset, an alius eo nomine in exercitu esset? Respondit qui uocatus fuerat, esse quendam infimæ sortis, quem neglexit Mauritius. ab eoq; omnia euenerunt, quæ per somnium uentura audierat.

14 Varonianus incola Sindonienſis Pannoniæ agri, cum natum nullum infantem educare posset, cum uxor rursus grauida esset, in somnis responsum accepit, ut natum infantem appellaret Iouinianū. Paruit pater. superuixit puer, et factus etiam est Imperator.

15 Ptolemæus primus olim Alexandri satelles, cum Alexandriam muro cin-

geret, uidit per somnum egregium forma iuuenem, monentem ut effigiem illius ex Ponto adueheret, eiq; templum dedicaret: futurum ut felix regnũ esset, inde uidit eundem iuuenem, multo cum igne in cœlum ascendere. Interrogat igitur Timotheum Athenien sem, ex Eumolpidarum genere: qui ex negociatoribus retulit intellexisse, esse in Sinope urbe templum uetustum, cum statua Iouis Ditis. Verũ Ptolemæus cum magis delicijs uacaret quàm religioni, cõtempsit illum remittere: quare denuò imago illa per quietem terribilis & cũ minis illi apparuit. Misit igitur Ptolemæus legatos ad Apollinem, sciscitatum quis esset? respondit Apollo clarè, esse eius patrem. Misit itaq; ad regem cum pluribus muneribus, petitum statuam. uerùm Scydrethemides per tres annos distulit hoc, uerba dans, ne ciues offenderet. Vnde iterum illi uisus est iuuenis idem fortuna terribili, & minitatus exitium, grauiter illum morbo affecit. Rex ergo delatus in concionẽ, & de somnio Ptolemæi & de suo monens eos, de morbo etiam periculoso questus, reclamantibus ciuibus inuidere Ptolemæum urbi suæ: tandem delata statua in nauem legati Ptolemæi triduo pòst Alexandriam peruenit, superatis millibus passuum penè mille. Templum pro magnitudine illi extructum in loco cui nomen Racotis.

16 Ioanni Mariæ Mauroceno patricio Veneto, amico nostro, cum in Dalmatia prætor esset, uisus est alter fratrum quem plurimum diligebat, nomine Donatus, illum complecti, atque uale dicere, quod ex humanis excederet. eum Ioannes Maria cum aliquantulum prosecutus esset flens, experrectus est totus lachrymis perfusus: expauitq;, fratri qui Venetijs erat timens. tertia die è domo allatæ literæ sunt, quibus significabatur, Donatum ea nocte, ea hora excessisse, cum triduo tamen ex febre pestilenti decubuisset. Hoc ille mihi non semel, nec siccis oculis narrauit.

17 Ludouico Madio, patricio nostro, miles erat in cubiculo dormiens. is nocte quadam exclamabat in somnis. Dominus rogat, quid haberet? respondit, uisum sibi uulnus magnum in capite accepisse, ac morti proximum, ob id cum metu experrectum. Dominus, qui eum diligebat, iubet ne è domo discedat. Socij interim die sequente ad hostes uisendos ire destinant. immemor ille somnij, exit cum illis. hostes adsunt, fugiunt socij, ipse discisso capite occiditur.

18 Alexander ab Alexandro, qui dies conscripsit Geniales, refert Marinũ alumnũ suum uidisse per quietem, matris suæ funus celebrari: idq; cum lachrymis multis & gemitu. experrectus, cum id narrasset, adnotato die, post aliquot dies literas acceperũt, pridie eius diei quam nox ea anteceßerat, matrem illius quam incolumem existimabant obijsse. Idem affirmabat cognouisse

se Iunianum Maximum, municipem suum, solertem adeò fuisse somniorum interpretem, ut et gloriam non leuem prædicendo clarè quæ portenderentur cõsecutus fuerit: et multos ab imminentibus periculis seruarit. Iuniānus Maximus

Glaphyra Archelai coniux, Alexandrum coniugem priorem mortuum uidit per quietem, exprobrãtem secundas nuptias: monentemq; quòd breui secum illam esset abducturus. Breui itaq; perijt. 19 Glaphyra

M. Antonius Taurellus, Guastalle dominus, somnio monitus, quo se submergi uidebatur, decreuerat à natatione ea die abstinere: sed oblitus somnij, ad natationem cum redijsset, submersus est. 20 M. Antonius Taurellus

Vxor Georgij Stachini medici, ex municipio Gallarate amici mei, sed qui (ut reor) parum piè uixerat, iam paucis antè diebus mortuo coniuge, relicta ex eo infante, uidit illum dicentem, uelle secum filiam. cum illa sæpius instanti pernegaßet, tandem uisus est coniux dicere: fac ut uis. puellam apud me esse uolo. atq; intra decem dies incerta causa puella obijt. 21 uxor Georgij Stachini

Signifer quidam notus per quietem uidit, se magnis cruciatibus cum socijs ac ducibus torqueri. id cum narraßet manè illis, ab eis irrisus est. Eodem manè inuitati omnes sunt ad conuiuium à præfecto Petro quodam Hispano. adiere omnes, præter hunc, qui clàm ducibus dilapsus est. à prandio omnes cõiecti sunt in carcerem. ubi disquisitione habita per tormenta, Duces ipsi latronum, unusq; è priuatis militibus, publicè lacerati sunt: reliqua turba spoliata ac dimißa est. 22 Signifer

Herodi Antipatri filio, cum Phasellum fratrem de insidijs suspectum haberet, per somnum monitus est, illum perijsse. quod et uerum fuit. occisus enim est ab Antigono, die quæ somnium illud præceßerat. 23 Herodes

Nicocles, cum ei duos filios Aristotimus Eliensium tyrannus occidißet, uidit per quietem, illorum alterum dicentem, ne somno operam daret: futurũ enim ut sequenti die princeps ciuitatis efficeretur. quaspe incitatus surrexit. et adortus tyrannum, eum occidit. quo beneficio, à ciuibus princeps constitutus est ciuitatis. 24 Nicocles

Thomas Sarzanus, cum ob mortem Cardinalis sanctæ crucis mœreret. per somnum uidit cardinalis animam, quæ illum consolata est dicens, sibi bene esse. adiecit et, breui illum Pontificem futurum. Paulò pòst in Episcopum Bononiæ electus, ac missus in Germaniam pro legato: dum Mediolano transit, Frãcisco Philelpho somnium enarrauit. Et paulò pòst Pontifex creatus, Nicolai Quinti nomen assumpsit. Thomas Sarzanus Nicolaus quintus

Augustinus, cui etiam præter sanctitatem, plena fides adhiberi potest, duo narrat inter reliqua somnia admiranda. Primum, quod cum 26 Augustinus

quidam mortuo nuper patre uexaretur, tanquam de pecunia quam pater illi ex chirographo debuisset, dum mœstus niueret, ex hac causa nocte quadã umbram patris uidit, quæ illum admonuit de persoluta pecunia, & ubi chirographum esset repositum. Cum surrexisset, inuenit chirographum loco eo quem umbra paterna docuerat, liberatusq; est ab iniusto petitore.

27 Alterum adhuc magis mirum. Præstantius, uir quidam, à Philosopho petierat dubitationem quandam solui: quod ille pernegauit. Nocte sequente, tametsi uigilaret Præstantius, uidet sibi Philosophũ assistere, ac dubitationem soluere, moxq; abire. Cum die sequenti obuiam Præstantius eundem habuisset Philosophum, rogat, Cur cum pridie rogatus noluisset soluere illam quæstionem, intempesta nocte non rogatus, & uenisset ad se, & dubitationem aperuisset. Cui Philosophus: Non equidem ego aduenì, sed somnians uisus sum tibi hoc officium præstare.

28 Filius Dantis Aldigeri, mortuo patre, librum quendam illius cum quæsisset, nec inueniret, mirum in modum tristicia afficiebatur. Ei nocte quadam pater in somnis apparuit, ostendit locum in quo liber latebat. Experrectus ille, ibi quæsiuit librum, atque inuenit, ut eo auxilio ad posteros peruenerit.

29 Ante pugnam ad Philippos, Thessalo cuidam militi uisus est Iulius Cæsar per quietem dicens: Nuncia Octauio, pugnaturum illum felicius: & ut recipiat aliquid ex his secum, quæ ego dum Dictator essem, gestare solitus eram. Paruit Octauius, annulumq; recepit, quo signare epistolas Cæsar consueuerat. gestauitq; non solum ante uictoriam, sed etiam parta frequenter. Ego tamen huiusmodi somnijs qui per alienos fiunt, & fauent Principibus, non fido: pluraq; ficta spe lucri, et quæ etiam falsa deprehendantur, esse conijcio.

Catarina

30 Pridie quàm Henricus Galliæ rex eo uulnere oculi sauciaretur, Margarita eius uxor (ut referunt) per somnium uidit, marito oculum effossum. ille tamen Fati necessitate urgente, neglexit. monitum & recusantem concurrere equitẽ, non semel coegit: itaq; dum concurrit, lancea fracta, ligni frusto tenui, quod rudus quidam uocant, in oculo ictus grauiter est: paucisq; post diebus eo uulnere interijt.

31 Cælio Rhodigino annum agente uigesimumsecundum, Antonio Boldu patricio Veneto Septimum Plinij librum interpretante, cum Ectrapeli dictione torqueretur, quam tamen aliquando expositam uiderat apud autorem, sed neque illius, multo minus loci meminerat: proxima nocte per quietem uidit

&

& librum, & paginam, & paginæ partem. experrectus, inuenit ad unguem sic esse.

Caput III. De exemplis alienis in secundo & tertio genere significandi.

13. IVlius Cæsar, qui postmodum rerum potitus est, cum apud statuam Alexandri magni die ingemuisset, quasi ea ætate nihil adhuc insigne edidisset, qua Alexander imperium orbis adeptus erat: somniauit sequenti nocte, stuprū matri se intulisse. ostento confusus, rem detulit ad interpretes. qui responderunt, significari sibi mundi seu terræ imperium. terra enim omnium est parens, quā sibi subiectam uiderat. Quis dubitat, tanquam rem sibi debitam, somniū hoc ad occupandam monarchiam non parum contulisse? ut euidens sit, & ad uitanda pericula, & ad consequendam gloriam, utilem esse somniorum interpretationem. quòd si omnino nos dij sic fallere uolunt, non possumus illorum manus effugere. 1 Julius Cæsar

95. Idem nocte ea quæ cædem anteceßit, uisus sibi est inter nubes uolitare, interdum cum Ioue manus iungere. Significauit hoc ex tertio significato mortē illius. nam à morte consecratus est inter deos, habuitq; sacerdotes, ut cum Ioue manus iunxisse uideretur: ut non tam mortem, quàm successurum in regnum filium eius, etiam hoc somnium significauerit. 2 Julius Cæsar

Accia Octauij mater, cum eum utero gereret, somniauit uiscera eius ad sidera deferri, explicariq; per omnem terrarum & cœli ambitum. Viscera quidē filium, quem in uisceribus continebat, significabant, cuius potentia in terris usq; ad diuinitatis opinionem explicata est. 3 Accia

Octauius quoq; pater Augusti somniauit, ex Acciæ utero iubar exortum Solis. Ita inter homines eius ætatis facta Augusti resplenduere, ut Solis iubar in mundo. Idem, ubi Libero patri barbarico more sacrificasset, uisus est sequenti nocte uidere filium mortali specie ampliorem cum fulmine & sceptro, exuuijsq; Iouis opt. max. ac radiata corona super laureatum currum, bissenis equis eximio candore illum trahentibus. 4 Octauius

Quintus Catullus post dedicatum Capitolium, duabus continuis noctibus somniauit. Prima, Iouem opt. max. prætextatis compluribus circa aram ludentibus, unum secreuisse, atq; in eius sinum Reipub. signum, quod manu gestaret, reposuisse. In sequenti uerò, animaduertisse se in gremio Iouis Capitolini eundem puerum: quem cum detrahi iussisset, prohibitum monitu Dei, quòd ad tutelam Reipub. educaretur. ac die proximo obuium sibi habuisse eum, qui postmodum Augustus ob imperium auctum uocatus est: cumq; incognitum aliàs haberet, non sine admiratione contuitus, simillimum dixit puero de quo somniasset. 5 Q. Catulus

set. Quidam prius somnium catuli aliter exponunt, quasi Iupiter compluribus prætextatis tutorem à se poscentibus, unum ex eis demonstrasset, ad quem omnia desideria sua referrent: eiúsque osculum delibatum, digitis ad os suum retulisset. Parum hæc absunt à primo genere: quia tamen ad defensionem Reipublicæ hoc trahi poterat, ad secundum genus transtulimus.

6 Marcus Cicero Caium Cæsarem in Capitolium prosecutus, somnium pristinæ noctis familiaribus fortè enarrabat. Puerum facie liberali, demissum cœlo, catena aurea ad fores Capitolij constitisse, eiq; Iouem flagellum tradidisse: deinde repentè Augusto, qui tum puer erat, & eum auunculus adhuc plerisq; ignotum Cæsar ad sacrificandum acciuerat, affirmauit ipsum esse, cuius imago secundum quietem sibi obuersata sit.

7 Tiberius Cæsar supremo natali die somniauit, Apollinem Temenitē & amplitudinis & artis eximiæ aduectum Syracusis, ut in bibliotheca noui templi poneretur, dicentem, non posse se ab ipso dedicari. Fuit natalis illa dies: quoniam non statim, sed eo anno solum perijt.

8 Quidam Caßius nomine somniauit, se Ioui taurum immolasse: cum sequēti die Olympij Iouis statua tantum cachinnum ediderit, ut machinis labefactatis opifices diffugerint. Sic Caßius Chærea alius, qui tribunus erat, C. Caligulam Imperatorem paulo pòst interfecit.

9 Idem C. Caligula pridie quàm periret, somnio uidit, se consistere in cœlo iuxta Iouis filium: impulsumq; à Deo dextri pedis pollice, atque in terras præcipitatum. Hoc non intelliget uerè, qui non historiam nouerit perfectè. Nam Caligula solus uiuus uoluit adorari: ideò iuxta solium Iouis ea ratione, quam in secundo somnio explicauimus, uisus est esse. propulsus autem in terram, cædem, quia uiuus eo honore carere non poterat, & non referendum inter diuos, significauit.

10 Idem quoque solitus erat uidere somnia terribilia, inter quæ Pelagi imaginem secum colloquentem. quod indicabat, uitam plenam metu, molestijs, periculis, & perquam breuem. non enim Plutonem aut rem mortuam alloqui licet, nisi obierit ipse.

11 Nero, occisa matre (nam Claudius nihil uidit, quod solum crapulæ & uino ac libidini deditus esset) uidit per quietem, nauem sibi regenti extortum gubernaculum, trahiq; se ab Octauia uxore in arctißimas tenebras. Et modò penatarum formicarum multitudine oppleri, modò à simulachris gentium ad Pompeij theatrum dedicaturum circuiri, arceriq; progressu. Assurconem, quo maximè lætabatur, posteriore corporis parte in simiæ speciem transfiguratum.

40

ac tantum capite integro himnitus reddere canoros. Quinq; hæc fuere somnia: licet ob breuitatem prima duo ita coniunxerit, ut unum esse uideantur. Occisa matre, autoritas regendi imperij extorquebatur sensim, donec uiuus eo exutus sit. Secundum de Octauia multo pòst accidit, cum illam occidisset. itaque & ipsum ferro interiturum significabat: quoniam ab ea quæ ferro perierat, in tenebras duceretur, id est ad mortem. Effinguntur enim mortui in tenebris esse, quòd oculis careant.

Pennatæ formicæ, populi significabant seditionem. Verùm quod à simulachris gentium prohiberetur, cum Pompeij factio significaretur infensa Cæsarum nomini, etiam alias gentes illum deserturas declarabat: inter quas fuere Galli primi. Demum illud de asturcone in simiam mutato, milites eum deserturos significauit, solum nomine imperatorio relicto. Potuit & hoc aliud, alioq; modo significare, tertio scilicet, quòd ob ignorantiam consuetudinis illius æui intercidit.

Galba uirili toga sumpta, somniauit, Fortunam dicentem stare se ante fores 12 Galba
defessam: & nisi ocyus reciperetur, obuio cuiq; prædæ futuram. Vtq; euigilauit, aperto atrio simulachrum deæ æneum cubitali maius iuxta limen inuenit. Fatale fuit, sumpta uirili toga. Posset ad Idolum referri, sed imperij possessionem significabat. nec est ad miraculum referendum: omnis enim loco & casu quodam simulachrum illud ibidem constiterat, ex cuius occasione somnium originem duxit.

Idem, antequam interficeretur, somniauit speciem Fortunæ, quærentis fraudatum se dono destinato, minantisq; erepturam & ipsam quæ dedisset. Monile enim margaritis gemmisq; consertum, ad ornandam fortunam suam Tusculanam, secretum Veneri Capitolinæ tanquã augustiore loco positurus dedicauit. Poterat ad primum genus referri: sed quoniam statua loquitur (cædes haud denunciatur) ad secundum translatum est. 13 Galba

Vespasiano (nam neque Othoni nec Vitellio inter popinas & scorta quicquam insigne uideri potuit) in Achaia degenti, uisum est, nunciari initium felicitatis futurum, cum Neroni dens exemptus esset. Postera autem die progressus in atrium, dentem medicus, quem Neroni exemerat, ostendit. 14 Vespasianus

Nero quoq; ultimis diebus monitus est, ut thẽsam Iouis opt. max. è sacrario in domum Vespasiani, circumq; deduceret. Quasi innueret, quanquam tribus interpositis imperatoribus, futurum ut ibi culmen Imperij, id est in illorum familia conquiesceret. 15 Nero.

Præsagium autẽ annorũ Imperij cũ filijs, Vespasianus hoc somnio habuit. 16 Vespasianus
Videbatur

Videbatur enim ei statera in media uestibuli parte domus palatinæ posita, exa
mine æquo: utq; in altera Claudius & Nero starent, in altera ipse cum filijs.
Nero etenim & Claudius pariter quatuordecim annis, ac in uniuersum uigin/
tiocto: Vespasianus ipse quatuordecim annis imperium tenuit, tantumdemq;
filij.

Domitianus, illius filius, paulo antè quàm occideretur, somniauit, Mine-
uam, quàm superstitiosè colebat, excedere ex illius sacrario, negantem se ul-
trà eum tueri posse, quod exarmata esset à Ioue. Porrò Tito nec imperium de-
cernens somnium euenit, quod accipiebat hæreditariò, natu maior altero fra-
tre: nec mortis, quæ quieta fuit. Sed & inter somnia, imò euidentissima nume-
rari possunt, in Domitiano, quod nocte necem præcedente, circa medium eius,
ita exterritus sit, ut è lecto prosilierit.

Ipse idem Domitianus paulo antè quàm occideretur, somniauit, gib-
bum aureum sibi pone ceruicem enatum. quod somnium succedentis seculi
felicitatem declarauit, ob Principum qui imperarunt præstantiam.

Socratis somnium, quo præuidit diuinitatem (ut ita dicam) Platonis. obla-
tum enim olorem uidit, qui caput ad astra tollens dulce canebat, pridiè quàm
ei Platonẽ obtulerit pater. Idq; iure, quia Apollini hæc ales sacrata est, et ora
torem ac suauiloquentiam declarabat, ob dulcedinem cantus. diuinitatem ue/
rò, quòd Apollini dicatus sit, & quòd caput ad astra tolleret. Verùm non ma-
gis diuinum puto alia ratione fuisse Platonem, quàm quòd adeò gratus fuerit
in Socratem, non solum uerò magistrum, sed in condiscipulos plerosq;, quos
laboribus suis æternitati consecrauit.

Idem Socrates ea nocte, cui perendie mors iniusta illata est, uidit pulchram
mulierem, & iucundi aspectus, albis uestibus indutam, dicentem:
ὦματι κὲμ τριτάτῳ φθίμεν ἐρίβωλον ἱκοίο. id est:
Tertia hinc die Phthiam peruenies latiglebam. Carmẽ enim est, & ideò
numerorum lege alligatum. Cum uerò uinctus esset, & procul, tam breui
tempore, non poterat nisi mortuus ad Apollinem, cui sacer erat, peruenire: o-
stendit id somnium non mortem solum, sed immortalem famam, qua fungun-
tur qui ad oraculum perueniunt. Alludit & uerbo φθίμην, ad φθίσθαι, quod est
perdo, ob collisionem, φθίμενος & deficiens, moriens: & ad φθάρω corrumpo,
seu potius φθέρομαι, amphibologia hæc cõtinentur, ut dixi. Quo somnio, etiã
si uerum omnino fuit, quod haud dubiè ille narrabat, de melioris uitæ expecta
tione admonebatur.

Vlyßis admirabilius tanto, quo minus certum ob uetustatem, & Græcam
uanitatem, uisum. sæpius enim sibi uidebatur intueri simulachrum specie ele-
ganti,

ganti, atq; inter humanam & diuinam media: à quo, cum summa ui niteretur illud amplecti, responsum est humana uoce, sceleratam huiusmodi esse coniunctionem: quippe eiusdem sanguinis & originis, unum alterius opera interiturum. Percontanti, & ulterius rem per somnium requirenti, diligentiusq; inuestiganti, signo quodam è mari exorto imperante, disiungi uidebatur alter ab altero. Cum ad coniectores rem retulisset, omnes in hoc consenserunt, cauendum sibi à filio. relegauit itaque Telemachum, quem solum se habere existimabat filium, in Cephaleniam insulam, custodibus etiam additis: sed à Telegono altero filio, quem ex Circe susceperat (ideoq; diuina specie simulachrum uidebatur, quòd Circes dea esset) per imprudentiam interemptus est.

Sed neque quod Hippocrates scripsit, contemnendum uidetur. apponam autem illius uerba. Cogitans ac sollicitus de Democrito, illa ipsa nocte 22 dormiens, sub ipsius auroræ initium somnium mihi oblatum habui, ex quo puto nihil ualde periculosi fore. Mirabiliter enim expergefactus sum. Videbar mihi uidere Aesculapium ipsum coràm, & iam ad ipsas Abderitarum portas aderamus. Aesculapius autem, non ut imagines eum aliàs ostendunt, mitis ac blandus apparebat, sed habitu concitato, & aspectu horrendo. Sequebantur autem ipsum dracones reptilium generis immanes, longum tractum ducentes, & horribile quiddam uelut in desertis ac saltibus subsibilantes. Sequebantur & socij, pyxides medicamentarias probè obsignatas gestantes. Deinde porrexit mihi manum deus: quam ubi libentißi mè apprehendissem, rogabam ut simul mecum pergeret, & ne me in medendo destitueret. Verùm is: Nihil, inquit, in præsens me opus habes, sed hæc immortalium ac mortalium communis dea te peregrinum deducet. Et eò conuersus, uideo mulierem pulchram ac magnam, simpliciter ornatam, splendidam, cuius oculorum circuli puro lumine micabant, ut stellarum fulgorem putares. Et deus quidem disparuit. Mulier uerò illa apprehensum me manu, lento gradu benigniter per urbem ducebat. Et ubi propè domum essemus, in qua hospitium mihi paratum esse putabam, uelut spectrum disparuit, hoc saltem dicens: Cras te apud Democritum deprehendam. Cum uerò iam se illa conuerteret: Rogo, inquam, optima fœmina, quæ nam es, & quo nomine uocari debes? Veritas, inquit illa. Cæterùm quam accedentem uides (& derepentè altera quædam mihi apparuit) neque ipsa mala uidetur: audacior autem aspectu, & concitatior, Opinio, inquit, appellatur, & habitat apud Abderitas. Ego igitur ubi de somno surrexissem, mihi ipsi somnium interpretatus sum, quòd non indige-

» ret medico democritus, quando sanè ipse medendi deus disceßisset, uelut
» qui medendi occasionem & materiam non haberet. Sed ipsa quidem ueritas,
» quòd Democritus sanus sit, apud Democritum manet: Opinio uerò,
» quòd Democritus ægrotet, reuera apud Abderitas habitat. Atque
» hæc uera esse, mi Philopœmen, credo: & sunt sanè. Et non contemno som-
» nia, maximè ubi etiam ordinem conseruant. Ea uerò ita esse, experimento de-
prehensum est.

Philistus
Mater Dionysij
Satyriscū peperisse.
Galleotę

23 Philistus, uir doctus & diligens, & Dionysij maioris ætate florens, scribit, matrem ipsam Dionysij, dum illum in utero haberet, somniasse, se Satyriscum peperisse. Quod cum ad Galleotas somniorum in Sicilia interpretes illa detulisset, responderunt, eum quem paritura foret, clarißimum Græciæ futurum, diuturna cum fortuna. Est enim Satyrus humana forma, & omnibus admirabilis. Sed si adiecissent (quod puto adiecisse illos, sed tyranni metu suppressum) futurum scelestum tyrannum, à moribus satyrisci: iam artis dignitati consultum esset. Inde illud ex Galeno, in libro Quòd animal sit quod in utero continetur, adscribamus. Mulieres, dum utero ferunt infantes, uidere per quietem sæpius illorum Fortunam, Cypselimq; & Periclem ex utero cœpisse esse formidabiles Græciæ. Ita uidetur purißimus tunc animus, è cœlo delapsus nuper, præuidere, atq; parentibus futura ostendere.

Mulieres utero gestantes.
Cypselis
Pericles

Phalaris
Mercurij statuā sāguinē fundere.

24 Phalaridis mater in somnis uidit simulachra deorum, quæ ipsa in domo cōsecrarat, atq; in his Mercurij statuam in terram ex patera sanguinem fundere. qui cum terram attigisset, sic referuescere uidebatur, ut tota domus sanguine redundaret. Quid hoc aliud, quàm illius crudelitatem, ob sanguinem efferuescentem, & tyrannidem? quoniam id ex significatione simulachri Mercurij ortum haberet.

Cyrus
Solē ī terra lucētē conari manib; apprehendere. 27

25 Cyrus cum per somnum uideret Solem in terra lucentem, conatus est manibus eum apprehendere: sed ille elapsus est. hoc autem cum ter tentasset frustra, responderunt magi, triginta annis regnaturum. Sol quidem regem ostendit: uerùm si triennio regnum decreuisset, non erat cur hoc uideret. neq; enim insignis rex, & quasi unus, quemadmodum Sol est, tam breui spacio euadere potuisset. Ceßit experimento. quadragesimo enim ætatis anno regnare cœpit, septuagesimo perijt.

Annibal

26 Annibal cum Saguntum cœpisset, uisus est in somnijs à Ioue in deorum concilium uocari. quò cum uenisset, Iouem imperasse ut Italiæ bellum inferret. ducémque ei unum ex concilio datum: quo illum utentem, cum exercitu progredi cœpisse. tum ei ducem illum præcepisse, ne respiceret, illum autem

id

id diutius facere non potuisse, elatumq; cupiditate respexisse, tum uisam belluam uastam & immanem, circumplicatam serpentibus, quacunque incederet, omnia arbusta, uirgulta, tecta peruertere. & eum admiratum quæsisse de deo, Quidnam illud esset, tale monstrum? & deum respondisse, uastitatem esse Italiæ: præcepisseq;, ut pergeret protinus: quid retro atq; à tergo fieret, ne laboraret.

M. Cicero cum exularet in uilla quadam campi Atinatis, noctis magnam partem uigilauerat: demum sub luce arctè & grauiter dormitare cœpit. Et quanquam iter instaret, iusserat silentium fieri, nec uoluit ut excitaretur. Cum autem hora secunda diei ferè esset, experrectus somnium narrauisse huiusmodi. Visus est sibi, cum in locis mœstis solus maneret, C. Marium cum fascibus Laureatis quæsisse ex illo, quid tristis esset? tum Ciceronem respondisse, quòd ui pulsus esset ex sua patria. tum Marium dextram illius prehendisse, bonóque animo cum esse iussisset, lictori tradidisse, ut eum in suum monumentum deduceret: adiecisseq;, in eo Ciceronis salutem futuram. Tum ubi à somnio experrectus est, exclamauit Cicero: Reditus mihi celer & glorioſus paratus est, multumq; eo somnio delector. nec fefellit uel ungue somnium: siquidem paucis post mensibus Senatusconsultum in æde cui titulus erat Monumentum Marij, factum est, quo reuocaretur domum Cicero, omnibus quæ sublata erant liberaliter & ex abundanti restitutis. Nam & rectè Marius cum fascibus, qui post exilium factus est consul, redijtq; in patriam glorioſus, & monumentum illud cum mortem non decerneret, quod non ex eius familia esset Cicero, & intra Vrbem ad fortuitam sepulturam Ciceronis referri non posset, ædem significauit illius. Vnde Cicero, suo more de seipso pluſquam decuit semper magnificè sentiens, dicit, hoc somnio nihil potuisse esse diuinius.

Q. Cicero eodem tempore in Asia cum esset, præesseq; prouinciæ, uidit per quietem M. Ciceronem fratrem equo ad ripam fluminis magni deuectum, delapsumq; in illud nusquam comparuisse: tum uerò Q. ut par erat, contremuisse. Sed paulo pòst ex altera fluminis parte M. uidet lætum exire. inde mutuo complexu sibi inuicem gratulabantur. Consultis à somno interpretibus, quanquam significato satis perspicuo, responsum est de omnibus perinde ac euenerunt. Flumen enim concionem inimicam populi à quo damnatus est, & obrutus, significabat, sed emersit, paulum differens ab idolo significati specie, restitutus omnibus bonis quæ illi perierant.

Augustino Lauizario Comensi amico meo contigit, ut uideret se in tem/

pestuoso mari in nauicula solum esse. Erant uenti turbines, & aer obscurus adeò, ut fermè de salute desperaret. applicuit arbori, pendebat'que ab illa: sed sublata nauicula, nihil plus spei supererat. Interrogauit me, quid somnium significaret? Respondi, quòd semper anxius esset uicturus, nec unquam uoti compos fieret. Sed plus aliquid significabat, scilicet mutaturum uitæ genus, & ex una molestia magis præsenti in desperationem casurum. Vixit autem plusquam uiginti annis, sed pluribus molestijs oppressus.

30 Pater meus Facius Cardanus, anno salutis M. CCCCLVI. sæuiente peste Mediolani, nocte quadam per quietem uidit (angelum uocant) Genium è cœlo descendentem, cœruleo colore indutum, grandibus passibus. non enim illi erant alæ. itaque imaginabatur pater per somnum, interitum portendi illi quem Genius is uocaret. propterea in speluncam proximam se abdidit, foliáque arborum superinduxit, adeò ut latitaret. interim ille cum descendisset, patrem meum uocauit nomine. pater latuit, nec respondit. tum Genius, ubi ter uocasset, dixit: Venire non uult. abijt'que. Expergefactus à somno, existimauit grande sibi imminere ea die periculum. quamobrem iussit ianuam domus claue claudi, nec quenquam omnino eo inscio admitti: sed tamen ancillæ clauem reliquit. Illa, dum pater intentè studeret, præcepti immemor, Ioannem Scorpionum Fabrum in domum admisit. is superueniens patri inopinanti, afflauit eum pestifero contagio: aufugerat enim clam per tegulas è domo, in qua undecim eo morbo perierant. Sed pater quodam medicamento, quod aduersus pestem paratum habemus, munitus euasit: quod, specu illo latère potuisse, in somnio significatum est. Nec scio, an somnium magis salutis quàm periculi causa dici debeat.

31 Matri meæ Claræ Micheriæ, anno M.D.I. Decembri mense (tum ego trimestris erã) ex priore coniuge Antonio Albero duo supererant filij, Thomas ætatis annorum tredecim, Catelina nouem, quatuor alij obierant: nocte quadam uidet pulpitum deductum ex altera in alteram cœli partem, B.q; Mariam uirginem per pulpitum transire, quatuor filios antè ducentem, qui iam mortui erant, duos qui supererant eam sequi. euigilata, interpretabatur filios qui supererant, obituros breui. Sed ea nocte, cum eos interrogaret, in morbum incidisse comperit, ex quo ambo intra octo dies absumpti sunt. sæuiebat enim pestis in ciuitate.

32 Rinaldus Villanoua medicus refert, quendam uidisse sæpius per quietem,

tem, felem nigrum minimum digitum mordentem. is intra paucos dies eo in digito correptus est carcinomate, ex quo interijt.

Referunt Laodicen somniasse, se ex Apolline concepisse, donoq; annulum cum anchoræ effigie ab illo accepisse. dumq; hoc Seleuco coniugi Assyriæ regi refert, huiusmodi annulum in lecto inuenere: & inde cognitum, eam cõcepisse ex ea nocte. Nato infanti, in coxa rursus anchoræ uestigium apparuit. Sed & qui descenderunt ex eo, simile signum simili in loco habuerunt. res miraculo quàm somnio propior. 33

Augustum referunt somnio monitum, certa die singulo anno stipem emendicare solitum. altero, quòd queri uisus esset Iupiter, abduci cultores, tintinabula in æde Iouis Tonantis adiecit. Non rectè intellecto somnio utroq; nam mendicum orbi imperaturum prædixerat, & abducendos quasi clam cultores à Christo Deo & domino, significabatur. 34

Seuero Afro, qui regnauit feliciter, & extrema senecta mortuus est, Imperium Romanum tribus somnijs declaratum est. uno, cum fugeret lupam: nam Romulus, qui primus Romæ regnauit, lupam fuxisse fertur. Inde cum uidisset equum excußisse Pertinacem, seq; illi phaleratum exhibere ut ascenderet: in quem ille uno saltu cum ascendisset, quaq; ueheretur excipi à populo magno plausu, iudicabat, locum Pertinacis occupaturum. quod & euenit: unde statuam cum huiusmodi somnio ex ære dedicauit. Antea quoq; uiderat sibi in gemmato curru ad cœlum quatuor ab aquilis uehi, præeunte humana forma, sed longè augustiore: audiuitq; proferri octuaginta nouem annos. inde in cœlo diu iacuit in æneo circulo. cumq; cadere uereretur, à Ioue accersitus, inter duos Antoninos est collocatus. Vehi ad cœlum, imperium est parare: Imperatores enim pro dijs colebantur. Vi illud nam aquilæ uexilla significabant militaria. Forma quæ præibat, fortuna, supra humanũ fastigiũ: nam et præter imperiũ adeptum, antea inuictos Persas Parthosq; superauit. Octuaginta anni, de quibus audiuit, spacium uitæ: tantum enim uixit. Circulus æneus in quo diu iacuit, crudelitatem declarabat, qua penè ab imperio deiectus, aut saltem non in bonorum aut imperatorum numero habitus est. Collocatum inter duos Antoninos, si modò hoc uidit, casus, quo urna sua inter illorum urnas posita est, longo pòst tempore impleuit: aut ob succedentium imperãtium socordiam et improbitatem, ut ille inter optimos Imperatores numeraretur. 35

Cinna, Cæsaris Dictatoris amicus, eo interfecto somniauit, se à Cæsare ad cœnam inuitatum, relegatumq; ab eodem in uastum, inanem & obscurum locum. quo somnio territus, cum etiam febre laboraret, decreuit non exire domum. uerùm dum funeris pompa ducitur, immemor propositi, prodit in publicum, 36

blicum.plebs similitudine nominis ducta, quod Innalius inter coniuratos nominaretur,hunc innocentem occidit.

37 C.Fannius scripserat tres libros aduersus uitam Neronis.is uisus est in lectulo recumbere uestitus,ac (ut sæpe solebat) studenti similis. aduentasseq; Neronem,ac libros è scrinio sustulisse.diligenterq; primum, inde secundum ac tertium reuoluisse: inde nullo dicto uerbo,sed clauso opere abijsse: intellexit Fannius,cum decreuissetetiam alios his adijcere,finem & operis & uitæ factum esse.atq; ita paulò pòst obijt.

38 Sylla Dictator uiso per somnum dæmone, à quo se uocari audiuit, statim, etsi ualeret,conuocatis amicis,manè scripsit quãta potuit celeritate testamenti tabulas,atq; obsignauit:præfatus,instare mortem.Sequẽti nocte eum febris corripuit,ex qua paucis diebus perijt.Sunt tamen qui dicant,morbo pediculari consumptum.Valer.Maxim.qui & somnium narrat,alibi refert, ex nimia ira cum municipe,sanguine reiecto obijsse.

39 Hippocho Pisistrati filio, Athenarum tyranno, quidã uisus est dicere per somnium:

Intoleranda Leo tolerans,tolerans animo ægro,
Nemo uiris pœnas iniustis iure rependet.

Instabat Panathæneorum festum urbis celebre,quo uoluit ad interpretem mittere.inde neglexit,& pompam emisit,in qua ab Harmodio & Aristogitone occisus est.Idem antea paucis diebus uisus est à Venere sanguine,quem in phiala habebat,aspergi.nam Harmodius & Aristogiton coniurati, unus alterum in delicijs habuit.

40 Pausanias Laconum rex,cum Cleonicen ui constuprasset, inde ad illum reuertentem puellam,suspicatus dolum, etiam perperam occidisset,uidebat eam per quietem assiduè dicentem:

Adsis iudicio,mala res iniuria ualde est.

Cumq; ob tædium Heracleam nauigasset,ad animarum expiationem: audiuit rursus phasma desiturum,cum in patriam redijsset.redijt itaq;,statimq; obijt. sicq; phasma cessit.

41 Adrianus cum somniasset,potum soporiferũ à patre accepisse: paulò pòst obijt.Sopor enim mors est.ut Diogenes,cum quærerent quid ageret? dormierat enim.respondit,frater sororem inuisit,pater autem Deus.

42 Themistocles cum apud Persas moraretur,exul à domo,sed ibi quatuor urbium dominus,uidit meridiano somnio,Deorũ matrẽ illi dicentem:Vita caput leonis,ne ipse in leonem incurras,atq; ob id mihi filiam tuã Imosiptolemam consecrabis.Experrectus, cum destinasset ad leonis urbẽ se conferre,uia quæ 130

diceba-

dicebatur Leophoron, destitit à proposito. unde paulò pòst detectæ sunt insidiæ, eũ ibi expectantis Epixies, superioris Phrygiæ præfecti: qui & ob id comprehensus, pœnas dedit infecti facinoris. I nunc, et aggredere huiusmodi homines: cõstabat uitandum periculum, præmium reposcente dæmone.

Cum quidam susciperet lauream desperasset ob imperitiã, frater illius somniauit, se annulum paternum amisisse. cumq; diu quæsisset, tandem in spelũca inuenisse, longoq; baculo illum exemisse. Cum mihi somnium narrasset, respondi, fratrem suum haud dubiè lauream consecuturum, auxilio uiri proceræ staturæ. quod cũ ad unguẽ confirmasset euentus, pro re prodigio simili habita est.

Amicus alius noster, & ipse satis imperitus, susceptur us laureã, & ob imperitiam totus perterritus & tremẽs, nocte quæ certamen anteceßit, uisus est cum socijs per sata ambulare cum canibus, ad uenandum. interim aduenere latrones, qui socios omnes præter unũ, qui amicus illis uidebatur, cœperunt, ipsum uerò somniantem inter segetes latitantem non uiderunt, quamuis à proprijs canibus detegi formidaret. Venit ad me anxius manè. respõdi, bono eum debere esse animo. Latrones, esse errandi pericula: canes uenatici à quibus detegi timebat, argumenta atq; examen. amicus ille latronum ego eram, intrepidus aduersus errores: seges in qua latitabat, res memoriæ commendatæ. Atq; iuxta expositionem magna ipsius admiratione euasit.

Cum aliquando sacerdotem curarem, isq; penè sanitati restitutus esset, uidit pompã sacerdotũ duci, atq; inter primos esse: erat enim inter suos primarius. Porrò pompæ dux erat Pontifex, qui proximis annis diẽ obierat: cũ uerò Pontifex ille nõ ueniret, somnians qui uexillum ferebat, pœnitentia ductus, ipsum alteri tradidit inclinante iam Sole, atq; discessit. Vbi hoc narrasset, mihi dixi nõ obscurum esse somniũ. Pompa illa mortis erat, cuius dux eiusdem erat ordinis, & mortuus. Cum ille uexillum reddidisset, & abijsset, pœnituisse (ut ita dicam) mori: alterum qui uexillum susceperat, ex eodem ordine breui moriturũ, qui eiusdem esset patriæ & dignitatis. atq; ad unguẽ ita euenit. qui enim locum eius obtinuerat, præcedenti anno cum esset sanus, in quinquaginta diebus obijt: & ipse inter sacerdotes è primarijs, & eiusdem patriæ.

Alexander magnus cum Tyrum Phœniciæ urbem iam diu obsideret, uidit per quietem, Herculem, quem diu aduocauerat, è mœnibus urbis manum porrigentem, atq; intra urbem trahentem cum. Paucis pòst diebus rursus uidit Satyrũ propè applaudentẽ, & iocabundũ: sed eũ uellet capere, resiliebat, frustrabaturq; eũ. tandem cũ diu delusisset eũ, exoratus in eius manus uenit. Sequenti die cum uates consuluissent, respondit, haud dubiè obsessa urbe potiturum.

Nam

34 annulũ paternũ amissse

44 abulauit & sata cũ canibus

Latrones canes uenatici

Seges

45 pompã funebrẽ duxit mortuus atq; ita mortuus

46 Alexander Magnus. Hercules e moenibus manũ porrigit atq; intra urbẽ trahit.

Satyrus

Nam Sa ault dicere tua, & Tyrus nomen urbis: quare Satyrus, tua Tyrus.
Plures etiam principum Tyriorum per somnum uiderunt Apollinem, quem summa in ueneratione habebat urbs, dicentẽ, se uelle ad Alexandrum ire, quòd ciuitatis mores illi displicerent. Vnde eius statuam cathenis & clauis aureis basi uinxerunt, illum appellantes Apollinem Alexandrinum transfugam. Ostentare adhuc post quingentos annos ferebantur Tyrij fontem, apud quem Alexander somnium Satyri uidit. Itaq; capta est urbs, & euersa.

47 Varoniano (de quo suprà egimus) cum uisum esset, Iouinianum imperatorem, se autem consulem factum: idq; duobus amicis iam communicasset: mortuo Iuliano, qui tum imperabat, Iouinianus quidem in imperium succeßit: ipse uerò cum se consulem fieri speraret, repentè extinctus est: factus autem cõsul Varonianus, ex Iouiniano illius nepos, illususq; nominis est similitudine. 233.

48 Iustus Romanus in Piceno uidit, purpuram è genitalibus suis oriri. intellexit Constantius, qui tum imperabat, & somnium, & somnij interpretationẽ: purpura enim gestamen erat imperatorum peculiare. qua de causa, ne obesse posset, illum sustulit. Superfuit Iustina puella, pudicitia & forma insigni, quam uisam in balneo Seuera Augusta ita collaudauit coram Valẽtiniano iuniore, ut eam (lata lege, ut imperatoribus duas liceret uxores ducere) Seueræ superinduxerit cõiugem. ita amicta est purpurea ueste, iuxta somnij fidem.

49 Rustica mulier narrabat uxori pastoris regij, uisum per somnium se peperisse lunam, quæ totam Britanniam illustrabat. pepererat autem puellam, quã uxor regij pastoris, quæ filium regis lactauerat, apud se recepit, & educauit. huius amore captus filius regis, cum adoleuisset, duxit uxorem: ex quibus natus est Echelstanus, regum Britannorum uirtute & fortuna illustrißimus. Somnium non tam egregiæ fortunæ nuncium, quàm dux & adhortator ac fautor.

50 Ecelinus Romanus patricius uxorem duxit Adaledam, ex comitum Rabidorum Montanorum familia. Prima nocte uisus est collem, in quo Romanum oppidum sitũ erat, ad cœlũ usq; exurgere atq; attolli: inde liquescere, & (ut nix solet) prorsus in nihilum redigi. Quod somnium par fortuna filiorum secuta est. nam Ecelinus prænomine patris natu maior, ex modica fortuna parentum adeptus est Veronam, Vincentiam, Patauiũ, Feltriũ, Ciuidalem, Marchiæq; Taruisinæ regionem. Albericus iunior frater Taruisiũ ipsum, multaq; alia loca occupat. Verùm aliquot pòst annis Ecelinus amisso regno, uulneratus & captus, iuxta Soncinum obijt: & Albericus amisso Taruisio, in arcem B. Zenonis se recepit. ubi à suis proditus, sex filios coram se occidi uidit: uxorem margaritam cum duabus puellis comburi: ipse per uaria tormentorum

genera

genera excarnificatus infestum spiritum reddidit. atq; ita tota stirps, ut pater præuiderat, cum potentia extincta est.

Xenophonti, cum in exercitu esset Græcorum, eiq; cum omnibus ob im- 51
probitatem perfidiamq; barbarorum maximũ uitæ periculum immineret, leuiter dormienti, uisum est paternam domum cum tonitru è cœlo tactam, omniq; ex parte totã subitò corruscare. E priuato igitur statu dux belli inter alios electus est: demũ etiã solus, et per multa pericula atq; labores, incolumẽ domũ deduxit exercitũ. Ditatus præterea senectutẽ duxit lætam, et diues: sed pro exule habitus est. Tonitru quidem significabat multas uerbosas altercationes, nomenq; magnum longius à patria clarum, pericula quoque & mutationem status. Fulgur autem, illustria facta, & iram Reipubl. Athenienſis, qua damnatus est in exilium, nec non pericula à regibus. Sed domum totam coruscasse lumine, est, factis egregijs notum fieri omnibus, familiamq; suam claram reddere.

Venit quidam ad Hyburim Hebneum interpretem somniorũ, et dixit: Somniaui quod haberem grana hordei in manu, & inieci ea in os, & deuoraui. cui interpres dixit: Bene sit tibi. Cum uerò abijsset, interrogauit circumstantes, an aliquis illum cognosceret. respondit unus eorum: Ego noui, & scio ubi habitet. Dixit ergo interpres: Obseruate illum, quia breui morietur: consumpsit enim suum alimentum. Itaque mortuus est ille intra quatuor dies. Solent enim homines, cum absumpserint omnia alimenta, etiam uesci granis duris. et hoc, quia illi hordeum erat pro pane conficiendo. Apud nos autem hoc esset uerum de tritico, non hordeo: sed solum hoc significaret morbum. Graua enim huiusmodi cruda si edantur, iuxta Hippocratem in libro de ueteri medicina, morbos longos procreare solent. 52

Cimoni Miltiadis filio expeditionem in Aegyptios paranti, uisa est canis adlatrare, & inter latrandum hoc protulisse carmen: 53

I, mihi, teq; meis catulis facturus amicum.

Asciphilus Poßidonius mortem illi ex hoc interpretatus est. nam canis hostis est. uox media inter latrandum, regem Medorũ, qui imperium Græcis & Barbaris mistum habebat. amicum illi fieri, erat mori: nulla enim re magis hosti gratificari possumus, quàm propria nostri ipsius morte, si inciderit. Cum igitur suis catulis, id est Aegyptijs facturus esset, ac sibi amicum, mori in Aegypto (ut contigit) illum oportuit. At si clarior, & non adeò abstrusus fuisset sensus, ab itinere se continuisset, nec perijsset.

Procuratori collegij medicorum, de quo in somnijs meis infrà mentionem habebo, quoties somniaret se uidere matrem mœstam, sequenti die ægrotabat. 54 Somnio 37

Idq; iure merito: nam filius cum sit charissimus matri, illius mœror significat filio calamitatem, non adeò patri: nam patres non solent mœrere pro morbis filiorum, nisi lethales sint. cõstantes enim animo magis sunt uiri mulieribus. Erat autem alioquin natura morbosus, sed hoc somniũ multis annis perseuerauit.

55 Quidam cum uidisset sibi membrum tensum, & in apice paruum foramen, quæsiuit à me quid significaret. Respondi, dedecus. nam tendi uirgam, significat dignitatem: foramen autem in dignitate, dedecus. Eadem die incidit in magnas contentiones, adeò ut se spoliandum dignitate existimaret, & præter spem euasit.

56 Quidam eques, ut Matthæus Ferrarius Gradi narrat, quoties edere se somniaret, die sequenti sentiebat calculi dolores. Et si res duræ concoctionis uideretur edere, in multos dies dolor ille extendebatur. Et meritò: degustare enim dicimus dolores pariter ac cibos.

57 Vidi hominem, qui quoties lucrari deberet, nocte præcedente somniabat se edere uuas albas. nam albæ uuæ uberem fructum laboris & facilem portendunt, nigræ exiguum & cum tædio. & huiusmodi consuetudo durauit fermè duodecim annis, inde euanuit.

58 Senecæ referunt, qua nocte ei datus est Nero ad erudiendum, uisum esse, se Caligulæ præcipere. Itaq; Nero sæuitia uisus est auunculum Caligulam imitari: quanquam longè melior fuerit. Diuturnitate enim imperij dici potuit funera tot Romæ intulisse, quot ille, licet non adeò crudeli exitio.

59 Dominico Confalonerio, è Candiæ oppido sacerdoti, seni nunc, sed olim contigit, dum adhuc iuuenis esset, ut uideret domum suam corruere. Is autem inspexit Salomonis librum de Somnijs, intellexitq; mortem prænunciari suam, uel alicuius è principalioribus domus. paulò pòst aduenerunt literæ, quibus monebatur, ut fratrem languentem inuiseret: dumq; se accingit itineri, nũcius aduenit, illum mortuum esse admonens. supputãti horas, eadem hora qua somnium uidit, mortuum esse fratrem animaduertit. Quibus exemplis dignoscere possumus, esse id potius præsentientis potentiæ uim, quàm passionem ab aliena anima quæ discedit.

60 Valentiniano imperatori pridie quàm obiret, cum tamen nondum ægrotaret (repentina enim morte absumptus est) apparuit uxor eius pulla ueste induta, capillis expassis procul astans: quæ indicabat, fortunam priorem cum luctu illum deseruisse.

61 Polycrates Samius tyrannus, felicissimus cum esset, filia eius per somnium aliquando uidit, parentem in sublimi pendentem, quem Iupiter lauabat, Sol uerò

uerò ungebat. paulò post uictus est ab Orete, atq; cruci affixus. itaq; contigit ut à pluuia lauaretur, & à Sole ungeretur: liquefacta enim pinguedine, unctus uidebatur. Huiusmodi autem somniorum antiquissimorum unum hoc tantum posui exemplum, quòd parum illis habeam fidei.

62 Ptolemæus Cerauni, qui Seleucum Macedonem interfecerat, uide/runt eum rapi in iudicium à uulturibus, lupisq; iudicantibus damnatum, & carnes eius distribui passim. itaq; euenit, ut paulò pòst uictus à Galatis, atq; occisus sit: eiusq; cadauer discerptum sit à uulturibus ac lupis, propter hostium sæuitiam.

63 Diogeni nauclero uisum est, proram sibi perdidisse, et proreta ipsius mortuus est. Alij contrà in Mileto uisum est, proretam efferre ac sepelire, & nauis proram perdidit. atq; id est exemplum mutui significati, de quo superius egimus.

64 Alexandro philosopho uisum est, quòd morti esset adiudicatus. & excusationibus prætentis, uix à cruce liberatus est. Cumq; nil tale metueret, ut qui solum philosophiæ studijs incumberet, sequenti die cum Cynico alio philosopho in contentionem uenit: fustéq; percussus in capite, uix mortem euasit.

65 Diognostæ uxori cum uideretur sibi barbam dimidiam habere, à coniuge separata uixit. nam si plenam habuisset barbam, uidua facta esset. Nec obstat dimidij somnij ratio, qua uanum promissum decernitur: ut in Cilice hæreditatem sperante. nam dimidium somnium aliud est, & imperfectum, à somnio de medietate rei, quæ tamen perfectum somnium reddit.

Caput IIII. De exemplis propriis.

1 ANNO M.D.LXI. uisum est mihi in nocte quæ Maij Calendas præcessit, uocari ut Bonromeum Cardinalem Romã euntem comitari uellem: sed iam tum non uidebatur Cardinalis. uisus est Antistes Aricimboldus, qui olim Academiæ præerat, mortuusq; erat, ut liceret petenti concessisse. uidebatur autem dies Iouis, quæ palmarũ festum præcedit. idq; mecũ dicebam: Solum unius lectionis iacturã facturus sum. Itaq; cõstãter ire secũ decreuerã. Experrectus iã, orto Sole iterũ somno correptus sum. incidi in idem uisum. Sed cũ illũ domi expectarẽ, nec ueniret hora iam tarda, existimabã abijsse sine me. cũ ignotus, nũc uerò mihi notus: Non par est, inquit, ut ille ad te ueniat, sed ut tu ad illũ. expectari puto te. tum ego: Vera refers. accingebar itaq; ut adirẽ. interim uidebatur Cardinalis, ut est, esse, comitatumq; ducere centũ et quinquaginta hominũ. dicebam ergo mecum, Non unà esse poterimus in caupona. Sed tamẽ permãsi in proposito, ut irẽ. Tedebat aũt, quòd pluere uideretur. dixi itaq; : Ocreas emere

oportet, nullas enim habebam, & uerè. Sed pigebat emere: & uidebar uix posse inuenire aptas mihi. deinde id cogitabã, quòd nõ rectè impetrassem discedendi ueniam: sed quòd à Præside oporteret impetrare. demum, quòd si empturus essem ocreas. uerisimile nõ esset illum interim non discessurũ. Multis ergo rationibus perturbatus, & impensæ ratione habita, & periculi, ne non excideremà profitendi munere, manere proposui. sicq; somno solutus sum. Intra duos dies uenere è Roma epistolæ, quibus admonebar, Cardinalem Bonromeũ à Pontifice Bononiæ Legatum agere, ut ab ea repub. aduocarer ad profitendũ. Ignotus ille, Franciscus Alciatus erat, iuriscõsultus, uir omni laude dignus, qui causæ huic fauebat. Sed somnium declarabat, pòst magnam spem irritã omnino fòre. Eaq; oĩa ad unguẽ mirabili successu euenere. Hoc solũ superest, quòd non uideo quomodo irritũ posit esse negociũ, quod iam publica fide coaluit.

2 Cum essem in Saccensi oppido, anno M. D. XXVIII. somniaui me laborare uomica pectoris, cũ recmone. nihil minus timebã. Sequẽti anno redij in patriã, ubi ex laboribus, sudore, fatigatione, pluuiæ casu, tristicia, uigilijs, incidi in tussim, & empyema ex putrida pituita cum recmone. & per nouem menses ita laboraui, ut prorsus de salute desperarẽ. nõ tamen fuit uomica.

3 Reditum in patriam, in cogitationem, & quoniam mihi pulchrè nota esset, quisq; referre potest: sed quod Saccense oppidum & Gallareatũ multo antea uiderim, quàm eò ad artem exercendam me conferrem, dum quiescerem, quasi pro miraculo mihi habendum uidetur. sed & exitum eorum ingressuum satis apertè ex somnijs conieci.

4 Anno M. D. XXXVII. Die secunda octobris, hora secunda ante Solis exortum, uidi Prosperum Marinonũ, qui amicus mihi fuerat singularis, obieratq; præcedenti anno, hilarem, et cum purpureo pallio. Eum appropinquantẽ & cupientẽ exosculari me, interrogaui, an sciret se mortuum esse? cum affirmasset, admisi ad osculum. atq; ita ille me in ore osculatus est. Interrogaui, an meminisset qui fuerit? respondit, meminisse. An dolor est in morte? aio. dum peracta est, nondum moritur, respondit: ita ut de cruciatu animæ id interpretarer. Qualis? ut in acuta febre. An uiuere uellet? dixi. Nequaquã, respondit ille. Ergo mors somno simillima? Non, dixit. Conantem amplius discere, pluraq; interrogare uolentem, destituit, tristemq; reliquit. Prosper Marinonus, Papiæ urbem significabat: erat enim eius ciuis. Mortuus, uitæ mutationem. Amicus, & osculum, honorẽ, utilitatẽ, uoluptatẽ, atque ita legendi munus quod post annos septem adeptus sum. Interrogationes, de omittendo munere cogitationem declarabant. Discessus me inuito, aliquando eo munere caritarum.

5 Anno M. D. XXXIX. V. Calendas Februarias, cum non posse̅m cooptari in colle/

collegium medicorum, causaq; esset iam iugulata: uidi per quietem, dum illucesceret, Alexandrum magnum in uenatione sine armis uolentem Leonem occidere. prohibebat Ephestion. tandem in hoc consenserunt, ut Alexander conficeret leonem, sed clauam haberet Ephestion. statim autem superuenit ingentis magnitudinis leo, cuius os Alexander apprehensum, in diuersa conuellere nitebatur. uisusq; est primum profeciisse: sed paulo pòst leo compressis mandibulis, Alexandri manus interceperat. quod Ephestion animaduertēs, illisa leonis capiti claua, prosterni eum uno ictu contigit, atq; Alexandrum liberari. Significauit Alexander, de causa agi quæ iam diu perijsse uidebatur. idem principis Istonij autoritatem, aut Sfondrati Senatoris. Ephestionem existimo Lucam fuisse Cruceium, medicum, amicum Sfondrati. Mirum autē est, unde mihi hoc somnium obuenerit, qui nec imaginem Alexandri, nec Ephestionis unquam antea uidissem. Profuit hoc somnium non mediocriter, ad consequēdam uictoriam causæ, quam profligatam existimaueram.

Omissis tribus illis fatalibus somnijs, quæ in libro De Libris proprijs de- 6
scripsi, tum etiam De utilitate capienda ex aduersis, scilicet de aditu in cœlum & paradisum terrestrem, ascensuq; in collem uitiferum, reliqua hic subijciam insigniora. inter quæ illud uisum anno M.D.xxxviij. die v. Martij, cum stellam ardentem è cœlo in cortem meam decidisse, per quietem uiderem, quæ statim extincta est. Gratiam hoc declarabat principis, sed parum duraturam. Contigit autem ut mense Septembris inirem amicitam Principis Istonij: sed & extincta est non multo pòst, ut somnium declarabat. Dicebam autem dum somniarem, hoc mihi somnium impendentem mortem denūciare. ita soluta amicitia, magna autoritatis meæ iactura facta est.

Eodem anno uidi xvij. Calendas Decembris, cœlum stellatum: sed uidebatur deesse Mercurius. hunc paulo pòst uidi maximè splendentem inter multas alias stellas, longè maiores, sed nullo ordine positas. Deinde à sinistra uidi stellas circiter quindecim, certè non pauciores, se inuicem tangentes, quasi filum referrent. aderant & stellæ pellucidæ, quæ imaginem pulchræ rosæ effingebant: quarum aspectu delectabar. audiui etiam uocem dicentis, Expecta consessum Lunæ cum Mercurio. 7

Cœlum erat, Medicorum collegiū. nam tempore morborum, ut nocte stellæ, obseruantur. Ego qui non receptus eram, Mercurij absentia declarabar. Et quod recipiendus essem, quoniam paulo pòst uisus sum illud uidere. Inter maiores stellas: quoniam non habiturus essem magnam autoritatem in eo collegio, multis tum mihi prælatis maioris nominis. Series illa tot stellarum, ex una progenie multos non interrupta serie in id collegium ingressuros. Rosa illa

digniorum consensum, qui me iuuaturi essent: congressus Mercurij cum luna, aduentum Principis Istonij significauit expectandum.

8 Anno M.D.XL. Quarto idus Februarij, existimabam me in lecto esse, supra uerò splendere Solem nigrum totum: ac radijs splendidis quidem, sed scripto/rio atramento nigrioribus. Videbatur autem mihi dies ea esse sexta Aprilis, proximè futuri, qua Sol eclipsim uerè passurus erat. cernebam & stellas nocte quasi micantes, de quo non leuiter admirabar. Somno solutus, exitiale mihi somnium esse intellexi: non tamen quid portenderet, interpretari potui. non enim eò perfectionis deueneram, nec Fata id admittebant. Sol eclipsim patiens, mortem filij iam in collegiũ cooptati significabat: unde non nisi post multos annos id accidere poterat. Cuius eclipsis, id est mortis ratione, stellæ, id est uulgares medici, qui alioqui obscuri futuri erant, apparerent, & nomen aliquod adipiscerentur. quòd uerò sextam diem Aprilis imaginarer, interitũ hunc uerum, nõ mortẽ aut discessum uel exilium futurum significabat.

9 Non pigebit quod de Alciato aliàs narraui, ad confirmandam fidem somniorum, uelut euidentissimum hic adijcere. Anno M.D.xlviij. ni fallor, mense Octobri, uidi per quietem, in cubiculo iuxta lectũ sedentem Andream Alciatum, uirum & mihi familiarẽ, et monumentis literariũ quæ reliquit insignem, in cathedra caput habentẽ manui innixum (cubitus aũt spondæ cathedræ incũbebat) mœstum. Visus est mihi uidere me, sed nulla signa ostendit. Erat ei lectus à sinistra, nec quisquam in eo: candida omnia, & tensa ambiebatur, quæ prospectum illi impediebat, ne, quæ post lectum à pedibus erant, uidere posset. ipse enim prope ceruical sedebat. Ego interim mecum meditabar, quid causæ esset quod tam mœstus esset, meq; uidisse dissimulasset. cum interim à pedibus lecti mihi à dextra egregium forma iuuenem uideo, cœruleis indutum uestibus, ac mirum in modum nitidis. Cui ego: Quid habet hic quod tam mœstus decũbit in cubitum? tum ille: Vides? en breui futurum est ut eo carituri sitis, nec inter uiuos amplius sit. at ego uehementer dolebam, sicq; somno solutus sum. at ille intra tres menses obijt, cum ego prius multis somnium narrassem: publicè etiam præfatus, maximum uirum breui moriturum.

10 Sed neq; pigebit, quod alibi etiam scripsi, repetere. Anno M.D.xlvij. Iunio mense, cum mihi tum essent duo filij, Io. Baptista atq; Aldus, uidebar cum natu maiore solum esse: dolebamq; uehementer, & mei miserebat. solutus somno hora diei fermè secũda, cũ cogitarẽ quid mihi tale somniũ minaretur, aduenit ancilla Hieronyma Cicera tristis, & formidine plena, nuncians filiũ minorem maximo esse in uitæ periculo. Febrem siquidem adesse, & oculũ sinistrum conuulsum. Surgo trepidus, & somnio & admonitione ancillæ, inuenio laborantem

rantẽ febre non leui, & resolutã palpebram sinistri oculi, non oculũ. Itaq; primum extimui, & an quicquã agerem, mecũ reuoluebã. tandem constãti animo omnẽ diligentiã adhibui, ut sanaretur: sanatusq; est. uiuitq;, somnij beneficio, quod aliter nõ tã prõptè ei occurrissẽ morbo. monitoriũ nãq; fuit, ut apparet.

Nocte quæ præcessit iij Idus Nouembris, anni M. D. xxxix. uidi per quietẽ, 11
uentriculum cibo plenum extractum, inde repositum. dolebam tamen dicens, Nũquam tam bonus erit ad coctiones ut antea erat. Sequẽti die anagnostæ mei omnes digiti sinistræ manus præcisi sunt, nõ tamen sic ut aliquis eorum excideret. hoc significabat repositio illius. Quod uerò officio manus defungi non potuit, significabatur ex eo qđ dixi, nunquã futurũ æquè ualidũ uentriculũ meũ. Et uẽtriculus significabat familiarẽ: cõtinetur enim intra corpus, ut familiaris qui in domo alitur. & est exanguis: quia mihi sanguine coniunctus non erat.

Conscribam autem admirabile somniũ, nõ nisi nunc me hæc scribente intel 12
lectũ, quo omnia quæ mihi cõtigerunt significabantur, si intelligere potuissẽ: idq; exemplũ erit clarissimũ somnij specularis, quod (ut superius docui) admiratione & subtilitate interpretationis reliqua omnia genera antecellit. Sed præstat primũ scire quo in statu res meæ essent, cũ hæc somniarẽ: nã aliter cõmodè interpretationẽ docere nõ potero. Annus erat Salutis M. D. xliiij. cum sub diluculo sexti Idus Ianuarias (tũ uerò mihi erãt tres filij, maiorq; natu decimũ agebat annũ: minimus eo natus anno, quo Mediolani tũ primũ medicinam profiteri aggressus sum) per quietẽ uisus sum uidere Prosperũ Marinonum, cuius superius mentionẽ feci, & quãuis q. mortuus esset nõ ignorarẽ, manũ ut mihi tãgeret orauì: id etiã subijciens, quãuis mortuus sis. quo ille dicto me auersabatur: nihilominus pstãti in proposito, tacta manu aquieuit, atq; abiuit. Nunc sequebatur filius meus, me reclamãte, natu maior: cũq; ille nõ aquiesceret, cũ plurib. illũ sequẽs, in domus solitariæ uestibulo illæsum inueni, sed Prosperum haudquaquam. Statim uisus expergisci sum ab incerta re, quæ mihi pone cerui cal esset. imaginabar autem uigilare, ac quæ uideram quasi per somnium uisa reputare, gaudereq; qđ neq; mihi neq; filio mortui uisio mali quicquã minaretur. Videbatur & mihi caput erigenti lumen per fenestrã ingressum, admonere ut ad profitendum surgerem. tum uerò magis properabam, ut terrorẽ quem ex re quæ capiti pone uidebatur conceperã, excuterẽ. dumq; aliam fenestram inspicere studeo, scilicet cogniturus an & lumen ea ingrediatur, uideo ostium apertum: unde admiratione ductus, ac terrore, uidebar ad illud arrepto baculo ire: cum ecce mortem in ipso ostio adstare uideo. statimq; mecum reputans exitiale esse portentũ, ni mortem propulsarem baculo, illam ferire adnitor. at illa fugiens, dum eam sequerer, in aliam domũ confugisse uidebatur, atq; in clo-

cam

cam se condi: unde nõn iam mihi periculum aliquod significari coijciebam, sed eo in loco iacere cadauer: atq; de eo eruendo iam cogitabam. Cum interim secundò uisus sum expergisci, dormiens uerè tamẽ, ut prius. Nihil autem ex priore somnio relictum erat, nisi quòd eo uiso, ea in cloaca iacere cadauer, significari ex somnio existimabam, denuoq; ut surgerem accingebar. Sed ecce rideo catulum nigrum pilosum sub lecto, qui ludens mihi caligas eripuerat. Ergo dicebam mecum: Quis hunc catulum domesticum hic conclusit? nam nullus mihi heri catulus erat. & bene actum est, quòd non sim experrectus ante lucem, ne non uidens, & hunc strepitum audiens perterrerer. Dumq; hæc mecum uoluto, tum demum uerè sum experrectus.

Ergo Prosper Marionus Papiæ Academiam referebat: erat enim Papiensis, & scholaris. Quod uerò mortuus, ut erat, uideretur, significabat spem mortuam Papiam ueniendi: quòd iam quinq; prope annis eam oblatam conditionem respuissem. Aegrè ille obtulit manũ. Senatus, quod primò renuerã, quasi inuitus dedit. Manum amplexus est, locum obtinui eo anno. Filius sequebatur illum, uenturum in Academiam in tertio regressu meo periturum significauit: atq; ita euenit. anno enim M. D. xlv. abstinui à profitendi munere. Regressus sum secundò, anno M.D.xlvi. destiti anno M.D.LI. redij anno M.D.LIX. tũcq; mortuus est filius, sub initio anni M. D. lx. quem constat, nisi tertiò redijssem Papiam, non periturum, saltem eo mortis genere. Id ergo significauit ingressus illius in solitariam domum, cum ego uestibulum cum socijs solum attigerim. Prohibebar autem prius intelligere (nam non fuissent) hæcq; de somnio speculari, & triplici ordine. Vnde id maximè euidens, quod maximè somnium est, siquidem primum: reliqua sensim minus euidentem retinent significationem.

Venio ad secundum. Surgere nitebar, ad exercitationem reuerti cupiebam: mors in ostio erat, fugaui eam compositis libris de Subtilitate & de Rerum uarietate, tum alijs in secundo reditu. erat enim mors nominis, de qua in fatali somnio, æterna futura ea monumenta ostendens. Cloaca in quam mors se abdidit, latitaturum aliquid ad mortem usque meam, quod aduersetur nominis mei immortalitati: atque id apud sordidos, & fluctuantes homines. Et hæc de secundo.

Tertius ordo est breuis, aut quia breuitatem temporis significat, aut quoniam detegi non uult quæ sunt post hæc. Canis ergo niger, pilosus, cum tertiò Papiam redij, fortuna in domo erat, & est. aut significat hostem domesticum: non tamen ex eo damnum magnum, sed metum, & uoluptatem, & lusum. Palàm est autem, ultro prohibitum me scire: nec si à munere desciuero, amplius

amplius redituru. uideor extrà munus frustra quærentem obituru, ob id quod Prosperum nõ inueni: euenturumq; forsan causa filij maioris, quem sequebar. Verum quod in tertio somnio uideretur non iam mortem, sed cadauer in cloaca latitare, significabat, ante mortẽ liberandum me metu omni uero, libereq; libros meos legendos, nõ tamen suspicione metus: atq; inter conatus perituru, ut eruã cadauer. Ipsum cadauer, quicquid occasionẽ præbere potest malæ opinionis legentibus, quæ corrigere non potero. Res quæ in secundo somnio à capite ponè stans deterrebat, fuit desideriũ conscribẽdi libros: quod à somno, id est, uita ciuili me exsuscitauit, ut surgens propulsarẽ mortẽ in ostio stantem.

Visus sum aliquando interrogare quendam per quietem, mihi incognitũ, de uitæ meæ cursu. atque illum dixisse: Finis tuus erit qualis Caroli Telæ. Visus postmodum mori sum graui cum tormento, atq; ingredi profundißimas tenebras. Hunc Carolum semel tantum uideram, erãtq; ei duo filij: nothus maior, quem ego illi esse nesciebam: & minor, tum ualde paruus. excesßit è uita, his duobus & uxore superstitibus, cum totus esset podagra confectus: damnatusq; capite à iudicibus, quòd principalem pecuniam interuertisset: sed redempta damnatione pecunia, annum agens circiter quinquagesimum, absolutus, ex febre & podagra interijt, filiosq; satis diuites reliquit. Vbi ergo eum obijsse uidi, non poteram imaginari, quomodo mors mea cum illius morte cõueniret. nam ego iam illo ætate decem annis maior sum. quãobrem de illa nõ est intelligendum, sed solum quòd duobus cum filijs superstitibus, quorum natu maior multis annis minorẽ anteibit, eruntq; ex duabus matribus. Quare somniũ indicauit tacitè mutationem, quæ facta est. Mortuo enim filio maiore, infans relictus ex alia matre natus, quàm natu minor filius. quod eo exemplo significatum est, quòd maior et minor ex duabus matribus sunt: idq; ego tum interpretari non poteram, cum ambos filios ex uxore eadem suscepissem. Nothus autem maior natu esse uidebatur, quòd qui ex eo superstes est filolus, nõ est filius, sed nepos: ideò non uerus filius. Et nihil refert quòd hic cõmutentur personæ: quia etsi nepos sit qui natu minor est, illi autẽ maior, recta tamen est similitudo: quoniã nepos patris sui, qui maior natu fuit, personã habet. Ostensum est autẽ hoc ex regula Dialectica cõmutationum. neq; enim necesse ut sint iidem, sed ut in speculis cõmutata certa ratione, ut neq; de tempore dictum est: nec quod ego infante nepote, ut ille, minore natu filio inteream necesse est. Sed bene uidetur significasse, me superstitem filiæ, nullo ex ea nepote suscepto futurum, quòd ei nihil horũ morienti fuerit. Et quòd podagra, quæ iam tum mihi leuis cœperat, conflictarer. Damnatio uerò capitis pecunia cõmutata in illo, quemadmodum in somnijs solet, damnationem filij, in quo pater damna-

tus est, mutata persona significauit. Vnde etiam relicta bona, quæ damnatis perire solent. ei ergo ob id comparatus, uir ignotus (ut dixi) uerax & obscurum somnium docet: nam diuinum responsum, quoniam dij ignoti sunt nobis: eorum autem dicta uerissima, sed obscura. neq; enim ignoti occulta referare solent, sed ualde familiares & amici. Quòd uerò magno cum tormento mori uisus sim, aliud genus uitæ ingressurum me decernit, plenum difficultatis & solicitudinis, quemadmodum accidit tenebris circunfusis.

14 Anno M. D. XXXVIII. cum in spem erectus essem patrocinij Pauli III. Pont. Max. urgentibus me omnibus incommodis, uidi per quietem, pauonẽ in gremio non satis quietum, inde paulò pòst auolasse: statimq; phasianum cum pullo excepisse, tam quiete ibidem commorantes, ut maximam ex hoc somno uoluptatem caperem. Cum diu mansisset, experrectus intellexi, spem Pontificis inanem esse, quamuis magnorũ uirorũ pollicitis lactarer: aliã suboriri minorem. sed quã essem consecuturus. itaq; cum primũ surrexi, ad Ioannẽ Baptistam Specianum capitalium criminũ præfectũ, uirũ et eruditũ et studiosis amicum, ueni: tum Io. Iacobũ Raynoldũ, qui nunc Auonæ præfectus est: quorum auxilio ea ipsa die Alphonso Istonij principi in amicitiam insinuatus sum. à quo et pecunias accepi, et multis modis iuuatus sum, & in collegium illius patrocinio receptus: & multo plura habiturus, si ego tum tam prudens fuissem, quàm ille beneficus ac liberalis. Sed Fata obstabant. Hoc est sextum somnium, ex quo consecutus sum utilitatem. nam fatali primo, ad scribendum cõpulsus sum: secundo hoc, ad habendam principis amicitiã inductus: tertio, de Alexandro, ad aggrediẽdum causam collegij, tot aduersis sentẽtijs cõcussam: quarto, ad seruandã uitã filij natu minoris: duobus ultimis, tametsi sæpius repetitis, ad conscribendum libros de Subtilitate, & de Rerum uarietate.

15 Quadã nocte cũ uiderer eße in curia principali urbis, atq; tũ adeße aues omnis generis, inter cæteras aderant duo pauones, quorũ aspectu delectabar. cum interim unus statim auolaßet, alterũ in clatrata ferrea quiescentẽ multi lapidibus inceßerent, ego in sinũ recepi: sed langueßcere, ac reuiuiscere uidebatur. Sequenti die ad parientem filiam Antonij Leuæ principis Asculi uocatus, antequã accederem (erat enim Modœtiæ) obijt. hæc fuit pauo, quæ statim auolauit. paulò pòst ad infantem natum ductus sum, quem multi morbi, lapidum loco, ad mortẽ fermè duxerant. itaq; aliquoties dum alleuatus eßet, ac rursum decidißet, intra paucos dies & ipse obijt. Fuit autem anno M. D. XXXV.

16 Anno M. D. XXXVI. diluculo diei Dominici, uisus sum edere ouum struthiocameli. in mensa Præfecti eiusdem criminum capitalium. Solutus somno, intellexi illius hortatu pecuniam mihi debitã à contumaci creditore, ea hebdomada

mada habiturum. habuiq; ultima ipsa die, scilicet sabbathi. nam Dominica dies prima est hebdomadæ. et ouum illius auis concoctu contumaciß imũ, ipsa uerò auis magna, potens ac nobilis, qualitatem debitoris declarabat.

17 Quadam nocte uisus sum habere ficedulam maiorẽ (sunt qui ictеridem appellent) in manibus, quæ tamen ausugisse uisa est etiam. denuò capta, in caueã concluſa est. Sequenti die quidam obtulit pecunias iniqua conditione, quas ego etiam monitu somnij renui. at ille cum abijsset, reditus præter somnium, nullam spem reliquerat: redijt ipsa die, & optima sub conditione eas accepi. Aues enim spes, commoda & iucunda, ut etiam pecunias & lucra significãt: & pro ratione earum, magnæ & pulchræ, principes, & splendida lucra & dona. hæc autem parua erat, & humilis.

18 Quadam nocte cum uidissem multa pulchra fructa crystalli in ripa fluminis, lætus colligebã ea. manè quidã libros pulcherrimos obtulit, adeò uili precio, ut dono accepisse existimare possem. sic emi, quasi inuenissem. Libri autẽ uilis sunt precij inter merces, uelut & crystallus inter gemmas.

19 Profitebar Papiæ: cum mensis Ianuarij sub initio, anni MDXLV, per quietem uisus sum esse in patria cum Prospero Marinono: abstinebamq; ab illius colloquio, quòd gnarus essem mortuum esse. id ille animaduertens, equum album ascẽdit: ego ratus indignum ut insalutatus abiret, cum iturus Romam uideretur, in ponte portæ eius quæ Romam ducit, dixi: Et quando te uidebo? ille subridens ait, Mense octobris. tum ego, Quo? nam hic proximus esse posset, et intra annos etiam uigintiquinq;: est autem incertus nimis terminus. at ille subridens, cum socio qui mihi è facie notus nõ erat, abijt. Itaq;, ut sæpius dixi, Prosper Marinonus abiens, cum ego essem in possessione profitẽdi, amissurũ eo anno id munus declarauit: quod & euenit. Sequentis enim anni, iuxta illius uerba, mense octobri eidem muneri sum restitutus. Discessus eius Romam uersus, aut me hoc relicto munere iturum Romã significat, aut (quod uix credo) Romanum hominem mihi succesurum.

20 Quadam nocte uidi quendã qui iam mihi fuerat inimicus, conantem uulnerare me: & dum protego memet manibus, uulneratus sum in eis: cum experrectus, considerans quod ille mihi erat reconciliatus, causa dissidij sublata, & quod tum mihi autoritas creuerat, ut non impunè fuisset illi tum talia aggredi, erat Petrus Franciscus Belzoiosij dominus, uir nobilitate et potentia clarus, non poteram somnium interpretari. Ea die occurri homini qui uulnera acceperat ab inimico, sub amicitiæ specie. hoc significauit reconciliatus amicus: et inter reliqua uulnera manum ei præciderat, & hoc ad somnium. Virum illum aliquo modo, ex declaratis in præcedente libro, mecum conuenire oportuit.

21 Erat mihi amicus anno M. D. XXXVIII, Io. Petrus Boßius medicus: quo in exiliũ acto ab alijs medicis, ego domũ eandem illius loco cõduxeram. quem uideo quadam nocte mandato Senatus, medicisq; urgentibus damnatum, ut defricta pelle ad os usque, quæ dextro supererat supercilio, glutino tenaci annecteretur tabella lignea supra palmi longitudine, quam secum deferre perpetuò cogeretur: plerisq; admirantibus, alijs autem miserantibus fortunam uiri, alijs irridentibus & insultantibus. Itaq; cum expectarem ut ex urbe discederet, gluten molliret, auelleret tabulam, nihil horum fecit: sed æquo animo ferens, per urbem incedebat sic deformatus, solitaq; munia exercebat. experrectus, cum ea esset dies in qua petiturus eram à Xenodochij præfectis curam pædotrophij, in cuius possessione iam eram: intellexi mihi non leuem iniuriam ab his faciendam, & dedecus me graue subiturum, ut abstinere à petitione decreuissem. Sed tamen tantum nefas sperare non potui: ut qui longè maiorem utilitatem, quàm esset præmium loci, eis præstitissem. Petij, repulsam tuli, magno cum rubore: ut etiam qui iniusta petere non erubescerem. Itaque in oculos, ut dici solet, res acta est. tuli tum æquo animo, quod ad gloriam meam præbuit fundamentum: quoniam ille nec discessit, nec commotus est. Senatus, collegium præfectorum ostendebat: ego medici illius, qui & repulsus fuerat, & in cuius domum fueram ingressus, personam sustinebam.

22 Cum uidissem nocte quadam medicum qui eodem anno obierat, in lecto meo quasi morientem: atq; ego ut explorarem an ita esset, illius artus arctius constringerem, uisusq; esset uerè mortuus: accidit ut intra quatuor dies ad amicum qui apoplecticus conciderat, uocarer: cuius artus, ut tentarem si uiueret, constrinxi, carnes uellicaui. atq; intra totidem horas extinctus est, quot medicus ille superuixisse per somnium uidebatur. Amici ambo mihi erant unici: alter sub alterius persona designabatur, & lethi genus idem ex actione mea.

23 Nocte quadam mortuum patrem sequi uidebar passibus æqualibus, qui me ad domum mortui iam tabellionis duxit. Paucis pòst diebus questus sum de actis quibusdam patris, apud eundem tabellionem olim, eodemq; in loco.

24 Nocte quadam uisus sum occurrere duobus uiris, quibus uix unquam occurrere solitus eram: & cœpta dissertatione, magnum exortum mihi negotium. manè statim uni illorum occurri, qui de alio uix sibi noto dum uerba habet, ambo eidem, ex insperato (ut reor) occurrimus. inde exortum est negotiũ tædio plenum: tum necesse fuit animam esse ualde liberam.

25 Cum dimidium bibliothecæ cecidisse uisum esset, in quo libri omnes

nes erant præter medicos (hi enim in parte quæ steterat, seruati uidebãtur) alumnus meus Ludouicus Ferrarius, omni in literarũ genere eruditus præterquam in medicina, multa incommoda passus est: coactusq; est studia literarum aliquanto tempore intermittere. ideò illius calamitatem, non meam significauit: cum uterq; in eadem domo, eisdem studijs incumberemus, solis medicis seiuncti eramus.

Anno M.D.XXXIX.XVI. calendas Iulij, uidi patrem meum togatum, ut solebat, incedere, ostendentem mihi magnam quantitatem librorum diuersarum formarum: atq; inter illos unum elegantem, uariarum linguarum notis scriptum: iußisseq;, ut uerbum hoc legerem ὁμούσιν. Cumq; proferrem, dixit: caue ne legendum sit ὁμοσίον. respondi, Nequaquam, sed sic sonat. tum ille, cum acquiescere uisus esset, dixit: satis est, uolui te monere, quoniam hoc ad te pertinet. Composita erat dictio ex ὅιον, quod est qualiter, seu uelut: & ὁμὸς, seu ὁμὸν, seu ὅμοιος, id est unus, aut similis, uel simul, unà cum, uel æqualis: quod est omnino similis, mihi scilicet. Nam tertio calendas Septembris in collegium medicorum cooptatus sum magno labore, ut ille fuerat in collegium Iurisconsultorum. Professus sum postmodum medicinam, ille leges professus fuerat ad extremum usq; uitæ. ille parum ad collegium ibat, pertæsus (ut audiui) quorundam: ego non ob id, sed Papiæ moram ducens, prohibeor sæpius adire: multo uerò etiam rarius, ob filij ingratam necem. 26

Quinto Idus Octobris, eiusdem anni, cum essem receptus (ut dixi) in collegium, uidebar esse inter socios, expectabamusq; ut pyrgum ludendi deferrent. interim uerò iridem, quæ apparuerat, alijs ostendebam: qua euanescente, alia uisa est, quæ fastigium domus uertice tangebat, cornibus autem terram. hanc ut ostendissem alijs, tangere cupiebam: sed non sum ausus. dum uerò auersus, tutò me tangere posse confido, euanuisse & ipsam animaduerti. Socij autem erant medici, cum quibus artem exercere destinaueram. Iris, profitendi munus aliàs (ut dixi) mihi oblatum, nec receptum. Secunda Iris idem: quod cum uertice mihi æquaretur, oblatam in patria occasionem significabat, quam recepi. Sed cum è domo tangere uellem, non audebam: timidus enim ad id negocium acceßi. Sed securior, auersus scilicet, medendi exercitationi intentus: at illa euanuit, translata in pristinum locum Academia. quod perinde erat, ac si diceret: Si profiteri uolueris, & patriam & medendi exercitationem relinquas oportet. 27

Anno M.D.XL.vij. Idus Februarij. uidi per quietem, bubonem, auem uiolenter in sinum traxisse, illiq; tres pennas ad scribendum aptas auulsisse. Videbatur & quidam phratrius, mihi notus, in carcerem iniustè coniectus, ac 28

male habitus, demum tota facie diſciſſa dimiſſus. Eadem die occurrit mihi Ioã. Petrus Boſſius medicus, ab alijs medicis (ut dixi) olim electus. hic ergo, ut bubo ab alijs auibus prohibebatur palàm exercere medicinam. Phratrius etiam, coniectus in carcerem: nam in carcerem detruſus fuerat à medicis, qui ratione artis communis erant quaſi illi phratrij: diſciſſa facies, oſtendebat exitum infauſtum: uenerat enim ut ad medendum admitteretur, ſed rurſus eiectus fuit turpius quàm prius. Pennæ illæ quas exceperam, erant clientes, qui ad me, illius conſilio, poſtquam ipſe artem exercere prohibebatur, ſe contulerunt.

29 Anno M.D.XLIII. in calendis Ianuarijs, uiſus ſum ſepulchrum marmoreum antiquum, literis uetuſtioribus inſcriptum, quibus mirum in modum delectarer, inuiſere. aderant & Hieronymus Cardanus alter medicus, & Ludouicus Ferrarius Mathematicus, ex amicis. Eo anno conſcripſi libros de Sapientia, refertos multis antiquorum dictis. Sepulchrum enim etiam alio nomine monumentum appellatur: dicuntur & libri monumenta. Et literæ antiquæ, autoritates ueterum ac teſtimonia. Sed & ſepulchri imago, parum probandos eos libros: pauci enim ſolent, niſi per ocium, ſepulchra quantumuis pulchra ſpectare. Socij illi, uulgandum opus declarabant. Sed quod in Calendis Ianuarijs hoc uiderim, eodem anno inchoandos & abſoluendos ſignificauit.

30 Anno M.D.XLV.XI. Calendas Auguſti, ſub Solis ortum uidebar mulam equitare, pallio indutus, cum Hieronymo Cardano, et ipſo mulam equitante, ſed togato. occurriſſe autem nobis tres ruſticos, quorum lotijs uiſis, quadraginta aſſes ille lucratus eſt: me autem ſpreuerunt. Indicauit hoc, me extra patriam moram ducturum, ob pallium: illum mei loco ſucceſſurum, ob ſocietatẽ & habitum: plebem tamen potius curaturum, ob ruſticos: multos tamẽ ægros ad eum concurſuros, quia tres erant ruſtici, non unus: & ſufficienter lucraturum, ob numerum aſſium. habiturumq; pharmacopolas amicos: nam ad eos ille diuerterat, ego non acceſſi.

31 Anno M.D.XLVII.XVI. calendas Septembris, uidi Ioan. Baptiſtam Specianum, capitalium criminum præfectum olim, ſed tum mortuum paulo antè, qui me manu apprehendit. ſed ego cogitans quòd mortuus eſſet, eam ſtatim ſubduxi. interrogaui autem dicens: Quandoquidem tu mortuus es, & ego dormio, dic mihi aliquid de ea uita, qua ubi tu es fruuntur. tum ille: Nihil ſupereſt, cuius oppoſitum tu credis. Inde eo euaneſcente, ſuperuenit iuuenis ma/cilentus, pallidus, facie longa, ueſte ſcholaſtica longa, pellicea intus, ex/trà, coloris cinerei: hunc & ipſum mortuum incognitumq; interrogo, quid

mihi

mihi futurum sit? respondit: Dicere nolo, nam nimis tristareris. cui ego: Moriturus sum? inquam. Non, respondit ille. Quid ergo? A mulo seu mula lædêris: cæterum abhinc magna & facilia lucra semper tibi suppeditabunt. Quo nomine appellaris? Hieronymus Frige. Ioann. Baptista ille filius nomine conueniens, non mihi superfuturus, ut rebar. Hic meus genius horridus & aridus senectæ, non quidem inopia (hoc enim excepit) sed animi angore: nam nomen & persona incognita me esse declarabant. Mulus ἀγονοποιὸς & id est sterilis & orbus: nam sic muli obeunt, sine prole. uel ἄμυλον magis proprie, à mulo uel mula: ἄμυλον autem utrunque significat. & dimidium ex hoc, ab ἄμυσυ, quasi dimidio in sobole frustratus & mancus. Qua parte, non sine alterius securitate, prima somnij pars præmonstrauerat. Quasi diceret: orbatus, aut ferme horridus ac siccus, scilicet sine spe generandi, pauens & frigore horrens. nam hæc omnia genij cognomine, & mei ipsius significabantur: præter tuam fidem demigrabis ad mortuos. Atque ex illa die, quanquam quid significaretur non percepissem, nunquam sine magna suspicione, nec lætus uixi. Quòd si dixisset, A mulo, non adijciendo seu mula, plenam significasset orbitatem. non ἄμυλον enim nomine explicari poterat, sed solum ἀγονοποιὸς. Iuuenis autem pallidus, & reliqua contraria habitui meo, præter longam faciem (talis enim mihi est) decrepitam ætatem significare uidentur. Etenim decrepiti, quanquam antea bono habitu, macilenti & pallidi efficiuntur.

Annum agebam (ni fallor) decimumnonum, aut uigesimum, cum quadã nocte uidi simiam loquentem. dixiq; Quæ miraculo loquitur, eodem spiritu futura præscire potest. Dixi ergo, Quantum superuicturus sum? tum illa statim respondit: Quatuor annis. at ego: Non plus? cui illa: Non erant aũt ex demõstratis quadragintaocto, quatuor anni Iouis. non ante lxvij igitur obiturus, sed paulo (ut reor) excessurus: uel ex literarum supputatione, elisso primo u, quod non sentitur in pronunciatione, septuagintaseptem. aut, ut suprà, quòd uix uicturus essem ostendit. 32

Anno M.D.L.iij nonas Maij, ab hora nona ad undecimam somno correptus, uidi (erat autem dies Dominica) me alteram duxisse uxorem, obijcereq; iam mortuæ quod quietius cum hac uiuerem. at illa tristis tacebat. tum paulo pòst hæc noua uxor euanuit: multa uerò cum prima, quam mortuam esse cognoscebam, & quorum postquam experrectus fui recordabar, & nunc etiam tandem petijt ut quinq; sacrificia instaurarem, secundum pro illa. inde tetigit me uolentem, & frustum chartæ fronti agglutinauit, quod paulopòst excidit. hæc autem ferebam inuitus (quod mortuam scirem) ne irata discederet. 33

ret. Demum etiam mihi astare uisa est mater, quæ decem annis ante uxorem obierat, sed ego uiuam arbitrabar: atq; inter illam & uxorem, Ioan. Baptistam filium esse uideo, uerùm quasi septennem, non ut erat sexdecim annorum. metuens ergo ne à matre sua abduceretur, quod mortua mihi uideretur, meam rogabam matrem ut illum abduceret: quod sæpius orans, non obtinui: ab uxore impetraui, ne illum tangeret. iussitq; me bono esse animo. tandem mater perpulit illum mea per ponticulum.

Hoc somnium ex his est quæ pauca per plura declarant. Significabat ergo, conuersum me ad studia & uoluptates: nam & eadem nocte somniaueram, uisis Alciati carminibus quibusdam, me carmina pangere. Vnde noua uxor, anima erat studiosa, relicta filiorum cura, cui operam dabam. Quinq; sacrificia, primum matri, secundum ipsi uxori, tertium Ioanni Baptistæ qui apud eam sedebat, quartum ad me pertinere uidebatur, quintum non expressit. ordinem ergo, quo morituri essent reliqui, ex duobus primis ostendit.

34 Anno M.D.LVIII, VII. Idus Ianuarias, uidebar sub diluculo esse iuxta portam Ticinensem: atq; ibi audire: Duceres 'ne, alter alteri dicebat, uxorem cum sex millibus libris? ego, ut audirem, irrisionis causa, quod nuper filius ille meus nunc felix indotatam duxisset, dictum credidi. at ille negauit. Visus autem sum optare statim, ut insomnium esset, ut erat: & in aliud, quod & euenit, cõmutaretur. Itaq; statim uisus sum cum puero domestico & mula ascendere per uiam latam & accliuem, spacio unius horæ cum dimidio, in urbem perpulchram: mihi ignotam, tamen in qua plurima erant palatia. Scisciatus, quod nomen urbi? mulier quædam, Bacheta respondit. mirabar, quod cum Italicè loqueretur, nunquam hoc nomen (cum tamen necesse esset splendidam esse urbem) aliàs audissem. Subiunxit quoq; ea mulier, dicens: Non esse nisi quinque palatia in urbe, mihi contendenti longè plura uidisse. erant enim plusquam uiginti, atq; inter cætera unum eximiæ pulchritudinis, atq; auratum. Tum uerò puer cum mula subduxisse se uidebatur: & cum abduxisse mulam existimarem, nihilo secius uocanti respondit: sed ubi esset, uidere non poteram, interposito ædificio. Tum somno solutus uidebar, narrareq; somnium cognito, quem tamẽ à somno incognitum fuisse constat: admirariq; quænam esset illa ciuitas, & quale nomen? ille mihi, Neapolis est. Quid ego, inquam, Bachetæ cum Neapoli? tum ille, Hoc tibi nunc interpretandum relinquo. Statimq; somno solutus sum: & admiratione plenus, quantum unquam aliàs ex quouis somnio uiso.

Ergo à notissimis incipiamus. Ex dedecore infausti matrimonij, quoniam tunc interpretari non poteram, quod tamen tempestiuè oblatum fuerat (omittere autem omnino eam considerationem, somnium indicauit, quod ex

verbo

uerbo audito in eam uiam tam arduam me conieci) significauit me uitæ genus ingressurum ualde difficile, tum quia uia erat accliuis, tum quia diuturna equitatio, tum quia mulam loco equi (nam duos tum habebam asturcones, mulā nullam) inscenderam. Erat ergo uia illa, exercitatio medica, in qua per annum cū dimidio (id significabat hora & dimidia) ad summum profecerā. ductus in nouam urbem, munus quidem legēdi, quod mense Augusti sequētis anni obuenit, priuatus sum mula, id est omni tædio exercitationis totum me conscribendis libris tradens. cuius tamē pigebat ob mortalem ambitionem, & lucrū: quæ duo mala uix exuere possumus. Palatia illa, totidem uolumina ante mortem edenda, mihi quidem ut domino gloriosa, alijs ut spectatoribus uoluptuosa, significabant. Nouissimum illud aureum, existimo esse Theonoston. Cæterum me mulier illa, quinq; tantum esse monens: Posteritas, quæ solum quinq; ex his (quæ sint illa, nescio) probabit. Quòd puer cum mula non discesserit, significat & uoluntatem & occasionem incertam, exercendi denuò artem, esse relictam: nec prorsus exuisse eam curam. quod forsan eueniet, contemplatione euehendi filij natu minoris: seu forsan spes ipsa sola relicta. non tamen defuturam occasionem, responsum pueri docet. Bacheta uerò, uulgari nomine uirga latinè dicitur: quasi quod multis ictibus concidendus essem. quod euenit, podagræ doloribus, ramice (cui tamen statim occurri, ne in scrotum descenderet) scabie mala, morbis minutulis, domesticorum contumacia, fraude, minoris filij (qui solus mihi relictus est) erroribus: ut nullo incommodi genere uacauerim ad hanc usq; diē, quæ est VII Idus Maias. Seu Græcè expresseris μάραινα, quasi tabesco, flacesco, aut ὄιμοι, quasi gemitus, ululatus, fletus. seu σκοτάλη ad tabulam referatur damnatorum, ob inuidiam, & filij iniustam necem. seu βαλάνου, palmæ ramum quasi uirgam, aut quoniam uirga uulgari nomine demonstrationem significat. ita solum de significatione actiua atq; passiua distinguere oportet. Sed cur Neapolis? cum non nouum fuerit hoc scribendi munus. à νέα & πολις, id est noua multa & magna, non nouè aduerbialiter, inuenturum.

Quæ autem audiui per somnum, fuerunt Tamant. alia uice, antè mihi legenda oblata hæc: Commentatoris miseria misserta misericordia. Anno autem M.D.XL. nonis Februarij, cū duobus phratrijs concinere hæc uisus sum. Sex diebus adhuc eris in tormentis. Vltimo autem uerbo modulationē miram succinere. Tamant, ut uisum est, infortunium repentinum & magnum significat. T. enim litera male sonans est, & muta, et dura, & quæ non significāt, ut dum de Genijs loqueremur, inexpectata significant. quod postmodum ex illa repetitione, Commentatoris miseria misserta misericordia: quod Græci significāt

eo, unum duo tria, positiuum cõparatiuum superlatiuum, latini summum malum & miserabile. Illud quoq;, Sex adhuc diebus eris in tormẽtis, numero perfecto ad uitæ exitum significauit: aut ab eo anno interitum uel natiuitatem ne potis. Verùm singula etiam exquisitius, & maximè Tamant, habent significatum. Sed Deus uetuit ultra nunc progredi. Et quamuis Tamant significet bis mille sexcentum septuaginta, melius tamen est prætermittere aliquid coniecturæ, quàm leuitatis suspicione aspergi.

36 M.D.LXI. die Ascensionis, uidi me equitare prægrandem mulam. Inde iam orto sole, mulierem nudam super meum caput ridendo cacantem, ac mingentem. Cum igitur nulla mihi sit mula, sed asturco paruus: significat, quod in primo somnio dictum est, à Repub. & in urbe magna laboriosum & utile, sed non pro dignitate mea, suscepturum negocium: à quo (ut uideo) parum absum: non tam forsan illorum culpa, quàm horum & mea mala fortuna, quæ me non sinit, nec patitur, ut in patria uel tutò uel honestè esse possim. Et quanquam displiceat somnij indignitas, placet tamen quod uitam pollicetur. Hæc tam admiranda sunt, ut quis uix credere queat.

Sed quid dicturus esses, si legeres quæ nuper acciderunt in huiusmodi descripta tertio Paralipomenon? Cæterùm non haberi rationem recti, æqui, dignitatis, eruditionis, publicæ utilitatis, sed homines uotis suis fauere, maximè in Republica, minus tamen apud reges, quotidie reprehendi solet, nunquam emendari. Causa perspicua est. Viri præclari nulli blandiri sciunt, dedignantur rogare, polliceri nolunt: ita cum ijs semper deterius agitur. Ita expedit mihi fugere honestè potius, quàm in periculo manere. Vbi in tuto fuero, non deerit mihi Deus, neq; uirtus etiam, in tam turpi fœdo & profligato seculo. breuis conductio, & inusitata, ut qui stipem promuscidi elephanti præbẽt. Sic fortuna me adegit, non flexit.

37 Cum aliquando uiderer esse apud causidicum meum (litigabam enim uerè) sensi me morderi in tibia, inueniq; murem esse. cæpi, & occidi. accurrerunt autem innumeri alij mures, partim mordentes, partim titillantes: quos cum occiderem, multo tamen plures accurrere sentiebam. nouissimè cum quendam satis prægrandem occidissem, ab omnibus liberatus sum. Intellexi, per mures declarari eos cum quibus litigabam. hi enim mordent, sed non occidunt: ut nec mures id facere possunt. ultimò igitur, post multa, unius interitu liberandum: quod & euenit. nam paulo pòst extincto procuratore collegij medicorum, mihi infensissimo, in ipsum collegium receptus sum: ex quo cessauit multitudo illa me inquietantium, quos contentio cum illis excitabat. atque ita perfectè & ad unguem uerum euasit. Comprehendit autem somnium etiam

tiam præteritam moleſtiam, ex quo futuram liberationem ſignificabat. Accidit autem hoc in fine anni, à die ſomnij, cauſis ex aſtrorum circuitibus ſuprà narratis.

Anno M.D.XXXVIIJ, ante uer, uidi matrem meam à pedibus lecti ſtantem, ac 38
ſpõdæ ipſius lectuli ſic ut tota extare uideretur inſidentẽ, coccinea talari tunica aſtricta indutam, de more, cũ domeſticis negocijs incumberet: ualde lucentibus oculis, uocantem me ut ſecum irem. Cui ego: Cur ita? non ne mortua es? reſpondit: Certè. Cur ergo me tecum uenire uis, cum id non poſsim aliter quàm ſi peream? tum illa: Ita melius tibi erit, & quietius uiues. hoc ego cum pernegarem, illa acrius ac ſæpius inſtaret, tandem irata abire uiſa eſt. Dignum fuit ut diligenter adnotaretur ſomnium, ut quod mihi primum uitæ periculum denunciaret: quòd paulopòſt ſcilicet ſuccedente æſtate aduenit. Nouem enim totis diebus perpetuis continua cordis palpitatione oppreſſus, tandem uomitu ſeu bilis praſinæ, ſeu epoti iam alicuius ueneni, quaſi præter ſpem ſum liberatus.

Vitæ etiam genus non ſatis ſecundum uirtutem, quod tum ſequebar, improbare illa uiſa eſt. Vnde & oculi illi tam ſplendidi, quales iratis eſſe ſolent, ut quod mores meos & inſtitutum improbaret, uiſa eſt habere. Demum ærumnas illas tam graues, tam diuturnas, quas tamen non adeò magnas eſſe intellexi, ut uita mortem potiorem eſſe ducerem: niſi cum poſt uiginti & unum annos, caſu illo nephando publicæ cædis filij perculſus ſum. Nunc uerò filia ſterili, nepote ex primogenito infante, filio non ſatis in ſpem educato, aut longiorem ſanè, illud dicere uiſa eſt: Cum morieris, maiore non cum ſpe poſteritatis morieris, quàm ſi nunc pereas. etenim nunc ſupererunt duo tantum infantes: cum morieris, & duo tantum in longam ſpem ſtirpis tibi etiam ſupererunt: ut nihilo meliore ſpe eius uoluptatis tum ſis, quàm nunc, periturus. at interim flagitia nulla eſſes admiſſurus, nec adeò crudeles caſus tuorum uiſurus atque experturus, quales ſi uixeris ſubibis. Sed & adeò conſtanter perneganti, diuturna uita demonſtrabatur. ut conſtanter rogante illa, calamitates illas mihi haud dubiè expectandas intelligerem. Quo fit, ut etiam in poſterum nec felicem uitam mihi poſsim polliceri.

Diluculum antè per duas horas, quòd ſerò uenturum ſignificat, diei ui- 39
geſima tertia Iunij, M. D. LXI, uidi me uelle balneum frigidi fõntis, loco amœno & abſtruſo, in quod æſtate ingredi ſolerem, hyeme intrare. Ergo hoc ſignificat, tandem futurum ut redditus imminuerentur. laturum'que id modeſtè: quoniam abditus eſſe uiderer. nec ob id iacturam

passurum: tum quia ingressus non essem, tum quia loco amœno essem.

40 Anno M.D.LXI.VI. Idus Iulij, in meridie, sed tamen post esum fructuum & caſei pauci ouilli, uidi me esse apud Senatorem, quasi defensurus causam meam detractionis stipendij centum coronatorum aureorum. at ille ubi uel duo uerba audisset, iratus cœpit mihi asperius respondere. Deinde cum repeterem suauiter pauca ad excusationem, totus ira concitus, mihi collum manu torquebat, tergusq; cubitò premebat. cum ego rogarem humiliter ut me sineret, ut ignosceret: ille ardentius ac enixius cubitò pressit, ut de uita dubitarem, ac ne per domesticos deterius uerberibus me haberet. tandem fatigatus, me totum contusum reliquit, & è cubiculo expulit. Cum ego timens ne caput lapide illideret, à superioribus fenestris non audebam exire. itaque nec exire tutum, nec manere securum cum existimarem, dolore longè maiore, quàm aliàs ex filij morte concepi, premebar. Recordor somniasse, me duci ad supplicium, minore satis animi cruciatu atque tristicia. Dicebam mecum: Heu mihi, cum publicè hoc resciscent homines, quomodo licebit mihi è domo prodire? Si non accuso illum, inulta manebit tanta iniuria: si accuso, detegetur quòd forsan illud pudebit reuelare. deinde qua ultione Senatus mihi infensus, unius eorum aduersum me uolet iniurias ulciscì, quas forsan etiam ex omnium consensu intulit? Nec prouinciæ præses hoc curare uolet, ut contra Senatorem mea causa agat: cum nec id possit. Cum uerò sic mecum disputarem, seniculus primùm, à quo nihil: deinde adolescens cum ense ad me uenit, quem filium illius esse existimabam. metuì que, ne me noua iniuria oneraret: sed neuter nocuit, ambo'que tanquam nil actum esset, hoc dissimularunt. interim uisus sum egredi tutus è domo. & dum in uia essem, occurri phratrio, illius ualde amico atque domestico, quem ego non noram, sed ex suis uerbis coniectabar. cogitabam igitur, ut apud illum quererer. Dixi autem: Quid, etiamsi pœniteat, boni mihi reddere potest pro tanta iniuria? Deinde adeò iratus est, ut forsan denuò aduersus me irritetur. interim tandem somnio hoc molestissimo solutus sum.

Ergo Senator hic, Senatum refert. Et cum esset unus è præfectis Academiæ, res Academiæ significabat. Itaq; cũ literis regijs adempti essent, ut dixi, centũ coronati, quos à præside prouinciæ ut mihi iure debitos sperarem reddi: significat, non reddẽdos. nam si redderet, Senatus tergus meum, id est senectam meã cum occulto meo dedecore non premeret: cumq; per amicos auxilium peterem, uerbis asperis eum usurum. nam Senator ille unus est ex his qui filium damnauit. talis ergo Senatus, qualis illius erga me affectus. Significauit & metum deteriorum: sed cum nec dolor nec plagæ adfuerint, ea iniuria contenti erunt.

erunt. Quòd enim nõ auderẽ egredi, significat me non ausurum dimittere munus profitendi, dum deteriora metuo: sicq; mansurũ in eorũ potestate. Demũ quod tandem exierim, significat me à metu, non dedecore liberandum: cogitaturumq;, ut per amicos, sed parum mihi deuinctos, dedecus id frustra leniam. Quòd dolore maiore angerer, quàm ex filij morte, etiam id contigit: cum hoc facto illum iniuria perijsse credere cogar.

Die sequenti cum similiter prandissem, ab antemeridiana hora ad horam 41
quartam post meridiem, spacio penè horarum sex, duo uidi mirabilia somnia. quorum primum fuit, quod uiderer esse adolescens, atq; ea de causa ualde lætus: deinde cum apud maximum regem essem, ille me iactante patientiam meã ac incorruptam fidem, tacito quodam consensu inter illius pueros unum me recepit: atque interim ego illi maximè inter omnes perpetuò assistebam, uisusq; est credere uerbis meis, ac fidere. Cum iam securum & lætum (uidebar enim præter id sanatus à morbis & malis affectibus, quibus uerè premebar, atque (ut ita dicam, adolescentiæ primæ cum omni robore et ad ferenda quæq; incommoda patientia restitutus) amasia regis me attrectare uisa est lasciuius. at ego dissimulans, ubi me opportunè subtraxissem, recitaui id aniculæ cuidam, cui plurimum fidebam, per somnum tantum agnitæ. Deinde cœpi mœrere plurimum, ac multo magis timere mihi, dicens: si reuelauero, rex me occidet: si non reuelauero, illa cum alijs hoc agens, detecta tandem, me deteget: atque qui tam fidus haberi uolui, proditor domini habebor. Si adolescenti obsecundem, inter tot oculos latêre non potero. si non obsecundem, ipsa apud me facto iam confessa crimen, nolet habere testem sui flagitij. Itaq; utrouis modo & mihi pereundum est: & fides mea incorrupta, tanquam improba & fallax, in omnium ore detestanda erit. heu mihi, quàm inuictis uinculis fors mea mala me circundedit. Paulò pòst uisus sum esse eiusdem nescio, an alterius potius, principis medicus. tum uerò dum in aula essem, uocari à paupercula muliere: ad quam cum diuertissem, exiguæ spe pecuniæ, puerum à pedibus unicũ, & equum aut mulam (non sat memoria teneo) reliquisse uidebar. ut me frustra quæreret, & ego illum. De hac muliere cum principe uerba habens, excusans q; quòd ob pietatem illam inuisissem, somno solutus sum. Itaq; amasia regis, religio est, cuius nomine tentatus, in solicitudine ero non mediocri: haud tamen lædar. Rex ipse, usus: ut ad medendi consuetudinem rediens, ea cogar ferre quæ inuenis: atq; hac conditione satis honestè acceptus uiuam. Id uerò declarauit somnium secundum, quod primi loco interpretis habetur. Paucos inuisam casu: uidebar enim unius regis curæ addictus. plebei tamen multi concurrent, quos non recepturus sum. Manifestum est autem, quod hoc con-

tinget post biennium. ergo interim uiuam, et ualebo. Nam si sine restauratione professurus sum, ex somnio prior res in annum producitur M.D.LXIII.

42 Anno M. D. XXXIX. die XVII. Februarij, somniabam me esse in Pontificis curia, adesseq; duos lupos domesticos, quorum minor cum aduersum me inermē uenisset, apprehenso ore ac diducto fatigatus abijt: maiorem uerò, cum post illum me esset aggressius, gladio paruo quem mecum habere uidebar, iugulaui. Significauit, ex ratione lupi, eodem anno duos aduersarios me superaturum: unum qui senior erat, ui repulsurum: alium fatigatum amicorum precibus, Bernabouem Cruceium medicum, innoxium redditurū idq; adunguem ita euenit.

43 Anno M.D.XXXVI, cum adhuc collegium mihi aduersaretur, æstatis tempore medebar in domo Comitis (ea est dignitas Longobardicæ dominationis) Camili Bonromei: ubi cum multa rectè egissem, quoniam non solueret, & ego pauper essem, decreui ab ea domo me subtrahere. itaque cum id egissem, contigit ut post paucos dies (uide Fatorum uim) ante portam illius obequitans transirem. Vxorq; eius, nomine Corona, ex familia Somaliorum, astabat in porta præter morem: uix enim toto anno bis aut ter hoc agere consueuerat. Vbi me uidit, dissimulans meum discessum, uocauit me ad ancillam ægrotantem. ita quasi inuitus introiui, malaq; fortuna mea postridie illa sanata est: ego tamen non amplius redire decreueram. Sequenti die, aut sanè non magis quàm triduo pòst, uideo serpentem ingentem diluculo per somnum distentum super terram prope me, à quo deuorari timebam: & quamuis ille quiesceret, solumq; me aspiceret, ego tamen adeò territus sum, mihiq; timebam, ut euigilauerim. Intellexi planè maximum mihi impendere uitæ periculum. quòd si & illud potuissem animaduertere, serpentem ipsum esse insigne familiæ Bonromeorum, quinimo etiam in pariete domus atque intrà passim depictum, periculum deuitassem. Sed, ut dixi, sæpius ea eo ordine constant, quæ uentura sunt, ut tantum detegatur, quantum, ne obuiam iri possit solum Fatis, sufficiat. Anxius ergo, unde mihi periculum impenderet (impendere autem tam certò noram, quàm si in eo iam essem, ob somnij claritatem summam) expectabam. A prandio cum exissem, reuertererq; domum, obuiam uenit mater, uxorq;, monentes ut quàm celerrimè ad comitem illum me conferrem, ægrotare filium eius (erat autem è pluribus unicus relictus, septimum agens annum.) cœpi cogitare de proposito, & quòd iam illi, cum me deseruisse curam domus animaduertissent, nihilo secius nihil nec darent nec offerrent: memineram somnij matutini. sed urgentibus mulieribus adeò mihi charis, nec cogitante me quod ille inter insignia serpentem gestaret, nec de domus pi-

ctura,

ctura, accedo: & puerum leuiter febrire, ut mihi uidebatur, animaduerto. Verùm in quarta pulsatione animaduerto, pulsum ex toto conquiescere: atque id per continuos circuitus. unde magnum malum suspicabar. quòd tamen mortem certam portenderet non intelligebam: neque enim iam libri de Pulsuum præsagijs, qui id docent, Galeni in Latinum sermonem conuersi erant: nec ego tantum proficeram tunc, ut hoc possem ex illis intelligere. interim ergo procedente in deterius morbo usque ad tertiam diem, cum mater de filio sciscitaretur, ego omnis doli fallaciæq; ignarus, respondebam: uideri puerum cum exigua febre, nec grauiter ægrotare: esse tamen in quarta pulsatione perpetuam quietem in carpo, quæ me suspensum detineret. latitare quippiam suspicari. Cum uerò illa sæpius quid hoc prætenderet, interrogasset: Ego me nescire (quod parum prudenter, tametsi ingenuè, responsum, solum mihi obfuit, tanquam imperitiam propriam fatenti) dixi.

Itaq; tertia die manè, cum & à matre admonitus, & me ipso id percipiente, signa uermium euidentißima, & maximè in spiritu animaduerterem, conscripsi medicamentum ualde quidem expertum, & quod mihi gloriam sæpè, pueris multis in Saccensi oppido salutem attulerat, Diarob cum turpeto uocatum in officinis: uerùm quod apud inuidos & æmulos calumniæ subijci posset, quòd scamonium turpetumq; reciperet. Iamq; famulus chirographum in manibus habebat, iam ibat ad pharmacopolam (uera testor) cum me cura quædam subijt, dicebamq; mecum: Quid si signum hoc pulsus mortem significaret, & mortuum æmuli dicant medicamenti potione? Quid si hoc repentè contingeret, & nedum medicamento ejecto pereat? Parum hi se me amare ostendunt: pauper sum: collegio medicorum inuisus: magna laboro inuidia: nullis sum affinitatibus fultus. perseuerabam tamen in proposito, adeò medicamentum illud mala quadam fortuna perpetuò fidem integram, quam de illo habebam, seruauerat. Ita nihil tam felix homini contingere potest, quod uel imprudentia uel sinistra fortuna in tuam perniciem uertere non posit. hoc enim medicamentum tam salutare ægris, mihi tam gloriosum, quàm parum abfuit quin me perdiderit? Verùm somnij recordatus, dixi: futurum est omnino, ut in maximo periculo uitæ sis: quis scit, num hoc dato medicamento iste puerulus pereat? nulla amplius occasio tibi superesse uidetur tanti periculi, præter hanc: hanc ergo deuitare certum est. his omnibus cogitatione reuolutis, tanquam fulminis ictu quodam, reuoco famulum: dico deesse quippiam: chirographum recipio, & abscondo. alium conscribo: ex oricis scobe, smaragdo, hyacinthis & margaritis conficio medicamentũ. exhibetur ante uesperã. redeo, inuenio uomuisse medicamẽtũ. uocatos tres

prima-

primarios urbis medicos: reprehendisse patrem pueri, quòd relictis tot præclaris amicis, opera mea utatur. esse me inexpertum artis, puerum in magno uitæ discrimine. Cum tamen medicamentum quod dari iusseram, diligenter cõsiderassent, conuenire responderunt: iusseruntq; denuò dari, quod solum mihi profuit. nam mane sequenti ante diem ad me miserunt: corripuerat enim puerum conuulsio ualida, ex qua perijt intra septem horas. ille autem mihi imperauerat, ne discederem. parui ego timore potius quàm uoluntate, et ne maiorem suspicionem peccati facerem. Vbi perijt, tentabam me subducere, nec poteram: pater postulabat (detinebatur enim summa ui ab amicis) ut copia illi fieret filium inuisendi: tandem mulierum auxilio, me sine læsione, sineq; iniuria subduxi. iam enim patrem ipsum multis morbis, præcipuè à quodam insanabili, ut alij rebantur medici, curaueram. Si tamen primum medicamentum quod scripseram dedissem, nec somnio paruissem haud dubiè eo impetu perijssem. eo tamen factum est, ut me apud nobiles ubiq; laceraret, certi beneficij immemor, incertæ iacturæ constantissimè tenax. Id uerò quantum obfuerit gloriæ ex artis exercitatione parandæ, ac nomini & lucro, quisq; intelligere potest. quàm diu enim uixit ille (uixit autem pòst annis circiter duodecim) tota nobilitas ut amentẽ fugiebat, & peius angue hoc solo casu oderat. Quod tamen non factum est ob id, ut manifestè declararunt subsequentia tempora,
Fa. 83. scilicet ut abiectus uiuerem: sed (ut in secundo Fabularum libro docui) illustris per omnia secula, fama mea celebraretur. Nam nec sine hoc casu totum me studijs, quanquam uellem, tradere poteram: nec cum eo casu, absq; somnij monitu, euadere mortem licuit. Ob hocq; solum somnium, hoc Opus conscripsi. Et quamuis aliàs scripsisse etiam ipsum meminerim, quia tamen (ut dixi) illius causa solum hos confeci libros, indignũ esse ratus sum, ipsum hic prætermittere, quod conscribendi operis causa fuisset. Ergo si nihil aliud cõmodi hæc doctrina somniorum interpretandorum attulisset, an non hoc sufficere debet, quòd uigintiquinq; hi anni, quibus iam superuixi, quicquid ue in posterum superuiuam, filijq; geniti, totq; libri conscripti, famaq; perennis, huic somnio debentur?

44 Nocte quadam somniaui, uidere me, atq; alterum Hieronymum Cardanũ medicum (cuius auus, & meus pater, ex fratribus geniti erant) cum thorace holoserico rubro ac purpureo, cũ ueste undulata: sed undulatæ meæ exterius altera tunica ex laneo panno, uili, cinerei coloris, consuta super erat. Indicauit hoc, pariter nos collegiũ adepturos, ad senectutem peruenturos, opes (nõ magnas licet) paraturos: mihi tamen plurimas euenturas miserias. color enim ille paupertatis est, aut calamitosus. quæ omnia plusquam cuperem euenere.

Nocte

Nocte sequente diem Dominicam, circa ortum Solis, XXV. diei Augusti, 45
MDLXI, uidi mulierem in domo fabri ferrarij, assueti (ut tũ mihi uidebatur) catulas castrare, sed ignoti etiam tum. & eam mulierem mulier alia, domino eius quæ castrabatur, castrauit: quòd filios conciperet, et abortiret. Castrauit à latere sinistro, accensa lucerna, me uidente. nec uisa est profundè uulnus demisisse, sed in summa superficie: uidebaturq; admodum pinguis, ut mirarer, cum in uultu macilenta esset. nec exemit testem. unde dixi: Cur testem non eximis? at illa respondit: Satis est, uidebis quod nunquam concipiet. nec perfecit opus in dextro latere, sed tantum inchoauit. Ars fabrilis, significat strepitum et seditionem in domo. castrare, est uoluptatem amputare, ut uisum est in superioribus. Fœmina significat uirum malorum morũ, ut in tertio libro.

Ars fabrilis
Castrare
Fœmina.

Paulò pòst uidi ramum pruni (quem masculum uocabant) ex India delatum (affirmantes apud nos tamen esse pruna fœminina) florentem, & cum fõlijs persimilem plantæ uisci. Dicebam ergo: Plantate hunc ramum, aliter peribit. at illi existimabant, sic fructum editurum. inde ex fructu nucleis plantatis, prolem suspicere sperabant. Quòd si plantaretur ramus, periturum fore. Dicebam ego: Tempus opportunum est mensis Decembris, qui etsi frigidus sit, terra tamen concipit. Visus sum persuadere: non tamen uidi ramum plantari. Hoc somnium significabat, me præcepturum aliquid utile præfecto urbis, quem tum curabam: illum tamen non facturum. me rationem adducturum, qua ille cum conuinci uideretur, non tamen obtemperaturum. Ex hoc (cum nemo aliorũ incõmoda sentiat) iratus mihi, discessum denegauit petenti. Sed & somnium esse ex præteritorum memoria mistum, et causam antecedentis iuxta regulas datas. Euenit ergo ipsa die quod somnium præmonstrauit: & reliqua omnia intra quindecim dies, quæ ex utroq; significabantur, peracta sunt. Pruni etiam nomine, quoniam pruna carbones accensos significat, ardorem & æstum animi declarabat. Et pruni etiam nomine materna lingua, ut arbor & fructus, ita etiam ictus noxius & grauis: unde iacturam significabat. Quoniam uerò ramus erat, & nondum fructum pepererat, multiplicis decoris & iacturæ periculum significauit: et quod in longum tempus extenderetur. nihil tamen certi, quoniam radice caruit. Masculi aũt differentia, grauius damnum portendit. 46

Pruna
Ramus
Masculus

Paucis pòst diebus uidebar esse cum duobus socijs in domo mihi ignota: et illi tamen mihi noti, à somno incogniti. dumq; in superiore essemus cubiculo (erant autem socij, iuuenes decori, compti, atq; alter eorum solo thorace laneo indutus) superuenit dominus domus, & ipse iuuenis, qui (ut uidebatur) nouerat suam uxorem iuuenem, sed non admodum, apud nos esse. Et ut ingres- 47

ſus eſt, me & eo qui pallio indutus erat quieſcentibus, alter elapſus ex oſtio, per quod ingreſſus eſt ſe præcipitem ex altißima fenestra dedit. at dominus domus curſim per ſcalas educto enſe ſequebatur illum. ego cum exiſtimarẽ totum confractum illum, qui non ſaltu ſe præcipitem dederat, ſed circumuolutũ quomodocunq; ſe proiecerat, uidi diſceßiſſe. Duos poſt dies uiſus eſt is equo inſidens, obuiam factus, interrogari à me, & quod non læſus eſſet, & quod ſolus ambularet admirante: reſpondiſſeq;, nõ timuiſſe niſi tum. Se autẽ cum præcipitem dediſſet, ſic ſeruaſſe caſus rationem, ut non offenderetur, ſolumq; in pede paululum læſum. Ego tamen mirabar, cur uxorẽ illius hoc facto infamaſſet. uidebar illi timere. Hoc mihi ſignificat atrox malum: quod atrociori deuitandum, non citra omnium admirationem curabo.

48 Antequã autẽ Mediolanũ ueniſſem, per duos dies uiſus ſum in curia ambulare ſuper lectos, maximo cũ labore & difficultate. Eram petiturus pecunias, mihi promiſſas ibi. Significat ergo, quod facile eſſe exiſtimarã, futurũ difficilli mũ. atq; utinã tam clara eßent omnia ſomnia: nõ enim indigeremus his libris.

49 Nocte quæ præceßit diẽ ortus mei, anni M.D.LXI. ſcilicet, VIII. Calendas octobris, filius meus qui ſolus mihi ſupereſt, natu ſcilicet minor, uidit per quietem, feciſſe placentã cum butyro, quæ in marmor conuerſa eſt. ipſeq; iußit, ut ex templo, quod ualde prope eſt domui noſtræ, referretur in templum D. Michaelis, quod eregione eſt domus, ac propius. Hoc ſomnium mortem filio minaretur, niſi ipſe adiuuiſſet. nam marmor edi non poteſt: quia ergo iuuit, delatumq; eſt in templum, in quo, quamuis prope ſit, ſepeliri non ſolent maiores noſtri: ideo credendum eſt ſignificare, factum molliter durius illi ceſſurum. Cætera nunc non uacat interpretari.

50 Adiuuabit hanc interpretationem ſomnium meum, quo eadem nocte, imò ipſa iam die procedente, uidi me inueniſſe in limine domus cuiuſdã, per ſomnũ notæ, gemmam magnã, magnitudine calcei, ac quaſi forma uiridi circumdatã, perſpicuã ualde, ut cryſtallus eſſe conſueuit: ſed qua parte perſpicua erat, uiridi colore nõ erat circundata. in ſpem itaq; magnæ opulentiæ erectus uidebar. Redij ad locum, uidere uolens an aliud fruſtũ ibi relictum eßet, & inueni fœmineã crepidã ualde pulchrã, cuius ima pars & poſtrema eodem lapide conſtabat. Vnde mecum reputabam, dicens: hæc inuentio à furto parum abeſt: unde niſi eſſet quòd in manibus gero Eumetrin (qui quàm diu à me geſtatur, uaria & grata iucundaq; ſomnia commonſtrat: & ſi ter expergiſcar in una nocte, totidem uideo ſomnia) dicerem hoc ſomnium præcedenti coniunctum, nuptias ſignificare filij opimas: & concepturam uxorem, ſed fœtum non ſuperuicturũ. Verùm palàm eſt irrita eße ſomnia omnia mea, poſtquã hanc gemmã

fero,

fero. fero aũt ob læta somnia: sic enim diutius est lætũ uiuere, somnij tẽpore iucunditate frui, atq; dimidium fermè reliquum uitæ, quod nobis in posterum eripitur, somno hilaribus uisis recuperare. Sed & ob omen: quãdoquidem Eumetris, quod bene moderatum significat, fortuna autem à me electus est, cum nec nominis nec etymi recordarer: ideò pro omine accepi. Fieri etiam potest tum comparatione ad naturam filij, ut somnium illud inane ostenderit, nec tamen quicquam significet dignum animaduersione.

XIII Calendas Nouembris huius anni M.D.LXI, uisus sum inuenisse iuxta latrinam, in muri foramine satis amplo & recondito penitus, sex aureos coronatos: paulò pòst quatuor alios, dupli ponderis: demum etiam quatuor manicas aureas, satis graues, cũ uerutis palmi longitudine peracutis. erãt autem manicæ in annulorum formam rotundæ, quas ob mucrones iunctos uix recondere poterã idq; me grauiter angebat, & ne deprehenderer timebam. tandem abdidisse omnia, atq; seruasse uisus sum. Aufugerat à me his diebus scitulus puer, cuius consuetudine, quod etiam fide præstaret, et lætus esset inter tot aduersa delectabar nõ parum. fuerat enim ab improbo famulo ad fugã pellectus. Cum uerò id alumnus eius resciuisset, ad reditum illum hortabatur. Ea igitur erat dies, qua rediturum se pollicitus fuerat. Hæc adieci, ut intelligant lectores potuisse ea per idolum referri potius, utpote curas, animi anxietatem, impedimenta apertè, quàm per aurum occultè. tum anima impedita arduis negocijs, huiusmodi non recipit. Quia ergo omnia hic ad aurum referuntur, significata illius omnia colligere oportet: curas magnas, solicitudines ob preciũ, impedimenta ob pondus, tristiciam ob pallorẽ. Reuersus est ergo eadem die, ut significabat somnium. inde multa uerba: tandem mansit apud me. Ergo aurei sex primùm significarunt sex soles: nam die lunæ reuersus puer, sabbatho sequẽte aufugit filius qui mihi unicus est. ita renouata cura est, sed longè maior. Mucrones illi dolorẽ significabant. paucos enim post dies mortuus est alumnus meus mihi charissimus, Guglielmus Cataneus, quem ex Anglia abduxerã. Periere ea in causa aurei quadraginta fermè. filij fuga plusquã uiginti: ita undequaq; pecunia perijt, molestiæq; plurimæ & absq; fine consecutæ. Erat autem somnium mistum re, licet simplex uisio uideretur. Volui hoc descripsisse, ut intelligeres, quomodo leuia magnis misceantur, ut unum somnium, cum de pluribus sit, uideatur. 51

Nocte sequente filij fugam, somnium uidi fœdum, sed admodum clarum: ex quo intellexi filium in potestatem meam rediturum, et meliorẽ factũ, ac famosum: sed non retenturum me illum securè, propter imbecillitatem operationis. Et somnium hoc mirũ in modum disconuenit cogitationibus meis: sed si non 52

futurum esset, non uisum fuisset. non enim eueniunt somnia, quia uideantur: sed quia futura sunt, iccirco se nobis offerunt. Quis hic non uidet somniorum uim? nam si ob memoriam aut affectum contigisset, poterat per filium, nõ per aliud quippiam, significari euentus rei.

53 Cum anno MDLVII. somniassem, me audire harmoniam suauissimam, atq; cœlestẽ, adeò ut etiã illius memoria recrearer: experrectus, statim inueni principium illud: Cur homines ex febribus alij necessariò moriantur, alij non. cui quæsito iam prope uigintiquinq; annis inueniendo incubueram. Eo ergo inuento, statim mane cœpi conscribere librum illum pulcherrimum Artis paruæ medendi, quem post quatuor annos, postquam eum plusquam uicies aut transcripsissem, aut transcribi curassem, absolui: in quo tota prorsus medicina continetur. Sic ex harmonia, diuina sapientia portendebatur.

Harmonia

54 Demum illud adijciã, quòd trium librorum qui per somnũ mihi demõstrati sunt, summam cœpi uoluptatem. Primus fuit, de Subtilitate: secundus, Micropresbyticon, de quibus aliàs abundè dixi: Tertius, sæpius mihi oblatus est. uidebam magnitudinem, sed cum quærerem apud bibliopolam, apud quem uideram, non inueniebam: uidebatur enim uendidisse illum. titulum oblitus eram legere, sed de omnibus agere uidebatur. tanto igitur desiderio detinebar habendi, ut experrectus non possem conquiescere. cogitabam mecum, quis talis liber esse posset. tandem, dum perlego forte fortuna Cœlij Calcagnini librum x, ni fallor, Calendas Ianuarij M.D.LXII, quem iampridem emeram: hoc somnium significabat, quod non apud biblipolam esset, sed apud me illum esse animaduerti. Dices, hic ne tam præstans liber est? minimè. argumenta sanè pulcherrima sunt, sed non præstat in enarratione quod pollicetur in titulo. Paulum enim differt à puro grammatico: sed causam uidisti in primo libro. Forsan etiam & sub hoc, & sub libro Micropresbyticon, arcanum aliquid mihi fatale latet. Vnum est, uoluisse ob pudorem supprimere, quædam parui momenti magnis affectibus quãdoq; per somniũ ostendi. ignota tametsi & incerta causa. Mihi tamen his diebus magno ille liber usui fuit.

Coelius Calcagnin

Ca.15. re.52

55 Reliquum est, ut celebri somnio, quod mihi XI Calendas Februarij anni ciɔ ɔ LXII uisum est, doceã, quod maximè impedimẽto est somniorum interpretationi: scilicet ἀναμνησικὸν à uisione separare. nam nihil est quod magis impediat huiusmodi interpretationem, fallacemq; hãc disciplinam ostendat, quàm huiusmodi mistio, quæ et frequentissima est, & (ut dixi) maximo impedimento interpretationi atq; prædictioni. Paucissima enim somnia uideri solent, in quib. aliquid ex memoria præteritorũ nõ adsit immistũ, quo totũ somniũ fœdatur: nõ solũ prædicendi ratione perturbata, sed quòd homines cũ eã

partem

partem uideant esse ex memoria præteritorum, & in quolibet somnio, quantamcunq; partem & persæpe maximam esse eiusmodi, existimant totam somniorum materiam ex ea constare.

Contigit itaq;, ut tunc uiderem me, quotquot annulos habere, præter duos, unum quem semper gestare solitus sum, hyacinthũ, alium qui gemmam habebat rubram & oblongam parui precij, ut mihi uidebatur (nam hunc non habebam, neq; huic similem) tradidisse Hispano mercatori, cuiusdam gemmarij etiam per somnum mihi ignoti, suasu. nec illum pecunias numerasse. imò mihi uidebar non dedisse, sed gemmarius ille id constãter affirmabat, tertia ante die tradidisse ac uendidisse. narrabatq; ille uenditionis rationem talem, quam ille lucrosam & bona conditione factam contendebat: scilicet ut intra biennium precium redderet: duosq; se obligasse in solidum, nullo tum interueniente scripto, auriq; precium esse (nescio quid) aiebat Quadraginta & tredecim pro centum. atq; hoc tanquam opimum, mirum in modum precium laudabat, ac extollebat. Emptorum horum alterum dicebat esse textorem sericeorum pannorum: reliqui nõ meminit, neq; ego qui esset scire uidebar. cumq; ego quererer, tanquam his uendidissem qui uersuram ob inopiam facere possent: aiebat ille, prædiuitem eum esse textorem. Rursus cum diceret auri precium illum redditurum, quærebam de gemmis. ille aiebat, etiam gemmarum, quanti ualerent. Ego uerò dicebam, quasdam esse gemmas quas ego pluris satis emissem, quàm æstimarentur: atq; inter cæteras Seleniten emisse quindecim aureis coronatis aiebam, cum ille diceret in æstimatione non pluris esse tribus. cum autem quererer de hoc, dixit: Quid sua refert, quod tu pluris emere uolueris? satis est ei, quòd det precium æstimationis, & quod ualet. pigebat autem grauiter hoc fecisse, quod hominibus ignotis sine syngrapha, deinde tam procul habitãtibus, ut cogerer si illi fidem non seruassent, usq; in Hispaniam ire ad litigandum, & omnia alia negocia relinquere, aut amittere prorsus rem & precium: deinde quòd me ob modicum lucrum, & adeò incertum, spoliassem tot gemmis raris, quas tota uita conquisieram: quæ tamen si uenderentur, paruam summam conflare possent pecuniarum, ac longè minorem quàm ea esset quam emendo irogasse. m. itaq; cum quererer cum illo, quòd eius opera tantum errorem admisissem: respondebat nihil, nisi me id egisse non coactum, sed ab illo tantum persuasum, qui existimasset id è re mea esse. Ego autem hoc solo consolabar, quòd factum non putarem, sperabamq; ac dicebam inuenturum in arca cum aperirem. neq; enim recordabar ad arcam accessisse, uel unquam eduxisse annulos meos. ille tamen constanter affirmabat, me dedisse, nec apud me esse. Itaq; rogaui prænomen illius quod esset? ille primùm suspensus, grauatè dicere uideba-

tur. tandem dixit, Stephanum se uocari. Interrogaui postmodum de nomine, & illud etiam difficilius exponere uidebatur. tandem dixit, de Mes. est autem urbs, quæ paucis ante annis obsidione graui cincta à Cæsare, defendente rege Gallorum capi non potuit. Demum interrogaui, ubi Mediolani maneret? ibi enim esse uidebar. negauit se domum habere stabilem, sed huc illucq; uagari. tandem dixit, se eregionè cuiusdam monasterij uirginum, nomenq; retulit, habitaturum: sed ego non memini nominis. dicebat autem, In uia gemmario/rum semper inuenies. quo responso cum id ita esse confiderem, consolari uidebar. tum maximè, quod gemmas adhuc apud me esse existimabam. Interim uerò (nec id recordor) uidebar in summa domus parte habere quosdam lectos, & pullum elephanti uinctum, atq; feram aliam insignem pelle uaria, qualis est pardalis: uerùm qualis esset, non recordor, nec quod nomen: ab ea tamè cauebam, nec fidebam. Elephantem autem pane oblato mãsuetum expertus sum, de quo magnam uoluptatem capiebam. alebat autem ambos Hieronyma ancilla uetus, quæ nunc alibi moratur, hæcq; orto sole. Pridie à cœna de gemmis loquuti sumus, ut hoc totum esset ἀναμνηστικὸν. Significat tamen, parum abfuturum, ne conditionem quandam insanam recipiam aliquantisper lucrosiorem spe, ea quæ est præsens, sed in qua sint multa pericula, & multa impedimenta, præsertim ornandorum librorum: hi enim sunt gemmæ. annulorum autem aurum, redditus, ob quæ pœniteas, præsertim quòd nec securum erit illud præmium. Manifestum est autem, quod hoc erit prorsus in manibus meis ut faciã, propter spem quam retinui, quòd irritum esset hoc negocium, & quòd annuli adhuc apud me essent. Erit ergo mei arbitrij, deliberare à quo somnium, ut palàm est, me dehortatur. Belluæ illæ quid significẽt, ancillæ ueteris interpositio planè declarat. cum enim pulli essent, ambæ duos adolescentes, elephas quidẽ filiũ, fera anagnostã ob elegantiam studiorũ & peritiæ musicæ insignẽ & uariegatũ, reliquaq; quæ ex ea historia decernuntur, significat Nomen et prænomen medio regi, id est principi seruiendum docet, si recepero, cum tamen nihil habeam.

libri. ffime
Aurũ
Spes & regionis irrihum.
Belluæ
Elephas

SYNES. SOMNIORVM LIB. IIII.
ET VLTIMI FINIS.

HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI ET PHILOSOPHI Opera quædam lectu digna:

NEMPE,

De libris propriis.
De curationibus & prædictionibus admirandis.
Neronis encomium.
Geometriæ encomium.
De uno.
Actio in Thessalicum Medicum.
De secretis.
De gemmis & coloribus.
Dialogus de { Morte. / Humanis consiliis, Tetim inscriptus.
De minimis & propinquis.
De summo bono.

Cum Cæsareæ Maiestatis privilegio.

BASILEAE, PER HENricum Petri.

RERVM ET VERBORVM

IN SEQVENTIBVS HIER. CARdani Opusculis memorabilium INDEX.

A

Abietis lachryma lota 122
Abscessuum symptomata 15
Absinthium 127
Acarnanum fortitudo 215
Acciæ filius Octauius 134
Achæorum fortitudo 215
Achates ex quibus materijs sit quas habeat uires 324
Achatis color 308. 309
Achatum lapidum genera 337
Actice 235 eius diuisio 239
Actus bonus 244
Adamas quomodo trahat 256 efficacissimus 322 in quibus locis reperiatur 322 uitiosus 322
Adamantis durities 308 usus 322
Adamantes uarij coloribus 309
Adriani uitia 145 prudentia 165
Adulterium Romani non uoluerunt inultum 191
Adulteria nostro seculo impunita 191
Aedificatio 105
Aegypti fertilitas 235
Aegypti felix situs 236
Aegyptiorum antiquitas 316 reges filios & parētes occidunt 183
Aelij Lampridij historia 221
Aeluropthalmus qualis lapis 335
æqui iusti que domini quid proprium 150
æer quomodo factus 241
æris regiones 20. natura & genera 33. 288 eius uiribus quot instrumenta agitentur 288
ærugo 297
æruginosus color 309
æs & ferrum facilè transmutantur 304
æs uarium 48
æs potest fieri pulchrius argento 306
æternum nihil esse præter Deum 19
æternitatis arcana 18
æther acutus 241 quomodo fabricatus sit ibid.
Aetites qualis lapis 339
Aetius præter artem medicam multa scripsit 262
Aetolorum fortitudo 215
affectatio fugienda 61
Africanorum regnum 165
Agarici usus in coxēdicis morbo 126
agriculturæ cognitio 105
agriculturæ partes 105 propria secreta 292
Agrippa 141 & 143
Agrippæ libri de Occulta philosophia 62
Agrippinæ petulantia 143 & 144
alabastrum qualis lapis 334

Abus color duplex 321
album quomodo fiat 312 non potest esse perspicuum 312
alba quare quædam in nocte uideantur 314
Alchindus de proportionibus 238
Alea qui imperatores luserint, quiq; non 162
Aleæ studium quod faciat 162. 163
Alexander Magnus imperium Persarum transtulit ad Græcos 182 qualis fuerit imperator 166
Alexandri Magni in militia felicitas 215
Alexander Seuerus qualis fuerit 207 uorax 220 bonus princeps 384
algebræ notæ 17
algebratica 238
Ἀλγεβρα liber Cardani 36
alorhete usus in empyemate 121
alumen 297
aluminis fodina Luneburgi 336
ambitionis malum 29
ambitiosi quales 208
ambra 302
Ambrosius pōtifex ecclesiæ Mediolani cauit, ne Iudæus quisquā triduo in ea urbe commoraretur 271
Ametistus Geometer clarus 236
Amethystinus color 309
Amethysti color, uires, precium 333. 308
amiantos qualis lapis 334
amicorum paucitas 42
Ammonius notatur 283
amomum 302
amor 42. 234
amureæ color 321
Amyclas Heracleotes in Geometria clarus 237
anatome præcedit alias partes medicinæ 106
Anaxagoras Clazomenius in geometria clarus 236
Anima animalium ex putredine genitis 20
anima ubi sit 247 quale principium ibid.
animæ substātia 10 immortalitas à Cardano probata argumētis antea inauditis 37. immortalitatem eius non credens, malus est 182
animæ in corpore imperium 246
animam hominis esse immortalē 19
animalia quæ putredine generantur 28
animalia imperfecta 22
animalium differentiæ 33. diuisio 107. causæ 243. quadrupedū secreta 290. ex putri materia generatorum secreta 290
animi bona duplicia 80
animi morborum cura 43
anseris pinguedo 128
anthraces nasci uetat sapphirus 329
Antichthones 283
antipathia 246
antipathiam quæ inter se habeant 255
Antipodes 283
antiquitatis laus quibus debeatur. 236
Antisthenis paupertas 74

Antistius 157
Antonini quales fuerint 206. 207. damnarunt Christianos 185
Antonius Philosophus 165
Antonius Venereus 384
Antonij Leuæ Hispani ducis uirtus. 221
Apologiæ Cardani 52
Apollonij Pergæi libri 237
Apollonij Thianæi epistolæ 206
Appiani Alexandrini historia 221
Appio rex agros & regnum populo Romano donauit 156
Apuleij fabula 64
aqua marina 48
aqua labilis 241. quomodo facta 142. crassat 258
aquæ miracula 33. natura 33. in oculo cura 49
aquæ intercutis cura 49. extractio. 116
aquæ maris color 318
aquam quæ trahunt 257
aqua sola morbos sanari 36
aquæ cœlestes 29
aquarum deductiones 105
aquei coloris differentiæ 306
Arbacus ex Assyrijs in Medos transtulit regnum 186
arborum secreta & uires 290
Archimedes Syracusius 238
Archimedis liber 31
Architas Tarentinus geometer 237
Architectura 34. scientia qualis. 105
Architecturæ partes 105. secreta 291
argentum perfectissimum 283
argentum aliquando argentum transhere 283
argentum quæ aqua colliquet 297
argenti uiui usus in morbo Gallico 16
argumentum præstantiorum rerum quot 113
Aristarchus Samius geometer 238
aristæ glaucæ 321
Aristocratia melior repub. 244
aristolochiæ longæ foliorum usus in empyemate curando 121
Aristoteles notatur 283. sit'ne autor libri de coloribus 311
Aristotelis suppositiones 19. exiliũ 32. 77. scripta 113. & 114. dementia 228
arithmantia 17
arithmetica requirit geometriam. 234
arithmetica Nicomachi 238. Ptolemæi perijt 238
arithmeticæ quæstiones 17. tractatio 51. contemplatio 103. usus ibid. 104. partes 104. secreta 290
arithmeticam qui inuenerint 236
arma optima Mediolani fieri 285
armorum secreta 290
Armenia à Parthis uastata 148
armeni lapidis in medicina uires 331. color ibid.
Artaxata Armeniæ à Neronis exercitu expugnata 149
arthritidis curatio 125
artes suum habere interitum 21
artes perfectæ 32. uariæ 34
artes pleræq; opus habent Geometria 234

artes quædam incertæ 396
artium & disciplinarum studia 37.
fructus 102
artium exercitatio quomodo se habeat ad summum bonum 412
articulorum morbi quomodo curentur 125
artifices falluntur 396
artificia mirabilia 14
asini pinguedinis usus 119
asius lapis quas habeat uires 334
aspalatum 302
Asphalti Iudaici in podagra usus. 127
Assyriorum rex Ninus 186. eorum regnum in Medos translatum. 186
astaci duo genera 332
astacorum caro 306
asthmaticos iuuat Topazius 338
Astrites mollis 310
Astritis lapidis descriptio 334
Astroites 319
astrolabij compositio Ptolemæi. 238
astrologia perfidia quorundam euersa 262
astrologiæ contemplatio 104. usus & partes 105. inuentores 236
astrologi non possunt certò prædicere futura 8
astrologica secreta 290
astronomia eget opere Geometriæ 234
astronomia quare & à quibus inuenta 236
astronomiæ usus & partes 104
Astyagis somnium 287
Athenienses Romanos fuderunt. 214
ater color 309
atræ bilis morbus quomodo curatus 118
atræ bili aduersatur sapphirus. 329
atram bilem sistit adamas 322
auarus bonus esse non potest 182
auari quales 208
auaricia Vespasiani 212
auaricia quale malum 79
auaricia ministrorum principum maximorum causam esse malorũ 390
aucupij artis secreta 291
Auerroes notatur 283
aues 33. earum cura ibid. proprietates ibid. secreta 290
Augites gemma apud Plinium Callais 333
Augustus quas acceperit clades 143
Augusti crudelitas 198
Augusti conceptionem fuisse mysticam 20
Augusti Cæsaris principales amici 143. genus 140. & 141. uxores. 216
Auicenna extra artem medicam multa scripsit 265
Aularum mores 92
Aulicæ uitæ secreta 291. miseria 366
Aulus Cecinna à Tito occisus 196
Aurelianus qualis imperator 166. eidem quæ acciderint 225
Aureus color 318
Aurichalcum 306
autores exponendi ratio 94
autoritas plurimum potest 269
auxilia rara 15

B

Beata unum esse 243
beati siue felicis uita qualis debeat esse 407. & 408
balasij gemmæ color & magnitudo 335
Balsamum amissum 302
Belenites qualis lapis 336
bellum propter pacem 148
bellum etiam minimum maximã summam pecuniæ absumit 162
belli gerendi ratio 110. incommoda 147. suscipiendi causæ 148
bello pax præferenda 147
Berylli uires & color 335
betæ foliorum color 321
Betici accusant Romæ Classicũ proconsulem 190
betonica 122. eius uis in uteri dolorib. antiquis 129
bibliothecæ & libri 35
bituminis genus gagates 339
Bœotiorum fortitudo 215
bombices 252
Bononiæ cõficiunt linea tenuia 285
bonum unum 243
bonum summum quomodo acquirendum 404
boni summi qui sint capaces 404. & 405
bona humana multis fuerunt exitio 399
bonorum & malorum omnium minima esse initia 397. & 398. et 399 & 400
bozium 303
Britanniæ regnum quomodo permaneat 165
Britannicus Claudij filius 143
Britannica dominandi forma 165
Brutus occidit filium 139
Bufonis uires 306. craneum 325
buglossa 122
Burrus apud Neronem imperij minister 143

C

Cæcitas 42. eius sanatio 127
C. Cæsar suas res liberè scripsit 1
C. Cæsaris crudelitas 203. & 204. uxores 216
Cæsaris Dictatoris auaricia 212. 213
Cæsonia Caligulæ uxor 21
Cæsarionem Cleopatræ filium Augustus occidit 169
Caius imperator qualis fuerit imperator 166
Calais qualis gemma 332
calamitas publica 43
calamitates uniuersi quot 9
calamitates quæ signa præcedant 21
calamitates septem generales 21
calamitatum causæ 10. 21
calamitates publicas cauendi secreta 291
Calderæ aquæ 119
Calechutum emporium 340
Caligula seruatus 142
Caligula multo crudelior Nerone 119
Caligula uoluit Vergilij & Liuij scripta abolere 159
Caligulæ uxores 216. auaricia 222

Caluitij laus 232
calx aquam trahit 257
calcis color 321
cambuiris lapidis uires 333
Campanus Nouariensis Euclidis interpres 237
cancrorum caudæ & chelæ 121
cantilenas componendi modus 28
caphura 122
capitis morbi 15. symptomata. ibid.
capitis dolor longus quomodo sanatus 128
Capito repetundarum damnatus. 155
Cappadociæ regnum in prouinciam à Tiberio redactum 148
capreola qualis lapis 339
caprificus 297
carbo quare nigrer 313
carbunculus albus 321
carbunculus granatus 323
carbunculus orientalis 330
carbunculi color 308. 330. uires. 323 330
carbunculi duæ species 323. tres 330
carcinoma 303
cardamomum maius 122
Cardani ætas & natiuitas 7. imago 12. laus 40. libri quo ordine legendi 54. & 55
Cardani qui scriptores mentionē in suis scriptis fecerint 55. & 56
carneæ moles 303
carneolus, coralius 327
carneoli color & uis 327
carnes in febribus putridis non dandæ 264
carnes facilè corrumpuntur, & sunt difficiles concoctu 165
Carolus, frater Ludouici regis Gallorum, quomodo afflixerit regnū Galliæ 169
cassia nigra 302
casus & fortuna sæpe secreta docet 286
catalepsis 128
catapasti lapidis figuræ 324. colores & uires 326
catapluzon humanum 49
catoptrica Euclidis 237
catoptrica quid doceat 239
Cato Censorinus quoties in senatu accusatus 229
Catonem uinosum fuisse 220
causæ suos effectus producunt 7
causæ naturalium duplices 253
causæ plures unius effectus 254
causarum effectus quid mutet 8
centaurij maioris radix 324
cephos quadrupes 305
cerasa celeriter corrumpuntur 115
ceraunium lapis 336
Ceselius Bassus Pœnus 211
Chalcedo regio 337
chalcedonij tres species 337
Chalcis insula 337
chamæpythys 122
chelidonij lapides ubi inueniantur 337
chermesinus color 301
chiromantia naturalis coniecturæ pars 105
Chironia ulcera 303
Christi cōceptio mystica 20

Chri-

Christi diuinitas quibus argumentis ostendatur 20
Christi imperium quando & ubi sit futurum 22
Christi natiuitas 32
Christiani quomodo Neronis tempore falsis criminibus accusati, et supplicio affecti 184. & 185
Christiani multi facti, ut licentius uiuerent 186
Choreæ 104
chorographicæ descriptiones 34
chrysolithus quo colore uiribusq; sit præditus 341
chrysolithi puluis quid posit in medicina 119
chrysolithi color 308
chymica 34. Auicennæ 281
chymica metamorphosis 286
chymicæ secreta 290
cibandi ratio & modus Hippocratis 264
ciborum præparationes 29. ostendũt quantum minima possint 403
ciborum febricitantibus conuenientium proprietates 264. & 265
Cicero notatus 220
Ciceronis aduersa fortuna 81. & 82. superbia 97. errores 215. stultitia & miseria 227
cichorij succus 131
cinamomum 302
cinereus color 314
Cinædia lapis quas uires habeat, qualisq; sit 339
circularis figura uniuersi 240
citreus 309
citri corticum usus in uteri antiquis doloribus 129
ciuilis conuersationis secreta 291
ciuitas nulla potest esse perpetua. 21
claucus color 321
claudi 42
Claudius Drusi filius 142
Claudius secundus qualis 166
Cleanthes pauper fuit 74
clementia laudabilis 150
Cleodamus Thasius geometer 237
Cleomedis opus de circulis 238
Clotharius Gallorum rex 384
clypei optimi fiunt Mutinæ 285
cochlias duplex 333
cochlias qualis lapis sit, quasq; uires habeat 333. & 334
Cœlum Cyanei coloris 318
cœli uaria substantia 20
cœli motus quomodo fiat ibid.
cœli partes 241. constitutio. ibid.
cœli quid differant ab elementis. 107
cœlorum naturæ scientia 292
cœlorum differentia 107
cærulei coloris species 309
cognoscendi genera 19
colocinthis 122
color quomodo efficiatur 312
colorem tribus constare 320
colores recreantes uisum, & exhilarantes 331
colores principales gemmarum qui & quot sint 343
colores quare in quibusdã reb. stabiles, in quibusdam mutentur 314.
colores in auium pennis 313
colorum differentiæ 302. & 309

colorum expositio 50
columbi caliditas 297. stercus ibid.
columborum colli colores 313
comæ laus 232
cometæ 33
comitialis morbus 303
comitiali morbo resistit coralius 327
Conon geometer 238
comitiales detegit gagates suffitus. 339
comitiales reuocãtur suffumigio sucini 340
comparatio secretorum omnis generis 292
compositiones pulchræ 34
Conchidica Nicomedis 238
conchites qualis lapis 336
consilia Cardani 52
consolatio infortuniorum 17. luctus ibid.
consolationis ratio generalis 17
consolationum libri Cardani ibid.
contemplatio 20
continentia 399
contra punctus liber 28
coracinus piscis 338
coralius 310
coralius ruber uiribus præstat 327
coralij generatio, colores & uires. 327
coralium esse carneolum opacũ. 327
cor confirmant gemmæ 331
cordis palpitatio 130
cordi qui lapides utiles 339
Corinthiorum fortitudo 215
Cornelia Cinnæ uxor Cæsaris dicta/ toris 216
corporum repugnantia 289
corruptio quare mala 243
coruinæ lapidis descriptio 334
Cossutianus repetundarum sub Nerone damnatus 155
coxendicis morborum curatio 126
croceus color 309
crocuta 305
crudelitas præposterа & opportuna 208
crystallus gemmarum tenerrima. 380
crystalli usus 337. 338. color 308
Cteniter qualis lapis 336
cubi natura 241
cucurbitularum usus 128
cupiditates immodicæ 409
cuprum 306
cyaneus color 309
cyaneus lapis quibus uiribus & colore præditus 331
cyclamen 122
cynæ radicis usus 16. in tabe & regio morbo 130
cynorhodi radix 306
Cyphi compositio amissa 302
Cyrus Medorum regnum in Persas transtulit 186

D

Dæmon quis 80
dæmones 19
dæmones & mortui 35
dæmonum naturalis uisio 48
dæmonum illusiones, hoc est inanes terrores, discutit smaragdus 329
Damasci ager 236

Damiani Larissæi demonstrationes. 239
damnandi à magistratu qui sint. 384. & 385
data Euclidis qui interpretati 237
Decius edicto Christianos damnauit. 185
dedecoris causæ uitandæ 409
deformitas 42
delectationis fundamentum 75
deliciæ 48
demonstrandi plura sunt genera. 66
Demosthenis fortuna aduersa 82
dentium medicamen præstans Coralius 327
desperatio quid possit 287
destillationes 34. 290
Deus eminentiore modo unus est quã creatura ulla 246
Deus geometra 239
Deus multa reuelat 286. mutat regna 296. & 187
Deus unus 243. & plures 249
Dei digiti umbra totum orbem terrarum circumagit 46
Dei iusticia 6. præuisio & prædestinatio ibid.
Dei prouidentia 19
Deo curam esse mortalium 117
Deum cuncta scire 19. esse infinitum, unum esse & æternum. ibid.
dij honorandi 293
dij intima rerum intelligunt 293
Dialectica Aristotelis tota breuissime comprehensa 37
Dialectica Cardani. ibid. 40
Dialectica Galeni 37
Dialectica liber secretorum 283
Dialectica Ptolemæi 37
dialecticæ contemplatio ad quid utilis 103
dialectices partes quot ibid.
dialogo explicari quæ res postulent. 111
dialogorum duæ species 112
Didymus geometra 238
Dioclis Pyriæ fragmenta ibid.
Diodori Siculi historia 221
Dionysodorus mathematicus 238
Diophanes Alexandrinus geometer. ibid.
disciplinarum dignitas 26. fructus 102
discordia quid 243
diuinæ sapientiæ abyssus 19
diuinatio utilis 8
diuinatio à fato pendet 9
diuinatio ex astris 105
diuinationem ex physiognomia attinentia secreta 291
diuinationum præstantissima 105
diuinis parêre debent naturalia & humana 96
diuinorum tractatio 52
diuitiæ plurimis obfuerunt 195
diuitiarum inconstantia & uanitas 260 & 261
doctrina omnis ex generalibus procedit 296
doctrina quomodo facilior & firmior reddatur 66
dominandi formæ tres 165
Domitiani auaricia 212

crudelitas 159.139.199
Domitiano mitiorẽ fuisse Neronem 189
Dropax Pauli 126
Drusus Tiberij filius 142
Dynamice 235. quàm ampla sit 239
Dysentericis plurimum prodest smaragdus 328

E

Echo 256
educandi filios secreta 291
effectus genera 253
elaphios 310
electrum metallicum 301
electrum quomodo trahat 256
elementa tantum tria 29
elementa duo grauia 312
elementa rediguntur ad unum 254
elementa liquida nullum habere colorem 319
elementa quomodo differant 254.
elementorum artificia 33
elementorum differentia 107
elementorũ fabricatio 241. qualitates 254
elephantiasis 303
elephanticis utilis smaragdus 328
elixit 29
Elleborus 122
Emplastra 290
Empyematis curatio 121
Encomia Cardani 52
Entis genera 19
Eperlanus lapis et piscis 341. & 342
Ephemeridum compositio 34. supplementum 104.
epistolæ familiares Cardani 52
epistolæ quo'nam pacto scribendæ. 112
epistolis non sunt tradendæ artes & scientiæ 112
Eranos 308. lapis, quibus uiribus, quóque colore præditus sit. 340
Erasistratij contra Galenum 277
Eratosthenes geometra 238
Eremita liber Cardani 36
erithrodani puluis 131
errorum nostrorum causæ 10
ethica 110
Euangelium hoc prædicabitur, quo modo intelligendum 21
Eubulides contra Aristotelem 260
Euclides Platonis tempore clarus. 237
Euclidis dialectica 37
Euclidis interpres 237
eucrinos qualis lapis 336
Eudemus geometra 238
Eudoxus Gnidius geometer 237
eumeces lapis 505
eius color 309
Eumetris lapis qualis sit uiribus & colore 326
Euphragiæ usus in oculorum morbis 127
eupatorium 122
Eutocij Ascalonitæ fragmenta in mathematicis 238
Eutrochos qualis lapis 336
Eutycij de mensuris libri 238
exhalatio 49
exilium 43
exilij Ciceronis causa 226

expe-

experimentum mirum 48
experimenta quæ sint 69
F
Fabrilis ars requirit geometriã 234
fabrilis artis secreta 291
fabularum & ludorum utilitas 110
fabularum quatuor genera 110
fabularum & technarum discrimen 31
facile & nobile inuicem pugnant 292
facilia quæ 292
facultatis imbecillitas quibus modis deprehendatur 133
famæ interitus 17
familiæ certum habent finem 21
farrago medica Cardani 52
fascinationes soluendi secreta 290
fatum 103
fatum immobile 7. diuinationi inutile 8
fatum non esse, ex quibus colligatur. ibid.
fatum in quibus manifestum 9
fatum, bonum 244
fatum esse in singularibus 9
fatum ponere & negare liberum arbitrium, quid interfit 8
fatum confirmantes 7
fati quatuor species ibid.
fati utilitas 9
fati lex ex quodam generali ordine pẽdet 10
fati ratio 246
fato credentes plerunq; sapientissimos esse 10
fata legum 9
fata hominum 10
fatorum secreta 291
febris putrida 15
febris singultuosa 127
febres quæ humida generent 115
febres acutæ quàm longæ sint 264
febrium biliosarum species 272
febrium continuarum longitudo 264 & 265
febribus continuis cibus uitandus qualis 264
febribus qui uictus sit accommodatus 264. 265
febricitantibus caro pessima 265
felix quis 73
felicitas 20. 253. in quibus rebus sita 393
felicitas humana 17. quare non sit perfecta 75. in quibus consistat 75. 406
Ferrariæ principatus diu stetit 153
ferrum cælare 302
ferrum & æs quid differant 304
ferrugineus color 309. 314
figulinæ artis secreta 291
filicis semen 305
filij improbi 43. suppositi. ibid.
filij non similes parentibus 173
filiorum cura 43
filios educandi secreta 50
finis mundi 30
finis omnia dirigit 303
finis omnium rerum mortalium 291
flamma est fumus ardens 313
flammeus color 309

flaui coloris ſpecies 309
Florentia quare toties mutarit domi/nos 153
fœniculi uſus in oculorum morbis 127
formas rerum non eſſe æternas 19
formicæ 252
formicarum res homines non intelligunt 302
fortes philoſophia facit 216
fortitudo 399
fortitudo Laconum 215
fortuna malum 244
fortuna quomodo in humanis rebus ludat 82.408
fortuitæ calamitates 43
frictionum uſus 136
frontis figura & lineæ 105
fructus horarij 47
fugitiui quomodo retinendi 49
fulmen non tangit carinas nauium 258
fuluus color 309
fumaria purgat ſanguinem 119
furoris affectus ſedat balaſius 335
fugitiui filij 43
fuſcus color 309

G

Gadij antiſtitis miſera mors 118
galange uſus in doloribus uteri 129
Galba Nerone crudelior 189
Galbæ auaricia 212
Galeazij Sforiæ mortis ultores quales 210
gagatis in medicina uſus 319
Galenus notatus 60.61.285
Galenus quæ omiſerit 29
Galenus quomodo ſcripſerit 85
Galenus extra artem multa ſcripſit 262
Galeni ſcripta 113.114
Gallia à Germanis uaſtata 148
gallicus morbus 15
gallici morbi ſigna ibid.
Galliopſis radix 119.306
gallus ſolus criſtatum animal præter ſerpentem 257
garamanticum gemmæ genus 328
garatronium qualis lapis 339
garrulitas 409
garyophyli 122.302
geber de triangulis 238
Geminus Anatolius geometer 238
gemmæ 33
Gemmæ immaturæ 331
Gemmæ naturaliter pictæ 48
gemmæ omnes ab initio candidæ 330
gemmæ quomodo præparãdæ ad medicinam 332
gemmæ quæ duriſſimæ 348
gemmæ à gemmis quomodo diſtinguantur 342
gemmarum colores principales octo 343
Gemmarum differentiæ 308
gemmarum differentiæ ex coloribus 322
gemmarum folia 48.304
gemmarum formæ 310
gemmarum geſtamen quid poſſit 318
gemmarum tranſmutatio 304

gemmas

gemmas duricie distingui 332
Geographiæ librum primum & septimum Ptolemæi interpretatus Cardanus 13
geographiæ partes 106
geographiæ utilitas ibid
geographicorum libri Ptolemæi 238
geometria opus Dei præcipuum 235
à quibus inuenta 236
geometria quomodo ordinanda 69
quàm latè pateat 235
geometria animos sensilibus affixos auellit 240
geometria quomodo ducta sit 242
geometriæ autores 236. eorum multitudo 239
geometriæ encomium 24. 52. 231
geometriæ in artibus usus & necessitas 233. 234
geometriæ nomen unde 236. partes 105
geometriæ summa ratio mundi constitutione obseruata 242
geometriam professus Cardanus, & de ea scripsit quindecim libros 12
geometricum problema 37
geometrica elementa 51
geometrica Nicomachi 238
geometrica secreta 290
geometriæ quæstiones 17
geometriæ quæstiones Aristotelis 237
generalia cognoscenda 295
generalia scire non satis 284
generatio quare bonum 243
generationis secreta 290
generis humilitas 42
geniturarum exempla 32
gentianæ radix 320
gentianæ succi usus in quartana 128
gentium ritus 35
Germanicus filius Drusi 141
germani militarunt cum Romanis contra Parthos 148
glossopetra lapis qualis 316
glasteus color 309
glotis lapis 332
glotis gemma, quæ & Iouis telum 336
glyzirizæ usus in curando empyemate 121
gnidij medici contra Hippocratem 277
Gordiani, uitæ delicatioris 210
gossipium præparandi secreta 392
Græci à Phœnicibus orti 236
Græcorum fortitudo 215
Græcorum regnum ex Persis 187
Græcis antiquiores Aegyptij 236
Græciam liberam pronũciauit Nero 162
graminis radix quas uires habeat in calculo 123
granatus Aethiopicus 323
grando 28
Guglielmina 50

H

Hæmatites unde dictus, & cuius coloris 339
hamonij color & uires 340

Hebri

Hebri liber de locorum distantia 2
hectica febris 15
heptagoni latus 397
heptagona figura terminari omnia cœlestia 242
herbaceus color medius glauci ac nigri 317 & 318
herbarum uires & secreta 290
herbosus color 309
Hercules Ferrariæ dux 169
Herculeus lapis 255. nobilis 310 optimus qui 282
Herculei lapidis natura ignota 279
Herculei lapidis mons 255
Hermotimus colophonius geometra 238
hernia 303. eius cura 49
Herodotus insanus 221 eius historia ibid.
Heron Alexandrinus geometer 238
hieracites qualis lapis 337
Hippocrates Chius in ordinẽ primus geometriam redegit 236 & 237
Hippocratis dialectica 37. scripta 113
Hippocrati qui aduersati 260
historiæ laus ueritas 65
historiæ nostri temporis 221
historiæ uetustate pereunt 64
historias plus mali quã utilitatis mortalibus afferre 221
Hochelagan à Gallis defecturam 22
homo, fera fallax 333
homo homini molestus 92
homo respondet heptagonæ figuræ 242
homo uniuerso cœlo similis 242
homo quot uno partu pariat 249
hominis miseria 17. finis 20. operatio præstantissima 403
hominis temperamentum 28. perfectio quæ 75
hominis forma 28. partes 245. cognitio 295
homines quibus artibus capiantur 333. in quibus maximè fallantur 393
homines facundiores esse in uituperãdo quàm laudando 232
homines ex quibus causis miseri fiant 88
hominum studia qualia 184
hominum fata 10
hominum genera decem 19
horarum inæqualium horologia 301
horologiorum usus 285. structura requirit geometriam 234
humana conditio 45
humanæ conditionis miseria 21
humana natura 34
humana uita qd sit 86. eius genera 20
humanarum rerum successio 21. finis 34. æqua distributio 20 circuitus 22
humanum regnũ opus habet Dei præsentia 117
humanum regnum eget naturali 100
humana diuinis debent parêre 96
humana omnia momentanea 403
hyacinthorum species duæ 323
hydraulica organa 301
hydrops 303
Hyle bonáne, an mala 249
Hymnus liber secretorum 288

hymni

hymni Cardani 47
hypocritæ magnorum malorum causa 181
Hypsiclis Antinoitani libri 237
hysterapetra qualis lapis, et ubi reperiatur 337

I

Iaspidis uitia 309. color & uires 324
iaspides omne genus coloris recipiunt 309
ideæ quid 20
idem bis fieri non potest 20
idem simplex & felix 19
idem necessarium & liberum. ibid.
iecoris cura 49
iecoris morbis utilis balasius lapis 335
iecoris pustulæ 121
iecoris tumorum ustio 116
iecori qui lapides utiles 339
ignis aquæ contrarius 241
ignis uires 34. natura & substantia 289
ignis color 313
imaginandi uis quid in homine possit 300
imagines in aqua 289
immortalia, bona 244
imperium Romanum & Turcarum qualia 97
imperia esse mundo necessaria 26
imperiorum fata 9
impia perennia esse non possunt 62
impetigo 303
improbitas quid 329
impudicia uxoris 43
inane 289
incidentia 297
Indiam Occidentalem ab Hispanis detectam 22
Indiam orientalem à Lusitanis ibid.
Indica lue laborantes plurimi sanati à Cardano 123
Indicus morbus 15.52
Indici ligni usus in curãdo morbo Gallico 16
Indici uini descriptio 122
Indi lapidis color & uis 332
indiuiduum 289
infamia 42
infelicitatis insigne exemplum 212
infinitum, malum 244
infinitum esse in mutatione 19
ingeniorum natura 285
iniuria 42
initia exigua 394
Insubrum regnum quare inualidum sit 158
interrogationes medicæ 15
inteſtinorum morbi 15
inuidia 42
Ioannes Monteregius mathematicus 238
Ioannis Monteregij liber 2
Ioannes Grammaticus notatur 288
Ioannis Geraseni explicatio in opus Cleomedis de circulis 238
ira principum 48
ira quid faciat in homine 46
iræ affectum temperat balasius gemma 325
iratus uerbis cõtendere nõ debet 408

Isidorus Milesius geometer 238
istricus lapis unde dictus, & qualis 335
Italia non diu potest esse sine bello 7
Itali à Græcis 236
Iudæorum excidij causa 22
Iudæorum defectioni Nero prospexit 149
Iudæorum aliquot milia feris dilaniã da exposita 196
Iudaicus lapis 297. eius forma & uires 340
iudex iustus quis 149
iudex literam legis non semper sequi debet 150
iudici quæ considerandæ 150
iudicia Romanorum iniusta 191.192
Iulia 140
Iulianus cõtra Hippocratem 260
Iulius Bassus 190
Iuliorum familia quàm diu regnarit 204.
iuncus marinus 297
Iunius Sillanus proconsul Asiæ 173
ius æquũ seruandum omnibus 230
Iure humano & diuino miseris debemus fauere 153
iustus iudex quis 149
iusta sunt, à Deo ordinata 6
iusticia quid 150. geometrica ratio 239

L

Labieni libri sub Claudio exusti 139.
Lac mulieribus auget crystallus 338
lactis aqua 119
Lacedæmonij uicerunt Romanos 214
læuia, nitida 312
lanam præparandi secreta 292
lapis nocte lucens 321
lapis in uesica quibus præsidijs atteratur 297
lapidis renum extractio 116
lapides precioſi præter gemmas 310
lapides forma distinguit, quemadmodum plantas 337
lapidum miracula 33. uis 50. natura 33.108. secretà 289
lapidum precioſorum nocumẽta. 310
laudare difficile 232
laudari & uituperari ab improbis et probis quid 138
lazuli lapidis uires 331
leo quare gallum timeat 257
Leon geometer 237
Leonardus Pisanus geometer 239
Lepida amica Neronis 146
lepra Græcorum 118
lepræ curatio 52
lex nulla perpetua 21
lex ad mentem conditoris referenda 150
lex iniusta non est lex 193
leges Romanorum 189
leges ciuiles breuiter explicatæ 22
leges quibus fauere debeant 150
legum comparatio 20. fata 9. interitus 21. mutationum signa 21
legũ necessitas, usus & damnum 20
legum promulgationes 21
leuisticum semen 128

Liberi

Liberi arbitrij utilitas 10
libertas quomodo possit obtineri 22
Libri quo pacto conscribendi 23
libros scribere 409
libros scribendi modus 60
libros necessario interire 21 (335
libidinis affectus sedat balasius gẽma
lienis tumoris cura 49
lignariæ artis secreta 291
lignum Indi decoctum 121. utile oculis 127
liliacei olei usus in renum calculo 123
linea subtilia Bononiæ fiunt 285
lineæ plura loca possidentes 27
linearũ mixtio. ibid. significatiões 27
linearum significatio iuxta planetarum loca ibid.
linguarum uarietas 35.285.286
linqui animo 339
limum præparandi secreta 292
littorosi lapidis uires 333
Liuia Drusilla uxor Augusti 216
Liuia Horestilla uxor Caligulæ 216
Liuia Tiberij uxor 140
liuidus color 309
Loliana clades 149
Lollia Paulina uxor Caligulæ 216
lotionibus quibus utendum 47
Lucæ Pacioli in Geometria labores 239
lucentia nocte 313
Lucianus quomodo scripserit 112
L. Sylla res suas liberè scripsit 1.
luctus 43
luctum perferre commodè 50
ludendi secreta 30.191
Ludouicus Sfortia 169
ludus fugiendus 46
ludorum multa genera 110
Lugdunensis clades 158
lumen efficit colores 320
luna animalium causa 243
luna facit morbos breues 263
lunæ uis in morbis ibid.
lupus salictarius sanguinẽ purgat 119
luteus color 309
lutum Armenum 119
lutum sanguine maceratum 200
lux & lumen 33
Lycus contra Hippocratem 260
Lynx 305

M

Machiauelli historia 221
machinæ igneæ casu inuentæ 286
machinæ pondera trahentes 289
machinarum fabricatio 105
machinarũ ignearum cõstructio 378
machinarum structura requirit geometriam 234
macis 302
magica uis nulla in uerbis aut figuris 302
magia Artesij 34
magiæ partes 108
magiam didicit Nero 162
magna quæ sint, quæq; nõ sint 393
magnes quomodo trahat 256.257. etiam argentum trahit 257
magnetis mirabilis natura in ferro trahendo & repellendo 282
Mahomet Moisis filius geometra 238
Malachitis color, ususq; 338

mala qui docet, peior est faciente mala 183
mali nauium à fulmine non tanguntur 258
malobathrum 302
malorum causæ 19
malum, plura 243
ματτύα 48
Mantuæ principatus diu mansit 153
Maroboduum Germanum decepit Tiberius 148
margarita 308
margaritæ quomodo nitescunt 329
margaritarũ pulchritudo, preciũ & natura 329
marini mathematici protheoria 237
Marius Priscus proconsul Africæ 189
materia omnium 20
materia prima 289. qualis 244
materia quare facta 252
materiæ notiores sunt actionibus 287
mathematica cur aliter esse non possint 20
mathematicæ scientiæ præstantia & certitudo 284
mathematicæ artes quales 233
mathematicarum disciplinarum geometria metropolis 240
mathematicarum tractatio 51
mathematicarum rerum peritia maximũ est indiciũ uerè studiosi 284
mathematicorum elementorum primus autor 237
Matheseos libri Ptolemæi 238
Maumethani habent aleam pro malorum maximo 163
Maumethanorum perturbationes 22
Mauri filios uendunt 397
Maximus Planudes mathematicus 238. mechanica 239
Mecœnas 143
medendi ars parua 52
medendi usus malus. ibid.
medicamentum polycrisson 48
medicamentum simplex nullum noxa carere 14
medicamenta tria purgantia ex lapidibus sumpta 331
medicamentorum multitudine homines citius senescunt 268
medicamentorum necessitatem parit cibi copia 268
medicamentorum purgantium noxa 268
medicamentorum secreta 290
medicamẽtis ualidioribus usus aliquãdo Cardanus 137
medica ars tota Cardani 40
medicarum disputationum lib. 15
medicina, pars physices 107
medicina stare non potest absq; præcognitione 262
medicina quàm latè pateat 115. tota seruilis 77. semp augeri uult 116
medicinæ encomium 36.52
medicinæ errores 396
medicinæ partes decem 106. principia. ibid. tractatio 51
medici antiqui sua secreta non euulgarunt 295
medicorũ contradicentiũ libri 52.57
medici in Germania et Gallia 272

Medio-

Mediolanenſis arx terræ motu et fulmine excuſſa 187
Mediolanenſis ciuitatis exemplum. 22.
Mediolani urbis laus 234. & 235
Mediolani principatus 153
Mediolani optima fiunt arma 285
medium miſtionis 318. proportionis ibid.
Medorum regnum in Perſas translatum 286
melancholiæ medetur adamas 322
melancholiam ualidè purgat Armenus lapis 331
melancholia laborans quomodo curatus 119
mel 33
melichlorum lapis 339
meliſſa 122
mel anacardi 123
mellis uſus in difficultate ſpirandi. 123
membri contractio 303
Memmius Regulus 165
memoria 290. memoriæ ſecreta. ibid.
Memphis antiqua ciuitas 236
mendaci etiam ueritas non creditur. 46
Menechmus geometra 237
Menelaus mathematicus 238
mens 34
mentem mutandi ſecreta ratio 290
Mercurij à Sole diſtantia 242
Meſſalina Claudij uxor 143
metallica metamorphoſis 280
metallorum ornatus et politura. 290
pondus quomodo augeatur 49
metallorum ſeparatio 290. translatio in lapides. ibid. uires 290
Metonij hiſtoria 221
metopoſcopia 25. eius partes. 105
militaris ars 20. eius ſecreta 291. errores 396
militaris diſciplina obedientia conſtat 269
militaris diſciplina apud Romanos. 215
militari arti ſit ne utilis religio 21
milites in diſciplina continendi. 148
militum Romanorum patientia. 215
Milo qui occidit Clodium, Maſſiliam relegatus 189
minari uentoſi hominis eſt 408
minima quantum poſſint oſtenditur 403
miracula Chriſti uera 20
miraculorum ceſſationis cauſæ quæ ſint 9
miſeria hominis 88
miſericordia unde fiat 238
miſtorum miracula 289
mitem eſſe quid ſit 210
mixta 302
mixtio generalis 20
mixtorum proprietates 33
Mœſia à Dacis uaſtata 148
mollientia 297
moralis philoſophiæ tractatio 51
morbus Indus 303
morbus cum in ſtatu eſt, potiſſimum à cibo abſtinendum 26. & 262
morbus quo tempore longus & bre-

uis fiat 263
morbi status medico debet esse notus. 262.263
morbi Gallici origo 15. natura & uarietas 16
morbi Indici curatio 122
morbũ Gallicum curãdi methodus. 15 & 16
morbi uarij 15
morbi compositi 52
morbi mirabiles 34
morbi ex dissectione pendentes 549
morbi quando lethales 563. quando breues & periculosi. ibid. quando breues & salubres. ibid.
morbi qui à Sole reguntur longi. 263
morborum signa 15. mutatio & uarietas ex syderum motu 263
morbos aqua sanari 36
morbis laborantes qui maximè infirmi sint 265
morbosa corpora 29
mores mutandi secreta 290
morientium dolores 360
mors an sit summum malum 410
mors inter differentia locatur 87
mors æquo animo ferenda 100
mortis dolor 50
mortis consolatio 17
mortis spontaneæ causæ quæ 357
mortem contemnere philosophia docet 216
mortem nunciat summa facultatis imbecillitas 133
mortalia ab immortalibus quanto discrimine seiuncta sint 399
mortalium communis error siue ui/tium 230
mortalium mala summa quæ 216
mortuorum imagines 23
mortuis uiuentes sunt miseriores 50
morum institutio 110
moschus 302
Mosen fuisse ueram prophetam 20
Moto aduersatus Platoni 260
motuum generalis ratio 34
mulier quale animal 47
mulieribus secreta non reuelanda. 47
mundus incorporeus qualis 49
mundus diu superfuturus 21
mundi ætatum successionem quæ secutura 10
mundi anima 20
mundi & hominis similitudo ibid.
mundi finis 22
mundi finem prodigia præcedentia. ibid.
mundi genera sex 19
mundi historiæ breuis epilogus. 22
mundi infantia 21
mundi intelligibilis constitutio 19
mundi magnitudo & ortus 18. principia 51
mundi reditus post interitum 22
mundi senescentis signa 10
mundi sensilis constitutio 20
mundi successiones 10
mundi terminus 19
mundi tripudium 40
mundi uincula 9
mundum habuisse initium 19
munitiones 105

muſcæ laus 232
muſcaria 305
muſica Ptolemæi 238
muſica indiget ope geometriæ. 234
muſicæ contemplatio 104
muſicæ libri 27
muſicæ partes 104
muſicæ uſus. *ibid.*
Mutinæ optimi Clypei fiunt 285
myexis quas uires habeat 325
myites lapis 336
myrobalani 302
Myſticum fabulæ genus 110.111

N

Napelli forma 305
narcaphtum 302
narciſſi ſeipſum in fonte intuentis fabula 76
naturæ proprietate agentium ſcientia 107
naturæ dominus 253
naturam infinitam eſſe 103
naturam qui autores excoluerint. 284
naturalis philoſophiæ tractatio 51
naturalis philoſophiæ pars medicina 107. *item agricultura* 105
naturalis coniecturæ partes *ibid.*
naturales cauſæ 43
naturale regnum 100
naturalia agentia 7
naturalia principia 28
naturalia diuinis parêre debent 96
naturalia obnoxia eſſe ſeruituti 9
naturalium cauſæ duplices 353
naturalium membrorum ſymptomata 15
naturalium rerum ſucceſſus 21
naturalium rerum ſcientiæ eſt utilis Geographia 106
nauigandi ars 34. *eius ſecreta* 291
nauticæ artis errores 396
Neceſſaria quæ 406. 407
Necromantia Auicennæ 281
Neoclides in geometria clarus 237
Neopolitanum regnum quare dominos mutarit 153
nephriticis doloribus medicamentum 338
Nereis 305
Nero in re frumentaria proſpexit populo 154
Nero deuicit Parthos 149. *Iudæos ſubegit* *ibid.*
Neronis artes 156. *conſcientia qualis poſt necem matris* 178
Neronis clemẽtia 189. *liberalitas.* 162
Neronis encomium 52
Neronis mors et rogus 145. 146
Neronis præceptor Seneca 143
Neronis uirtutes 144. 145. *uxores* 216
Neroni quæ crimina obiecta 144
Neruæ clementia 139
Neruus quomodo extendatur 119
Nicolaus Cuſa mathematicus 238
nicoli gemmæ color & uires 339
Nicomachi arithmetica & geometria 228
Nicomedes mathematicus 238
Nicomedis Conchidica *ibid.*
nigrum non eſſe colorem 315. & 316

nigrum quomodo fiat 312
nigri coloris species 309
Nileus de sectore 238
Ninus Assyriorum regnum constituit 186
nitida quæ 312
nitoris causa in gemmis 308
nitoris differentiæ ibid.
nix quare noctu alba 314
Noe arcæ magnitudo 26
nobilitatis fundamentum 294
notoria ars 291
nubilosa perspicuitas in gemmis. 310
Numantini fuderunt Romanos. 214
numerus 245
numeros esse rerum principia 103
nux Indica 302. myristica. ibid.

O

Obedientia in re militari 269
obliuio 42
Octauius qualis fuerit 134
ocelli gemmæ color & uires 341
ocium 46
oculorum medicamentum maximum 329
oculorum morbi 49. quibus curentur 127
oculorum suffusionis sectio 116
oculis chelidonius prodest pro collyrio 337. item lapis lazuli 331
oculis utiles, uirides lapides 324
odium quid 283
odorum secreta 289
œconomia 110
Oenopides Chius clarus geometer. 236
oleum amygdalinum 127
oleum densum 258
oleum de lino, & liliaceum 129. de scorpionibus 128. de sulphure. 48
oleum & uinum simul esse non possunt 114
omasum quid 60
omen in natiuitate primogeniti filij Cardani 5
omnia scripta interire 65
onychum lapidum genera 337
onyx quas dotes habeat 334
opaca perspicuitas in gemmis 310
opalus 305
opera admiranda 289
opes quibus modis contingant 77
ophites quas habeat uires 326
opisthotonus morbus lethalis. 124
opisthotoni in puero curatio 125
optica 104. 239
Optica Euclidis 237
optica opus habet geometriæ ope. 234
opticæ partes septem 104
optimates 99
optimatum potestas 110
oratio qualis esse debeat 60. 61
orationes in genere demonstratiuo Cardani 52
orbis unum 246
orbitas 43
ordo bonum 244. 252
ordo quot dicatur modis 7
origanum Creticum et Italicum. 285
oris præstigiæ 289
orphanus lapis 321
orphani lapidis color & uis. 340

orix

Orix 305
Othonis auaricia 212
Othone mitior Nero 189
Ottomanni, fratres suos non patiuntur uiuere 169
Ottomannorum crudelitas 139
oui figura quomodo describenda. 402
oua non esse exhibenda in febribus continuis & putridis 264
oxymel utile ad febres 127

P

Panis lotus 265
panis cum aqua cineris confectus. 131
panis difficile concoquitur, & difficile quoq; corrumpitur 265
panni optimi fiunt Venetijs 285
pannoniæ regnum 153
Pappus Euclidis Data expositit. 237
paradisus terrestris 10
Paralipomenon libri Cardani 50
paraphrasis 111
parantibus soboles non similis 173
parietaria 297
Parmenio Apollonij Pergæi discipulus 238
Parthi ab Antonio uicti 149
Parthi amarunt Neronem 164
Parthica dominandi forma 165
patria potestas legibus constituta. 183
patri an matri plus liberi debeant. 183 184
patres familiâs quomodo domesticos erudire debeant 30
paupertas 42
paupertas Christi 73
pauperum ratio habenda 230
Pausaniæ mater 384
pax præferenda bello 147
pacis commoda ibid.
peccatum & uirtus 20
pectoris symptomata 15
pecuniarum contemptus 45
Pedius Blesus è senatu motus 156
pedum lotio 129
peltrum 306
pentacrinos lapis 336
pentexoche lapis ibid.
peregrinatio 49. eiusdem commoda & incommoda 285
Peripateticorum rationes circa dei scientiam 19
Peripateticos omnia confundere 146
Persæ Medorum regnum ad se transtulerunt 186
Persarum chalybs 285
Persarum mos matres ducere in uxores 125
Persarum imperium ad Græcos translatum 187
persici arbor 304
perspectiuæ nomine quæ contineantur 239
perspicuum non nitet 322
perspicua quæ dicantur 312
perspicuitatis in gemmis modi. 310
pertinax qualis fuerit 166
Pertinaci imperatori quid acciderit. 225
pestem depellit granatus gemma. 323
pestifera febris 65

peſtilentiæ reſiſtit carbunculus. 330
Petrarchæ epiſtolæ 64
petroſelinum 297
pezar unde habeat originem 325
Pharnelius medicus qualis fuerit. 91
Pharneſij Ducis caſus 153
phaſma 48
φανταιρία 110
Philippus Mentius mathematicus. 238
Philippus Alexandri pater notatus. 220
Philo Byzantius geometra 238
Philopater matrem & patrem occidit 183
Philopœmen Argiuus dux 215
Philoponus geometer 238
philoſophia ante Ariſtotelem 115
philoſophiæ utilitas 216
philoſophiæ partes reconditæ 108
principales ſeptem 107
philoſophiæ ſtudium ibid.
philoſophiam latè patêre 115
philoſophi beati 412
phiſophorum & legum dubia 9
philoſophorum oratio quare obſcura 71
philoſophorum opiniones 21
philtrum, philtra 48.49
Phocionis imperatoris familia. 47
Phœnices aſtrologiæ inuentores. 236
Phænomena Euclidis 237
Phrygius lapis quas uires & colores habeat 326
Phrynis muſicus 233
phyſionomia 267.105
Phyſton rex Aegyptiorum filium occidit 183
pictura requirit geometriam 234
picturæ artis ſecreta 291
picturæ ſpecioſæ apud Bergas. 285
picturæ à ſcriptis quid differant. 76
picturarum calamitates tres 331
pietas Neronis 164
pilorum in animalibus colores. 315
pilos præparandi ſecreta 292
pingendi ratio 239
pinguis perſpicuitas 310
piſcandi artis ſecreta 291
piſcis uarij generis 33
piſcium cura. ibid.
piſcium in fluminibus & ſtagnis ſecreta 290
piſcium marinorum ſecreta ibid.
Pizicinus Athenienſis geometer. 238
planetarum uis in morbis 263
plantæ 33
plantarum cura ibid.
plantas diſtinguit forma 337
plaſtices artis ſecreta 291
Platonem Geometriam tractaſſe. 237
plebis ingenium 230
plebi conſulendum ibid.
Plinius Secundus quas cauſas egerit 189 190

Ploti-

Plotinum fuisse in dictione negligentem 61
pluuia 28
pocula ex crystallo 337
podagra confirmata 303
podagræ cura 49.126
podagræ encomium 24.25
podagræ dolores sanat asius lapis. 334
Pœni à Phœnicibus orti 236
Poesis quibus exitio fuerit 400
politicæ disciplinæ partes 110
pomorũ succus facile generat febres 115
Pompeia, Pompeij F. uxor Cæsaris. 216
Poppæa uxor Neronis 179
popularis administratio 100
Porphyrius interpres Ptolemæi. 238
porphyroides qualis lapis 336
Porus geometer 238
potentia duplex 244
potionum secreta 290
præcantationes 35
prædestinatio Dei 6
prædictiones in medicina 261
præsagia 290. ex astrologia 9. ex oraculis, physionomia, somno, sortibus, ex tempore. ibid.
præstigiæ 287. factitiæ 288
præstigiatrix ars 280
præterita in malis esse 245
præsinus color 309
præsius qualis lapis, & ubi inueniatur 328
principis optimi officia 146.147
principes præ cæteris decipiũtur. 250
principes à quibus peruertantur. 181
principum incõmoda 42. uitia quæ 220
principia propria 296
principia unde sumantur ibid.
problematum libri 52
Problematum lib. x. 30
probus ab improbo quomodo dignoscendus 182
Probus qualis imperator fuerit. 166
Proclus Lycius interpres Euclidis. 237
prodigia 9. quæ regnorum mutationem præcedunt 187
prodigiorum interpretatio 21
proditorum filij Can, condemnandi. 193
promptitudo 399
prophetarum causæ 9
proportio 235
Proserpinæ apparatus 48
prouidentia Dei 6.19
prouinciarum fata 9
prudentiam attinentia secreta 291
ptisanæ usus 118
ptisanam in acutis febribus non excedit Hippocrates in exhibendo cibũ 264.
Pthoe curat asius lapis 334
pthoe laborantem quomodo sanarit Cardanus 119
pthoes remedia 120
Ptolemæus Græcè scripsit 238
Ptolemæi scripta 238
Ptolemæorum quorundam crudelitas 175
Publicanorum leges publicatæ 156

pulchritudo quid 20
pulmones putrefacti, & per sputum reiecti 122
pulsus magnum periculum nuncians 133
pulsus significans casum uiriũ. ibid.
puniceus color 309. medius albi nigriq; 317. 318
puniri homines tribus ex causis 151
purgatio uitanda 47
purgatio cum pharmaco Amechio. 128
purpureus color 309. inter uiridem & nigrum 318
pyrites lapis 337
pyretrum maius 126
pyropus carbunculus 330
Pyrrhonis sententia 79
Pythagoras Samius geometriam celebrem reddidit 236
pytiusæ radix 126
pyxidis nauticæ usus 285

Q

Quadrigarum lusum uetuit Nero. 161
quadrupedia 33. quæ ex ouis generantur 290
quadrupedium proprietates 33. cura. ibid.
qualitates tantum duæ 29
quartanæ febris curatio 128
quercus quam naturam habeat 68

R

Raritas in quibus 264
Rauanelli radicis succus utilis ad uinæ profluuium 129
regis boni exemplum 251
regibus quid nocentissimum 153
regium morbum Chelidonius curat 337
regnum carnis 99
regnum melius aristocratia 244
regnum an præstet reliquis reipubl. generibus 249
regnum humanum 90. quibus constitutum 96
regnum cum factione optimatiũ diuturnum esse non posse 230
regna nulla diuturna 229
regna quæ potentioribus fauẽt, inualida esse 153
regna quibus modis conseruentur & euertantur 165. 166
regna quæ destruant 21
regnorum crudelitas 187. 188
regnorum translatio 186. 187
reipub. gubernandi ratio 109
rerum publicarum constitutio 22
religio sit ne utilis ad artem militarem 21
religionis necessitas 8. utilitas. ibid.
renum lapides 48. morbi 15
renum calculo laborans quomodo liberatus sit 123
repetundarum damnati sub Nerone 155
reptilium fugandorum ratio 33
res nobiliores & certiores quæ sint. 403 406
resolutio uniuersalis 42. à fine. 35
reuelationes 286
rhabarbarum 302
rhetorica secreta 290
rhinoceros 305
rhombites lapis 336

risus

risus unde fiat 253
Romani quales fuerint 96. à quibus fusi 214
Romanorum mores 185. 186. 187. 188. 189. in castris cibus 214. in re militari labores ibid.
Romanorum auaricia 188. mala 400
Romanorum imperium quæ prodigia præcesserint 187
Romanorum iudiciorum iniusticia. 189. 190
Romani imperij crudelitas 187. 188 euersionis causa 206
Romani senatus improbitas 139. ciuitatis ruina 226
roris Syriaci usus 122
roseus color 309
rosmarinus 122
Rubellius Plautus 156
ruber color quomodo efficiatur 313. eius species 309
rubi germina 119
rubith carbunculus 330

S

Sacchari rosacei usus 121
Salassiorum regnum 153
Salustius qualis fuerit 221
Samij luti usus 119
sanguinis fluxus curatio 52
sanguinis sputo laborantes quo pacto curati sint 120
sanguinem meliorem efficientia. 119
sanguinem sistit hæmatites 339. item chrysolithus 341
sanguineus color 309
sanitas quid 15
sanitatis tuendæ ratio 29. 52
santhali 302
sapientia dæmoniaca 22. humana. 99. in quibus sit 399
sapientia naturalis 22
sapientia omnium bonorum diuinissima 22. nihil ea iucundius 403
sapientia in quibus consistat 224
sapientia rerum nobiliorum 405
sapientia summum bonum 405
sapientiæ genera 35
sapientiæ humanæ ratio omnis 30
sapientiæ & prudentiæ prodest Topazius lapis 338
sapientum stulticia 228
saporum secreta 289
sapphirus pulcherrima gemmarum. 329. unde dicta 332. eius in medicina utilitas 329. color 308
sardonica gemma qualis, quibusq; uiribus sit 340
sarzæ pariliæ usus 16
saxifragia 297
saxoniæ lapides 336
scabiem minuit sapphirus 329
scabiosæ usus in empyemate 121
scelerati qui 108
scenographica 239
Scholia quid præstent 113
scientiæ perfectæ 31
scientiarum præstantia 26
scorpioides 385
scorpionum cinis 197
scribendi genera undecim 111. instrumenta 34
Scribonia 140. uxor Augusti 216
scripta æterna quæ 63

Scripta à picturis quid differant 76
Scriptorum utilitas 74. 75. *scopus quis debeat esse* 26
Sculptura indiget geometriæ auxilio. 234
Scytharum antiquitas 236
Secreta arithmetica & astrologica. 290
Secreta ex naturalibus coniecturis. 291
Secreta herbarum & arborum 290
Secreta impossibilium 202
Secreta incerti generis ibid.
Secreta inueniendi modi 284. 285. 286
Secreta nobilia diuitibus conuenire. 292. *à quibus ducantur* ibid.
Secreta pauperibus conuenientia. 202
Secreta quorum genera adhuc ignota sunt ibid.
Secreta reuelantur aliquãdo per somnia 286
Secreta uera in quibus 293
Secretorum aliud genus uerum, aliud falsum 287
Secretorum comparatio 292. *differentiæ* 288. *fines multiplices.* 287. 288
Secretorum liber de cognitione dei. 288
Secretorum libri omnes enumerantur 288
Secretorum materia 287
Secretorum nomine quæ intelligenda 378
Secretorum prima genera 279. *uariæ diuisiones* 280. *utilitas duplex* 278
Sectio in empyemate 116
Seditio, ruina ciuitatis Romanæ. 226
Seditionum causæ 181
Selenites lapis 336. *eius uis* 322. 323
Seleucus grãmaticus à Tiberio mortè damnatus 159
Selim patrem suum necauit 183
Semiramidem quare Nini filius occiderit 175
Sena 122
Senæ quare toties dominos mutarint 153
Seneca 146. *præceptor Neronis.* 143
Senecæ epistolæ 64. *uicia* 230. *mors* 181
Senectus 42
Senectus Ciceronis 225. 226
Senectutis accelerantis indicia 268
Senes exquisitiore uictus ratione opus habent 123
Senum sanitas quomodo curanda 29
Senibus quies utilissima ibid.
Sensilium imagines 20
Sensus 34
Sensus hominis persæpe fallũtur. 287
Septimij Seueri sæuities 208
Serapium è fumaria 122
Serena perspicuitas 310
Sericum præparandi secreta 292
Serici ars 301
Sermo uanus & multus uitandus. 47
Serpentis tactum horret homo 108
Serpentes 30

Ser-

ſerpentum ſecreta 290
ſeruitus 43
ſeruorum improbitas 43
Seuerus qualis imperator 166
ſexus in gemmis 330
ſideratio 303
ſigna uernalia quas uires habeant in morbis 263
Silius Italicus poeta à Nerone conſul factus 159
Simbruina ſtagna 157
ſimile dupliciter dicitur 10
ſimplex nullum eſſe 52
ſimplicia multa amiſſa 302
ſimplicium uſus 137
Simplicius notatur 283
ſingularia quædam poſſunt eſſe neceſſaria 9
ſingularia cognoſcenda 284
ſingultus in febre 127
ſitim extinguit chryſolithus, & refrigerat 338
ſitim ſedat cryſtallus in ore detentus 338
ſmaltum 304
ſmaragdus 48
ſmaragdi genera & precia 328. *color* 308. *in medicina uſus* 328
ſolanum maniacum 305
ſol animalium cauſa 243
ſolis in morbis uis 263
ſolitariæ uitæ commoda 36
Solimani in filium crudelitas 183
ſolitudo 43
ſomnium Cardani 11.14
ſomnium uita noſtra 88
ſomnia hominum *ibid.*
ſomnia 86
ſomnia ſimplicia 16
ſomnia mala prohibet Sordius lapis 340
ſomnia læta quid faciat 327
ſomnia mala ſoluit cryſtallus 338
ſomnia oſtendit ſelenites 323
ſomnia terribilia oſtendit onyx 334.
ſomnia facit uis imaginandi 300
ſomniorum genera 16. *diuinatio* 105. *obſeruatio utilis* 395
ſomniorum prædicendi ars quot partes habeat 109
ſomniorum ſcientiæ utilitas 400
ſomniferæ lotiones capitis 119
ſomnus 49
Sorani damnatio 192
Soriana gemma 323
Sordius quo colore quibuſq; uiribus ſit 340
Soſtratus Dexiphanes Gnidius 74.
Spartanæ mulieres 384.
ſpecies quæ & quot 20
ſpectaculorũ ſæuities non facit ad fortitudinem 213.214.215.216
ſpectra 29
ſpectra fingere 287
ſpectra efficiendi ſcientia 104
ſpecula è chalybe 304
ſpecularia quæ 312
ſpeculum Orontij 31
ſpes quid apud homines poſſit 287
ſpes abrupta 43
ſpei non incumbendum 47

Sphæræ commentarium 13
sphærica uniuersi figura 241
sphondyliorum dorsi luxatorum cura 48
spinela 330
spirandi difficultatem quæ indicent 134
spirandi difficultate laborantes quo pacto sanati 122.123
stœchas 122
statice 235
Statilia Messalina Neronis uxor 216
statuariæ artis secreta 291
status morbi ex astris prænoscitur 263
stellæ quomodo factæ 241
stellæ in orbe stellato quem habeant ordinem 251 (236
Stesichori poetæ frater Ameristus.
stibij usus 331
Strombites lapis 336
strumarum cura 49
strumas curat asius lapis 334
studia literarum quid afferant 46
studiosi uita & gloria 92
studiosorum uita 26
stulticia 409
stulticiæ laus 232
stupra & adulteria Imperatorũ. 216 217.218.219 220
styli genera plura 60
Subrius Flauius quibus conuicijs affecerit Neronem 208
substantiæ primæ 28. quales 243
substantiæ tres 19
substãtiarum separatarũ ordines 102 discrimẽ.75.uita præstãtissima.192
subtilitates inutiles 28
succini color, & in medicina uires 240
sulphur ignem non expertum 122
Summa uerbum 19
summum bonum quæ impediant 407
summum bonum quod sit 403
supernaturalium tractatio 51
surditas 42.303
surditatis curatio 52
sutoriæ artis secreta 291
sympathiam inter se quæ habeant 255
sydus maioris canis 322
syderum influxus 108
Syluius medicus qualis fuerit 91
sympathia 246
sympathia quomodo sit in rebus 296. 297
symphyti radicis usus in empyemate 121
symptomata uaria 15
syncope laborantes propter febrem quomodo cibandi 265
Synesiorum somniorum liber 16

T

Tabes qualiscunq; 303
tabem quomodo Cardanus curarit 119
tabificus ex morbo Indico quibus remediorum uiribus curatus sit 122
tabificorum exustio 116
Tacitus qualis fuerit 138
Taciti historia 122

tactus miracula 289
talcum qualis sit lapis 334
tamarindi 302
tapeta apud Turcas optima 285
Tarquinij exemplum 153
Taurinum regnum ibid.
technæ 31
tẽperamẽtũ mutat uis imaginãdi 300
tempus 289
tempus succeßionis triplex 21
temporibus succeßiuis quæ fiãt. ibid.
tenebræ quid differant à nigro 316
tenebris terremur 256
terminorum uitæ genera 21
terra aeri contraria 241
terra ſtabiliſſima ibid.
terræ genera & natura 33
terræ miracula. ibid. diuerſitas 289
terrarum cognitionis ſecreta 291
terrores in corde fieri 322
teſtudinũ caro 118. uſus in empyema te 121
textoriæ artis ſecreta 291
Thales Mileſius Geometer 236
Theæteus Athenienſis geometer 237
Thebarum antiquitas 236
Themiſtius notatur 283
Theodorus Cyrenæus mathemat. 237
Theodoſij Sereni libri de circulis 238
theologiæ partes duodecim 102. contemplatio qualis 102
Theon interpres Euclidis 237
Theõ Alexandrinus interpres Ptolemæi 238
Theophraſtus laudatur ibid.
Theophraſti fuga 32
thermæ Neronianæ 211
theſauri 35
theſaurorũ inuentionis ſecreta 291
Theſſalus contra Galenum 277
Theudius magnus geometra 238
thlaſpi 122
Thraſeæ damnatio 192
Thucydidis hiſtoria 221
thus 122
thymi in difficultate ſpirãdi uſus 123
Tiberius quos doctos dãnarit 159
Tiberij aſtutia 148. auaricia 212. impudica uxor 141
Tiburo 58
timidos ſæpius uincere 325
Timoleon Corinthiorum dux 215
timori nocturno prodeſt Topazius 338. item Adamas 322
Timotheus muſicus 233
tinnitus 303
Titus crudelior Nerone 197
Titi in Iudæos crudelitas 196
tonitru 28
tonitru terremur 256
tonſtrinæ ſecreta ad fucos pertinentia, & ornatum 291
topazius 308. eius color & uires 338
tornandi artis ſecreta 291
Torquatus occidit filium 139
Traianus laudauit Neronem 164
Traianus edicto damnauit Chriſtianos 185
Traiani prudẽtia 165. uitia 145
Traianum fuiſſe uinoſum 220
tranquillitas animi & corporis 37
tributa per patrimonia, non per capita diuidenda 213
triferæ magnæ uſus in doloribus ute-

ri 129
trigoni latus 397
triton 305
triumuiratus exitialis 164
trochites planus qualis lapis 336
turcæ tapeta conficiunt 285
turcarum barbaries 96
turcarũ potẽtia quare tã diu duret 153
turcica dominandi forma 165
Typographica ars 301
tyrannis fugienda felici 407

V

Valentinianus imperator ab Amiano Marcellino damnatus 399
Variana clades 149
uarices 303
Veientanæ lapidis descriptio 335
uenatoriæ artis secreta 291
uenæ sectio uitanda 47
uenena non docenda 62
uenenis aduersatur smaragdus 328
Venetiæ diu manserunt 153
Venetijs optimi panni cõficiũtur 285
Ventidius uicit Parthos 149
uenti 29. eorum ratio 33
uentriculus confirmandus in plerisq; morbis 137. uẽtriculi concoctio 29. morbi 15. uentriculi affectus cura 52
uerba sæpe inconsultius prolata euertunt homines 400
uerbasci radicũ succus curat quartanas febres 128. uertigo 303
uertigines sanat smaragdus 328
ueſicæ lapis 303. eius cura 49
ueſicæ lapidẽ atterit Iudaic. lapis 340
Vespasianus dux Neronis Iudæos uicit 149. Vespasiani auaricia 212
Vespasiani familia q̃ diu regnarit 104.
ueterinariæ artis secreta 291
Vibius Secũdus repetũd. damnatus 155
uictus in diuturnis febribus 261
uictus ratio in morbis tutißima 265
uidendi ratio 289. miracula 239
uinum & acetum 33
uinũ in aquã mutat alabastrum lapis 334. uinũ morotũ nõ potest seruari 115. uinum nigrum 47
uinum subtilius oleo 258
uinosi coloris species 309
uinosi qui fuerint 220
uirens 309
uiridis color duplex 317. eius spẽs 309
uirtus apud mortales sola magnũ 391
uirtutes quæ mutãt summũ bonũ 409
uirtutũ operatiões nos cõtristare 405
uisui utilis opalus lapis 340. item iaspis 325. smaragdus 328. et eranõ 340
uitæ diuturnitatẽ attinẽtia secreta 291
uitæ humanæ conditio 399
uitarum uires 235
Vitellij auaricia 212
Vitellio immitiorẽ fuisse Neronẽ 189
uitia hominũ quomõ cognoscẽda 42
uitia quæ impediũt felicitatem 409
uitia uirorum magnorum 98
uitreus color 309
uitrum ductile 302
uitri artificia 34. ars 290
uitulus marinus 58
ũituperare facilius quàm laudare 232
ulceribus saluberrimum medicamentum 331
ulceribus medetur lapis asius 334
Volesi Asiæ proconſ. crudelitas 198

uo-

uoluptas substantiarũ separatarũ 75
uoluptas in quibus potißimum rebus 74
uoluptatis fundamentum 294
uoluptates ex uitijs 405
uoluptates huius mundi inanes 20
unctiones 290
unctiones intempestiuè adhibitæ 126
unitatem naturam dilexisse, exemplo probatur 246
uniuersi figura & ordo 49.240.241
uniuersi calamitates 9. partes 33
unum bonum 243. causa multorum 243
unum omnia petunt ibid.
unum numero 245
unum quot modis dicatur ibid.
urinæ urigo 303
urinæ flagrantia 13.130
urinæ profluuium quomodo curatum 129
urinarum genera & causæ 41
urinarum cognitio quantũ poßit 42
urticæ usus 303
usura apud Romanos 88
uteri antiqui dolores quibus curentur 128.129
utile multis modis dici 292
utilia quæ 292
uulgus hostis omnis boni 4
uulnerum symptomata 15
uulneribus impositus hæmatites excrescentem carnem tollit 339
uulpis pulmones 119
uxor contumax 43

X

Xenophontis de Cyro conficta historia 221
Xiloaloes 122. eius in podagra utilitas 127
ὑαλουργίου casu inuentum 286

Z

Zedoariæ usus in doloribus uteri 129
Zeno pauper 74. à Tiberio exilio damnatus 159
Zeno philosophus geometer fuit 238
Zibethum 302

FINIS.

HIERONYMI CARDANI

MEDIOLANENSIS MEDICI, DE LIBRIS Proprijs, eorumq; usu Liber: ad Nicolaum Siccum, aliàs Præfectum criminum Capitalium.



NIHIL *tam difficile est atque arduum, Nicolae Sicce, amicorum præcipue, quàm de se aliquid scribere, aut uitam facta gestaq; literis mandare. Seu enim te tuaq; laudaueris, seu uituperaueris, seu extuleris, seu depresseris, hoc omne tibi, cum de te scripseris, & cuiuis alij obsuturum nemo ignorat. quamobrem quampaucissimi hoc munus aggredi tentarunt: & pleriq; sanè eorum tanquam aliud quippiam agentes, fecerunt liberrimè, quod sciam. Soli* L. *Sylla* Fœlix cognomine, & C. *Cæsar, & ipse* Dictator, *hoc ausi sunt.* Cicero, M. Antonius, Galenus, *tum* Hieronymus *&* Augustinus, Erasmusq;, *alijs argumentis rem ipsam obumbrarunt. Verùm mihi non id tam conuenire, quàm necessarium fore existimaui: cùm sæpius libri mei in publicum prodierint, aucti à meipso, atque etiam aliquot in locis, licet paucis, mutati. Et ut in tot argumentis arduisq; scribenti & ratio utilitatis communis tot laborum, & aditus quidam facilor patêret. Nec negligere debui, quòd cummulta essem in alijs huius libri editionibus pollicitus quæ non præstiti, alia rursus eorum loco absoluerim quæ minimè promiseram, ut sæpius iam hic liber sit editus, lectores ut commonefacerem, quæ tandem omnino perfecta opera, quæque edita, & quibus in locis nullam amplius desiderent castigationem. Simul etiam, ut librum mihi conderẽ tanquam promptuarium, ad ea quæ deficerent absoluenda: & uoluptatem aliquam ex præteritis laboribus in hoc adeò ærumnoso tempore, in ætate iam inclinante caperem. quantæ enim utilitatis humano generi præstitæ mihi conscius sim, palàm facere non uerebor. Neque uerò quàm multa alijs in editionibus prætermittere potui, hic adijciam: sed breuiter ad metam ipsam operis properabo. Sic enim & labor minor erit, & iactura temporis: & oratio ipsa clarior atq; illustrior euadet, ut plures qui fortè alias editiones aspernabantur, hanc unam ut lectu utiliorem atque iucundiorem non sint neglecturi. Primùm igitur, ut ad*

rem ipsam aditum quendam patefaciam, proponam quo tempore hunc ultimum librum scripserim, omnibus (quàm paucissimis demptis) libris qui hic numerantur absolutis. Annus hic est salutis millesimus quingentesimus ac sexagesimus: Pontificis autem Pij quarti ex Medicea familia primus: & regni Philippi Hispaniarum regis, ac nostri, tertius. Cum ego nuper uno de sexaginta annis absolutis, ut ex facti serie facile quisque deprehendere posit, non quod plurimi existimant fortuitò hæc nobis contingere, aut esse hæc præmia fructusq; uirtutis ac laborum nostrorum, uel cuique licere quod uelit agere: sed liberam quidem (ut Comicus ait) esse uoluntatem, operam seruam, cum hunc librum scribere cœpi. Itaque ob ea quæ iam dixi, nil mirum esse debet si huic argumẽto nonnulla de uita nostra moribusq; interseram: sed parcius admodum, non solùm quòd (ut dixi) sermo hic de seipso uix iactantiæ aut amentiæ suspicione carere posit, sed quòd multa huius generis in alijs libris, tũ maximè De utilitate ex aduersis capienda conscripsi. Quamobrem sic incipiam.

Cum natus essem Papiæ, grassante in urbe nostra peste, tum etiam quòd mater partum ipsum occultari uolebat, ne illius affines resciscerent. Pater enim meus, ut senex ac Iurisconsultus, uiduæ matris meæ pauperis publicas nuptias auersabatur: ipsa uerò turpe ducebat, quòd diceretur non ex coniuge peperisse. Horum causa sub partus tempore Papiam se contulit, ubi non natus, sed ui in lucem ductus sum. Post multa igitur aduersa atq; calamitates in infantia perpessas, tum morbos, sub patre mathematicis instructus, & latinam linguam consuetudine edoctus, cœpi quamprimùm cogitare, an uia esset aliqua, ut immortales euaderemus. Nec mirum, fuisse hoc adolescentis consilium: cum referat Galenus, hoc tentasse quendam, & pollicitum esse, philosophum etiam: quin & Erasistratum hoc ausum fuisse promittere. Conscripsi & libellum de locorum distantia, ex Hebri libro: sed Ioannes Monteregius id argumentum, ut postmodum cognoui, fœlicius absoluerat. hos ambos dedi Augustino Lanizario Commensi, amico præcipuo. hiq; ambo illius morte periêre non magna iactura nominis mei, nec publicæ (ut reor) utilitatis. fuerant enim conatus iuueniles: & indolis potius indicia, quàm fructus scientiæ, aut studiorum. Cum uerò me Patauium contulissem, conscripsi commentaria in libri Posteriorum primi initium, mediocris magnitudinis: è quibus decerpsi contradictiones, quarum exemplar extat apud medicum Mediolanensem: & apud me liber cuius initium est, Prima contradictio textu commenti xxix. Ipsa uerò commentaria cum dedissem Octauiano Scoto amico meo, interiêre. Cum uerò anno xxiiij. ætatis Rector Academiæ creatus essem, scripsi libros de ludis: sed tamen primum tantùm absolui. folia continet

centum

centum quinquaginta penè, Italica lingua. Initium est: Non per uitio alcuno. Quorsum hæc? Delectabar alea: non cedebat infœliciter. Methodum habere in quacunque re cupiebam, ne temporis iacturam adeò magnam facerem. Gaudebam ipsa contẽplatione rei, atq; studio. Possem me excusare, iuxta illud: Arcus & arma tuæ tibi sint imitanda Dianæ:

Si nunquam cesses tendere, mollis erit.

At, ut dixi, duplex ratio ab hac alea ad id me impulit, quòd existimarem plura non posse contineri citra methodum: & ipsa numerorum & casuum, necessitatisq; ratio. Sed & id accedebat commodi, ut succissiuis temporibus nihil deperiret. Hanc tamen in triginta annis ob curas & negocia, tum studia nobiliora, uix absolui.

Anno autem M.D.xxvi. cum in Saccense oppidum me contulissem (bella enim grauissima in patria sæuiebant) conscripsi Epidemiorum libros, satis exiles, & ut Hippocratis narrationi conferrẽtur prorsus indignos. Scripsi 2. 1.
etiam mihi Collectanea quædam è diuersis autoribus satis magna, quorũ usus nullus mihi propè est. Et librum de morbis coniunctis, quem sub alio argumento inchoaueram. Sed ille apud me extat, & imperfectus tamen. Ea ratione id aggressus sum, quòd cernerem sæpe, imò maiori ex parte, morbos morbis iungi, diuersaq; postulare, imò frequentius contraria auxilia. Itaque hoc ipso opere docemus sic morbos curare, ut alijs si qui sint non obsimus. Initium eius est: Quicunque morbos coniunctos. magnitudo, foliorum quinquaginta. Scripsi & libellum de peste, qui nescio quo casu, certè non magno damno interijt. Alium quoque de pituita, & alium de re Venerea: quos ambos nondum absolutos, felis urina corrupit: unde illos abieci. Conscripsi & alium de chiromantia, quem in libros de Rerũ uarietate trãstuli. Ita toto illo sexennio quo in eo oppido artem exercui, magnis cum laboribus, parum mihi, multo minus alijs profui. Detinebar inconditis cogitationibus, & studijs irritis, non satis prospera & fœlice Minerua. Ducta uxore, necdum satis cõstanti ualetudine, redij in patriam, Anno trigesimotertio ætatis: pauper, inuisus omnibus: unde Gallareatum seu Gallaratum me contuli, ubi spacio mensium xix. quibus ibi fui, conscripsi libros quatuor de Fato, qui nunc ad folia cxx. perue- 3. 4.
nêre. ter enim auctus est. Initium operis huiusmodi: Omnes qui scribendo gloriam consequi se posse sperant. Scopus tamen fuit, quòd uiderem nostras actiones nobis persæpe inuitis fieri, certoq; ordine coniunctos successus rerum edocere, quanta uis Fati esset. Et certè magis fato ad de Fato scribendum compulsus sum, quàm alia quauis ratione. Verùm utilitas operis est, omnia æquiore animo ferre. Atque id mihi postmodum euenit, ut usui magno esset.

Narrabo autem historiam admirandam. quam si quem legere pigebit, illud Poëtæ dicat:

Si nimius uideor, seraq; coronide longus
Esse liber: legito pauca, libellus ero.

Nec est ut de ueritate ac fide huius rei quicquã dubitet, cum me haud meminerim iam multis annis mentitum esse: adeò ueritatis semper amans fui.

Erat etiam mihi perpetuò studiorum & perpetuitatis tanta cura, ut dum reliqua negligerem, uulgus, omnis boni hostis, me accusaret atque damnaret. Itaque & quædam consecutus sum, siue promeruerim, siue ob ea is animus mihi datus sit, quæ supra communem hominum naturam sunt: uelut neminem uulneratum coram me, toties præuidisse meorum exitia, toties ereptum à periculis: quæ dicuntur, agitantur' ue procul, aut etiam propè, clàm, contra me, aut pro me, præsenti aure sentire, & manifesto prodigio, & tot annis, nunquam fallente euentu. Omitto, quòd etiam nulla fera me præsente uulnerata sit: multaq; alia eiuscemodi, quæ & in libris de Rerum uarietate, & in Theonosto scripsi. Sed iam ad rem redeo. Vitam ducebam in Saccensi oppido, ut mihi uidebar, infœliciβimè: sed annũ non sat teneo, quod antè ab anno (ni fallor) uigesimo usque ad eam diem, muliere nulla potiri ob frigiditatem potueram: cum nocte quadam somniaui, me in Paradiso (ita enim ianitor ille pomarium id omnis pomorum generis refertum appellabat) esse, miraq; admodum in eo uoluptate frui: cum ecce ante uestibulum ostij, cui propè eram, uidi puellam ueste alba indutã, non ualde ornatã. cuius faciem cum essem intuitus, ad illam quæ extra pomarij ostium stabat accessi. & uix extuli pedem, cum ianitor ille ostium occlusit. rogabam ut admitteret. negauit reditum, dicens: Intus eras, cur exiuisti? Itaque cum quid agerem non haberem, puellam cœpi amplexari: atque illa etiam mihi abblandiebatur. Paucis igitur pòst mensibus, cum domus Altobelli tribuni militum in oppido Saccensi tota concremata esset, domum ille contiguam meæ conduxit. Erat illi puella natu maior inter fœminas, eiusdem formæ ad unguem, ac ætatis, & ueste alba, qualem in somnis uideram, adamußim uestita. memini somnij: sed id ad rem nihil. Ego tamen, qui tot puellarum pulchrarum atq; nobilium & diuitum amore nunquam succendi potueram: quiq; mihi conscius eram ueneficij, aut naturalis impotentiæ, adeò illius amore exarsi, ut eam protinus in uxorem à patre peterem. stupebant illi, tum alij qui scirent quales uirgines repudiassem: existimabantq; me ioco petere. Sed ubi intellexerũt me seriò agere, protinus dederunt. Mirum dictu, ut statim è gallinaceo factus sim gallus, & ex βλακείᾳ κάλως: ut nisi ob recentem morbum mihi tẽperassem, periculum uitæ subire cogerer.

cogerer. Deduxi eam Gallareatum, cum iam bis abortisset trimestres pueros. ibi peperit Ioan. Baptistam primogenitum. Hic cum natus esset die xiiij. mensis Maij, die Domini proxima, scilicet xvij. sacro fonte leuatus est. Repositus iam erat in cunis à prandio, aderamusq; propè omnes, & puerpera cum nutrice, & matre, materteraq; mea: eratq; serena illa dies atq; hilaris, cum per fenestram apertam ingreditur crabro nuce iuglandi maior, qui cubiculum circumuolando obstrepebat. nos ob magnitudinem quasi uno ore rem ueluti ominosam auersabamur simul, atque admirabamur: quod tempus ia nondum crabronibus adeò magnis congrueret, nec solerent tam tempestiuè se domibus ingerere. hoc enim illis consueuit accidere Iulio mense, & Augusto. Intenti igitur in illum omnes, uerebamur ne quid mali infanti inferret. Vbi igitur bis cubiculum circumuolasset, tertia uice uersus fenestram tetendit. uerùm per illam non exiuit, sed ad chartacea specularia, quæ propè adiacebant deposita, magno impetu collisus, maioreq; sonitu cum à nullo premeretur elisus, cecidit mortuus. nos admirati casum, ad illum properamus: sed tum primùm intelleximus non fuisse crabronem, cum nihil inuentum sit. neque ibi aliud aderat quàm specularis charta, fenestræ obtendi solita, ut latêre potuerit diligentiam nostram. Ex ea die ego (quid alij conceperint nescio) id pro constanti habui, futurum breuis uitæ, garrulum, & repentina morte perituru. non tamen eò processi, ut tam sæuum exitum suspicarer, nedum ut præuiderem. Nocte uerò, quæ infaustas illas nuptias secuta est, cum cubiculum meum tremuerit, nec in tota urbe fuerit terræmotus: iam mihi magnum malum ex eo præsumpsi. Cum uerò ille crimen in carcere fateretur (si modò crimen erat, uoluisse, nec occidisse adulteram) cuius ego ne conscium quidem esse rebar, nonne conuulso mihi corde, lacerato, disruptoq; exclamaui: Heu, quoniam filius meus hac hora fatetur se ueneno sustulisse uxorem, consciusq; est eius de quo accusatur: ob idq; capite punietur? neque enim ego noueram quam causam habuisset conatus illius tam stulti atq; irriti, ut uel iudicio meo tum damnaretur. Demum cum signum illud in ungue annularis digiti dextræ manus horridum ipsa die qua captus est ille, inchoasset, die quæ exitium filij præcessit, adeò dilatatum sit ac inflammatum, ut ego qui nesciebam imminentem calamitatem, dicerem, Heu quia mihi timeo magnum malum: existimabam autem damnatum ad triremes (neq; enim tam acerbam iudicum sententiam sperare potui) & tamen uerebar hoc solo signo, quod uereri nulla coniectura poteram: quid aliud dicere possum, quàm fato & certa Dei scientia illum periisse: atque ut ille dicebat,

Nascentes morimur, finisq; ab origine pendet:

ut ipsa die qua natus sit, eiusmodi mortem, eaq; hora subire cogeretur? Cum ergo ita sit, Plotini aurea ratio me plenè cum Theonosti meditatione consolata est: quem rebar, nec falsò, regem Philippum, etiamsi mihi omnia regna quæ possidet (sunt autem plura ampliſsima atque ditisſima) si ea omnia renunciasſet, non potuisſe consolari. Ergo ratio Plotini, quanquam & alibi recitata sit, ea est: Quòd si quæ futura sunt, præuisa sunt à Deo, etiam ordinata sunt. si ordinata à Deo, iusta etiam sunt: Deus enim iustisſimus est. si iusta, queri non debemus, ne Deo aduersari uideamur. Etenim nõ ille iusticiam suam indignatione statuit in pœnam, ut homines: sed unicuique quod expedit, & quantum expedit, tribuit. At non nunc nos ex prouidentia Dei eam scire possumus, quã ex fati ordine ac constitutione, cuius autor Deus ipse est, hæc à Deo instituta esse. Itaque quantam utilitatem præbeat scientia huius libri, non obscurum est. Primùm enim, ut aduersa tam æquo feramus animo, ut ne accidisſe quidem cogitemus, aut non accidisſe uelimus. nam non pij solùm & probi hominis est, sed etiam sapiẽtis, uelle, quæ Deum uelle norit. Cariusq; sit noscere hoc, Deum hæc non latêre, quàm non accepisſe iniuriam. nam etsi iusta sit pœna eorum qui plectuntur, non tamen iusta est damnatio illorũ aut iniuria quam illi damnando inferunt. Quid ergo hoc aliud est, quàm si domino, aut Regi optimo seruias, cuius ludi literarij iniquus magister filium tuum cædat per iniuriam, etiam sciente domino: an non carius tibi esse debet, quòd filius acceperit iniuriam, resciscatq; dominus, quàm si omnino non uerberasſet? Nam & filio tuo & tibi retribuet pro iniuria accepta, & illum probè ulciscetur. Quamobrem quæ sic contingunt, iusta sunt: & etiam si per iniuriam & iniustè inferantur, ferenda: neque Deo modus deest compensandi liberaliter, & quæ acceperis damna, dico mortem, in hoc mundo summum malorum, cum superstites haud dubiè sint animi nostri: & neces hæ magno prouinciarũ & urbium ac regum regnorumq; damno, prodigioq; exitiali euenire soleant. Quòd si iustè non solùm hæc pateris, sed illi etiam damnauerint, non est quòd ultionem quæras eorum pro quibus illi præmio digni sint. Secunda uerò utilitas ex huiusmodi scientia est, ut pius euadas: non aliter quàm improbus seruus, cum animaduerterit dominum suum, quæcunque agit, è specula conspicientem. Ipsa quoque scientia rerum altisſimarum, tantiq; ordinis, ac adeò admirabilis, per se iucunda est, & digna homine ingenuo. Quinetiam admonitus ex hoc uir prudens, ordinatos esse euẽtus, tum rerum causas, conabitur certis rationibus ac firmis, non ex auium uolatu aut uanis superstitionibus, præscire quæ futura sint, atq; uentura: ut bonis ipsis locupletius fruatur, & mala fortius ac moderatius ferat. Inde illud:

Et præ-

Et præuisa minus tela nocere solent.

Accedunt præter hæc quatuor principalia cõmoda, alia etiam: uelut quòd fortes simus in bello. neq; alia ratione magis Turcæ sine timore militant, quòd existiment omnino decretum esse qui sint morituri aut superfuturi: tametsi & in prælium eant illi, & se subducant. Ibi etiam multa singularia intelliges: quale illud, non posse Italiam sine bello esse toto integro decennio. Sed etsi de hoc argumẽto scripserit Cicero, plus tamen hæc tractatio philosophia quam eloquentia indiget. Perijtq; alter liber. Sed Alexãder malè ac perperã de Fato sensit: Pomponatius uerò rem potius inchoauit, quàm sit consequutus, tametsi de eo quinque libros conscripserit. Quamobrem quod & in alijs magnis libris conscriptis à me facturus sum, & in hoc faciam: scilicet ut capitum, non solum librorum argumenta subijciam. ea autem sunt huiusmodi.

Alexãder Pomponatius

TABVLA LIBRORVM DE FATO.

Liber Primus, de Fati cognitione ac demonstratione, & communi consensu de illo: & de tribus Parcis.

1 De modo procedẽdi in hoc libro.
2 Quid sit Fatum.
3 Ea quæ fiunt, quatuor modis fieri.
4 Demonstratio firmißima, ostendens omnia fato fieri.
5 Quæ sunt, quando sunt, necessariò sunt.
6 Differentiæ rerũ & necessitatis.
7 Quæ fiunt à causis numero finitis, necessariò fieri.
8 Omnia agentia naturalia, ultimo conatu effectus suos producere.
9 Quæ ab appetitu & ratione reguntur, eadẽ Fati lege teneri.
10 Quascũq; causas propositas effectum sibi propriũ producere.
11 Ratio prima, Fatum esse suadẽs, sumpta à Dei scientia.
12 Ordinem tribus modis dici.
13 Ratio secunda, suadens Fatum esse, à futuris sumpta.
14 Ratio tertia, suadens Fatum esse, à Fati substantia sumpta.
15 De quinque significatis huius nominis Fatum, non proprijs.
16 Autoritates Fatum confirmãtes.
17 Experimẽtis probatur Fatũ esse.
18 Fati quatuor species, iuxta modorum numerum quibus fit.
19 Fatum duplex, ratione originis.
20 Si Fato aliqua non fiant, nihil prorsus Fato fieri.
21 Fatum esse non solum necessariũ, sed totum immobile & indiuiduum, & an substantia uel accidens.
22 Exempla & mistura causarum quibus Fatum consistit.

Liber

Liber Secundus, continet rationes quæ aduersus fatum adducuntur: soluitq; eas.

1 Ratio prima aduersus Fatum, à casu & fortuna sumpta.

2 Ratio secunda aduersus Fatum, à consilio sumpta.

3 Idem Fato consilioq;, ac casu uel fortuna fieri.

4 Ratio tertia aduersus Fatum, ab his quæ contingunt sumpta.

5 Ratio quarta aduersus Fatum, à pœnis sumpta.

6 Quantum interſit inter, ponere Fatum, & negare liberum arbitrium.

7 Fatum esse confirmatur autoritatibus sacræ Scripturæ.

8 Ratio quinta aduersus Fatum, sumpta à fluctibus maris.

9 Vtrum quælibet uarietas in causis præcedentibus sufficiat mutare effectum.

10 Quæ agant certis temporibus atq; proportionibus, & quibus agant.

11 Exempla temporum & proportionum in motibus naturalibus.

12 Ratio sexta, quòd posito Fato, Deus uidetur esse iniustus & ingratus.

13 Ratio septima, quòd si Fatum ponatur, erit aliquid Deo potentius.

14 Ratio octaua, quòd posito Fato, aufertur cultus diuinus.

15 De necessitate religionis.

16 De utilitate religionis.

17 De damnis & incommodis religionis.

18 Ratio nona, quòd si Fatum ponatur, potentiæ non erunt, nec omnis homo aptus erit risui.

19 Ratio decima, quòd si Fatum ponatur, futura proximiora non erunt certiora contra sensum.

20 Ratio undecima, quæ docet non posse demonstrari Fatum esse, quia uoluntas corrupta potest odisse bonum, & eligere deterius.

21 Ratio duodecima aduersus Fatum, ab autoritatibus philosophorum sumpta.

22 Ratio decimatertia aduersus Fatum, sumpta à communi consensu, & maximè prudẽtium uirorum, & eorum qui existimationem apud homines magnam habent.

23 Ratio decimaquarta, quòd credulitas Fati inutilis sit actionibus.

24 Ratio decimaquinta, quòd Fatum diuinationi propter quã inuentum est, sit inutile.

25 Quòd Astrologi, seu Fatum sit, seu non, nõ possunt certè prædicere futura.

26 Quomodo diuinatio, stante Fato, utilis esse possit.

Liber Tertius, de generalibus cõsecutionibus ad Fatũ.

8 Diuinationem omnem à Fato pendere, & quòd triplex eius genus sit.
2 Prodigia quomodo futura doceant.
3 Prodigia debere his de quibus sunt, proportione respõdere.
4 Prodigia quæ significãt, & quæ sunt inania.
5 Prodigia cur à lege nostra reijciantur.
6 Cur quædam, quamuis maxima, absq; prodigijs fiant.
7 Modi meliores futura præuidẽdi.
8 Præsagia ex Astrologia.
9 Aliqua singularia comparata ad aliquas causas, quoad quasdã conditiones possunt esse necessaria.
10 Præsagia ex physionomia.
11 Præsagia ex lineis corporis & næuis.
12 Fati utilitas triplex: alia ad fortitudinem, ad incommoda ferenda, ad scientiam ordinis uniuersi.
13 Ea in quibus fatum est manifestius.
14 Mundi septem uincula demonstrantur.
15 Vinculum primum cum Deo, & quid ex hoc sequatur.
16 Vinculum secundum mortalium cum cœlo, & quæ sequuntur ex hoc.
17 Vinculum tertium cum causis naturalibus ordinatis, & quæ sequuntur.
18 Vinculum quartum unitatis, & quæ ex hoc pendent.
19 Vinculum quintum interitus & successionis in mortalibus.
20 Vinculum sextum fati.
21 Vinculum septimum mundi cum homine.
22 Præsagia ex oraculis de Sybillis.
23 Præsagia ex somno.
24 Præsagia ex sortibus. De supplicationibus, sacrificijs & expiationibus.
25 Fatum in singularibus esse, sed tamen ad generalia per ea pertingere.

Liber Quartus, de proprijs considerationibus quæ ex fato pendent.

1 Cognitio fati in unoquoque.
2 Naturalia maximè obnoxia seruituti, arbitrium minimè, sensus mediocriter.
3 Fata legum.
4 De causis mutationis earum, & illarum autoribus.
5 De Prophetis, & causis eorum.
6 De causis cessationis miraculorum.
7 De dubijs & disputationibus inter leges & philosophos.
8 Fata imperiorum.
9 Fata prouinciarum.
10 De quinque calamitatibus uniuersi: & quòd plures esse non possint.

11 De fine seculi, & fato in hominibus.
12 Signa senij mundi.
13 De mundi successione secundum principes intelligentias.
14 De mundi successione secundum ætates.
15 De his quæ in successione principatus intelligentiarũ in mundo fiunt.
16 De his quæ in successione ætatum mundi adueniunt.
17 De eisdem secundum Apocalypsim, & de terrestri paradiso.
18 Simile dupliciter dici, quo ad totum & partem.
19 Similia quædam frequẽter, pauciora rarò, eadem nunquam.
20 Mentis & morum imago quomodo remaneant in scriptis.
21 De animæ substantia.
22 Vtilitas liberi arbitrij.
23 Liberæ uoluntatis discrimen in comparatione ad præterita & futura.
24 Eos qui fato credunt, plerunque esse sapientissimos.
25 De causis errorum nostrorum.
26 De causis nostrarum calamitatum.
27 Esse ordinem quendam generalem, ex quo tota fati lex pendet, & in quo comprehendatur: & operis totius cõclusio.

4. 10. Edidi tum libros de Astrorum iudicijs, qui iam impressi habentur. Statueram eos in decem diuidere libros: modò non sum certus me posse absolucre. bis sunt aucti, ter editi. Sed ut mihi uidetur, Iuno obstat, quæ

——Vna cum gente tot annos Bella gerit.——

Nihilominus argumẽtum addam, ut postquam ediți sunt. liceat cuiuis iuxta nostra principia Opus illud sic diuidere: est enim satis magnum, ut satis manifestum est, cum ad hanc usq; diem uenale prostiterit. Primus de Astronomiæ principijs, ad motus, situs, magnitudines, formamq; cœlorum pertinentes, disserit. Secundus, de principijs prædicendi. Tertius, de Tabulis ad hoc necessarijs. Quartus, de Generalibus causis futurorum. Quintus, de aeris mutationibus. Sextus, de fame, bello, peste, atq; similibus. Septimus, de Genituris. Octauus, de transitu seu directionibus. Nonus, de reditu. Decimus, de exemplis ducentarum Geniturarum. Eo tempore sanitati restitutus sum, auctusq; misero illo filiolo, quem Senatus acerbitas mihi eripuit. Proh superi exclamarem, ni scirem, nos non nobis nasci, sed Dei arbitrio. Hunc primogenitum toties ulnis acceptum, optimum, ut nemo melior esset, sed columba simpliciorem, conantem ulcisci impudicæ uxoris improbitatem, nec tamen ultum, occiderunt. Deos tamen exoro, quos nihil horum quæ hic fiunt latet, ut si qua nostrũm tangit cura, pij patris æternas lachrymas ulciscantur. Annus erat trigesimustertius exactus, cum ludis & musica æuum

ncosum-

consumpseram, nec interea quicquam egregij inueneram aut perfeceram. Siquidem libros de Fato, & librum de Ludo latrunculorum, & Medicas contradictiones, paulo plus quàm inchoauerã. Decreui ergo, non quòd haberem quod sequerer, sed quod fugerem (siquidem in decemnouem mensibus uix quadraginta coronatos lucratus cum essem, ad summam inopiam redactus fueram) Mediolanum redire. Fortè fortuna contigit, ut tum ex instituto Thomæ Plati, Mathematicæ lectiones nullum essent sortitæ professorem. Itaque etiam auxilio Philippi Archinti, iam tum illustris uiri, quiq; Archiepiscopus urbis nostræ designatus postea fuit, munus id pauculaq; alia commoda sum consecutus, quæ tamen quinquaginta coronatorum summam non excesserũt. atque id tum mihi satis uidebatur. Anno igitur M. D. xxxiiij. in calendis Nouembris, Geometriam, Arithmeticam, Astronomiam, nonnunquam & unius harum loco Architecturam, nonnunquã Geographiam profiteri cœpi.

Paulo pòst dicam quid contigerit nocte quadam, cuius non memini numerum. Iam illuscescente aurora, uisus sum cum toto humano genere, maximaq; turba mulierum non solùm ac uirorum, sed puerorum atque infantium, iuxta radicem montis qui mihi à dextra erat, currere. cumq; admiratione captus, unum è turba interrogarem, quónã omnes tam præcipiti cursu tenderemus? Ad mortem, respondit ille. Tum uisus sum, statim ad montem deflectere, atq; ascendere uelle: id uerò erat difficillimum. sed à uinea adiutus, cum uitium ramos manibus apprehẽderem, ægrè ascendi. Erat uinea qualis autumno inclinante, sine fructu ac foliis uiridibus, sed marcescentibus. Pars uerò media, reliqua montis: quæ à tergo relinquebatur, uirenti erica, sed sine ulla arbore uel arbusto, plena erat. Cum ergo pergerem ultrà, quasi euasurus etiam uisum tam ingentis periculi, ecce in uertice, dum propero, profundam uallem obscuramq; uoraginem, adeoq; tetram conspexi, ut sola illius memoria sic perturber (cum tamen anni iam uigintiseptem præterierint) ut nunquam sine horrore eius simulachri recordari possim. Itaque conuerso itinere, per montis uerticem, qui planus erat, retrocedens, herbida ac squalida illa parte paululum iam processeram: cum offertur mihi casa rustica unico tugurio, atque eo ex palea sordida confecto, quales apud nos solent esse agricolarum pauperum: simulq; puer pallidulus, annum agens circiter xiiij. cinerei coloris sago indutus. quem ego manu apprehendens, simul & ingressus tugurioli & somnij finem feci. Intellexi ex hoc somnio, me ad immortalitatis curam erigi. Iam uerò sic animus euiluerat, spesq; ipsa defecerat, ut diu quid somnium significaret interpretari neglexerim. Credidi tamen in spem præter spem, ut sacra Scriptura dicit: & qualicunque modo conscribere libros aggressus sum, spe

eadem edendi, cum nulla affulgeret. Hoc tamen somnium uelut initium nostræ gloriæ, si qua omnino est, erit ue, in ectypis ex aduerso imaginis meæ depinxi. Interpretor autem ipsum sic: (nam à numine eo, à quo seruatum me sæpius manifestè uidi, immissum existimo:) omnes mortales naturæ impulsu ad mortem properant, interitumq; non solùm præsentis uitæ, sed & famæ. Consuluit genius, ut ad uirtutis montem ascenderem. is erat uitibus, id est uita plenus, absque fructu tamen, & absque uoluptate: quia frondes aridæ erant. Ascendi laborioſè: idq;, ob paupertatem reliquaq; impedimenta futurum demonstrauit. Vitis tamen denuò frondescit, & fructum parit: subsequentium seculorum gloriam æternamq; uicißitudinẽ ostendens. Vorago illa, impedimentum ne ultra humanas metas transirem, cum tanto impetu ad inaccessa ferrer: uel illum tam grauem filij casum, quo nupsit & perijt. Reditus per ericas, uitam agrestem, infructiferam, sed minus laborioſam decernebat. Puer ille, Hercules Vicecomes est, alumnus meus, qui statim à coniugio filij domum meam ingressus est. conueniunt enim ætas, tempus & forma ad unguem: reliqua etiam quæ in somno apparuerunt. Casa illa ac rusticum tuguriolum in solitudine, tranquilitatem animi: id enim declaratum est in quinto libro Theonsti. Atq; hic finis Priami. nam cætera quæ euenerunt, non prius intellecta sunt, quàm postquam euenerunt. Quin etiam de Morte ipsa quasi nolentes scripsimus in libris de Vtilitate capienda ex aduersis. Ergo si prius intellecta hæc essent, non fuissent: nunc sunt, quia intellecta non sunt. Sed ad ordinem redeo.

§. 15. Cum Geometriam, ut dixi, profiterer, libros quindecim in ea arte condidi, hoc titulo, NOVAE GEOMETRIAE. eamq; rationem seruaui, ut consequentia singulas propositiones suo loco reposuerim, atq; demonstrauerim. Itaq; primis quinque Euclidis, totidem nouæ Geometriæ libri respondent: sexto autem, duo è nostris, ob illius magnitudinem. Septimo, Octauo & Nono, nullum comparauimus: quod eorum tractatio arithmetica cum sit, ad opus perfectum sit translata. Decimo ctiam nullum scripsimus correspondentem, ob illius perfectionẽ, & ut alijs tractationibus nouis locus relinqueretur. Verùm octauũ, nonum ac decimum, super Euclidis undecimum confecimus: Decimo etiam Duodecimum illius complectente. Vndecimus quoq; ac Duodecimus super residuum Duodecimi conscripti sunt. Sed Duodecimus ea de corporibus demonstrat, ac linearum solida potestate, quæ Decimus elementorum de linearum potestate superficiali. Tertiusdecimus liber noster principijs innititur trium ultimorum Euclidis librorum. Sed Quartusdecimus est Dilemmatum: Quintusdecimus autem, Paralipomenon. Initium operis est: Super datam rectam

ctam lineam. Docemus quatuor primis libris figurarum diuisionem, atq; inscriptionem earum, scilicet quas Euclides prætermisit, ut trigoni uel quadrati uel duorum singulorum in triangulo. In quinto autem, de coniunctione proportionum, cum Euclides de multiplicatione illarum solum egerit. Docemus etiam proprietates quantitatum, quæ continuam proportionem retinent: generaliter quidem omnium, sed propriè trium, quatuor, quinque, sex ac septem. In sexto ac septimo, reflexam proportionem: nec non multa de superficierum proportionibus. At in reliquis sex, solidorum proportiones demonstramus, nõ secus ac Euclides de Superficiebus egit. Sed in quartodecimo, de duplici deductione, instrumentoq; Periplomeno seu Perirgaplaco: & descriptione Heptagoni, illiusq; natura ac proportionibus, tum alijs figuris ad hanc usque diem solo nomine cognitis. In ultimo autem de Ooide seu ouali corpore legimus. nam reliqua corpora quæ uocantur canonica, attigit Euclides: Archimedes Sphæram, Conum Apollonius Pergeus, Cylindrum Serenus. Reliquum igitur erat ad perfectionem artis, ut de illo tractaremus, ut essent in toto opere nouem præcipuæ tractationes ab antiquis intactæ: Diuisio figurarum, & relictarum inscriptio seu circumscriptio: Paralipomena, quæ ad iungendas quantitatum rationes, & continuæ proportionis in certis numeris quantitatum proprietates: Reflexa proportio, solidorum proportiones, & laterum eorũ nomina, potestatesq; Heptagoni, & aliarum figurarum per perirgaplaca descriptio, & Ooidis affectiones, naturaq;. Hoc tamen opus sic conscripsi, ut esset totum inordinatum, & magna ex parte mancum, & minimè emendatum. deinceps autem penè ipsum perfeci. Magnitudo totius operis, foliorum ducentorum.

Anno trigesimosexto Arithmeticam artem conscripsi, lxviij. capitibus contentam, in cuius titulo uariatum est, sed causam alibi declarauimus. eam tamen cum in opus perfectum transtulerim, præsentibus non annumero, tametsi edita sit. Sphæræ etiam commentarium scripsi: ita uocari solet opus, quod Ioan. de Sacrobusto composuit. Extant hæc, uelut & duo alia in primos Vitruuij de Architectura, quæ sunt apud Ferrarium. Destinaueram opus perficere, sed commodius uisum est ut res potius sectarer: & quæ tractassem, in libros De uarietate rerum, & de Subtilitate, traducerem. Simili modo etiam interpretatus sum primum ac septimum Geographiæ Ptolemæi librum: quæ Commentaria & latinè extant, & materna lingua à Principe Istonij eleganter conuersa. Tunc etiam libros de circulis Sphæricis, umbris, atq; ponderibus: sed rem à Monteregio peractam inueniens, destiti, solumq; quædam fragmenta supersunt de ponderibus & umbris. tenensq; multa paraui, sed

nihil editione dignum. Vidi autem per somnium, librum tribus coloribus depictum, qui mihi à patre ostendebatur: delectabatq; me non solùm colorum uarietas (quippe rubro, uiridi, aureoq; distinctus erat) sed etiam multo magis res tractata. Iamq; cœperam libros hoc argumento de Rerum uarietate inscribere, ordinare atq; perficere: cum interim Ludouicus Ferrarius in domum uenit. is adhuc puer, rescripsit hos libros. Quo tempore, ut etiam in medicina aliquid scire uiderer, librum de Malo medendi usu confeci: & alium adiunxi,
6. 1. cuius titulus erat, Quòd nullum simplex medicamentum noxa caret. Initium
7. 1. prioris est, Medicam artem antiquis temporibus: posterioris, Multos ego uidi medicos: amborum magnitudo, foliorum xvi. Porrò in his duobus libris propositum erat, damnare quæ perperam aguntur in arte, uitiaq; indicare: sed deerat occasio edendi. Itaq; fortè fortuna aliàs, cum in Academia essem, cum nemine contraxeram amicitiam, nisi cum adolescentulo quodam pallido, qui ultrò ad me accessit, cum & ego (Fatis ita uolentibus) cuperem illius amicitiam, aliorum autem ditiorum ac potentiorum aspernarer. ita is mihi adhæsit, ut cum alio prorsus nesciret omnino uiuere. Mortuo patre factus est dominus tabernæ typographicæ, multorumq; prælorum: ut certè uideantur omnia nostra à quodam numine directa. Huic igitur aperio consiliũ meum. Libenter suscipit onus, inquiens: Hoc paruum est, quod proponitur. etiamsi tota impensa peritura sit, tui gratia imprimam. Existimo tamen non magnam iacturam me facturum. hæc ille. Atq; meritò suspicabatur, cum ab omnibus contemnerer & oppugnarer, in artis autem operibus negligerer, cur esset ut alios docere uellem? Sed altius latebat fati mei consilium. Imprimitur liber, atque hic primus est editorum, qui lxvi. cõtinebat abusus. Secundò, cum ab ijsdem imprimeretur, centum complexus est. Præcipua in eo sunt: lasseris uires: præceptum, Quòd non agendo semper minus peccatur, quàm quippiam perperam agendo: Quanta occurrant consideranda rectè agere uolenti. Exceptus quoq; est à multis alacri animo. cessitq; res aliter quàm sperabatur: sed & longè aliter commodum, quod expectabamus ex illis libellis: nam gloriæ loco, quemadmodum & Hippocrates de se testatur Democrito scribens, infamiam retuli. Hos quidem superesse permisi, non quòd aliquid dignum effatu continerent: sed ut cuique perspicuum esset, quantum homo ab homine differat. siquidem primi sunt illi eorum qui supersunt, atque editi sunt. editi enim sunt anno ætatis meæ trigesimoquinto. Facilè itaque perspicere poteris elocutionem, artem, emphasim horum, tum singulorum, prout unumquodque serius aut tempestiuius editum est: quod etiam in dijudicandis aliorum laboribus non leuem utilitatem afferet.

Anno

Anno autem trigesimonono, cum iam in collegium receptus essem, plus exercitationi medendi quàm antea intentus, scribere adortus sum librum, cuius titulus est, Floridorum: id est, medicarum disputationum. Eius initium est, Sanitas est dispositio, qua unumquodque membrum perficere potest operationes suas: continet capita xxiij, folia centum. Eius titulos, ut principalioris libri, ascribere libuit. sunt autem hi: 8. 2.

1 De sanitate, & reliquis dispositionibus.
2 De spiritu.
3 De uiribus.
4 De febre diaria.
5 De humoribus.
6 De febre putrida.
7 De membris.
8 De hectica.
9 De febre pestifera.
10 De uentriculi morbis.
11 De intestinorum morbis.
12 De iecoris morbis.
13 De renum morbis.
14 De symptomatibus capitis.
15 De symptomatibus pectoris.
16 De symptomatibus membrorum naturalium.
17 De symptomatibus extremorum membrorum.
18 De symptomatibus abscessuum & uulnerum.
19 De symptomatibus uarijs & raris.
20 De capitis morbis.
21 De signis.
22 De interrogationibus & agēdis.
23 De auxilijs raris.

Proprius usus libri, maximáq; utilitas est, difficillimas medicinæ quæstiones simplici oratione edocere. Ordinem quoque & facilitatem secuti sumus, ut si ad subiectam materiam respicias, adeò necessaria sit, ut sine horum cognitione medicus esse non possit: sin ad facilitatem, quemlibet possit inuitare ad legendum: si ad ordinem, & facilè inuenire possis, & inuenta memoriæ commendare. Summum enim studium nobis fuit, ut lectores & studiosos iuuaremus, postquam tot sunt quæ homines ab optimo opere auertunt. Pleraq; autem ex his quæ ibi traduntur, apud Galenum uix possunt inueniri: imò apud illum dubia atque obscura sunt, si modò sint: seu quòd prætermiserit, seu quòd libri in quibus hæc traduntur interciderint. Verùm quanquam huius libri tota farrago extet, ipsius tamen libri uix uiginti chartæ absolutæ sunt. Scripsi & alium librum de Medicamentis simplicibus, cuius initium est: Faba inuersa herba est foliorum decem.

Sub ijsdem quoq; temporibus libros octo conscripsi, de Indico seu Gallico morbo. Primus liber continet causas & originē huius morbi: Secundus, signa: Tertius, generalem methodum curandi, utpotè medicamentis, uictus ratione, 9. 6.

sanguinis

ſanguinis miſſione. Quartus, curam per argentum uiuum: Quintus, per lignum Indicum, corticemq; eius, aquam, uinum ſimplex, compoſitum: Sextus, de Cyna radice: Septimus, de Sarza parilia: Octauus, de exquiſitiſſimo modo curandi hunc morbum. Initium operis eſt, Hunc morbum habuiſſe: magnitudo, foliorum ccxxiiij. Hi libri unguenta, & medicamenta mirabilia continent, ac rationem curandi ſublimem ac ſingularem. Nouus morbus, noua curandi ratio, magnifica experimenta, methodusq; medendi ſingularis. Habet enim hic morbus multa præcipua, magnitudinem cum lenitudine, uarietatem magnam, ſpecies multas.

10. 4. Per eadem tempora, quòd de ſomnijs ſæpius admonitus eſſem de impẽdentibus caſibus, ſcripſi decem libros de illis, quos hoc anno M.D.lxi. reduxi in quatuor, arte mirabili, quorum titulus eſt: Syneſiorum ſomniorum. Primus eſt de principijs artis eius, & ſomnijs ſimplicibus. Secundus, de compoſitis, & ſpecialibus quibuſdam illorum generibus. Tertius, de ſtatibus & mutationibus. Quartus, eſt de exemplis. continet capita centum, & conſtructus eſt arte mirabili. Initium operis, Somniorum interpretationem uelut diuinitus conceſſam: magnitudo, foliorum ſexaginta. Vnde mirum eſt, tot & tanta tam paucis chartis potuiſſe comprehendi. Sed plus continetur, quàm in fronte repoſitum ſit.

Tunc uerò contigit, ut Brixienſis nomine Ioannes Colla, uir proceræ ſtaturæ, macilentus, pallidus, ſubniger, cauis oculis, manſuetis moribus, tardus in ambulando, rarus uerbis, ingenioſus, ac in Mathematicis exercitatus, Mediolanum ueniret: retulitq;, inuentas eſſe duas regulas Algebræ, ut uocant, cubi & numeri inuicem comparatorum. Sciſcitatus ſum, à quo? A Scipione Ferreo Bononienſi, inquit. Quis habet? Nicolaus Tartalea, dixit: & Antonius Maria Floridus. Sed Tartalea, cum Mediolanum uenisſet, illas me docuit, quamuis ſatis inuitus. has cum diligenter perſcrutatus eſſem, cum Ludouico Ferrario, inuenta demonſtratione alias innumeras etiam adinuenimus, ut ex his librum artis magnæ conficerem. Conſcripſi igitur operis perfecti primum librum, cuius initium eſt, Si ab antiquitate aut neceſsitate: & eſt foliorum xl.

11. 8. Tertium, foliorum lxij. cuius eſt initium, Cum in radicibus quantitatum. & Quartum, foliorum xxx. initium, Denominatio eſt numerus. Sextum quoq;, foliorum xcvi. initium cuius eſt, Numerorum alij dicuntur primi. Decimum, cuius initium eſt, Hæc ars olim à Mahomete: foliorum lxxxiij. Primus enim eſt de integris, Secundus de partibus, Tertius de lateribus quadratis, cubisue: Quartus de incognitis, Quintus de proportionibus, Sextus de numerorum proprietatibus, Septimus de mercatura, Octauus de reditibus, Nonus de his quæ

quæ sunt extra ordinem, Decimus, de regulis magnis: atq; ideo Ars magna uocatur, atq; hic solus ex omnibus editus est. Vndecimus docet planorum mensuras, Duodecimus solidorum, Tertiusdecimus quæstiones Arithmeticas, ut Quartusdecimus Geometricas. Hi libri complura continent singularia: primùm quidem proprietates numerorum admirabiles, & maximè usq; ad septem continua proportione connexos, laterum & solidorum, ac superficialium uires, operationes, regulas generales inueniendi numeros occultos ex notis quas Algebræ uocant, breues, ac incognitos hucusq; supputandi modos, multaq; alia mira dictu. Si nos gloriaremur artem hanc à nobis inuentam (tametsi de ea Nicomachus, Ptolemæus, Pacciolus, Boethius, multa scripserint) fortasse non mentiremur. Nam neque centesimam partem eorum quæ à nobis inuenta sunt, tanti uiri attigêre. Sed de hoc, ut de alijs, iudicium ut par est posteris relinquamus. Nos tamen ob id perfectum opus appellauimus, quòd omnibus rationibus sit absolutum.

Tum uerò Arithmantiam exaraui, perfeciq; propemodum: & cum perfeciſſem, delcui licet enim ingeniosa esset, ac admodum delectabilis: quia tamen ueritatis in se nihil continebat, & multorum malorum causa esse poterat, ideò protinus ut perfeci, laceraui, discerpsiq;. Postmodum cum artes & libros nihil proficere aduersus temporum & mortalium malignitatem uiderem, sed potius intentum his abducere hominem à lucro, famaq;: quasi dolorem leniturus, quòd cogerer propositum relinquere, libros tres de Consolatione conscripsi, quorum initium est, Vtinam ex tot tantisq; ueterum monumentis, quæ barbarorum bellis interiere: magnitudo, foliorum xxxvi. Primus, generalem rationem consolationis continet: Secundus, de mortis ac luctus consolatione: Tertius, de consolatione infortuniorum quæ contingunt circa externa. 12. 9.

Hos libros scio multos spernere. nam felices, his se non indigere putant: infelices, ad solatium miseriæ non sufficere. Et tamen felicibus moderationem, dum inconstantiam humanæ conditionis docent, præstant: infelices, si omnia rectè æstimare uelimus, fortes reddere possunt. Nam nostra omnia momentanea sunt, & nihil aliud quàm flatus & uentosus tumor est ipsa felicitas humana. Nullum medicamentum omnes sanare potest: sunt affectus animi, qui prorsus sunt insanabiles: non tamen artis opus sperni debet, aut medicinæ, aut philosophiæ. Arrianus & Plotinus adeò instant, ut parum talia referre putent. nos aliquid, sed multa falsò æstimari docemus. Impressus est hic liber ab Octauiano Scoto primùm, deinde cum libris De Sapientia à Ioanne Petreio Norimbergæ. Id qua ratione contigerit, nunc explicabo. Neque enim, ut dixi, Octauianus sponte libros meos, neque libenter

benter imprimebat, iacturam ueritus impensæ. nam tametsi lucrum fecisset in librorũ De malo medẽdi usu impreßione, id tamen in libris De consolatione postea cõpensauit, non solùm quòd titulus, & forsan etiã stilus non arrideret: sed quòd typographus suus innumeros atq; turpißimos errores imprimendo cõmisisset. Quam ob causam librum De astrorum iudicijs, primũ ego mea impẽsa Mediolani imprimi curaui, quòd esset exiguus ualde, folia cõtinens decem tantum. Verùm eo quoquo modo distracto, & etiam cum iactura, ubi libros de Consolatione tam fœdè à typographo Scoto conspurcatos uidissem, curaui ut artem Arithmeticæ Mediolani excuderent. satis enim constabat implexum opus, quodq; notis uarijs atque figuris indigeret, si alibi quàm Mediolani imprimeretur, tum ob causas dictas, tum materiæ quæ tunc noua uidebatur difficultatem, tum etiam exemplaris obscuritatem, infinitos errores habiturum. Quòd si Venetijs apud eosdem Scotos excuderent, ne umbram quidem superfuturam: ut mihi omnino labor & gloria, typographo impensa peritura esset. Statui igitur Mediolani librum imprimere: oblata est occasio. nam Bernardus Caluschus bibliopola, suis impensis id egit, suoq; periculo: decemq; coronatos mihi pro exemplari dedit. tanti fuit nostra fortuna. nam mea impensa imprimi non poterat, neque (ut dixi) alibi, præterquam in urbe nostra: nec, si non impressus fuisset, nostra monumenta inuenissent typographum. continuò enim eo opere impresso, cœperunt omnia commutari. Nam adieceram catalogum qualemcumque librorum nostrorum, quos uel scripseram, uel cœperam scribere: & liber is distrahi cœpit in Gallijs atque Germanijs. Itaq; cum tunc esset Andreas Osiander Norimbergæ, uir latinæ, græcæ, hebraicæq; linguæ peritus, tum typographus Ioan. Petreius, bonis literis, si quis alius, fauens, imito consilio totis uiribus mecum agere cœperunt, ut aliquod opus illis traderem ut imprimerent. Atque ita initium gloriæ nostræ, si qua deinceps fuit, hinc ortum habuit. Ergo primum librum De astrorum iudicijs auctum edidi.

15. 7. Anno deinceps quadragesimo, cum conscripsissem tres libros de Aeternitatis arcanis, mox in septem diuisi, magnitudine operis & uarietate argumenti motus. Itaque non solùm librorum, sed etiam capitum, ob subiecti elegantiam, seriem subieci.

TABVLA LIBRORVM DE Arcanis æternitatis.

Libri primi, de Deo, mundi ortu, numero, magnitudine.

PROOEMIVM.

1 Quænam supponere oporteat.

2 Quænam sint, & quot genera eorum

eorum quæ sciuntur & cognoscuntur.
3 De modis quibus homines cognoscũt abdita, & de afflatus generibus.
4 Deum esse unum & æternum.
5 Aristotelis supposita.
6 Aristotelis sententia & rationes pro mundi unitate.
7 Aristotelis sententia & rationes pro mundi termino.
8 Aristotelis sententia & rationes pro mundi æternitate.
9 Peripateticorum ratio circa Dei scientiam.
10 Supposita ex historia aduersus Aristotelem, & eius responsiones.
11 Oppugnatio responsionũ illius.
12 Disputationis initium aduersus philosophos.
13 Deum esse infinitum.
14 Deum cuncta scire.
15 Deum omnia posse.
16 Quòd non omnis potentia iuxta hominum opinionem perfici potest.
17 Infinitum esse in mutatione.
18 Infinitum in corporeis actu inueniri, & quid ad hoc philosophi respondeant.
19 Species rerum non esse æternas.
20 Mundum initium habuisse.
21 Mundũ generari & corrũpi rationibus à sensilibus sumptis.
22 De interitu & generatiõe mũdi.
23 Nihil esse æternũ præter Deum.
24 Solutio rationis cuiusdam de stirpibus contra æternitatem.
25 Solutio rationum Aristotelis pro mundi unitate.
26 Solutio rationũ Aristotelis pro mundi termino.
27 Solutio rationum Aristotelis pro mundi æternitate.
28 Solutio rationum Peripateticorum de Dei scientia.

Libri Secundi, qui est de mundi diuini, quem intelligibilem uocant, constitutione.

1 Quæsita desiderata, & de decem generibus hominum.
2 De tribus substantijs.
3 De generibus entis.
4 De Dei prouidentia.
5 Abyssus diuinæ sapientiæ, & de causis malorum.
6 Quomodo idem sit unum, & producat.
7 Quomodo idem sit simplex & fœlix.
8 Quomodo idem sit necessarium & liberum.
9 Quomodo quod non intelligit, quæ intelligant producat.
10 Vtrum unum idemq; simul sit, ac totum.
11 De incorporeis.
12 De anima, & uerbo Sum.
13 Animam humanam esse immortalem.
14 De eo quod est supra animam.
15 De dæmonibus, & cultoribus aereorum regionum.

16 De mundi anima.
17 De idæis, & quid sint.
18 De pulchritudine.

Libri Tertij, qui est de Mundi sensilis constitutione & ordine.

1 De sex uitæ seu mũdi generibus.
2 De consensu & dissensione partium mundi.
3 De cœli uaria substantia.
4 De aeris regionibus.
5 De materia omnium.
6 Quæ in uniuerso, maiore ex parte aliquam insignem uim habuêre.
7 De mundi tripudio.
8 Cœli motum fieri per partes non commensas.
9 Dialectica ostensio, quòd idem bis fieri non potest.
10 Anima in animalibus ex putredine genitis, an causa præparationis, an præparatio causa animæ.
11 Mathematica cur aliter esse non possint.
12 Partium orbis constitutio & mores.
13 Species quæ & quot, & de mundi ordine.
14 De imaginibus seu speciebus sensilium.
15 De specie & qualitate.
16 Cur hoc totum & partes.
17 De Natura.
18 De mixtione generali.
19 De æternitate & tempore.
20 De eo quod potentia & actu est.

Libri Quarti, qui est de ordine rerum humanarum.

1 De Mundi & hominis similitudine, & æqua partium distributione.
2 De sensu & memoria.
3 De contemplatione.
4 De numeris.
5 De uirtute & peccato.
6 De felicitate.
7 Congregationes an digniores singularibus.
8 De legum necessitate, usu & damnis.
9 De legum comparatione.
10 In omni falso ueri, in omni uero falsi aliquid contineri.
11 Mosen fuisse uerum prophetam.
12 Quibus argumentis Christi diuinitas ostendatur.
13 Miracula fuisse uera.
14 Christi conceptionem, & illius atq; Augusti fuisse mysticam.
15 De rerum humanarum æqua distributione.
16 Quòd huius mundi uoluptates sint inanes.
17 De quincuplici genere humanæ uitæ, ac fine hominis.
18 De arte militari.
19 Imperia ac regna esse animæ sensilis.
20 Imperia & regna esse mundo necessaria.

Libri

Libri Quinti, qui est de successibus rerũ naturalium.

1 Quàm difficilis sit hæc tractatio de successibus.
2 Quot & quanta accipere oporteat ad rectè prædicendum de futuris.
3 De triplici successionis tempore, cœlesti, naturali, & humano: & eorum differentijs.
4 De xxi. generibus terminorum uitæ.
5 Quòd mundus diu superfuturus est.
6 Expositio uerbi Christi, Ego sum ueritas: quantum mundus durabit.
7 Quomodo in infantia mundi sapiẽtes & prophetæ seu uates.
8 Quomodo intelligenda sint ea uerba, Et prædicabitur hoc Euangelium.
9 Qui dicantur magni nodi, & de cognitione tẽporum eorum.
10 Quæ in successiuis temporibus fiant.
11 Qua ratione mundus fluat per tempora.
12 De septem calamitatibus generalibus.
13 De causis earum.
14 De signis præcedentibus eas.
15 De prodigiorum interpretatione.

Libri Sexti, qui est de Successione rerum humanarum.

1 Quanta sit humanæ conditionis miseria.
2 De duplici modo quo cunctæ res finiuntur.
3 Nullã legẽ posse esse perpetuam.
4 De legũ interitu, & causis eius.
5 Signa mutationum legum.
6 De legum promulgationibus & initijs, & philosophorũ opinionibus de fine bonorum.
7 Leges, regna, ciuitates & familias, certos habere fines, demonstratur historia, ratione naturali & mathematica.
8 Libros & scripta sapientum necessariò interire.
9 Linguas & artes etiam suum habere interitum.
10 Quantam uim habeant mores & instituta.
11 De exitio imminente.
12 Quòd in omni exitio imminẽte præuenit unus qui prædicit.
13 Nullum imperium uel regnum posse esse perpetuum.
14 De causis destruentibus regna & imperia.
15 Quòd mutatio sedis imperij destruit imperium.
16 Quòd nulla ciuitas potest esse perpetua.
17 De ciuitatum uario interitu & calamitatibus.
18 Quòd quæ ad unum & in unum, & quæ decedunt, omnia calamitosa.
19 Religio an utilis ad artem militarem, & quæ, & quomodo.

20 Quæ sint necessaria ad obtinendum imperium uniuersi.
21 Addita ad legem Christi, impedire imperium uniuersi.
22 Gallos, Italos, Hispanos, Germanos, non posse adipisci imperium uniuersi.
23 Indiam Orientalem à Lusitanis, Occidentalē ab Hispanis, Hochelagam à Gallis defecturā.
24 Omnes qui sanguine proprio libertatem quæsiuêre, obtinuerunt.
25 De causa excidij Iudæorum.
26 De perturbationibus Mauhmetanorum.
27 Circuitus esse in rebus humanis, ut etiam in naturalibus.
28 De Christi imperio, quando & ubi erit.
29 De causis repugnantiæ in constitutione status cuiusq; Reipublicæ.
30 Leges ciuiles breuiter explicatæ.
31 De seruis.
32 Exemplum generale, de ciuitate Mediolanensi.

Libri Septimi, qui est de fine Mundi.

1 De fine Mundi.
2 De prodigijs præcedentibus finem Mundi.
3 De Mundi reditu post interitum.
4 Breuis Epilogus historiæ Mūdi.

Facile igitur est ex his quæ capitibus ipsis pro titulis præscribuntur, materiam librorum coniectari. Difficilimus tamen liber est Primus, propter mundi numerum, magnitudinem & uitam. Animi quoq; & mentis unitas, immortalitas, consensus & uarietas, atq; diuisio non leuis. Initium, Cum in omnibus quæ ad hanc usq; diem scripsimus: magnitudo, fŏliorum clxij.

24. 5. Superfuit ex farragine illa fŏlium unum, De Sapientia, quod anno quadragesimo secundo auxi primùm: deinde in quinque libros diuisi, edidiq;. Eius operis initium est, Quanquam omnium bonorum sapientiam diuinißimam esse constet. Agit autem in primo, de diuina sapientia: in secundo, de naturali: in tertio, de humana: in quarto, de Dæmoniaca: in quinto, de errorum emendatione: magnitudo, fŏliorum lxx. Explicant hi omnem humanæ uitæ cursum, uiuendiq; rationē. Explodunt uanam superstitionem, mortaliumq; cupidam futura ex illicitis artibus præsciendi mentem coarguunt. Felicitati parandæ hi utiles sunt. Sed mortales nō adeò sapiētiæ præceptis, uelut artibus atq; scientijs indigere se existimant. Hi si emendatiores in publicum prodijssent, non erant paruæ utilitatis: quandoquidem humanam uitam excolere non parū sit.

25. 1. Ex eadem farragine sumpta est materia libri de Animi immortalitate, cuius est initium, Sæpe ac diu dubitatū est, an animus hic noster: fŏlia cōtinet xl. hunc ergo Gryphius anno M.D.xlv. ut alium Ioannes Petreius præcedenti anno, excudit. Docet hic liber, animum nostrum esse immortalem, communiq;

niq; omnium sapientum consensu ex homine in hominē, à supremo die transmigrare: multorum quoq; mirabilium quæ circa mortuorum imagines contingunt, tum aliorum causas reddunt. Hic cum multis, licet leuibus, mendis scateret, non legitimum locum obtinuit: quippe succedentibus Theonosti libris obscurior euasit, alioqui satis iucundus lectu.

Simili ratione ex librorum de Consolatione farragine, librum qui dicitur Consolatorius amantium, perficere destinaueram: sed maioribus intentus destiti. Perfeci autem primum Contradicentium, quem impressit Octauianus Scotus: inde denuò, tum secundò Gryphius. libri sunt octo, nunc recognitis primis ac immutatis, ne quid deesset. folijs opus totum constat quadringentis. Initium eius est, Excrementa quæ. Fuerunt hi libri necessarij, nedum utiles, ut multorū simul autorum memoria coleretur: & ne dubitaremus quinam libri fide digni essent, uel qui apocryphi, uel ut minus celebris scriptoris: & ut sciremus quibus in casibus hæc aut illa conuenirent. Tum uerò Medicinam Mediolani profiteri cœpi, stipendio satis amplo pro ratione temporum, & in patria, & nunquam aliàs professus: siquidem centum quinquaginta aureorum coronatorum. is fuit annus ætatis quadragesimustertius. 16. r.

Conscripseram iam ætatis anno xxxvij. librum, de libris Proprijs: imò non librum, sed potius tabulam. deinde auxi, iterumq; mutaui, donec ad hunc ordinem redigeretur. Nec tam necessitate eorum quæ adijciebantur indies, quàm etiam certo iudicio. liber hic tam sæpe mutatus est. Iconem ergo quendam mihi in eo proposui omnium eorum quæ à me conscripta sunt, non solùm ad memoriam confirmandam, eligendosq; mihi libros quos prius absoluerem & castigarem: sed ut docerem, quibus causis, temporibus, quoq; ordine talia conscripserim, & ut uim numinis suo loco testarer. Imitatus sum in hoc scribendi genere Galenum & Erasmum, qui ambo catalogum librorum suorum scripserunt. Verùm non hic solùm docui librorū nomina, sed & magnitudinem, initium, materiam pertractatam, ordinem diuisionis, ordinisq; librorum inter se utilitatem, quidq; in se præcipuum continerēt. qua ex re etiam opera ipsa in capita digessi, quædam autē etiam in libros. neq; quicquam difficilius huiusmodi enarratione, in qua medium tenere cogor: nec omnibus idem medium est. Sustulimus in hac editione curas admirabiles, quas olim peregimus. Floruimus quondam, en quò me filij stulticia, senatus austeritas, & ingrata quorundam amicitia, tum patria genúsque humanum adegerunt? Itaque solùm de uitæ cursu, librisq; à me conscriptis hic agam. Præcipua uerò utilitas est, docere, quónam pacto libri sint conscribendi. neque enim obiter hanc materiam pertractaui, sed quàm diligenter in tanta breuitate 17. r.

licuit,

licuit.resomnibus necessaria,præterquã his qui sibi plurimũ sapere uidentur. Hæc in alijs editionibus iam antea euulgatis desiderantur. Si quem delectat uidere nostræ ætatis decursum, fortunam, labores, fructus, non alibi melius perspicere poterit. Scripsimus enim illum anno sexagesimo ætatis nostræ diligenter, castigauimusq;. Quid etiam in posterum facturi simus, edocemus: ne quis nouam editionem illius requirat, cum quid facturus sim deinceps exposuerim. Et si forte fortuna ante omnium absolutionem eripiar, modum docui quo expleri possint, atque limari. Curabo etiam quàm potero enixè, ut aliquis uel è stirpe nostra, uel aliena, ita sit institutus & animatus à nobis, ut hoc munus suscipere possit & uelit. Addã præterea huic operi tria encomia, Geometriæ, Podagræ & Neronis, ut cum his expleat chartas centum.

Exegeram iam quadragesimum secundum ætatis annum, in extrema (ut ita dicam) non solum rerum inopia, sed fortunæ miseria, cùm Florentiã inuisi. deinde Senas profectus, Franciscum Sfondratum, præfectum urbis, uirum omni laude dignum, ac de me benemeritum, salutaui. Is cum reuersus esset Mediolanum, sequente æstate, ob ingentia bella, Academia in urbem nostram translata est. Abeuntibus etiam professoribus, ob inopiam rei pecuniariæ, locum eius accepi, qui Papiæ iam anno M.D.xxxvi. pro me fuerat subrogatus, medicinamq; professus Mediolani, inde Papiæ, usque ad M.D.li. nisi quòd M.D.xlvi. intermisi. Scripsi igitur his annis commentaria in duas primas sectiones Aphorismorum, foliis cclxxv. deinde quod diu antè institueram, aggressus sum expositionem omnium Hippocratis librorum: adeò ut centum Commentariorum libros scribere instituerim: speroq; huiusmodi expositionem omnium quos ediderim, aut conscripserim librorum præstantissimam futuram. Siquidem maturo iam annis consilio conscripti sunt, ac magis per ocium, deinde, quoniam uniuersam artem, licet generaliter tantum amplectuntur, & diuini (ut ita dicam) Hippocratis sententiæ inhærent, & finem habent nobilissimum, quippe artem parandæ aut seruandæ sanitatis. Sex enim artes totas totidem uoluminibus complexus sum. Arithmeticam in opere perfecto, sed & eam (ut dixi) penè etiam totam inueni: uerùm cum non adeò nobiles hæc ars professores habeat, non in tot manibus erit, tum etiam ob difficultatem. Astrologiam, in commentarijs iam supra Ptolemæum editis: sed & hæc ob difficultatem, licet nobiles, paucos tamen habet lectores: tum magis, quòd plures inuidos hæc ars sortita sit. Musicam in quinque libris restitui ab extrema iniuria uetustatis ac desuetudinis, amissis etiam libris qui de ea tractabant, ob negligentiam & uetustatem: sed tamen his libris pauci operam dabunt, quòd qui exercitatione illius non delectabuntur, nec intelligent nec curabunt

rabunt artis principia & rationes. qui uerò ipsam exercent artem, ab eruditione, ac Mathematicarum scientia plurimum absunt. Metoposcopiam quam multi uix artis nomine dignantur appellare, non puto magnam habituram dignitatem. Dialecticam uerò an editurus sim, nescio. At commentaria hæc in uniuersam Hippocratis doctrinam, præter id quòd totam artem amplectuntur, historia delectant, & utilitatem secum coniunctam habent, scribunturq; eruditis, nobilibus, diuitibus: ipsa ars in ueneratione, ipsa autoris fama inclita, cuius nomen colitur apud omnes, ad quos memoria eius peruenit. Itaque omni studio, diligentiaq; incumbam, ut quamprimùm perficiatur. Initium duxi ab Aphorismis, ut dixi, quos hoc anno in lucem edere proposui. Sequenti autem, octo alios: quorum septem ad præcepta generalia pertinent, octauus uerò de Aere, aquis & locis. Post uerò uigintitres in Epidemia, seu uulgarium morborum libros. ij igitur erunt triginta octo, supereruntq; libri Hippocratis quinquagintaquatuor. Si ergo libros de affectionibus, & de internis affectionibus, tum de natura muliebri, & duos qui sunt de morbis mulierum, librosq; Prænotionum, seu Prognosticorum, & Coacarum prædictionũ, & de Ratione uictus in morbis acutis, qui omnes satis longi sunt, in duos distinxero, centum numerum ad unguem expleuero. Erit autem initiũ operis, quòd « & Hippocratis, Iusiurandi scilicet: Apollinẽ medicum & Aesculapiũ. Por- « rò quæret quispiam, cur tamdiu, quòd iam tanto tempore destinaueram, opus 18. 100. hoc distulerim? Huic ego non adducam negociorum interpellationem pro excusatione, sed quòd non intelligerem satis omnia, ut decebat. Quomodo autem ad hanc cognitionem deuenerim, suo loco inferius explicabo. nunc autem paucula de commentarijs his subiungere libet. Erunt autem, ut reor, si ex ungue leonem, ad chartas mille ducentas, textus uerò ipse trecentum: ut opus necesse sit in duo uolumina, seu tomos diuidere. Ergo in eo summa industria, ut par erat in tanto opere, usus sum. Incitauit autem me ad hoc felix quædam interpretatio, primùm in Aphorismos, cum uidissem Galenum adeò oscitanter illos exposuisse, ut ne umbram quidem sensuum Hippocratis uideatur assecutus. nam cum esset intentus contradicendo Sophistis, ueram Hippocratis sententiam passim reliquit, modò multa excipiens, modò etiam nonnulla apertè damnans. Ex eo uisum est mihi, operæprecium me facturum, si omnes illius libros explicarem, & à primo interitu uindicarem. Itaque rectè laborem collocaturus uidebar, ubi nouitas rei me hortaretur, historiæ uarietas delectaret, sensuum profunditas ingenium exerceret, utilitas operis accenderet, uiri autoritas tueretur & illustraret, multitudo rerum digna esset laboribus tantis. Ergo nunc primùm audietis Hippocratem noua lingua

loquentem ac differentem, non minus quàm existimatis noua esse quæ in Geometria & Arithmetica inuenimus. Sed hæc minoris sunt utilitatis, & forsan non inuenta, quia neglecta: ibi totum mortalium genus neruos, ut assequi sensa posit, intendit. Sed iam ad ordinem cœptum redeo.

Anno quadragesimoquarto Papiam me contuli, & cum præcedenti anno commentaria Aphorismorum scripsissem, tum scripsi commentaria Artis medicæ, chartis centum sexaginta: quorum initium est, Iam diu intermissum. Anno autem quadragesimo sexto (nam anno uno intermisi, ob pecuniariæ rei publicam inopiam) commentaria confeci in primam primi Auicennæ, chartis centum quinquaginta: quorum initium est, Hucusq; diuersis cum ambagibus. extant autem hæc omnia, ut etiam expositiones in Aphorismos priores, quarum initum est, Intermissum ac penè: chartis ducentis ac pluribus. Sed & circumferuntur plurima scripta in huiusmodi genere à discipulis, & uaria, quæ ego non inter scripta mea connumero, licet extent. Nam sunt etiam tabulæ duæ magnæ: una cuius inscriptio est, Tituli librorum classicorum autorum, foliorum x. initium cuius est, Oratio suasoria: altera autẽ foliorum xxxij. cuius titulus est, Tabula Hippocratis: cuius initium est, Ne mireris candide lector. quarum usus fuit mihi utilissimus: duoq; mihi sunt exemplaria. sed & primæ copiam alijs feci, huius autem non, quòd quatuor mensibus uix nil aliud agẽs absoluerim. Similiter extant Encomia podagræ, Geometriæq;: Neronis etiam, sed imperfectum: Orationes quoq; supra uiginti in genere demonstratiuo, in laudem scilicet eorũ qui lauream susceperunt. Epistolæ quoq; familiares sine numero, ad principes, tum priuatos: unaq; præcipua ad Franciscum Gadium, Phratrium ex ordine Canonicorum B. Augustini, qui cum mihi amicus esset dum floreret, Rexq; cognomine ob potẽtiam appellaretur, coniectus in carcerem, miserè uitam ibi, ne dicam crudeliter, finiuit. nam per quindecim dies in profundissima gorgyne fuit, ut uiuus sepeliretur. Epistolæ quoq; nuncupatoriæ, sed ex his nonnullæ impressæ, de præstantia scientiarũ, uita studiosorũ, laude liberorum, dignitateq; disciplinarum. Farrago septẽ librorũ nondũ conscriptorũ Cõtradicentiũ medicorũ, tum farrago alia collectaneorum, de quibus dixi, quæ ambæ supra quingẽtas continent chartas. Declaratio magnitudinis arcæ Noæ. Consilium, an hora secunda noctis deprehendere hominis effigiem exquisitè liceat. Supersunt & duo cõsilia conscripta pro archiepiscopo S. Andreæ, in metropoli Scotiæ: multa quoq; & sine numero consilia scripta pro Anglis, Scotis, Gallis, Germanis, Italis, Hispanis, Cimbris, Blandis, alijsq; non ex harum numero gentium hominibus. Quæ uerò

rò non extant, ac periêre, aut imperfecta sunt, longè plura sunt his quæ connumerauimus. Tum uerò & illa omisimus, quæ hic non annumeraui, quamuis omnia extent apud aliquos.

Porrò non illa magis quàm hæc quæ relinqui, quæq; periêre, supereſſe uelim: quãuis quædam (ut dixi) etiã edita sint, omnia uerò absoluta, & in manibus multorũ. Contentus sum his operibus, quæ hic sub certo numero recitantur. Sic etiã prætermitto duos libros quos de circulis scripsi, suntq; apud me foliorũ uigintiquatuor, quorum initiũ est, Cum duo circuli se inuicem secant. Est autem argumentũ eorum, demonstrare Obliqua rectis posse æquari: quod Archimedes solus in Parabolis constructione ostendit, & spiralibus seu elicis lineis: sed hæ à sensibus sunt remotiores. neq; hunc tamen inter nostros libros numeramus: ut nec librum de uita, quem dum ægrotarẽ anno M. D. lv. conscripsi. uerùm illius loco, ut post narrabimus, Eremitam scripsimus.

Cum uerò stipendium mihi non numeraretur (erat autem ccxl. coronatorum aureorum) intermisi, Mediolaniq; mansi: quo tempore libros de Iudicijs astrorum auxi, scripsiq; alios xiij. libros Metoposcopiæ, cuius operis initium est, Corporis totius significationes ex totius etiam habitu dignoscuntur: magnitudo, foliorum clxxx. In Primo igitur libro agitur de Physionomia, in Secundo de significatis generaliter omniũ linearum: in sequentibus Septẽ libris, de significatione linearũ iuxta Planetarum loca, à Saturno incipiendo, & ad Lunam descendendo per ordinẽ. in Decimo, de lineis plura loca posidẽtibus. in Vndecimo, de linearum mixtione, tum de lineis genuum, brachij, umbilici, pedum. in Duodecimo, de lineis in fronte mulierũ: in Tertiodecimo, de næuis, & signis alijs. Fuit hoc opus totum nostræ inuentionis, præter primum librũ: obseruationes tamẽ à Christophoro Vicecomite, amico nostro, & qui primus artẽ post tot secula in usum reuocauit, sumptæ. Docẽt autẽ, solo aspectu hominum uitam, naturã, mores, fortunamq; agnoscere hi libri. Nec quisquã alius, quid id faciat, animaduertere potest. nã lineæ ac signa illa nõ in manibus, sed fronte, quæ omnibus patet, obseruãtur. Non paruũ est omnino opus, cum uniuersam artẽ amplectatur: atq; eo maius, quòd fermè Dccc. figuris illustretur. 19. 13.

Eodẽ tẽpore cœpi librũ Experimentorũ, colligens quæ aliàs scripserã, quẽ perpetuò auxi. cõtinet nũc folia ccx. initiũ cuius est, omnis q gloriã ex medica arte cõsequi desiderat. Doceo aũt, quibus modis sanauerim sideratos, arthriticos, urinæ profluuio tabescentes, ægrè spirãtes, hæmoptoicos, ulcera praua, pestẽ, quartanã, melãcholicos, comitiales. Peculiaria itẽ & propria medicamẽta uniuscuiusq; morbi, & q̃ regioni & ætati nostræ cõgruerent, descripsi. 20. 30.

Eodem quoq; anno condidi libros quinque Musicæ, quorum initium est, 21. 5

Musicam neque ab antiquitate: magnitudo, foliorum clxx. In primo libro agitur de generalibus artis regulis atque principijs: in secundo, de antiqua musica, ubi de rhythmis, carminibus, choris, saltationibus: in tertio, de Musica nostra: in quarto, de modo componēdi cantilenas, & dicitur Contrapunctus: in quinto, de structura & usu instrumentorum. Satis est, in his libris nouarum consonātiarum scientiam me tradidisse: historiam quoq; rituum & rhythmorum, antiquarumq; modulationum, tum instrumentorum musicorum compositionem omnem, uocumq; in eis quarundam nondum cognitarum inuentionem.

22. 21. *Contigit autem per eadem tempora res mira admodum, & singularis exempli, cuius in libris de Subtilitate memini. atque eo somnio xxi. libros eius argumenti scripsi, qui sæpius editi sunt. Est autem foliorum cclxxx. Initium operis est, Propositum nostri negocij est de Subtilitate tractare: librorum series hæc est.*

TABVLA LIBRORVM DE Subtilitate.

Primus, de principijs naturalibus, materia, forma, uacuo, loco, corporum repugnantia, motu.
Secundus, de elementis.
Tertius, de cœlo.
Quartus, de luce & lumine.
Quintus, de metallicis.
Sextus, de metallis.
Septimus, de lapidibus.
Octauus, de plantis.
Nonus, de animalibus quæ putredine generantur.
Decimus, de animalibus quæ ex semine proueniunt.
Vndecimus, de forma & necessitate hominis.
Duodecimus, de illius temperamēto.
Tertiusdecimus, de sensilibus & uoluptate.
Quartusdecimus, de anima & mēte.
Quintusdecimus, de inutilibus subtilitatibus.
Decimussextus, de scientijs.
Decimusseptimus, de artibus.
Decimusoctauus, de mirabilibus & spectris.
Decimusnonus, de dæmonibus.
Vigesimus, de substantijs primis.
Vigesimusprimus, de Deo & uniuerso: atque ibi etiam de tonitru, grandine, pluuia, & similibus.

Conscripsi primò unico folio, inde quatuor, pòst septem, inde auxi ad quinquaginta: demum cum primum editus est, ad octuaginta: nunc uerò ad clx. folia integra peruenit. ubi primùm excusus est Norimbergæ (nam & Lutetiæ, & Lugduni, & Basileæ) cessauit somnium illud; nisi quòd dum in Scotia

tia essem, ea nocte quæ præcessit cognitionem libri Micropresbyticon, cuius lectione maximè delector, tale quippiam quod me iucunditate perfunderet, uisus sum præ manibus habere. Itaque libri hi de omnibus generaliter tractant, seu naturalibus, seu etiam artificiosis rebus, aut his quæ supra fidem esse uidentur. Exempla quoque & rationes, non omnium quidem, sed duntaxat rariorum rerum atque effectuum adieci. Docui autem præcipuè causas eorum quæ in superiore parte orbis fiunt: elementa tantum tria, qualitates uerò tãtum duas esse. Humidorum species, ac naturam tam apertè distinxi, ut nunc primùm intellecta ea ratio dici possit. Ventorum etiam aperui, rerumq; maximarum, tum artificia mirabilia ac spectra: in abditis semper, non tritis rebus uersatus. Quòd si quid uulgatum sit, id eo admirabilius, cum in rebus adeò manifestis quantum lateat occulti, & ad altiores res exempli intelligis. Nota tamen hi libri amplectuntur, ut dubia libri de Fato, & abdita omnino libri de Arcanis æternitatis. Tametsi enim libri de Subtilitate de abditis sint, ad illorum tamen causam experimento ac sensili ratione, ac quasi (ut ita dicam) per manus peruenire licet. Non ita in alijs, quæ in libris de Fato, & de Aeternitatis arcanis tractantur. Præterea hi successiones rerum humanarum continent, à quibus libri de Subtilitate, ut de naturalibus tantum tractantes, abstinent. Qua de causa & de legibus & de moribus quodammodo tractant, quodammodo non. Adieci autem demonstrationes, nec ad singularia nisi exempli loco declaranda perueni. Itaque hi libri & quid tractent, licet pauca tantum de multis loco exempli adduxerim, & in quibus à cæteris philosophiæ nostris libris differant, edocuimus: ne quis titulis tantum librorum ex hoc Opere inspectis, quædam repetita existimet, quòd similes tractationes contineri uideantur.

Cæterùm ut ad ordinem redeam, sequenti anno Genuam inuisi: & ne ni- 23. 4.
hil in uia conscriberem, cœpi quatuor libros de Tuenda sanitate. In quorum primo agitur de his quæ ad sanos pertinent, usque ad iuuentutem. In secundo, de senibus. In tertio, de morbosis corporibus. In quarto, de his qui alicui muneri addicti sunt. magnitudo operis, fõlia ccxxiiij. initium, Asclepiadem si quem alium mortalem. Plura sunt in his libris quæ Galenus aut non attigit, aut saltem ab eo edita non extant: uelut ratio coctionis in uentriculo, quies senibus utilissima, aquæ cœlestes, quas uocant Elixir: regimen iter agentium, & eorum qui magnis incommodis subiacent: humidorum discrimina, ex libris de Subtilitate sumpta: præparationes quoque ciborum, quas etsi Galenus tradiderit, liber tamen eius non extat. Omisit etiam Galenus dicere, quid tempus in alimentis faciat. Nec si quis libros de Tuenda sanitate, de cibis

boni & mali succi, & de attenuante uictu in unum iungat, opus simile nostro (absit iactantia dicto) facilè efficiat: non solùm quòd plura nos attigerimus, sed quòd quibusdam in partibus alijs principijs innitar.

24. 1. Cum Genua redissem, conscripsi folia quatuordecim libri de Præceptis ad filios: initium libri est, Cum multi ô filij. Hic continet omnem sapientiæ humanæ rationem, breuiter traditam atque explicatam: quoniam non argumentis, sed præceptis atque exemplis indigent pueri. Docent etiam, quibus modis patresfamilias domesticos continere & in obsequio & in officio debeant. At uideo quamprimum occursuros, dicentes uulgatum illud:

Αλλῶν ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.

Quid profuit hæc tua industria? quis infelicior in filijs? quorum alter malè perijt: alter nec regi potest, nec regere? Communis mihi hæc conditio est cum maximis uiris. Quid dicturi essetis, si saltem reges inclyti hac calamitate caruissent? aut multo magis, si sapientes etiam? nunc neque sapientes ipsi, neque Reges aut Cæsares, quod multo maius est, hoc infortunio carere potuerunt. ac, quod maximum est, nec in toto orbe filium probum optimis Imperatoribus eligere licuit. Mihi ergo non defuit animus, fortuna me destituit: & ut filios duriores procrearem, & ut adeò pauper essem, ne possem cogere quos non poteram persuadere. Itaque uidebar Senecam imitatus, de paupertate scribentem (si modò is liber Senecæ est) cum tota die fœnori incumberet: aut Epicurum, de frugalitate & abstinentia, dum hæc scripsi? Absit: non est cuiusuis egregij Palinuri non soluere nauim, quoniam immineat tempestas: nullius autem, cum in ipso iam fueris tempestuoso mari, euadere. tam acriter nobis fortuna repugnauit, quàm illi fortiter & sapienter occurrimus. demum, quasi uicta dedisset manus, aggressa est filios non solùm incautos, sed me non suspicante aliquid, ac perdidit. ὦ πόποι ἐνεγκαμένη μητρύιᾳ. Parum profuerit prouidentia, quæ uicta cedit. Sed paucis id eueniet, ut plus possint fata quàm prudentia: itaque ne despicere oportet quæ fatis, quæ magistratibus uincuntur? non deceptus sum in iudicio, sed utraque necessitate uictus. Certum est, eum qui occidit, optimum fuisse, dedisseque pœnas stulticiæ suæ, & inuidiæ paternæ.

25. 10 Anno xlix. ætatis meæ, conscripsi libros decem Problematum, quorum initium est: Cur luna magis de nocte lucet quàm de die? foliorum est hoc opus lxx. In primo libro, de inanimatis agitur: in secundo, de animatis: in tertio, de moribus: in quarto, de legibus generaliter: in quinto, de lege Christi: in sexto, de lege Iudæorum: in septimo, de legibus Mahumeti & idolorum: in octauo, de Repub. in nono, de successibus: in decimo, de flagitijs. Soluuntur autem problemata

problemata omnia quadrifariam, Theologicè, Astronomicè, Naturaliter, & iuxta philosophorum Peripateticorum Epicureorumq; sententiam, qui callidè omnia tractant. Propterea hi libri res uarij argumenti continent. Alium quoque librum materna lingua scripsi, foliorum centum quadraginta, cuius titulus est, Technarũ calidarum, seu, De le burle calde. initium, In nela inclyta citta di Pauia. Harum, & fabularum, unum & idem uidetur esse propositum: scilicet delectare docendo: ut illud Horatianum communiter eis conuenire uideatur,

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

Veruntamen magnum discrimen est inter fabulas & technas. nam technæ historia constant, & amicè instruunt, & prudentibus conueniunt, & uirum quantumcunque grauem delectare possunt. at fabulæ simpliciter docent, & pueris ac calumniatoribus scriptæ uidentur: his quidem, ut respondeamus moderatius: illis, ut aptius moneantur.

Sequenti anno contigit res rara. Laborabat iam decennio Illustrissimus uir Ioannes Amulthon, patria Scotus, archiepiscopus Ecclesiæ beati Andreæ, grauissima spirandi difficultate, quæ illum fermè singulis decem diebus inuadebat. cumq; omnia tentassent frustrà medici sui, & affinis: cuiusdam, ut audiui, consilio scripsit, rogans ut illum ad curandum Lutetiam, aut saltem Lugdunum me conferrem: accepturum enim quantum uellem pecuniarum, nec leuem mihi futuram gloriam: ipsumq; uenturum Lutetiam, aut si oporteret, etiam Lugdunum. Ego itaque, qui aliàs Gallias inuisere uel nullo compendio destinaueram, occasionem arripui: confisusq; fœlicitati meæ in arte, confero me Lugdunum: sed neminem inuenio. tandem post xlvi. dies, ni fallor, aduenit medicus suus Guglielmus Casanatus, uir egregius, me non iam Lutetiam, sed in Scotiam usque deducturus. Reluctor. Tandem uerò precibus uictus, deducor in Scotiam. Sed dum itineri accingimur, atque in ipsa reluctatione, plurimi periere dies. quarum ultima, qua discessum parabamus, uenit ludimagister quidam ad me, consilium petens pro morbo graui: do. offert pecunias: renuo. dicit se posse puerum ostendere, qui dæmonas in urceo uideat: accedo, inuenio nugas esse. Inter hæc loquimur de Orontij speculo ignem accendente, quod Archimedis inuentum esse sciebam. ostendit librum Archimedis impressum, quem Antonius Gogaua in Latinũ uerterat. Tum ego librum inspiciens, uideo alium sibi iunctũ, scilicet Ptolemæi libros de Iudicijs. peto an uenales sint: ille cogit ut accipiam. accepi tandem: dies enim festus erat, ut emere non liceret. Quo pacto igitur cõmentaria illa à me conscripta sint, in ipsismet retu-

26. 4. retulisse me memini. Scripsi igitur folijs 300. atq; amplius, nec minus felix in edendo, quàm in scribendo. Et quanquam semel tantum editum, nullum tamen perfectius ex nostris operibus, hoc in lucem prodijt. Initium est, libros hos antiquorum more de iudicijs. Additæ sunt præterea xij. geniturarum exemplares, Christiq; natiuitas admirabilis. Cõtinet hoc opus libros quatuor, in quo totam artem complexus sum, & difficilimum autorem explicaui. Pòst per ocium, cum opus ipsum denuò emendassem, ad Gallos typographos, egregios procrastinatores, transmisi: & cum non prodiret in publicum, tandem denuò in manus acceptum ita castigaui, & auxi, ut maximè studiosis satisfacere possit, ob ea quæ inferius dum de Dialectica loquemur docebimus. Sed dices, quid tibi hi profuerunt libri?

Sed non augurijs ualuisti pellere pestem.

Quòd si tibi prodesse non potuerunt, quid alijs polliceberis, aut sperandum erit? Talia mihi obijci posse sentio. Sed si egregius medicus lethali morbo corripiatur, num nemini medicinæ studijs uacandum erit, quòd ille se seruare non potuerit? Seruaui me proculdubiò Dei auxilio, artis scientia: sed filios impotentes seruare nequiui. Est etiam astris Genius ille maior, aut æqualis origine, qui nos nostraq; circumagit, dum non in Deum semper intenti esse possumus. Deniq; difficile est imperare sine milite & dignitate, ac imperandi facultate. Ipsæ artes, disciplinæ, scientiæq; perfectæ sunt in seipsis: nos exiguam partem attingimus, longè minor pars ad usum deduci potest. Propterea utiliores erunt hæ his qui illis studuerint, quàm nobis in inuentione earum occupatis. Si, quæ nos inuenimus, alius inuenisset, & in lucem ante nos edidisset, proculdubiò felices fuissemus. nunc difficilimum fuit inuenire, atque inuentis commodè posse uti. Vt persicus dum poma alijs parit, & bombyx sericum, se exbauriunt: ita magnarum inuentionum rarò fructus ad ipsos redundat inuentores. Malè sit primùm his, qui solis inuentis, quæ tam pauca erant, Aristotelis studuerunt. Malè sit his, qui circa nugas & nominum disceptationes, uellicando quæ ab alijs inuenta erant, tantùm insudarunt. Malè sit his, qui mihi solùm impedimento fuere, tot negocijs occupato, cum ipsis precariò natus uiderer. Malè sit etiam his, qui mihi frustra aduersati sunt, cùm ne digitum quidem ad artium incrementum ipsi admouerint. Malè sit his deniq;, qui pro tantis bonis talem gratiam reddidêre. Sed ad rem ipsam reuertamur: siquidem uulgare est, cum optimè feceris, pessimè accipi. Inspice Socratis uincula & cicutam, Aristotelis exilium, Theophrasti fugam, tot denique optimorum uirorum casus.

27. 17. Reuersus in patriam, perfeci libros xvij. de Rerum uarietate, quos iampri-

dem

dem inchoaueram: sed tres tantum erant. Visum est autem commodius, ut in xvij. illud opus diuiderem. Hoc fuit, quod regi Angliæ Eduardo sexto, admodum adolescenti, dum redirem è Scotia, ostendi. Folia cclx. continet. Porrò de usu eius satis dictum est superius. Præcipua est tractatio de uentis, de piscibus, de dæmonibus ac prodigijs. Sed libet tabulam subijcere: quoniam hic liber etiam diuisus est in multa capita, & quasi totus continuus miro quodam ordine esse uidetur.

TABVLA LIBRORVM DE Varietate rerum.

Liber primus est de uniuerso, & partibus eius sensilibus.

1 *Vniuersum, cometæ, uentorum ratio.*
2 *Elementorum natura.*
3 *Terræ genera & natura.*
4 *Loca & regiones.*
5 *Terræ miracula.*
6 *Aquæ natura, & genera ac motus.*
7 *Aquæ miracula.*
8 *Aeris natura & genera.*
9 *Aeris miracula.*
10 *Elementorum artificia.*

Liber Secundus, de mundi partibus diuinioribus.

11 *Cœlum.*
12 *Lux & lumen.*
13 *Influxus.*

Liber Tertius, de mixtis generaliter.

14 *Mixtorum proprietates.*
15 *Metallica.*

Liber Quartus, de metallis.

16 *Metalla.*

Liber Quintus, de lapidibus.

17 *Lapidum natura, generatio, differentiæ.*
18 *Gemmæ.*
19 *Lapidum miracula.*

Liber Sextus, de plantis, & productis ab eis.

20 *Plantæ, & earum differentiæ.*
21 *Plantæ aquã subesse significãtes.*
22 *Plantarum miracula.*
23 *Plantarum cura.*
24 *Vinum & acetum.*
25 *Succi alij, & mel.*
26 *Conseruatio eorum quæ à plantis proueniunt.*

Liber Septimus, de animalibus, & productis ab eis.

27 *Animalium generalis ratio, ac differentiæ.*
28 *Animalia imperfecta.*
29 *Serpentes.*
30 *Reptilium fugandorum ratio.*
31 *Quadrupedia.*
32 *Quadrupedium cura.*
33 *Quadrupedium proprietates.*
34 *Aues.*
35 *Auium cura.*
36 *Auium proprietates.*
37 *Pisces uarij generis.*
38 *Piscium cura & proprietates.*
39 *Producta ab animalibus.*

Liber Octauus, de homine.
40 Humana natura.
41 Sensus.
42 Mens.
43 Hominis proprietates.
44 Morbi mirabiles, curæq; superstitiosæ.
45 Communes calamitates.
46 Humanarum rerum finis.
Liber Nonus, de motibus.
47 Motuum generalis ratio.
48 Perennia.
Liber Decimus, de ignis artificijs.
49 Ignis uires & alimenta.
50 Destillationes.
51 Chymica.
52 Vitri artificia.
Liber undecimus, de artificijs communibus.
53 Artes uariæ.
54 Nauigandi ars.
55 Architectura.
56 Instrumenta & uasa.
57 Compositiones pulchræ.
Liber duodecimus, de artificijs subtilioribus.
58 Artificia mirabilia.
59 Ephemeridum compositio.
60 Chorographicæ descriptiones.
61 Occultatio.
62 Actiones mirabiles.
Liber Decimustertius, de artificijs humilioribus.
63 Experimenta minima.
64 Scribendi instrumenta.
65 Fuci seu decoratio.
66 Deliciæ.
67 Colorum, odorum, saporumq; materia.
Liber Decimusquartus, de diuinatione occultiore.
68 Diuinatio an sit, & an in omnibus.
69 Ignea ostenta.
70 Aeris ostenta.
71 Aquæ ostenta.
72 Terræ ostenta.
73 Plantarum ostenta.
74 Animalium agrestium ostenta.
75 Animalium domesticorum ostenta.
76 Hominum ostenta.
77 Partuum ostenta.
Liber Decimusquintus, de diuinatione artificiosa.
78 Præsagia per singula genera rerum.
79 Chiromantiæ obseruationes.
80 Striges, seu lamiæ & fascinationes.
81 Miracula.
82 Auspicia.
83 Aruspicia.
84 Soni, ac uoces præter naturam.
85 Vocum uaria ratio.
86 Visus causa falsa spectra.
87 Mentis præsagia & oracula.
88 Præsagia tempestatum.
Liber Decimussextus, de rebus præter naturam admirandis.
89 Sigilla.
90 Magia naturalis.
91 Magiæ

91 Magia Arteſij.
92 Præcantationes.
93 Dæmones & mortui.

Liber decimuſſeptimus, de rebus dignis.

94 Gentium ritus.
95 Linguarum uarietas.
96 Vrbes, reſq; aliæ inſignes.
97 Theſauri.
98 Bibliothecæ & libri, ac uaria ue tuſtæ magnificētiæ exempla.
99 Reſolutio à fine, unde uſus inuentorum.
100 Cauſa conſcribendi hos libros.

Anno igitur ætatis quinquageſimoſecundo, & hos, & qui editi erant de Subtilitate libros emendaui: atq; hos primò quidem dicatos Cardinali Tridentino, illos Don Ferrando Gonzaghæ, denuò edidi: impreſſiq; ſunt ambo Baſileæ. Tertiò quoq; emendati prodiêre in lucem libri de Subtilitate: ſed impreſſi etiam fuerant Lutetiæ, Lugduni, Norimbergæ: & materna quoque lingua, ſeu patria Gallica, conuerſi per Ricardum de Blanchis. Verùm libri de Varietate rerum dum imprimuntur Baſileæ, quidam ulturus propriam quam acceperat iacturam, ipſe iniuriam appellabat, uerba quædam addidit in capite de lamijs ſeu ſtrigis, quæ Phratrios Dominicanos laceſſebant: cum nihil minus mihi expediret, aut eſſet in animo. ita non ſufficere uidebantur atroci fortunæ tela inuidiâ aduerſum me comparata, ni etiam alieno crimine nocens fierem. Expoſtulaui ſtatim à typographo Henrico Petri, alioqui probo uiro, qui (ut erat ingenuus) de illius adiectione quæſtus eſt mecũ. at qui rem peregerat, cum ad illum etiam ſcripſiſſem, tantum abfuit ut ſe excuſaret, ut etiam me irriſerit, dicens: Quid tua intereſt, quòd quatuor uerba adiecerim? an hoc tantum crimen eſt? quid facerem abſens abſenti? Impreſſus eſt etiam cum hac labe Auinioni, ſed exiſtimo ſuppoſito nomine id factum eſſe, quòd Lugduni potius ſit impreſſus. Cæterùm, cũ nõ ignorẽ maculatos fuiſſe codices B. Hieronymi, atq; aliorum patrum noſtrorũ, ab his qui aliter ſentiebant, erroremq; ſuũ autoritate uiri tegere uoluerunt: ut ne quis in noſtris operibus hallucinetur, uel ab alijs decipiatur, ſciant omnes, me nullibi Theologum agere, nec uelle in alienam meſſem falcem ponere. Cæterùm, quod ad uitæ inſtitutum & religionem attinet, ſequi uelle quod tutiſſimum eſt, atque in ea qua natus ſum lege, hiſq; ritibus ac ceremonijs moribuſq; uti uelle, quibus iam tot per ſecula maiores noſtri uſi ſunt, nec uelle diſcordias ſerere, aut os in cœlum ponere, uel plus quàm opus eſt ſapere. Si quicquam uoluit me ſcire Deus arcanum naturali lumine, cur ego tanquam cæcus uolo exire alueolum, & me tanquam iudicem inter litigantes, non uocatus ab ulla partium, conſtituere? aut, quod deterius eſt, & inſolentis certè animi, meos oppugnare, ut alienos ſequar? Itaque ſi quid in libris meis tale inuentum

fuerit, quale illud, ut quenquam qui me non lacessiuerit lacessam, aut de aliena messe contendam aut debaccher, id sciãt meum prorsus non esse: aut si uelint, id cogitent, me etiã in insaniam (quòd Deus auertat) incidisse. Non probo Socratem, qui Deorũ insulsorum morẽ, quem colebat patria, nixus sit euertere & irridere: & ego qui Deum illum omniũ autorem cum patria colo, conarer propter tricas & contentiones patriam unus ego subuertere uenerationem? præsertim, qui euertere tantis uiribus nituntur, nec ipsi inter se conueniant.

28. 3. Sequenti anno succisiuis horis Fabularum tres libros conscripsi. Fabulæ sunt supra quadringentas: magnitudo operis, folia lxxx. Initium eius, Fabularum quidem originem. Puerulis hæ scriptæ sunt, & etiam uiris, si tamen opportunè eis uti discant. nam multa de futuris arcana continent. Antilogos etiam, & naturalium rerum historiam. non enim ubi absurdis non utor, falsa supposui, ut illud Horatianum obseruarem:

Et prodesse uolunt, & delectare Poetæ.

Non negabo, quòd si potuissem melius collocare horas, quin id facturus fuissem: sed quid agerem relaxandi animi causa, non habebam. At uerò imitari Deum decet, qui cum potuisset nil creando mortale, in solis subsistere immortalibus, ac glorioſius: maluit usque ad extremum suæ bonitatis imaginem extendere. atq; ita creauit etiam, quæ & uisu & tactu fœda sunt. Neq; exiſtimo, ut nobiliora quædam pulchriora uiderentur, quando quidẽ ipse nullius iudicio subijci poterat: sed, ut dixi, rem ut ad extremũ exemplum deduceret.

29. 1. Sub initio anni M.D.lv. conscripsi librum de Aqua & æthere, quem iam scribere destinaueram. cuius initium est, Aquarum natura ac genera: magnitudo, foliorum xx. in quo doceo, omnes morbos sola aqua, uelut efficacissimo auxilio, sanari: aquam quoque facere, quæ omnibus morbis auxilietur, uitam in longissimum æuum producat, perpetuaq; in sanitate hominem seruet. Adieci huic operi, quia exiguum erat, quædam alia de Cyna radice exhibenda, consilium pro lepra, aliud pro sanguine undequaque fluente, pro Hieronymo Palauicino spirandi difficultate laborante. Encomium medicinæ uerius & præstantius, quàm ornatum aut elegans. Cum edetur (editus est enim Basileæ paucis antè annis) addam Apologiã aduersus calumniatorem, cuius titulus est Actio secũda: initium, Laudo prudẽs consilium tuum. Addam & aliqua consilia alia, si fors ferat, ut totum opus sit foliorum centum.

Cum uerò anno M.D.lv. ægrotarem, scripsi librum cuius titulus est Ἀλήθεια, chartarum penè triginta: cuius initium erat, Cum te ô ueritas. Sed

30. 6. hunc postmodum, Deo uolente, in aliud Opus, cuius titulus est Eremita seu Theonoston, commutaui. Eius autem initium est, Cum in uiridario essemus:

libros

libros continet sex, in quorum Primo agitur de solitariæ uitæ commodis, atq; iucunditate: in Secundo, de animi corporisq; trãquillitate: in Tertio, de contẽplatione ac studijs artium & disciplinarum: in Quarto, de animi immortalitate. ubi diuinos illos Eremitæ sermones recitamus, & demonstrationes manifestas, quòd animus noster immortalis sit. attulimus autẽ nouas, nec amplius à quoquam excogitatas. Quintus liber continet præclarum illud somnium, ad Ciceronis atq; Plutarchi imitationem: nec non præcepta docet de uitæ diuturnitate. Sextus habet instituta de innocentia, sanctitate, religione, beataq; ac uirtute plena in hoc mundo uita. Porrò ita efficax est hic liber, ut quemlibet à luctu & desperatione reuocare possit. Sed de hoc inferius agam. continet totum opus chartas propè ducentas ac triginta.

Cepi interim anno M. D. lvij. quædam inchoare: sed cum difficultate maxima augebantur, ob curam assiduam ægrorum, potentiumq; maximè uirorum, ut uix possem respirare. Nam fermè ad apicem autoritatis, quanquam multis repugnantibus, ac etiam contra me conspirantibus, ascenderã: ac quasi inuitus. tum uerò nec Theonosti liber absoluebatur, nec ullum de quibus nuper dicturus sum Opus. Itaque nouum consilium inij, si possem aliquando certa conscripta Methodo, mihi faciliorem ad absoluendos libros qui restabant uiam sternere. neq; enim eorum ullum opus fuit, quod non inchoassem. Feliciter ergo excogitaui ut conderem Dialecticam, cuius initium est, Quoniam 31. 1.
omnium eorum: chartas continet paululum minus quàm decem. Tanti constitit felicitas mea, omnisq; autoritas operum ac librorum meorum in posterum, si qua futura est omnino, tum etiam scientiarum ac disciplinarum, & totius rei literariæ perfectio. Dices lector, Insanisne? Quid hoc est? Haud insanio, uera narro, & comperta ratione, experimentoq;. Dicam autem primùm quid contineat opusculum illud. Primis quatuor chartis totam Aristotelis dialecticam adeò absolutam complexus sum, ut eorũ quæ in Porphyrij Introductorio, in Prædicamentis, de Enunciatione, Prioribus Posterioribusq; Analyticis, tũ Elenchticis continẽtur præceptorũ, nihil possis desiderare: quinimò longè magis dilucida, perfecta, ordinata & clara perspicies. Sequentibus autem in quinq; cum dimidio chartis (uix enim implent hunc numerum) uniuersam habes Galeni, Euclidis ac Ptolemæi Dialecticã: quæ tamen inter se distinguũtur, ut sint quatuor genera Dialecticæ, imò quinque, ut uerius dicam: Aristotelica, Galenica, Euclidis, ac Ptolemæi: & (ut dixi, si placet, adijciamus, seu (si mauis dicere) disiungamus Hippocraticam. Porrò Hippocratis regulæ, præceptaq;, quibus artem medicam constituit antiquorum more, paucula fuere: siquidem duo aut tria. Ptolemæi quoq; totidem fermè: quibus ta-

men confecit tria præclariſſima opera, de aſtrorum motibus, deq; eorum iudicijs, nec non Muſicam. Euclidis autem regulæ plus quàm uiginti, ſed & Galeni non paucæ: cum Ariſtotelis uix ſeptem ſint, aut octo. Tam paruo igitur libello quid habeatur, nunc dicam. Primùm quidem eo duce Hippocratem totum interpretati ſumus, cuius uix antea minimam partem, nec eam ſatis rectè intelligebamus. Dum enim conſtructionis ratione adipiſcimur, facile eſt, ut in occultis ſcribendi modis, ac obſcura notarum ſuppoſitione, uel una intellecta dictione totã epiſtolam intelligere. Hoc præſidio omnes artes, quarum principia cognouerimus, ita penetrare licet, ut ad quæcunq; etiam noua quæſita atq; problemata ſtatim pateat aditus. Experimentum feci non ſemel, ceſſitq; ſupra omnem expectationem: dicam autem quid acciderit. Tranſmiſit ad nos Franciſcus Sambus Rauenates problema Geometricum huiuſmodi: Deductæ ex puncto in circuli circumferentia accepto tres lineæ in aduerſam rectam, ſic ut circuli periferiam diuidant, rectangula extremarum dupla ſunt rectangulo intermediæ. Affirmabat, experimento uerum eſſe comperiſſe: rationem tamen nullam inuenire potuiſſe. Quærebat, an omnino uerum eſſet, & an poſſet demonſtrari, & quomodo. per biennium rem tractaui, nec inuenire poteram. Dialectica conſcripta, ſuſcepi in manus propoſitionem, uolens uidere an ſuccederet: nec exacta eſt horæ pars quarta, cum inueni problema eſſe abſurdum, ſi generaliter intelligatur: inde demonſtrationem, quòd ubi linea ad perpendiculum poſita fuerit rectæ deſcendentis ex puncto per centrum, quod id uerum erit. intelligo rectangula, quæ fiunt ex tota linea in partem interiorem. Demiratus ſum uim medicamenti. Poſt aliquod tempus tranſmiſit ad me Gualterus Cuſtodis, qui Arithmeticam docebat Antuerpiæ, quinque quæſita: quorum primum & quartũ erant facilia, uerùm ſecundum fuit, ut Rectãguli trigoni area eſſet uigintiquatuor, & anguli reliqui in proportione dupla. Statim reſpondi, Latus minimum trianguli eo numero definiri, cuius quadratum eſſet latus, ſeptingentorum ſexagintaocto. Sic & ad reliqua propoſita, quæ erant etiam faciliora. At uerò ex eo libello ſtatim dignoſcimus, an qui cõpoſuerit librum aliquem, rectam teneret rationem conficiendi libros: & ſimul propoſita materia, abſolutiſſimum in eo genere librum conſcribere docemur: tum uerò, quotquot uoluerimus quæſita inuenire, & inuenta per demonſtrationem diſſoluere: ubi autem profiteri uoluerimus, textu lecto, Gorgiæ Leontini exemplo, extemporaneam conficere orationem, imò lectionem exactam. Quo fit ut uideam, cum audio Chryſippeam illam Dialecticam, qua cum dijs certare uelle glorabatur: cum pa-

lam

làm sit, illum alia conscripturum fuisse, si huiusmodi scientiam calluisset. Etenim nos, postquam hunc libellum conscripsimus, in quo ne litera quidem superflua est, aut deficit, nec tamen in difficilibus exempla desunt: etiam libros omnes tanquam è tenebris in lucem exeuntes intelligere statim concessum fuit, nostros emendare libros, & inuenire admiranda in singulis disciplinis. Fui autem tam fœlix in citò absoluendo, quàm infœlicissimus in serò inchoando. Cœpi enim illum anno ætatis meæ quinquagesimooctauo, absolui intra septem dies. res penè prodigio similis. Sed, ut dixi, si tempestiuè librum hunc conscripsissem, id est, intra annum trigesimum, fœlicissimus fuissem mortalium omnium, etiam cum tam humilibus initijs, totq; æmulis atque inimicis: ni fortuna aliam uiam ingressa, non iam paupertate, filiorum erroribus, oppugnationibus inimicorum, calumnijsq; tentasset, sed aliquo ingenti casu, ut tegula, uel de proditione principis falsò insimulando oppressisset. Nam quos libros nondum perfeci senex, decem totis annis perfecissem & edidissem: ita ut lucro & gloriæ tantum accessurum fuisset, ut paulo plus ad sortem meam adijci in hoc uitæ genere potuisset. Præterea absoluissem libros de Vtilitate capienda ex aduersis, quibus filiorum multitudini & securitati uel inuitis fermè Principibus, nedum Senatu ipso, prospexissem: tempestiuè patriam, non patriam, sed quiduis potius, deseruissem. Tentaui quidem & præuidi, sed ut in crepusculo nebuloso, nulla edoctus arte, nec uiribus opum fretus: quæ & si quantum uoluissem non affuissent, quantum opus tamen fuisset non defuissent. Præterea librum Secretorum iam saltem, ut nunc habeo, iuuenis paratum habuissem. Vt modò uel unum ex his quæ ibi narrãtur, uerum fuisset, quid rogo uiridi in ætate deesse poterat? Sed cur queror? cum sciam hoc ipsum noluisse Deum: quandoquidem nihil horum mihi quæ contigerint, seu bonorum, seu malorum, sine illius singulari prouidentia & rerum, & modi, & temporis mihi, euenerit, atque ob id ferendum est, quòd non solum ferre necesse est, sed quòd optimè constitutum esse intelligo. Verùm quæ scripsi, sunt perinde ac si quis ex summa fœlicitate mare præternauigans, cum uniuersis his quæ habet, tum etiam filijs atque uxore, incidat in piratas: à quibus occisis filijs, alijs in captiuitatem ductis, uxore & opibus omnibus spoliatus, & ipse pluribus confossus uulneribus, in uincula coniectus sit: dicátque, quod uerissimum esset, Si ego non nauigassem, fœlicissimus eram, nunc ex hoc casu factus sum infelicissimus.

Id uerò adiecimus, ut homines intelligerẽt, quantũ utilitatis hic liber mortalibus

talibus sit allaturus. quanquam nec editus sit, nec adhuc an editurus sim proposuerim: est enim unus è tribus his quos mihi seruare decreui. nam alij sunt, Liber de Secretis, & Ars medendi parua. Sed de Dialectica nondum tam certò, ut de alijs duobus, constitui. Reliquos omnes edam, si potero. uerùm si edatur, intelligent omnes non esse cuiusuis adire Corinthum. Vix enim toto anno quisquam eam sic legere poterit, ut intellexisse iustè audeat gloriari. Sed qui intellexerit, non minori sapientia ad omnia cognoscenda præditus uidebitur, quàm si dæmonem aliquem egregium habeat familiarem.

Anno M.D.lviij. duo uolumina condere aggressus sum: ea tamen præcedenti anno, antequam Dialecticam absoluerem, inchoaueram: sed satis confusè, & ineptè, ut uerius dicam. nam quæ difficillima sunt, & magni laboris & industriæ, si quis oscitanter peragere aggrediatur, quod in facilioribus non est necessarium, cogitur ineptè id quod cœperat agere. Horum igitur unum,
32. 1. Ars curandi parua, inscribitur, uigintiocto chartis artem totam medicam ita aptè complectens, ut neque ea pars desit, quæ ad manuum operationem pertinet (Chirurgiam nomine græco appellamus) & diffusè satis: cuius initium est, Corpus nostrũ, Hippocrate teste. Id eo consilio effecimus, ut & ad exercitationem potissimè haberẽ signa & causas, paratáq; auxilia præcipua quæque: & ad disputandũ rationes, inuentionum modos & autoritates. Res sanè dictu incredibilis, nisi modum quo id fieri in unaquaq; arte posset, in libris de Subtilitate nuper adiecissemus. Duo sat sunt in hoc opere admiranda: unum, quòd quæ ab Hippocratis ætate ad hanc usque diem ignota manserunt, tum etiam ex Galeno in lucem reuocauimus: alterum, ut qui librum hunc teneat, quæ intus quasi in superficie posita sint teneat, ac spectare sibi uideatur, ac de futuris tanquam præsentibus pronunciare possit. Scio incredibilia uideri: sed qui legerit & intellexerit, non audebit negare. est enim è Dialecticæ fructibus. Scriptus est autem plus quàm uicies, insumpto in anagnostas talento: ordinatus, si quis alius liber, subtilitate & structura. librum refert Artis magnæ in arithmetica, illiusq; uices in medicina gerit. unde ex hoc ad magnam euectus sum, non quidem sapientiæ, sed operum apud uulgum, scientiæ autẽ apud præcipuos amicos, qui librum illum uiderunt, opinionem. Quapropter infinita in laudẽ meam conscripta sunt, tum carmine, tum soluta oratione: quorũ magna pars excidit ob incuriam. multa etiã apud me manent, è quibus unum subijcere decreui, incerti autoris nunc, ita tempus omnino interpellat: forsan qui fecit, suos fœtus agnoscere uolet: ego, utcunque sit, pro exemplo addam. nam reliqua quæ in laudem meam in alijs libris impressa sunt, me nesciente, dum libri apud typographum cuduntur, præter Maioragij carmina, ab ipsis

autoribus

autoribus adiecta sunt. Hæc uerò ita se habent:

AD HIERONYMVM CARDAmum incerti autoris.

Acmulos Epidaurij inter omnes,
Sat Cardane caput, sat extulisti:
Europæ populi satis fatentur,
Cunctos fastigio tuo relictos:
Artis diuitias thoris ab altis
Pandentem obstupuit corona quondam,
Magnos ingenij studiq; fructus
Paginæ uariæ ferunt per orbem:
Quas docti manibus fouent ubiq;,
Delectant, sapiunt, tenent, aluntq;,
Doctrina procul abdita legentes.
Te Reges Aquilonij uocarunt,
Vt mortem fugerent sibi propinquam:
Qui per te reduces, Charonta fallunt,
Expectat Stygijs dum eos arenis.
Quot ciues patriæ tuis medelis,
Quos flebat mulier, tamen reducti?
Hæc Cardane satis superq; monstrant,
Astra te digito ferire solum,
Despectantem alios humi relictos.
Nunc tantis preme copijs habenas,
Ora contrahe fontium tuorum,
Quo riui tenues fluant in orbem,
Fundis dum proprias opes abundè:
Palàm apparuit esse ter pusillas
Doctrinas hominum, medendi in arte,
Complexu & uario scientiarum,
Qui palmas hodie putant mereri.
Illi non sine sentiunt dolore
Graui, non nisi parua se tenere,
Toto nec secus orbe iudicari.

Alterum de Vrinis, quod in quatuor libros diuiditur: magnitudo, foliorum 33. 4. cxx. initium, Cum præcipuarum trium. Docemus in primo, genera & causas urinarum: in secũdo uerò, significata ex causis per se deprompta: in tertio,

significata ex morborũ qualitate: in quarto, cõpositarum specierum indicia, tum ea quæ non adeò ad rem ipsam pertinent, nec non quæ supra fidem ex hac cognitione habentur. Tota tractatio demõstratiua est, noua, nec à quoquã me dico alio scripta, cum alia principia habuerimus. Eò usq; autem processimus, ut ex hac sola cognitione doceamus morbos, tempora, exitus ad miraculum usq; præcognoscere. Verùm quanquam farrago tota peracta sit, atq; conscripta, solũ tamẽ ad hanc diẽ triginta circiter chartas perfecimus. Stylus ab alijs nostris adeò diuersus est, ut nisi lectorem admonuissemus, nostri hi libri fortan non existimari possent.

34. 4. *Post hos, inchoatum opus De utilitate capienda ex aduersis, anno quinquagesimonono absolui, post obitum filij mei. Initiũ eius est, Non idem esse si quis dicat. Diuisus est aũt in quatuor libros: magnitudo, chartarum supra ducentas uiginti. In primo agitur de utilitate capienda generaliter ex omnibus aduersis, tum etiam de præparatione aduersus imminentia mala. In secundo, de utilitate capienda ex aduersis quæ nobis in corpore accidunt: in tertio, de his quæ in fortunæ bonis: in quarto, de his quæ in coniunctis. Sed libet specialem tabulam singulorum adijcere. neq; enim abs re fuerit, ut simul quæ in illis continẽtur libris quasi uno intuitu comprehendamus. Sic autem se habet:*

ORDO ARGVMENTORVM

primi libri.

1	De demonstratione.	1	15	De claudis.	50
2	De præparatione.	7	16	De uniuersali resolutione.	50
3	De fine bonorum.	11	17	De amore.	51
4	De utilitate generaliter capienda ex aduersis.	14	18	De generali uitæ institutione.	52

Secundi libri.

Tertij libri.

5	De deformitate.	26	19	De principũ incommodis.	61
6	De morbis.	27	20	De paupertate.	66
7	De dolore.	29	21	De humilitate generis.	85
8	De senectute.	30	22	De contemptu.	87
9	De morte.	33	23	De ocio in arte.	88
10	De cæcitate.	46	24	De infamia.	88
11	De surditate.	47	25	De inuidia.	92
12	De mutis.	48	26	De iniuria.	94
13	De obliuione.	49	27	De amicorũ paucitate.	94
14	De impotentibus ad Venerem.	49	28	De ingratis & perfidis.	114
			29	De dignoscẽdis hoĩm uitijs.	116
			30	De	

30 De inimicis. 127
31 De ira Principum. 134
32 De lite. 137
33 De exilio. 141
34 De solitudine. 144
35 De publica calamitate. 146
36 De temporum ac magistratuũ prauitate. 147
37 De seruitute. 150
38 De phratrijs. 151
39 De carcere. 152
40 De tædio multiplici. 154
41 De spe abrupta, & calamitatibus fortuitis. 156
42 De signis eximiæ potentiæ & gloriæ. 156
43 De ordine uitæ ducendæ. 158
44 De cura morborũ animi. 160
45 De causis naturalibus. 164

Quarti libri.

46 De consanguineorum & amicorum calamitatibus.
47 De seruorũ improbitate. 165
48 De uxore ducenda. 168
49 De uxore contumace. 169
50 De uxore impudica. 173
51 De filiorum cura. 174
52 De filiorum miseria. 177
53 De filijs improbis. 180
54 De filijs contumacibus. 185
55 De filijs fugitiuis. 188
56 De filijs stultis. 189
57 De luctu. 191
58 De orbitate, ubi de spurijs & adoptiuis. 197
59 De filijs suppositis. 203

Hi libri absoluta Dialectica, ut dixi, conscripti sunt. Atque utinam contigisset absoluere ante errorem filij. neque enim ille errasset, nec errandi causam aliquam habuisset: nec, etiam si errasset, periisset. Sed, ut iam narraui, & ego & ille communium calamitatum superuẽturarum significatione, potius quàm propriorum malorum causa, Fatis distinebamur. Dum enim hæc scribe remus, incidi in epistolæ exemplar, quam illi sex ante mensibus transmiſi, quàm errorem illum committeret. Placuit autem in illius memoriam, & quod diuinitus mihi oblata uideatur, eam hic subnectere. Est autem huiusmodi.

Cũ me potius, ô fili, sortis tuæ misereat, quàm ut iraſcar ob delicta tua, quæ non solum in temetipsum, sed in tuos omnes admisisti: propterea hæc ad te scribo. quibus si mentẽ, ut par est, adhibueris, atq; ad unguem parueris, adhuc spes superest temetipsum seruandi. quod utinam tandem ut ad faciendum animum inducas, superos supplex (si quæ pia patris in filium uota mouere possunt) rogo, atq; etiam rogo. Quid enim est ut commoueri ad misericordiam nõ debeã, cum te in tanta calamitate constitutum uideam, ut omnibus quibus opus habent homines tu indigeas? atq; primùm consilio, pecunia, corporis robore, & nunc demum bona ualetudine. Dij boni, nisi hoc fuisset à te sponte quæsitum, hunc dolorem perferre non possem: quia tamen tu tibi hoc poculũ intri-

uisti miseriarum omnium, cum quibus nuper illud animaduerti, quod ab amicis etiã meis contemneris, atq; id (ut existimo) tua culpa, non enim aliter conijcere possum (scio enim illorum grauitatem, & erga te & nos beneuolentiam, officiaq;) ferre quicquid futurum est æquo animo decreui. Ita tamen hoc me angit, ut intempesta nocte (cum aliàs hoc mei moris non sit ante diem surgere, nunc iam multò antè) hæc scribam. Superos testor, me non ira aliqua commotum, quominus te modis omnibus iuuarem, atq; in domum reciperem: sed ueritum, ne potius (quod procliuius fuisset) nos perditum traxisses, quàm nos teipsum adiuuissemus. Nam uos plures, & iuuenes, ad perdendum: ego iam senio prehendor, & unus sum. mihi nulli reditus, uobis prodiga uoluptas, & cõsilium nullum: quî fieri potest, ut non longè magis mihi metuerem, quàm ut sperarem posse te redimi consilio meo? Præterea factum tuum, quod dissolui nequit: illorum mala mens. neq; enim cum bona mente parentes senes admittere talia potuerunt, quæ aduersus diuinas atq; humanas leges ac senatus præcepta pessimo exemplo sunt. Existimabant nostras has paruas facultates, quas tamen illi longè maiores putauerunt, hoc medio inuadere posse. prodegerunt sua: quid mirum est si alienis inhiant? neque enim si alio id consilio peregissent, tam præcipites ad hoc connubium descendissent. Quamobrem non erat quod sperarem, me posse tuam simul atque suam mutare fortunam. hoc enim fuisset opulentissimi uiri, qualem illi me crediderunt esse. ut uerò timerem me possum ire ab his, tum à te, si uos recepissem, tu met (qui nunc, ut puto, pacatiore es animo) tecum reputa. Pater, sine ullis reditibus, arte precarij lucri, senium iam ingressus, maxima multorum cum inuidia, atque ob id inconstanti fama, nec satis firma ualetudine, etiam cum maximè mihi in uictu prospiciam in tot uectigalibus, in tanta omnium rerum caritate, in gruentibus tot bellis, & in quibus uix finem sperare liceat: omittenda etiam & amittenda impressorũ lucella, quæ nõ parua pars sunt lucri mei: subruenda spes munerum: uos plures, impotentes, sine arte, aut sine autoritate, sine consilio, perditissimis moribus segnitiei, luxus & prodigalitatis. Quid iam? hoc non erat metuere periculum, sed uolentem arcessere? Deniq; si quid spei erat, estúe, in rebus nostris: licet & extra domum te agente, atq; sine ullo meo impedimento atq; periculo (& quod maius his omnibus longè apud me est) sine cura aliqua aut solicitudine animi mei te consequi atque habere, si mandatis meis parêre uolueris. id autem quomodo fieri possit, nunc dicam.

Primùm opportunè duo uolumina me scripsisse uideo, quibus ambobus indiges: alterum, quod De consolatione inscribitur: sed eo longè utilius quod nũc adhuc perficio, De utilitate ex aduersis capiẽda. præterea etiã ope à me-

ipso

ipso, quantum fas est. Primùm ergo ab ope, qua nunc forsan tanquam præsenti indiges. hæc duplex erit: altera ex me ipso, altera per me. ex me ipso, curabo ut reditum lucorum totum recipias: nam huius anni medietatem permisi tibi, futuri etiã medietatem reliquã. nunc etiã permitto, ut habeas suppetias ad sustentandum te. Si quid ex Aula impetrare potero, habebis tu dimidium, dimidiumq; reditus lucorum: atq; ita utcunque res cedat, habebis plus quàm ego, cum cogebar ab initio totam familiam sustentare. Tui autem muneris erit, ut quoniam futuro anno locatio finitur, agere cum socero, ut quampluris possint nemora in posterum distrahantur, seu uenditione, seu locatione lignorum. nam aut dimidium cum stipendio ex aula, uel totum absq; stipendio, si fortuna cœptis nostris obstet, ad te perueniet. Quæ uerò per me, iam scis: omnia uiliorum personarum lucra, aut altioribus ædibus habitantium, & quæ uisis lotijs uisitari postulant, tua futura. Quicquid etiam ab amicis impetrare potero, in tuum commodum cedet. Legatus Venetus serici ulnas quinque dedit. aut igitur & te donabit: aut eius quod ad me perueniet, dimidium habebis. Et hæc de ope.

Quod ad libros de Consolatione attinet, animus tuus moderatione eget. Primùm, ne quam tristiciam ex antè actis, aut præsenti fortuna concipias. nam omnia quæ tibi impendent mala, paupertas, uxor, contemptus, alienatio paternæ domus: omnia hæc inquam tute tibi ipsi uolens ac sciens parasti. Quare etsi longè deteriora essent, non est ut doleas. Quod ad fortunam attinet, nõ est ut doleas. natura es homo, non bellua: uir, non fœmina: Christianus, non Iudæus uel Mauhmetanus: Italus, non barbarus: ex inclyta urbe & familia, atq; si quid ad rẽ attinet, eo patre cuius opera sine tuo labore (modò omnino non sis perditus) nomen tuum multis seculis manebit: An tibi parum fortuna fauere hoc ipso uisa est? Sola ualetudo infirma, & corpus inualidum: alterũ hæreditario iure habuisti, alteri (si prudens fueris, ac temperaueris à uoluptatibus) occurres & senesces. Illud etiam cogita, quòd in peccatis tuis punit me Deus, & in meis te. nam nisi uoluisset, non errasses. Quæ enim mens est nobis, à Deo habetur, & per momenta etiam. Et quæ calamitosa uidentur, si paulo plus in futurum quæ uentura sunt prospicere posses, uana esse intelligeres, sicut & quæ iucunda. Cum ergo de fœlicitate gratulari, hominis sit humanam conditionem ignorantis: multo minus in aduersis contristari licet hominem, quoniam omnium unus est finis. Et quanquam contempsisse pecunias stultum sit, & hic temporibus (si quando unquam aliàs) durum, nihilominus etiam propter pecunias Deum contempsisse, adhuc deterius est. Propterea unus tuus Facius Cardanus, duo mihi præcipua mandata proposuit: alterum,

ut singulis diebus Dei, & illius immensæ bonitatis beneficiorumq; suorum recordarer: alterum, ut his quæ facerem, dum facerem, intentus essem.

Quæ uerò ad utilitatem ex aduersis capiendam pertinent, sunt hæc. Primùm, ne irascaris. Impedit ira animum, ne possis cernere uerum. Dolor est in ira, & corporis habitus corrumpitur, & homo facie ac moribus insano similis efficitur. Vnde rogatus Aristoteles quid esset ira, respondit: Furor temporaneus. Nec esto mendax. præter enim quod sit præceptum sacræ Scripturæ & Physicorum, hoc habet mendax, ne postmodum ueritas ei credatur. Nec in ocio uiuas, sed perpetuò studeas, memor dicti illius sancti uiri: Cũ anima ociatur, in eam ingrediuntur cogitationes malæ, sicut in inculto agro abundant herbæ agrestes & serpentes. Ne ludo indulgeas. scriptum est, Aleas fuge. olim lusores toto genere infames erant. Tempus, rem carissimam, amittis, & existimationem: tum uerò & rem simul. Ne etiam credas fortunam tuam mutare in melius, ac opes gloriam & amicos parare, nisi animum cum corpore etiam ab incommodis uindicaueris. nec uindicabis corpus ab incommodis, nisi animum à uitijs segregaueris, uirtutibusq; ornaueris. Ab ea igitur incipiendum est, crede mihi. nam & qui fœnerantur, & latrocinantur, fœlicitatem illam in uirtute, non uitio reposita habent: illi quidem in solicitudine & prudentia, hi uerò in fortitudine. admiscentur autem uitia: & ideo eorum causa hæc inuisa sunt Deo, legibus atq; hominibus probis. Cæterùm si in huiusmodi quicquid est boni, ex bono, id est uirtute pendet, quanto magis in alijs? Neq; inuideas ijs, ô fili, qui per scelera diuites sunt, atq; potentes, auratis ac sericeis induti. Romanorum gentem multo opulentiorem, & Persarum reges, Deus perdidit, totq; alios principes, ut ne ex tot nemoribus surculus remanserit. propter Abraæ autem iusticiam, & quia illi placuit, ex uno surculo Isaac multa nemora adhuc seruantur: seruarenturq; longè plura, maiora & fœliciora, si impietas in CHRISTVM non obstaret. Vmbra digiti Dei totum orbem terrarum circumagit.

Animo sedato sic compones res tuas. Ne in plurima recumbas: calida enim temperies est generis nostri, & lapillis subiecta. Nouem horis dormies. prima hora diei surges, & ægros inuises, tacitus in omnibus, nihilq; quòd ad artem non pertineat dicens. Non exerceas te ut incalescas, nedum ut sudes. Prius equo extra domum uehêris, inde redibis pedibus. Vbi redieris, calidiore ueste te circumda. Prandebis pane & modica carne, uel pisce asso. Bibes parcissimè. A prandio, nisi cogaris, per quatuor horas studebis. Studia delectant hominem, obliterant curas, gloriam pariunt, animum ex-

mum exornant, artificis opus iuuant. Post iterum inuise ægros similitudine. sed equitando magis ante cœnam, uireta & arbusta amœnáq; loca inuise, circum urbem ambulans aut equitans. Si sudore quãdoq; aut pluuia madaueris, cum domi fueris, nil magis age quàm ut cures temetipsum siccis linteis, ac calidis, tũ uestibus suffultis in caldario mane. Cœna sit ad satietatem. Cubitum ea hora eas, quæ decima sit ante diei primam. si non liceat ob noctium breuitatem, quod deest, meridiano somno supple. A septem rebus omnino abstine: à fructibus horarijs, à uino nigro, à uano sermone & multo, à mendacio, à ludo, ut ne quid secreti mulieri reueles, & ne illi plus liceat quàm decet. Mulier enim stultum animal est, atq; ideò fraude plenum: cui si immodicè blandieris, nunquam fœlix esse poteris, sed ad ingentia mala te protrahet. Imitare belluas. Sectionem uenæ atq; purgationem, quantum potes, deuita: & utere corallina, & lotionibus ex aqua calida uel frigida, prout opus est. Habes librum de Consolatione, habebis & libellum de Aqua & æthere, ac etiam paulo pòst librum de Vtilitate capienda ex aduersis. Disce ex errore admisso, parcè uiuere, ut famulo & equo contentus sis absq; ancilla. nam Phocioni Athenienſium imperatori minor familia erat. Blandiaris moderatè omnibus, atq; eruditioni operam da. Atque hæc satis, quoniam speciatim dictis uoluminibus, tum in libris de Sapientia, atq; alijs, omnia à me sunt explicata. Super omnia, uanis promissis aut spei ne incumbe. Sed hoc habere te solum puta, quòd habes: & his quæ habes, solum confide. Vale. V. Calendas Septembris. Transmisissem etiam libellum de Præceptis ad te: sed qui à libellis mihi est, satis est impeditus.

¶ His diebus quidam conscripserat aduersus nostrum de Subtilitate librum, Opus ingens. Aduersus quem ego Apologiam scripsi, quæ edita est cum libro de Subtilitate, in tertia editione. in titulo eius est, Actio prima: chartarum est penè quinquaginta: initium eius est, Rectè quidem ac iure. Ea utilissima est ad libros de Subtilitate, intelligendos. addunturq; in ea expositiones quorundam difficilium locorum, et demonstrationes etiam non uulgares, tametsi paucæ. Verùm per id temporis conscripsi, Hymni 35.1.
ad Deum chartas supra quinq;: cuius initium est, Quibuscunq; ô iubar: difficillima res, & cuius uix duas lineas nonnunquam una in die conscribere possum. Accidit ante dies quàm filius meus in carcerem duceretur, ut dum scripta quædam reuoluo, hic liber in terram caderet: quanquam totis uiribus,

ATENEO VENETO VENEZIA

uiribus, ne caderet, obniterer. itaq; perterritus hoc miraculo adeò sum, ut mihi deinceps non constarem. timui enim non falsò, quod & euenit: sed non poteram diuinare. Neq; consuluerim, ut improbus & mala mente ad eum legendũ accedat. cum Theonosto imprimetur.

Reuersus ad profitendum Papiam anno M.D.LIX, conscribere aggressus sum librum Quartũ Secretorum. perfeci plusquàm decem folia: cuius initium est, Cum quædam sint sapientib. adiutus mirum in modum Dialectica. nam & aliàs aggressus fueram hanc prouinciam, sed parum feliciter. Verùm libet, quæ iam absoluerim, per tabulam ostendere.

TABVLA LIBRI
de Secretis.

1 Occultè loquendo facilè.
2 Occultè scribendo ἀνεξεύρετος.
3 Vincto ut significes.
4 Scißitando, nec detegendo.
5 Anixis, seu Prostereneos.
6 Agrixia.
7 Παυστήριος seditionum.
8 Vesicæ lapidi.
9 Herniæ inguinali.
10 ὑποβινητιῶντα.
11 ὀλβοδότης, seu cataphuzon.
12 Margarita τῆς ἐπιφοινίσεως.
13 Proserpinæ apparatus.
14 Hyctalops.
15 Spectrum.
16 Pesti.
17 Perforando obliquè.
18 Phtoe.
19 Sanguinis fluxui.
20 Insaniæ.
21 Diabeti.
22 Podagræ.
23 Vitæ producendæ.
24 Statua nobilis.
25 Aes uarium.
26 Folia Gemmarum.
27 Smaltum rubrum.
28 Aqua marina.
29 Εγκινούμενος ἀφροδισιάσμου.
30 Smaragdus.
31 Gemmæ naturaliter pictæ.
32 Animi affectibus corrigendis.
33 Philtra.
34 Dæmonum naturalis uisio.
35 Μαντεῖα.
36 Maximum ἰδιοτάτων.
37 Surditati.
38 Fructus seruare.
39 Αναμνηστικός.
40 Κεκαδὼν ἐπαυθήκατος.
41 ἐλλογμός.
42 Quartanæ.
43 Scabiei.
44 Oleum de Sulphure.
45 Spondalium dorsi luxatorum cura.
46 Renum lapidi.
47 Delicijs.
48 Ρινακέων.
49 Phasma.
50 Medicamentum Polycreßon.
51 Experimentum mirum.

52 Cata-

52 Catapluzon humanum.
53 Hæmoptoi.
54 Hydropi.
55 Ad põdus metallorum augendũ.
56 μυδιασεις.
57 Ad delineandum frontem.
58 Ad retinendos fugitiuos, & phil trum.
59 Ad oculorum morbos.
60 φῶς ἐννύχιον.
61 φιλοδύτης.
62 Exhalatio.
63 Κατάψυξις.
64 Peregrinatio, seu Metamor-
65 Somnus. (phosis.
66 Ἀνυδάν.

Quæris iure meritò, an experta? si sic, cur non diues, potens, ac deniq; Rex? Si non, quæ arcana? Nõ præsciui, cũ oportuit. Sæpe dixi, non hæc nostra sunt: præter duo, nihil non expertũ: præter sex, nihil expertum: reliqua omnia semi experta sunt. Sed ad quid quæram opes, si superuixisset ille miser, profutura hæc fuissent non parum, quæ nunc silent.

Post opus aggressus sum Mediolani uacationibus quadragenariæ, seu Bac- 37.1.
chanalium potius, anni M. D. LXI. Ita enim non obscurum est, nostra ætate celebrari ante quadragenariam uacationes, in quibus ludunt, cõuiuantur, personati ac laruati incedunt, denique nullum luxus ac lasciuiæ genus omittunt: Sybaritæ & Lydi Persæq; uincuntur. Nec tantum bonis operibus ac pijs quadragenaria promerentur, quantum peccant ijs Lupercalibus. Hoc igitur tẽpore cõmentaria cœpi in Mundini anatomiam, chartis duodecim: reliqua sunt in prima editione ad chartas centum uiginti: initium, Non eadem est ratio. usus multiplex est, ac utilitas: inter reliqua chinographiam foliatam inueni, & expressi, ut quasi cadauer lateat in commentarijs, præsertim si pingantur figuræ. Præterea breuem omnium morborum qui ex dissectione pendent, curam tradidi: ut aquæ in oculo, seu nebulæ, strummarum, podagræ, fracturæ ossis capitis, Scinanches, tabescentium tumoris lienis & iecoris, aquæ intercus, herniæ, lapidis renum & uesicæ, atque huiusmodi. Adhibui uerò diligentiam summam, ut clara esset expositio, & ab omni contentione remota, nec ex membris partibusue membrorum quicquam deficeret.

¶ Eousq; aliquid semper moliri non desiui, uerùm cum decreuissem modum 38.1.
ac finem aliquando facere, coactus sum tamen paucula hæc anno M. D. LXI conscribere. Et primò libellum de uno, foliorum quinq;: cuius initium, Vnum bonum est: introductorius est ad Dialecticam. Libros Theognoston, & de Arcanis æternitatis. Demõstratur unitas & ordo uniuersi, Mundus incorporeus qualis, & quòd solum quod unum, etiam bonum est.

Deinde librum de Secretis primum, foliorũ decem: cuius initium, Maxima 39.1.
pars eorũ. Hunc ob duas causas: primam, ut multis præclaris ingenijs satisfa-

cerem,ut scilicet ope mea uictum sibi parare possent:eaq; causa nullum apposui secretum,sed solum uiam illa inueniendi patefeci, ut illibatus liber semper esset,nec usquam euulgaretur. Secunda,ut multos libros in ordinem redigerē: uelut Dialecticam,& est Secundus Secretorum: Hymnum, & est tertius: Et de nodis, & est uigesimus sextus: Et de Musica, & est uigesimus septimus: Et de lapidibus, & est trigesimus secundus: Et de præstigijs ex anima et operationibus eius,qui est quadragesimusquintus: Similiter quadragesimus sextus, & quadragesimus septimus, de potionibus,& externis auxilijs: & Quinquagesimusquartus,de Geometricis: Quinquagesimusquintus,de Arithmeticis: & Septuagesimusquintus,de Secretis educandi filios: & Octuagesimusnonus, de Secretis ludendi: & Nonagesimus primus, de Fato. Vt ergo hos tredecim libros cum illo in ordinem redigerem, hunc librum conscripsi.

40.1. Alium quoq;,qui iam numeratus est inter hos,composui,de Gemmis & coloribus,fōliorum duodecim, in quo nihil quod ad materiā eam attinet desiderari potest,adeò subtiliter omnem illorum naturā perscrutatus sum. Initiū est, Gemmarum differentiæ plures. Vtilitas satis perspicua est, cum præsertim illud ostendam,multos esse lapides qui fortunam gestantium commutent.

41.1. Conscripsi libellum alium cuius titulus est Tetim, seu de Humanis cōsilijs, fōliorum sex:initium, Vtinam ô amice. Argumētum est,homines ac principes plerosq; præsertim decipi in administratione. Fructus est,magnū afferre auxilium regnis cū felicitate subditorum,& Principū securitate,meliore fama,& Dei gratia. Hi quatuor cum hoc opere,ut patet,excusi sunt.

42.1. Conscripsi rursus libellum de Minimis & proximis,fōliorū trium. Alium

43.1. de Summo bono,fōliorū quatuor. Aliū de Nodis,fōliorū decem.initium pri/

44.1. mi,Cum anno M.D.LIX: secundi,Quoniam summū bonum:tertij, Nodorum scientiam forsitan. Vsus primi est,ut doceamur nihil negligere, quandoquidē omnia nostra ex minimis ortū habeāt: Secundi autem,cōpendiosam ostendere uiā ad securitatē,quāta ab homine haberi potest,ne simus infelices: & quibus hoc sufficere debeat,quiue debeāt felicitatē sequi. At uerò tertij multa utilia alia,pulchra,& propè admiranda. Duos priores cum libris de Somnijs edidi.

45.1. Cum etiam hoc anno obijsset Guglielmus Lataneus Anglus,adolescens mihi charißimus,conscripsi librum fōliorum duodecim, cuius initium est, Veniens è Scotia: titulus,Guglielmus,seu Guglielmina. Argumentum eius est,uiuentes omnes esse mortuis infeliciores, plerosq; etiam multo: quantus item sit dolor in morte, qualis,& cui aßimiletur. Vtilitas eius est, perferre luctum commodè.

Demum

Demum cũ uiderẽ multa ſuperfutura optima, ne cogerer uniuerſa mutare, 46.
cœpi conſcribere libros Paralipomenon, quorum numerus definitus non eſt.
Initium primi libri, Cum in Deo multa eſſe. tractatio eſt de omnibus.

Sed & libros quinq; de rebus naturalibus, duos de ſupernaturalibus, tres de 47. 2.
moralibus. Initiũ primi, Dei faciẽdo generatio. In primo naturaliũ, de princi- 48. 2.
pijs quibus Mundus factus eſt: in ſecundo, de principijs quibus eſt: In tertio, de 49. 2.
principijs generationis: in quarto, de mixtis imperfectis: in quinto, de ani-
ma. In primo ſupernaturalium, de uitis: In ſecundo, de intellectu & commu
nibus. In primo moralium, Ethica: in ſecundo, Oeconomica: in tertio, Poli-
tica. Cauſa cõſtructionis fuit, ut omnia neceſſaria breuiſſimè & ordinatè colli
gerentur. Opus erit paulò maius chartis centum.

Horum igitur cauſa tabulam omnium ſubijcere decreui. Vtilior autem di-
uiſio mihi uidetur in claſſes: erunt autem octo. Prima, mathematicarum tracta
tionum: ſecunda, naturalis philoſophiæ: tertia, moralis: quarta, Diuino-
rum: quinta, Diuinationis: ſexta, Introductoriorum: ſeptima, Medicinæ:
octaua, uarij & incerti argumenti. Sic igitur & diuidemus illos, & diſtin-
guemus. (f. ccxx

Mathematici:

Elementorũ geometricorũ. li. xv. f. cc
Arithmeticæ. lib. v. f. ccc
Muſicæ. lib. v. f. clxxx

Naturales:

De natura. lib. v. f. c
Supernaturalium. lib. ij
De arcanis æternitatis. lib. vij. f. clx
De fato. lib. iiij. f. cxx
De ſubtilitate. lib. xxi. f. cclxxx
De rerum uarietate. lib. xvij. f. cclxx
De animi immortalitate. lib. i. f. lx
De gẽmis & coloribus. lib. i. f. xij

Morales:

Moralium. lib. iij
Tetim. lib. i. f. vi
De ſapientia. lib. v. f. lxx
De præceptis, ad filios. lib. i. f. xiiij
De ſummo bono. lib. i. f. iiij
De conſolatione. lib. iij. f. xxxvi
De utilitate ex aduerſis capiẽda. l. iiij
De minimis & propinquis. lib. i. f. iij
Guglielmus. lib. i. f. xij

Diuini:

Theonoſton. lib. vi. f. cc
Hymnus. lib. i. f. v

Diuinatorij:

Cõmentaria in Ptolemæũ. l. iiij. f. ccc
De iudicijs. lib. x. f. cc
Metopoſcopiæ. lib. xiij. f. clxxx
De ſomnijs. lib. iiij. f. lxx

Introductorij:

Dialectica lib. i. f. x
De ſecretis primus. lib. i. f. x
De libris proprijs. lib. i. f. c
De uno. lib. i. f. v

Medicinæ:

Cõmẽtaria in Hippocratẽ. li. c. f. MD.
Cõmentaria in Mundinũ. lib. i. f. cxx
De urinis. lib. iiij. f. cxx

Ars medendi parua. lib.i.f. xxvij.
De sanitate tuenda. lib.iiij.f.ccxxiiij.
Floridorum. lib.i f.c.
Cõtradicẽtiũ Medicorũ. li.viij f.cccc
De aqua & æthere. lib.i.f.c
De Indico morbo. lib.viij.f.ccxxiiij
De experimentis. lib.i.f.ccx
De morbis compositis. lib.i.f.l
De Malo medendi usu. lib.i.f.xvi
Quod nullum simplex. lib.i.f.xvi

Varŋ & incerti generis.

De Ludis. lib.i.f.cl
De Nodis. lib.i.f.x
Tabularum. lib.iij.f.lxxx
De Secretis Quartus. lib.i.f.x
Problematum. lib.x.f.lxx
Paralipomenon. lib.

Librorum ergo horum summa, præter paralipomena, est trecentorũ: charum uerò, trium millium supra trecentas. Præter eos, qui tametsi edentur, aut editi sunt, sub nomine tamen librorum haud comprehensi sunt. Sunt autem hi:

Consilia:

Duo, pro difficultate spirandi.
Pro lepra.
Pro sanguinis fluxu.
Pro uentriculi affectu.
Pro surditate.

Apologiæ:

In Thessalicum medicum.
In Iulium Cæsarem Scaligerum.

Encomia.

Medicinæ.
Geometriæ.
Neronis.
Podagræ.

Præter hæc quæ edenda aut edita dixi, sunt manuscripta non edenda, etiam si alia ex eis edita sint: Arithmetica parua edita. fol.cxx. Tabula in Hippocratem, fol.xxxij. Tabula librorum classicorum, fol.x. Commentaria in Sphæram, fol.xxx. In Geographiam, fol.xx. In duos primos Vitruuij libros, fol.xx. Contradictiones logicæ, fol.x. Epidemia. fol.xxxvi. De circulis libri duo. fol.xx. Commentaria in primam primi Hasen, fol.cl. In artem Medicam, fol.clx. De Simplicibus medicamentis alius, fol.x. Epistolæ familiares ad amicos, eruditos & principes uiros, Vesalium, Matthiolum, Alciatum, Osiandrum, Archintum, Ranconetum, Checum, Gesnerum, Fabium, Bonifacium, Antonium, Felicianum, Maioragium, Cicereium, Antonium Alphusianum, Franciscum Vicomercatum, Magnienum, Georgiũ, Ioachimum, & Hieronymum Scalingum, ad Cardinales plures, ad Principes nonnullæ. Epistolæ aliquot cœlestes. Farrago insuper medica, fol.D. Orationes in demõstratiuo genere circiter xxx. Farrago libri Technarũ, cũ initio eius. Consilia multa per totam sparsa Europam.

Exciderunt etiam præter hæc, Arithmãtia, De locorum distantia, De peste, De uenereis, De humana immortalitate, De pituita, De circulis sphæricis & um-

& umbris, cõmentaria posteriorum imperfecta, Farrago operum Galeni quæ adhuc extãt: Grãmatica Græca, sed imperfecta: Tot epistolæ, aliaq; scripta, ut numerare nimis curiosi esset.

Itaq; proponamus potius, quinam editi sint, idq; breuiter: inde, quaratione diligentiaq; conscripti: demum, quo ordine legi debeant. Libri igitur impressi sunt hi:

Libri editi.

De malo medendi usu.
Quod nullum simplex medicamentum. } Bis impressi.

De consolatione. Bis impressus.
De sapientia.
De libris proprijs, ter.
Cõmentaria in Ptolemæum, bis.
De subtilitate, octies.
De somnijs.
De animi immortalitate.
Ars magna.
Ephemeridum emendatio, & De genituris.
De rerum uarietate, bis.
De aqua & Aethere.
De utilitate capienda ex aduersis.
De Minimis & proximis.
De uita beata.
De uno.
De secretis liber primus.
De gemmis & coloribus.
Guglielmus, seu de Morte.
Tetim.
Encomium Neronis.

Omitto Arithmeticam paruam, & duos libros Contradicentium, quoniã transmutati sunt alio ordine, ac ex toto permutati, ut nihil fermè ex priore editione retineant. Sunt etiam Apologiæ, aliaq; edita. Porrò conscriptorum librorum quidam sunt exiles & aridi, quidam imperfecti, ac quasi immundi, nec expoliti: alij perfecti, quidam supra nostras uires. Sunt & quasi diuini, alij uerò mixti.

TABVLA LIBRORVM TVM editorum, tum edendorum.

Exiles.
De iudicijs astrorum.
De malo medendi usu.
Quod nullum simplex med.
De animi immortalitate.
De tuenda sanitate.
De præceptis ad filios.
Fabularum.
De aqua & æthere.
De morbis coniunctis.
De sapientia.
Supra uires nostras.
Dialectica.
Ars medendi parua.
Diuina penè
Theonoston.

Hymnus ad Deum.
Impuri, sed quasi perfecti.
De ludis.
Floridorum.
De morbo Indico.
De consolatione.
Anatomia.
De libris proprijs.
Experimentorum.
Musicæ.
Problematum.
Mixti generis.
De fato.
De arcanis Aeternitatis.
Perfecti.
Geometria.
Arithmetica.
Commentaria Ptolemæi.
Commentaria Hippocratis.
Metoposcopia.
De somnijs.
De subtilitate.
De rerum uarietate.
De utilitate capienda ex aduersis.
De urinis.
De secretis.
De uno.
Contradicentium Medicorum.
De secretis primus.
De gemmis & coloribus.
Tetim.
De minimis.
De summo bono.
De nodis.
Guglielmus.
De natura.
De supernaturalibus.
Moralium.
Paralipomenon.

TABVLA ORDINIS LIBRORUM, quo legi debent.

1 Elementa Geometrica.
2 Arithmetica.
3 Musica.
4 De uno.
5 Dialectica.
6 De secretis primus.
7 De libris proprijs.
8 De natura.
9 De subtilitate.
10 De rerum uarietate.
11 De gemmis & coloribus.
12 De animi immortalitate.
13 De Fato.
14 De arcanis æternitatis.
15 Supernaturalium.
16 Theonoston.
17 Hymnus.
18 De moribus.
19 De sapientia.
20 De præceptis.
21 De utilitate capienda ex aduersis.
22 De minimis.
23 De summo bono.
24 De consolatione.
25 Guglielmus.
26 Tetim.
27 Commentaria in Mundinum.
28 Commentaria in Hippocratem.
29 De

29 De sanitate tuenda.
30 Floridorum.
31 De urinis.
32 Ars medendi parua.
33 De experimentis.
34 De aqua & æthere.
35 De Indico morbo.
36 De morbis compositis.
37 Contradicentium medicorum.
38 De malo medendi usu.
39 Quòd nullum simplex.
40 Commentaria in Ptolemæum.
41 De iudicijs astrorum.
42 Metoposcopiæ.
43 De somnijs.
44 De secretis Quartus.
45 Problematum.
46 Fabularum.
47 De ludis.
48 De nodis.
49 Paralipomenon.

Verùm ratio ordinis in plerisq; nutat: quandoquidem horum librorum quidam antè & post legendi sunt diuersis rationibus: ut Dialectica, Ars medendi parua, De subtilitate, & De rerum uarietate.

Sed hæc mittamus. Quid si contigerit ut ab obitu libri quidam maneãt imperfecti, aut quo i pluribus eueniet, non omnino castigati? At de hoc operæ precium erat etiam monere lectores, ut si quis non ineruditus eorundem causa quæ nos hæc scripsimus præmiorum efficere tentauerit, non difficile sit rem ipsam absoluere. Sic contigit Homeri & Aristotelis & Virgilij operibus. unde illud etiam uulgatum Augusti:

Ergo ne supremis potuit uox improba uerbis
Tam dirum mandare nefas?

Et reliqua quæ sequũtur. Nostra ætate idẽ contigit in operib. Cælij Rhodigini. Spes erat emendatos iri à filio, sed gratiã uidetis relatã. Cupierant extinguere nõ illũ, sed me: nõ mitiore, uerùm crudeliore, sed honestiore modo: ut conciderem in filij sanguine. ¶ Sed libet eorum nomina adijcere qui de me in suis libris palàm editis honorificè mentionẽ fecerunt: quanquàm multos alios esse non dubitem, quib. gratias debeam ob simile meritum. quos uidere ad hanc usq; diem non licuit. Incipiam autẽ à primo, quoniam is uidetur omen feciſſe fausto cœpto, & non sine numine id egisse.

Gaudentius Merula, in Erasmicano bello. & in Sylua uariæ lectionis. Cui succeßit,
Donatus de Mutis, super expositione quorundũ Aphorismorum. Inde eruditißimi uiri,
Andreas Tiraquellus, de legib. connubialib. in initio quindecimi libri.
Philander, in Vitruuij commentarijs non semel.
Gesnerus, dum mihi esset ignotus, baßim.
Philippus Melanchton, in initijs suæ Naturalis philosophiæ.

Gemma

Gemma Phrysius, in sua Arithmetica.
Franciscus Vicomercatus, in suis Meteorologicis.
Michael Stiphelius, in sua Arithmetica.
M. Antonius Maioragius, in Antiparadoxis.
Schonerus, de Natiuitatibus, in fine.
Epitome Bibliothecæ.
Hieronymus Tragius, in suo Herbario.
Georgius Pictorius, de Tuenda sanitate, & in Conuiualibus sermonib.
Antonius Mizaldus, in libro de Sympathia & Antipathia.
Christophorus Hispanus, de itinere Philippi Regis.
Conradus Lycosthenes, de Prodigijs.
Io. de Choul, in pulcherrimo libello de Quercus historia.
Leuinus Lemnius, in libri de Naturæ arcanis proœmio.
Adrianus Alemanus, in librum de Aere & aquis Hippocratis.
Hieronymus Castillioneus, in oratione de Laude patriæ.
Ioachimus Ellerus, in Io. Hispalensis Isagoga.
Adolphus Crang, in Trittemij Abbatis introductorio.
Melchior Guilandinus Borussus.
Guglielmus Gratarolus.
Castigator Hermetis, de Natiuitatibus.
Liber magnus de Aquis, à pluribus aggregatus.
Matthæus Abel, in Dionysium de situ orbis.
Notradonnus, in suis Prædictionibus annuis.
P. Constantinus, in Castigationibus in Amatum.
Gaspar Peucerus, de Diuinationum generibus.

¶ Sanctè uerò iurare possum, me nullum horum agnouisse, antequam de me scriberent, præter Gaudentium Merulam, Antonium Maioragium, Donatum de Mutis medicum, et Io. Choul: sed neq; cum illorũ quoq;, præterquàm Maioragio, amicitiã aut familiaritatem contraxi. Tantum uero abfuit ut quẽquam huius causa rogarem, ut nunc etiam quasi pudeat meipsius: neq; apud quenquam minor mihi esse uideor, quàm apud memetipsum. Itaq; gratias tanto maiores illis habeo, uixq; sua Aristoteli aut Galeno forsan similia contigere. Sed obijcies, & aliquos damnasse scripta nostra, atq; hi sunt:

Nicolaus Tartalea, in suis nouis inuentionibus.
Lucas Gauricus, in suo de Genituris libro.
Io. Brodeus, in Miscellaneis.
Tadæus Dunus, in disputationibus suis.

Io. Buteon,

Io. Buteon, in sua Arithmetica.

Ingrassius, De humoribus.

Atq; hi nullius prorsus existimationis, præter Brodæum, qui sibi hac causa nomen parare uoluit, nec scit quod reprehendat. Gauricus de diuisione domorum arguit, sed non intellexit mentem nostram: pro qua etiam scripsit Antonius Alphasianus senator ad me. Buteon planè stultus est, & elleboro indiget. Dunus, ut famam quæreret, cum esset meus auditor, euulgauit epistolam meam. Ingrassius, nec in me reprehendendo, nec ulla in re satis nouit quid dicat: melius fuisset omnino non scribere. Scribere enim ut imperitiam tuam prodas, nec fructum alium facias, superuacaneæ operæ est. Tartalea coactus est recinere palinodiã: sed tamẽ puduit eum stare promissis, nec quod scripserat delere uoluit, sed in amentia perseuerauit: coruo prorsus similis, uiuens alienis laboribus, & fur manifestus alienorum studiorum, adeò impudens, ut quod edideram iam publicè quadriennio antè de expiscandis nauibus submersis, ipse edito libello, nec rem satis intelligens, suppressã de nobis mentione, inuentionem illam, quia materna lingua Italica illã euulgauit, ut suam publicauit. Verùm homines eruditi nos lacessiuerunt, Rondelletius, Iulius Scaliger, Fuchsius in proœmio cuiusdam sui operis, ubi docet cauendas esse nostras medicinæ contradictiones ut uenenum pestiferum. Est etiam Reinerus Soleander quidam, de aquis calidis. Sed ille cum de causa ortus illarum nos reprehendat, nõ tamẽ respondet demonstrationi quam pro opinione mea attuli. Cæterùm, ut dixi, Cæsari Scaligero in Apologia quæ est cum libris de Subtilitate, satis responsum est. De Fuchsio, pudet me illius, qui damnat, nec rationẽ adducit, ultq; sibi credi uelut oraculo, in tot causis arduis. At illi plurimum debere me fateor, cuius causa duodecim illos admirabiles Contradicentium medicorum libros instauraui. Sed ipsum non pudet agnosere tot furta, qui nil de suo scripsit, sed integras Aetij, inter cæteros, paginas. De Rondelletio, piget sanè in hanc arenam cum illo descendere: sed potius illi ignoscendum existimo, qui Aristotelem & Galenum non uno in loco, ut me, sed in pluribus fugillet. Quod consilium, modò uerecundè fiat, & non aut contradicendi studio, aut inanis cuiusdam gloriæ, haud improbo. Sed tam pauci id ingenuè faciunt, ut multo paucioribus (& meritò) etiam res hæc benè cedat. Existimãt forsan hac in parte nos imitari, sed longè aberrant plerique. nam nos ut principia rerum statuamus, in uno uel duobus ad contradicendum Aristoteli, & in aliis, descendimus: tam firmis uerò rationibus, tam claris experimentis, tot etiam consequentibus, ut non dubitem apud posteros nostram hanc opinionem, in qua ab Aristotele dissidemus, plusquam probabilem futuram. Et tamẽ

id tam uerecundè, ut nemo nobis, quantumuis addictus Aristoteli, possit succensere. Sed (ut dixi) credamus hæc omnia syncero animo ab illo facta, ut ueritas eluceseret. Quid causæ est ut nos accuset, ut literam uidet manifestè esse corruptam, ut ipsemet fatetur: dicta mea quædam repugnantia continent, quomodo igitur in quatuor uersibus, nisi prorsus desiperem, uult me mihi repugnare? Par igitur erat, contextus corruptione cognita ad me scribere, non tot ex uno sibi fingere solœcismos. Quod enim echeneis echinus nõ esset, aptè declaraueram, quodq; torpedo à remora differat. Sed uir gloriæ cupidior, ansam damnandi arripuit libenter. Verùm decebat hominem tam in redarguendo acrem, culpa (ut Cicero inquit) omni carere. cũ enim nos tã exiguis in reb. accuset, & quæ nihil ad nostrum faciunt institutum: & quæ solum supremam manũ expostulabant, quam nuper omnib. nostris operib. admouimus, cùm antea ob intempestiuas quorundam preces nonnulla (ut etiam Aristoteli & Galeno) excidissent inemendata: uelut & Ciceroni, qui proœmium Academicarum quæstionum libris de Gloria præposuisse se imprudenter fatetur: decebat illum, solum castigata emittere. At tantum abest ut emendata ipse in medium protulerit, ut tum præpostero iudicio, tum mendaci historia, tum proprijs dißensionibus omnem fidem à libris suis abrogauerit. Cupiebam ab illo iuuari: nunc quam fidem adhibere possum homini in tota tractatione oscitabundo, leuiq; solũ sectanti, & inconstanti? Quod quidem, qui historiã nostrã in libris de Rerũ uarietate traditã leget, & in suis editis libris quæret, facilè uera esse cõperiet: nec credo illũ mihi irasci debere, sed uix edita pro suis uolet agnoscere: adeò mẽdis innumeris et intolerabilib. scatẽt. E` quib. unum, quod excusatione omni caret, quodq; quia extra propositum esset, in eo loco prætermisi, hic pro exẽplo subijcere statui. Inquit enim: Tiburo piscis est, quẽ ego è uitulorũ aliquo genere esse puto. Dij boni, qd unquã absurdius dici potuit? Ita fato quodã natus sum, ut qui me calũniãtur, insanire uideantur. Quid enim Tiburoni cũ uitulo marino? Idẽ, aut simile: Tiburo capite piscis, uitulus quasi felis: tiburo cũ brãchijs & sine pedib. uitulus cũ pedib. & sine brãchijs: Tiburo masculus cũ duplici genitali & simplici lingua, uitulus cũ unico mẽbro & duplici lingua, ut autores referunt. Sed ego quanquã in Scotia & tractauerim, & dissecuerim, & comederim, duplicẽ illi esse linguã nõ animaduerti. Tiburo sine uno uel pilo, uitulus totus ut quadrupes pilosus: tiburo uelocißimus, uitulus piger admodum: deniq; tiburo membris internis dißimilis uitulo, & illi inimicißimus est. Adeò ut si quis uellet (ut dici solet, & ex ungue leonẽ) æstimationẽ libri eius ex hoc facere, fabulam potius quàm historiã posset existimare. Sed ego non sic: uerum potius illud Horatianum, Quandoq; bo-

doq; bonus dormitat Homerus. Itaq; cum ijs in libris grãmatici potius quàm philosophi uices gerat, contineat se suis limitibus, nec aliorum gloria illum adeò torqueat, ut iracundè scripsisse uideatur, non cum iudicio: sed editos libros ad limam & incudem reuocet. Hæc communis utilitatis causa dicta, nõ nostra existimet: quippe quod nos nihil nisi apposita demõstratione protulimus. quam si quis pensitauerit diligenter, uix à nobis dissentire poterit. At hoc forsan ille non intelligit, quoniam non eodem in loco conclusio & demõstratio conscribuntur. Quòd si hæc non assequitur, nõ pondus sententiarum, non connexum rerum, non succendentia per quæ res ipsæ comprobantur: quo modo Galenum aut Aristotelem, aut classici alicuius uiri scripta percipiet? cũ sæpius et illi, et nos multò magis cõclusiones in præmissis, & præmissas in conclusionib. non explicatas reliquerimus. Par enim hoc est facere, ubi cõnexio sit necessaria ob infinitatẽ rerũ quæ cõprehenduntur, quas explicare penitus fuerit ἀδύνατον seu impossibile. Quòd si in his cupit se exercere, et an uera sint experiri, legat nostra cõmentaria seu in Ptolemæũ, seu in Hippocratẽ. Nã nullibi melius docebitur quàm recõditæ essent, quãq; altè repositæ sententiæ ueterũ, cũ in illis explicãdis neruos omnes intenderimus. Quãquam forsan par labor in Cõmentarijs ipsis planè intelligendis relinquatur. Quã rẽ uiri eruditi intelligẽtes, & quãtæ sit difficultatis et artis, plus iã mihi in re literaria tribuerũt, quàm ego exposcere uerecundè uisus essem. Etenim cũ nostris inuẽtionib. sen sissent se nõ parũ in scribẽdo iuuari, iuuabũturq; Deo dãte multo magis in posterũ, cũ (ut ex ordine editorũ librorũ liquet) minus utilia et minus elaborata priꝰ ediderimꝰ: seu dissimulẽt, seu prætereãt: pauci sunt tamẽ qui nõ malint in re adeò manifesta potius fãteri debere se nobis, quàm furti nomine notari. Cæterùm et inter eruditos etiã Amatus Lusitanus in Commẽt. super Dioscoridẽ, testimoniũ locuples de nobis reddidit, licet in I. Cẽturiarũ editione accusasset. Verùm tamẽ res illa de qua arguebar, in caput suũ recidebat, cũ ego nõ eiusmodi sentẽtiã protulissem. Vnũ illud addã: pulcherrimũ futurũ opus suũ, iudicio meo, si illud cõtraxisset ad triẽtẽ. Cætera enim cũ sint uulgaria, in memoriã reuocãt eos medicos qui discipulos ad artẽ edocẽdã circũducũt, omnia docentes, necessaria fortuita, uulgaria et selecta, pertrita & secreta, ut ne quid prætermittãt. At q, uereretur Hippocratẽ admodũ, quòd Auicennã nõ contẽnat, in ratiõe ẽt curãdi multa è uetustate in lucẽ reuocare conetur, laudo ingenium atq; iudiciũ. Est etiã satis clarus & perspicuus. Quòd etsi maledicat de me nõ curo, inter tot qui bene sentiũt. sunt sua edita, sunt et nostra: homines poterũt æstimare. Ego nõcõferã, quando post inuentã Dialecticã pauca admodũ uideã esse sine labe. Sed ubi maior laus, ibi uituperationi amplior uia, et latior patet.

Suæ tantum narrationes sunt, paucis exceptis locis: nostra ubiq; arte conscripta sunt, licet (ut dixi) passim in his quæ ante Dialecticam edita sunt, plura desiderem ego ipse in meis libris, quàm probem. Ita factum est hac egregia inuentione, ut pleraq; sordeant, quæ in alienis mirum in modum placebant, et de quib. in nostris gloriabar. Ita rectè Moses, nos docuit ex scientia torqueri, nihilq; iucundius imperitia. Si enim quis sapiens sit, nunquam probabit aliena, suaq; despiciet. In angusto enim sumus: malumq; illud scientiæ, doloris atq; tristitiæ pater est. Cæterùm cùm, ut ab initio dixi huius sermonis, desperem posse omnia ad perfectionem deducere, ut aliquis nostra opera uir erudítus ad incudem reuocare possit, decreui ipsam Dialecticam, quã supprimere perpetuò destinaram, in publicum edere.

Qua edita, et intellecta, non erit arduũ omnia ad finem deducere omnium. extat enim prima editio, aut saltem tota farrago. Dicam igitur qui modus esse debeat libros conscribendi: atq; eo intellecto, facile erit intelligere, quid et ubi deficiat quicquam in nostris libris, & quomodo restitui possint quæ deficiũt. Primùm igitur, quod ad stylum attinet, non adeò contrahi debet ad Ciceronis regulam, ut si omasum dicere necesse sit, oporteat (quoniam Cicero eius non meminit) sic fari: Pingue illud intestinum bouis, quod gustu, dum diuisum excoquitur cum odoribus, adeò iucundum est. Sufficiat fuisse Horatij, fuisse Plinij. At contrà neq; tanta licentia abutemur, ut Græca infœliciter supponamus, si latina probè respondeant: aut bonitatem atq; hæcheitatem eructemus. uel si præcise, pro ad unguem: uel si barbara nomina, quæ postmodum incertam habeant interpretationem, interposuerimus. Sit etiam oratio rei congruens: nec disputantes in Architectura, Liuij facundia utemur: nec in Medicina conabimur stylum, Ciceronis orationibus iudiciarijs assimilare. Melius q; est uno dicendi genere, etsi non adeò probato, uti, quàm pluribus intermistis, tametsi pulchrioribus. Neq; uerò se attollere in immensum, nec uelut cadentem in infimum se detrudere. Fugiamus aũt obscuritatem, quæ per se etiam nimis obrepit, & temporum successu, & uetustatis uitio, & linguarum defectu atq; permutatione libros ipsos reddit inutiles. Sed & cuique suam reddamus consuetudinem, ut facilior & clarior euadat oratio. Familiaris autem sit sermo: propter id enim inuentus est, ut ab omnibus & facilè intelligaris. Non quæras obsolæta: leuitatis enim animi indicium est. Neq; uerò uerbosus sis: nam tempus eripis, carissimam rem. Et quòd in Galeno meritò contemnitur, audebis'ne tu sperare, quòd in te diu placeat? Memineris semper, uerba propter res ipsas facta esse, non res propter uerba. Plus legitur, præterquàm à pueris, Horatius in uno exiguo uolumine, quod

quod compertus sit, quàm Ouidius in tot. Sed nec adeò breuis sis, ut obscurus euadas, aut concisus: ut Poetæ et Hippocrates. At ei uenia debetur, qui in tabulis ligneis scribere cogebatur. Sed ut nõ sunt uerba à Cethegis expiscanda, aut reuocanda: ita neq; multo minus dicendi quidam modi, quamuis Ciceroni & hominib. illius ætatis familiares. qualis ille: Deinde ne pro indicta die quis accu Pro domo
setur, ut ter ante magistratus accuset intermissa die, quàm mulctã irroget, aut sua ad Põ.
iudicet, quarta sit accusatio trinundinum prodita die, qua die iudicium sit futurum. Sed neq; oportet res sui temporis tanquam notas breuiter transigere, cũ multa ex antiquitate sic perierint. quæ enim nũc notissima sunt in Italia, mille post annos apud Marmaricos et Paropamisas incognita erunt. Vbiq; uigebũt studia literarum, ubiq; interibunt. Adornanda est oratio Poetarum testimonijs. sed non sepienda: ut Galenus, dum Chrysippum imitari studet, aut cum illo contendere, factus est Cynico illi apud Lucianum cum Morione contendenti similis. Fugere debemus aliorum uitia, non æmulari: nec despicere materiam subiectã. Parũ splendebũt carmina in Geometria, uel Arithmetica: necessaria erunt in humanioribus literis, ornabunt Iurisconsultum, testimonium ferẽt de moribus disputanti. Sed non est inflectenda oratio: ut qui equo Troiano Mediolani insunt, collum illius ad farcimina surripienda plicant. Ipsa oratio fluat per se: dum carmina quasi ultro se offerunt, non expetita uideantur. Affectata omnis res, si habeatur, parum honesta est: si non habeatur, fœda et turpis. Circumfluant uerba, nec per similia fiat repetitio: nec per diuersa deturpetur oratio, dum idem significant. Quid enim interest, si idem indicent uerba, ut non bis significent dictione, dixisse significent, aut indicent? malo idem nomen repetere quàm eandem sententiã. Habes quos imiteris in hoc genere, ut in omni certè decet optimos: Ciceronem eloquentia, Quintilianum arte. Nonum premas in annum, & antiquorum more primùm iudicia eruditorum explora. latent mendæ nostræ plus nos, quàm alios, etiam si illi longè nobis sint imperitiores. adeò perdifficile est nos agnoscere, ut non solum nos nostraq;, sed (quod existimo te nunc primùm intelligere, si credis) nostri & familiares & domestici, uxorq; ac filij, quàm exteros. quanto enim illis propior es, tanto magis eorum delicta te fugiunt: partim quia magis illi à te cauent, quod conspici se putant melius: partim id cõtingit consuetudine, quæ nos moueri adeò & animaduertere non patitur: partim quòd minus quærimus. ubi alijs placuerint, fac ut ultimus sis cui placeant. Citò enim placent alijs, quæ serò autoribus ipsis placent. Atq; hæc de oratione styloq; dicta sunt.

Verùm de re ipsa maior debet esse ars, labor & industria. Legimus Plotinũ in dictione fuisse negligentissimum, qui tamen per tot secula est in uenerationē

ne. At si res ipsa quæ tractatur absurda fuerit, aut malè tractetur, quæ iam spes superest ut liber ad posteros cum autoritate transeat? Ergo primùm de re ipsa dicamus, de qua tractatur: inde dicturi de modo. Sordida, uilia, inepta, falsa, impia, nefanda, & quæ legibus humanis aut diuinis aduersantur, fugere oportet. Scribimus, ut humano generi opitulemur, ut laudemur, ut res sint perennes: at sordida, uilia & inepta, hominibus non prosunt, imò etiam nocent, & uituperatione digna sunt. Quomodo ergo ex huiusmodi laudem quæres, aut quem fructum afferes? Rursus impia & nefanda legibus aduersantur, quomodo perennia esse poterunt? Admiratus sum non parum, Ioannis Baptistæ Portæ opus de rebus naturalibus, in publicum prodijsse, in quo nouo scribendi genere facilitare uenena nos docet. Quæ tanta potuit esse hominum socordia? aut quæ illi mens? Occiderunt filium conantem ulcisci mœcham uxorem, ut ea illi in faciem obijciebat, nec tamen occidit: uenena publicè facilitare docentem, quibus sontes & insontes perdere liceat, suspicimus? O hominũ mores? ò secula. Non illum quod oderim dixi, sed cupio ei esse meliorem mentem. At falsa sunt? atque ita reor: fœdissimi tamen exempli, & prorsus igitur inutilia. Ergo mea ætate plures libri his argumentis fœdi cecidere, quamuis impressi: Manganellus, Iulia Vicaria, atque eiusmodi, etiam solo nomine turpia: sed & Agrippæ libri de Occulta philosophia: & meritò, cum superstitione pleni, referti sint experimentis falsis solùm, atque absurdis. Venena esse, & cognoscere, & curare, si quis doceat, utiliter illa necessariò facturus est. Sic Conciliator, Ponzeta, Auicenna, & reliqui præclari medici fecere. Magicas uanitates non tam docet quàm irridet Plinius: Magicam ueram quis possit dignè laudare? Verba, nugas, mendacia, chymicas fabulas, impia sacrificia, uenena ueneficiáque docere, & improbi uiri est, & amentis, atque damnosum humano generi. At uerò scribere ut nihil scribas, uelut hodie cum tot Epistolis Italicis, ubi quisque nimium sibi sapit, ad nominis perpetuitatem nihil prodesse speres: ad præsentem utilitatem laudemq; forsan non ineptè, si quis aptè fecerit. plura enim animalia stipulis & oleribus aluntur, quàm fructibus. Sed & mare cum nullam habeat arborem, quoniam fluctuum impetu uix fieri posset ut non discerneretur, raram quoque herbam, longè tamen plura alit animalia, quàm terra ipsa cum tot herbis aboribusq;. Ita etiam in hominum genere plures sunt uentosi, quàm solidi. Primùm omnis ætas sexusq; imbecillior, pueri, mulieresq;: inde ex uiris plebs tota lucro addicta, ob necessitatem: ex nobilibus omnes, primùm indocti, & ex doctis etiam maxima pars, scilicet qui Musarum chorum à limine saluta-

runt:

runt: impediti etiam grandioribus curis, his magis delectantur ineptijs, tanquam morionum & mimorum quodam exemplo, quàm serijs & difficilioribus studijs. Demum & ex his optimis multi delectantur huiusmodi nugis, uel ad remissionem grauiorum studiorum, uel ut aliorum moribus se accommodent. ita enim uiuere coguntur, ac loqui, scribereq;, non ut par esset, sed ut alijs satisfaciant: quorum est maximus numerus. Hæc tamẽ scripta si æterna esse putant, insaniunt. nam cum inania sint, factu etiam facilia sunt. itaque & plures id tentaturos esse necesse est. nec aliquis tam diligit parentes, ut nolit magis sibi bene esse quàm illis, aut illorum gloriæ cedere. Quis ergo est qui ita se à posteris amari, obseruari, uenerariq; persuadeat, ut illius causa nolint & ipsi scribere, ab hocq; quod sibi tam honorificum esse putant, & in quo tantum se profeciſſe existimant abstinere: scribent igitur, & multitudine scriptorum obrui priores necesse est. At elaborabo ita ut nihil addi possit. Erras, nam quæ nunc maximè placent, cum tamen nihil aut ualde parum contineant, hinc ad centum annos mutatis moribus linguæ ac ratione scribendi, quæ quasi circulo quodam perpetuò circumferuntur, necesse erit etiamsi optima essent, negligi atque concidere. At Boccatij fabulæ nunc magis uirent quàm antea: & Dantis, Petrarchæq; ac Virgilij, totq; aliorum poemata, sunt in maxima ueneratione: & Aureus ille asinus Apuleij, & Aesopicæ fabulæ, cum tamen nihil contineant omnia hæc ueri aut utilis? Vetustas adiuuit illos. tamen quot concidisse credis, comparatione eorum quæ supersunt? Deinde in alio scribendi genere sunt. Aliud est, argumento uni insistere, quamuis ficto: aliud est, ut in epistolis fieri solet, liberè quóuis uagari. Dici enim solet: Qui quod scribat nescit, ad scribendas epistolas se conferat. Ciceronis epistolas defendit illius autoritas, & puritas linguæ, quæ postmodum statim concidit: ut ibi inuentum sit non leue auxilium, ubi maximum timebatur esse periculum. Si Romana Respub. cum lingua diu floruisset, non fuissent Ciceronis opera in tanta existimatione. Cecidit cum eo flos linguæ, & quærimus inuidè quod perijt. Adest & alia causa: res scilicet gestæ eorum temporum, ut nunquam aliàs, magnificæ & admirabiles: tum uiri præclarissimi, Cæsares, Bruti, Pompeij, Crassi, Catones, Lentuli, Antonij, Hircij, Pansæ, Lepidi, Cassij, atque alij innumeri, adeò ut omnia in idem tempus se contulerint: dico urbis imperium & monarchia, seditio & bella maxima, mutatioq; status Reipub. claritas uirorum, & florentis linguæ casus. hæc igitur omnia seruarunt Ciceronis epistolas, quæ etiam Cæcilij Plinij. nã & adhuc Roma orbi imperabat sub Nerua Traiano, atq; iã sub Domitiano: et quod deerat ex nitore linguæ

ob tem-

ob temporum defluxum, & barbarorum in urbem aduentum, ille diligẽtia singulari supplcuit, ut meritò pòst Ciceronianas primæ habeantur. Senecæ autem epistolæ uim libri, sed remißioris styli atq; artis retinẽt: quippe ad unum Luciliũ Balbũ Siciliæ præsidem omnes scriptæ sunt: atq; in eodẽ argumento, scilicet uirtutẽ solã esse, in qua sit cõstituenda fœlicitas: mortẽ uerò esse quasi uirtutis metam, ac summum decus, si quis eam fortiter ferat. Sed & Petrarcha & Dantes, ut dixi, non epistolas, sed libros & numoroso pede condiderunt. Sic & Apuleij fabula, libros undecim continuato ordine complectitur. in quo genere est illa Heliodori, atq; etiã Achillis Statij. Aesopũ tuetur antiquitas. Concident ergo tot epistolarum libri, Philelphi, Ficini, Politiani, Erasmi, Longolij, atque tot Italica lingua conscriptæ: alijs surgentibus aut melioribus, aut gratioribus. Et in eodem sunt omnes Centuriæ, uelut Amati, Montani, Farragines q̃; omnes: in quibus quod collibuit intruserunt, ordine nullo, ratione admodum tenui, stylo humili. Cadent & Manardi epistolæ: nec scio an nostræ Contradictiones, quamuis non leuibus laboribus conscriptæ, superesse poterunt. Certè si supererunt, gratia posteritati habenda erit. Hoc consilio omisi libri de Calidis technis constructionem, tametsi lepidissimum esset argumentum, utileq; uitæ humanæ: & historica, non fabulosa esset tractatio uniuersa: farragoq; tota penè iam condita, ut solum exornatione indigeret. Ergo ea de quibus tractare conuenit, debent esse primùm humano generi utilia & salutaria, deinde honesta, deinde perpetua. Hoc dico, quoniam & historiæ ipsæ pereunt uetustate. Quæ nam facta Alexandri magni præstantiora? & tamen cum à centum fermè historicis conscripta sint, trium solum historia supereſt: Iustini, Curtij, Arriani. Sed Iustini concisa & breuis, Curtij mutilata prioribus duobus libris, Arriani sola integra est. Nuper Diodori Siculi altera, non inelegans, prodijt: sed & ipsa, ut Iustini, concisa est, & admodum pro tot gestis breuis. Cum seriem rerum, nomina, tempus, stratagemata, consilia, epistolasq; substuleris ex historia, narraueris q̃; solum exercitus, duces, prælia & urbes captas, historiam exanguem & quasi mortuam reddis. Ob hoc quàm multi historias scribere aggrediuntur: nullas tamen nos habemus historias ex uniuerso genere, præter Cæsaris commentaria, & Iugurthinum bellum, ac Catilinæ coniurationem ex C. Salustij laboribus: ideo quod Val. Martialis in Apophoretis suis scribit, tam à paucis est intellectum, quàm uerißimum, scilicet:

Hic est, ut perhibent doctorum corda uirorum,
Primus Romana Crispus in historia.

Ergo

Ergo adhuc locus scribendi multis superesset. Nam primùm historiæ supre ma laus est ueritas. ob id adulationibus plenæ nostri temporis historiæ, & mendacijs refertæ, temporibus futuris locum non habebunt inter posteros. Inde, ut perfecta sit locorum descriptionibus, nominibus potentiorum, & quod maximum est, causis belli, & quæ mouerunt auxiliarios ut in hanc uel illam partem declinarent. Inde patefaciat consilia habita, epistolas occultas. Inde series, tempus, ordoq; seruentur: atque adijciantur copiæ cum ducibus, gentes, prælia, stratagemata, urbes captæ, direptiones, modus, atque huiusmodi. Adsit stylus fluens, & clarus: orationes ducum magis ueræ, quàm quæ historici facundiam ostentent. Nasutum uirum ficta res, qui ueritatis solum sit studiosus, quomodo delectare potest? Fabulas atque figmenta Poetis relinquamus. liceat Homero & Virgilio, non gestarum rerum seriem fideliter narranti. Itaque & in exiguo argumento, ut Xenophontis in ascensu Cyri, maxima uoluptatis & delectandi causa relinquitur: si rectè historia conscribatur. At dices: Nimis multa exiguntur, si omnia hæc necessaria sunt ad historiã ritè conscribendam. Fateor, non cuiuis est, hoc posse facere: sed solum illius, qui rebus ipsis secretioribusq; consilijs omnibus interfuerit, & ad quem literæ omnes zifris seu suppositicijs notis scriptæ peruenere. Aliarum nullæ perpetuæ erunt. At dices: Quæ nostri Regis facta continent, nónne perpetuæ erunt, ob potentiam? Minimè, nisi ad illius stirpem orbis dominium tandem deuenerit. eorum solum historiæ seruantur, quorum posteris fortuna fauerit, ut orbis imperium adipiscantur. Verùm interim tandiu seruantur, quandiu in ea spe subditis regni esse licet. nam Cræsi Lydorum regis, & Scytharum & Aegyptiorum regum, & Gallorum, antequam Romanis subijcerentur, historiæ atque acta, periere maxima ex parte. sed si tamen rectè traditæ essent, & ut docuimus, adhuc manerent: quandoquidem & priuatorum quædam acta & uitæ, quod ad rectam descriptionem accedant, adhuc maneant, seruentur atque legantur. Verùm obijcies: Nónne omnia tandem scripta intereunt? Certè: nam si mundus æternus est, ubi scripta ante tria annorum millia infinitis seculis, ac tot in prouincijs seruata? si factus, ubi ad interitum uenerit, secum cuncta consumet, seu igne, seu marcore consumatur, ac dissoluatur. At ego æterna appello scripta, quæ tam diu durant, donec mundus ipse manserit. Satis nobis nunc sit declarasse, quæ nam scripta mereantur æternitatem, quæ non: quæ absoluta atque perfecta sint, quæ non: quæque laude digna, quæue non: & quæ cum mundo ipso solum peribunt, & cum humano genere, & quæ non.

Electo præstantissimo argumento, & in quo diuersatus sis & feliciter

multis cum experimentis, rationibusq; efficacibus, non uulgaribusq; obseruationibus, ubi omnium qui de ea re conscripserint seu ex proposito seu obiter libros reuolueris, ueritatis quàm ostentationis amantior, prius quasi in præludijs scribendo, docendo, disputandoq; exercitatus, propositaq; omnium tibi farragine, conare primùm ut eam in ordinem atque ad unum redigas principium: deinde his rationibus ad scribendum accingere, non ut laborem & uersiculos diebus, ut ille stylo, metiaris: sed pro occasione uigoris, atque intentionis mentis, ocij, & unitatis argumenti. Leges autem erunt hæ. Primùm, ut quicquid amplectêris (tantùm uerò amplectêris, quantum optimè noueris) diducas in species: atque ad singulas usque diuidendo, nihil prorsus omittas, donec ad ultimas deueneris. Demonstrabis autem omnes has sub eo genere contineri: nec ullas alias aut contineri, aut posse contineri. Inde, quæ sint tum totius generis affectiones, tum seorsum uniuscuiusque speciei, ne una quidem prætermissa, inuenies pro tua facultate, atque edocebis. Dixi pro facultate: nam quantumcunq; diligens fueris, longè plura omittes quàm attinges. Sæpius enim dixi, nos umbram tantùm rerum uidere, non res ipsas, nec intima. Beatus uerò ille fuerit, qui uel muscæ uel culicis, aut pediculi pulicisúe intima prospexerit. His cognitis, de singulis deriuationes afferas. Inde conare, ut omnia in unum, si potes, redigas principium. nam & facilior doctrina, & firmior reddetur, uidebitúrque artificiosa. Si non liceat, in quàm pauciſsima. Adde insuper nominum exquisitam significationem, & ordinem quàm nitidissimum, cum oratione clara atque emendata. Pòst, inuenta ipsa ad ultima extende. nec prætermittes, quæ ex ea doctrina commoda quis consequi possit.

Oportet autẽ non unum demonstrandi genus in omnibus obseruare. Geometria exquisitissimas & purissimas requirit: Arithmetica, etiam præter illas, tentandi nodos admittit: non ut securum te reddant de re quæsita, sed ut eorũ spe ad quærendũ demonstrationẽ securior accedat. Astronomia ex propositis, tanquã sufficiat sic esse posse, ad conclusionem accedit. Musica eodem modo, sed experimentum quærit. quod etiam in iudicijs astrorum definiendis obseruare solemus, tum in cæteris diuinatorijs artibus. qui modus quanquam sæpè, & maximè in uniuscuiusq; fortuna prædicenda aberret, tamen arti plurimũ affert utilitatis, quando eo meliorem non habemus. Conferunt ad hoc plurimùm quatuor illæ Ptolemæi regulæ, de quibus in Dialectica diximus. In philosophia naturali, ab effectibus ad causas procedimus: ibi nouus labor est suscipiendus scilicet, ut illius eam causam esse demonstremus. fit autem hoc partim experimentis, partim à diuisione sufficienti proposita, singulis rei capitibus

explo-

explosis. uelut, Luna deficitur lumine: nihil potest intercipere solis lumen nisi terra, quia nihil est humile & opacũ nisi illa. In Medicina uerò tum eo genere demõstrationis, tum causæ utimur: uelut in Dialectica, et Quinta Aphorismorum, in expositione illius Aphorismi demonstrauimus, Quæ corrupturæ sunt fœtus: & ultimis sextæ particulæ, Si muci incidant, coxa delabitur & restituitur: sed coxa delabitur & restituitur. hoc causæ ratione ostendit: non tamen causam esse, uel effectum. inde reuertitur, effectum esse ostẽdendo, unde esse causam demõstratur. Est præterea unicuiq; disciplinæ modus tradendi etiã peculiaris. Geometrica summam amant claritatem, puritatem, breuitatem. Arithmetica eodem modo, sed demonstrationẽ non exigũt nisi ubi difficiliora sunt: atq; tum illustrari etiam exemplo debent. Persæpe postulant tacitæ obiectioni responsum, ubi absurdum uidetur quod concluditur. exempla omniũ in propriis tractationibus quære. hic admonuisse satis sit. Astronomica eadẽ hæc insuper foliatis figuris & narratione repetita per alia uerba, ubi difficultas urget: hoc enim ubiq; intelligendum requirunt. Musica eandem repetitionem & declarationem finis, seu effectus. Optica præter demonstrationem, modum exigit conficiendi instrumenta ad experientiam: tum & materiam requirit, quod etiam in Astronomia et Musica negligere non debemus. Astrologia gaudet ratione, claritate, exẽplo, non repetitione, quibus etiã Metoposcopia & tractatio de somnijs: sed huic adijcere debemus comparationem ad hominis cõditionem. Dialectica demonstratione et claritate, at Geometria, explicationeq; nominum. Theologia ornatu uerborũ absq; figuris: ueris enim innititur. Rhetorica, figuris & probabilibus (nõ enim ueritatẽ exigit) immodicoq; ornatu, & argumentorũ multitudine. Simpliciũ medicamentorum & dissectionis historia, candida narratione, picturaq; exacta. Sed Anatomia multiplicem narrationẽ & diuersis connexã partibus requirit, & picturam foliatam. Reliquæ medicinæ partes multiplicem postulant diuisionẽ, operandiq; modum cũ peculiari uerborũ ornatu. Architectura uerborũ explicationẽ exigit ab ipso initio rei tractãdæ, narrationẽ clarißimam, rationem, ichnographiã singularũ partium, inde totius, cũ umbris, quas etiã in figuris omnibus præterquã Geometricis planis requirimus. Geographia picturã etiã cũ coloribus expetit, & purã narrationẽ, maximeq; ordinatã: comparationẽ ad alias prouincias, & itinerũ rationẽ, historiã, et præclara locorũ miracula, quæq; abundẽt, et quæ optima ubiq; nascantur, quiq; homines insignes, imperia, leges, mores. Naturalis philosophia rationib. doceri debet, tũ autoritatibus, uelut et Medicina, altius causas repetẽdo, et ad principia deducẽdo: ornatũ cũ candore mediocrẽ uerborũ nõ aspernatur. Eadẽ & Medicina, et Magia præcipuè, experimẽtis confir-

mari debet. Morum tractatio autoritatibus munienda est, ut etiam simplicium historia, ubi in dubium reuocetur: sed præter id ornata esse debet, rationibusq; & exemplis, si qua alia confirmata. Si de ludis quis scribat, nugari licet, sed appositè, clarèq;: nec exemplorum obliuiscatur. Gubernandæ Reipub. ratio, qualis morum: sed orationem floridam & longiorem postulat. Fabula breuem, claram, puramq; narrationem exigit. Si quid intermiscueris, uitio uertetur. Forsan hæc atq; alia difficilia uidētur, quod mihi obijci solet: sed si uitium hoc effugere uoluero, in aliud deterius prolabi necessariū est, immensam scilicet prolixitatem: nam res rebus adeò annexæ sunt, ut scientia nostra infinita sit, aut infinitæ similis. quamobrem hoc uitio dandum non est mihi, quod effugere non possum. Sed his clara erunt omnia, qui diu in nostris libris exercitati fuerunt: alijs certè non ita. In summa ergo conare, ut opus efficias rotundum, expolitum, elegans, undequaq; absolutum et uenustum. Verùm dices: Hæc rectè se habent, sed si ad tam arctam normam ea de quibus scribere oportet deducenda sunt, pauca admodum erunt de quibus scribere possimus: imò nulla, cum de ijs antiqui, aut si quid restat, tu ipse scripseris: nempe de continua quantitate Euclides, Archimedes, Apollonius, & tu: de numeris, tū etiam de Musica & Astrologia utraq;, Ptolemæus. in naturali Philosophia Aristoteles, tum etiā diuina: in Dialectica ille, tuq;: tū etiā in Metoposcopia. in Opticis, Vitellio: in Architectura, Vitruuius: in Medicina, Hippocrates et Galenus. Quid iā residui est, de quo scribere possimus? Aberras toto (ut aiūt) cœlo: nihil scriptū est de ulla re. iā testatus sum, proprietates naturasq; rerū ipsarū esse infinitas. Quid igitur prohibet, ne assūpta aliqua specie, ut loā. Choul fecit in Quercu, pulcherrimū et absolutissimū librū cōficias? Nec ille huic negocio defuit arte diligentiaq;: sed quia non plura experimentis cōpererat, nō magnus liber, sed libellus tantū euasit. Vt ergo aliàs dixi in Quarto Theonosti libro, de cœli ad humani generis numerū cōparatione: ita nunc de argumentis librorū dico, cuilibet mortali, si omnes libros cōdere posset, mille librorū argumēta suppetere uel toto anno magno, qui triginta sex millibus annorū solarium definitur. Iā uerò postquā de Quercu uerba fecimus, in illa assēramus exemplū. Sūt proprietates aīaliū quæ quercus gignit, medicamēta infinita: loca in qbus prouenit feliciter, et in qbus educari nō potest, alia in quibus in genistam transmutatur: partes, fructus et species, cur, quō à natura genitæ, quō in aquis proficiat, et quō nigra euadat, quātū sub terra maneat: cōmoda foliorū, glādiū corticis, ligni, medullæ, radicis: cur adeò neruosa, et cælaturæ inepta, quorsum ue id naturæ agere attinet, aut necesse fuit? quot annis uiuat, et cur tādiu? quare ipsa tota plāta genita sit. quō uisci arbusculū in ea nascatur, cur umbra illius salutaris?

lutaris? quo in ordine plantarum sit, quot modis ex illius noticia homo ditari possit: cũ quib. sympathiam, cũ quib. antipathiam habeat. de pondere illius, ratione, mensura ramorum & foliorum. quæ animalia illam diligant. de forma radicum: quid solo commodi uel detrimenti afferat, quæ sint illi congeneres & affines plantæ. Multa quoq; & sine numero, quæ ad naturæ uires & artificia spectant: atq; alia, quæ non licet memorari, quoniã prorsus ignota sunt. Sed iam ad propositum redeamus.

¶ Operum igitur nostrorum defectus erroresq; emẽdare uolenti, primùm scire decet, tria esse perfecta & castigata ad amussim: scilicet præsens hoc, Artem medendi paruam, & Dialecticam. Duo præterea castigata, sed non perfecta: Opus de Secretis, & Hymnum. in ijs non plus habet quod agat quisquã, quàm in tria priora. nam addere quicquam, ad meipsum solum pertinet. Verùm opus Arithmeticæ, satis emendatum est. Ars solum magnã, quæ emendatione indigeret, apud me est emendata: utinam tam à multis intelligatur. Sed & liber de Vtilitate capienda ex aduersis, & liber de Subtilitate, perfecti sunt, atq; castigati. In hac enim editione Henrici Petri, anni M. D. LX, nihil præter paucas uoculas desiderari posse existimo. Commentaria in Ptolemæum, apud me sunt emendata. Geometricorum elementorum pars difficillima, tota est absoluta, præter ultimum librum: reliqua quisque poterit ex priore libro addere, seruata ea ratione, ut ordine Euclidis disponantur: scilicet quæ sunt supra tertium librum, præcedant ea quæ sunt supra quartum: atq; ex ijs quæ sunt supra eundem librum, præponantur: quæ sunt supra primam, ijs quæ sunt supra secundam: atq; deinceps supra secundam, ijs quæ sunt supra tertiam. Quæ uerò ad ultimum pertinent librum, à nemine suppleri postulo. neq; enim alterius quàm mei, hoc munus esse posse credo. Liber quoq; de Malo medendi usu, & Quòd nullum simplex medicamentum noxa caret, demptis pauculis uocibus barbaris, nil aliud postulant: quoniam, ut dixi, eo consilio relicti sunt in Catalogo, ut imaginem referrẽ iuuenilis ingenij, & primæ formationis. Eãdem in conditione est opus de Consolatione, liber Fabularum, & de Præceptis ad filios. editioni enim sunt parati. In libro Experimentorum id solum desideratur, ut tituli inanes auferantur. Cum enim proposuissem ad singulos morbos conscribere singularia experimenta, in quibusdam sanẽ plura quàm sperarem inueni: in quibusdam non. neque enim more quorundam, quicquid auxilij quod profuit aut sanauit ægrotantem, id pro experimento adnotaui: sed solum experimenta appello, quibus deplorati aliquo morbo seruati sunt. At, ut uideo, alios quosdam non pudet pro experimentis uulgata conscribere: sed audent etiam ea quæ ijs qui

mortui sunt adhibuere, inter experimenta numerare. Libri de Aqua et æthere exemplar emendatum apud nos est, ut solum excudi postulet. In omnibus autem ijs quæ iam impressa sunt operibus, errores typographorum, typographus ipse emendet. Sunt autem quàm multi in libris de Consolatione: quod ob id admonere uolui, si quando accideret ut non ante meum obitum imprimerentur. Sed et librorum de Rerum uarietate exemplar est apud me castigatum, & multis in locis superauctum. Imperfecta extant Floridorum, Metoposcopiæq; opera: quorum etsi farrago adsit, postulat tamen à me perfici. Sic & Theonosti quod reliquum est, atq; sine farragine, adhuc à me desideratur: nam centum tantum & quadraginta chartas, sed difficillima quæq; continentes absolui. reliquum erit (ut reor) paulò plus quàm centum chartæ. Libri quoq; de Animi immortalitate exemplar emendatum, quantum emendare licuit, apud me est. nam ex Theonosti compositione quasi perculsus est: assimilaturq; flammæ tenui ignis, quàm Sol irradians exanimat. uerũtamen sic editus, multoq; antea, ob emendationem elegantior ac pulchrior uidebitur, ut spero. Problemata absoluta sunt: iudicio & censura potius quàm emendatione indigent. ea requirit unius diei liberæ operam. Liber quoq; de Ludis totus conscriptus est, paucis quibusdam in locis emendatione indiget: quòd nescio quo modo chartæ quædam translatæ, negocium lectori facessere, atq; impressori eo magis possent. Septem Aphorismorum particulæ, & ipsæ Commentarijs sunt illustratæ.

Libri autem de Astrorum iudicijs, sunt ad normam, quam, cùm superius de illis ageremus, descripsimus, redigendi. Additis etiam genituris, quæ in nostris emendationibus conscriptæ inuenientur, ut res ipsa & ordo postulat. Cæterùm illud commune præceptum est, quod Anaxagoras dicebat, separare dissimilia, congregare similia, illaq; connectere, ut liber magis ordinatus & lucidus euadat. Præterea eximere repetita, absurda, incõcinna & barbara. Demũ, omnia ad principia autoris, quantum fieri potest, reuocare. Et ob id summum est artis opus, optimè tenere scribentis mentem, principiumq; illud, cui tanquam nauta temoni dum nauem dirigit insidet. At eadem ratione libros de Arcanis æternitatis corrigere licebit, memores opus illud naturale esse, non Theologicum: atq; etiam cùm hoc sub uirgula censuræ illum habere, ne aliqui (ut Petrus de Paulo dicit) obscura in suam trahentes sententiam, utpotè cũ de legum promulgatione agitur, seipsos perdant, & libris nominiq; meo maculã inurant. In summa, tandem cùm me haud lateat, multa præter ordinem interposita, multa leuia, & transposita plura, in locis paucis uoces non latinas quasdã admissas, in omnib. (præterquàm Dialectica, Hymno, & Artemedendi par-

di parua) restitui latinas uoces uolo, & Augusti præceptum de Virgiliana Aeneide seruari, ut auferant quæcũq; leuia aut perperã interposita uidebuntur: cæterùm nihil omnino addant, nisi quid congruere ex farragine scriptorum meorum quæ supererunt existimauerint. Credidi enim melius esse, centum per peram apponere, quæ facile possunt auferri: quàm unum deesse, quod nunquã arte ulla restitui posset. Cæterùm postquam in hos incidimus sermones, nõ abs re erit (quod plures in nobis damnant, alij uerò queruntur, rationem nũc reddere, cur scilicet difficilis admodum omnibus in meis operibus uidear: cùm in profitendo summa laus, quæ mihi nullo negocio auditorium semper frequẽs reddidit, fuerit, sitq; facilitas & claritas summa in docendo. idq; mirum uidetur plerisq;, cur idẽ à semetipso tantum duabus differat in causis, adeò coniunctis & affinibus. Et quanquam superius quædam communi ratione dixerimus, nunc tamen rem totam ut maximè necessariam explicabo. Ea autem sic se habet. Cùm in omni dicendi genere illud semper propositum sit, quæ menti occurrunt explicare: certè si rei argumentum simplex sit, obscura oratione uti aut imperiti est, aut insulsi, aut ambitiosi uiri: uelut in mathematicis atq; historia. At in philosophia, dum non tam conamur quàm cogimur naturam imitari, cupimusq; multa ac penè infinita complecti, necesse est ut obscura euadat oratio. nam si omnia distinctè distinguere uoluerimus, primùm qui dẽ illa disponere oportet, deinde longissimo ambitu tanquam feras in unũ cogere, uolenti uti. ea ratione contigit, ut necessarium esset multa breui oratione complecti, atq; ita obscuriores euadere. Indicio sit, nullum philosophum hoc uitium (si modò uitium dici debet) effugere potuisse: Aristotelem, Theophrastum, Alexandrum, Themistium, Auerronem, Plotinum, Priscianum, Lydum. Et qui facillimus existimatur Plato, is omnium re ipsa est obscurissimus. Accidit mihi, quòd etiam quibusdam ex illis contigisse reor: scilicet ut longius petita absq; intermedijs (id autem breuitatis studio euenit) tanquã maximè necessaria & tractationi opportuna iungerẽ. Mẽs enim acris et ad diserendũ intẽta, undiq; permeat et colligit argumẽta, p media transiliẽdo, quæ recẽsere piget: unde postmodũ oratio obscurissima redditur. Vltimũ in hac causa est, orationis et cõsuetudinis: quib. fit, ut ultima primis cõiungamus, media prætermittamus nõnunquàm, aut postponamus, omnia faciẽtes ut cacephatẽ uitemus, et orationẽ floridã efficiamꝰ. At in profitẽdo cũ locus relinquatur interrogationi, præstat dilucida oratiõe instruere adolescẽtes. nã plurima quæ relinquũtur in docẽdo, quæq; illorũ animis occurrũt, licet petẽtib. declarare. Id uerò indiciũ ẽ, obscuritatẽ illã è re nasci, non esse affectatã. Cùm enim & clarè disseramus docẽtes, et dilucidè quæ dilucidè dici possunt explicemus,

scribentes,

scribentes palàm est non obuiam nos obscuritati ire, sed illam se nobis offerre.

Ea ergo ratione ad profitẽdũ Papiã redijmus, ut facilius cœpta opera posse mus absoluere: tum etiã, quòd labor ille longè minor esset uelitaria illa cursitatione per urbem, & quòd nullo negocio clarissimè possem docere: unde mihi laudẽ non mediocrem, & frequens sperabam auditorium. Nec expectatio me fefellit: quanquàm, ut dici solet, Semper Ilio mala. Accedebat, quòd fuga minimè leporina uidebatur, cum plusquàm uellem medendi autoritate pro/ cessissem. Tametsi eò uentum est, ut obstrepere uehementer inter tot tympana necesse sit. Sed malum malo plectitur, & (ut dici solet) suo telo iugulan/ tur. Multi hanc ætatem fœlicissimam esse putant. & certè ætas ipsa, arbores, lapides, aer, fœlicissimi sunt: nam & orbis totius noticia nunquam alijs seculis habita enituit, tot rara, tot inuentiones, tot librorum, ars typographica, multãq; alia præclara: uerùm homines infelicissimi, si unquam antè. Bonis tutos esse non licet, mali felices esse non possunt. habeant gladios, cohortes, pecunias, scorta, uireta & campos, domos, picturas, gemmas, equos, & quicquid est deliciarum, mori tamen certum est: & quòd bono uiro maximè metuendum ac infelicissimum, illis pro summa felicitate esse necesse est (horrendum dictu) nihil esse, & prorsus non esse, nec in æternum esse sperare. Mihi uerò sapientia bonum aliquid inter mortales esse uidetur, uel hoc ipso, quòd aut esse aliquid post obitum necesse sit, uel quòd ad summũ humanæ uitæ apicem peruenerim. nam cum multos sani iudicij uiros interrogauerim, an unquam aliquid extra naturam præsensissent, uix unum aut alterum inueni. Mihi autem cùm talia sæpius sentire contigerit, si quidem naturæ ui illa sensi, palàm est naturam me usq; ad ultimos suos limites tanquam speculatorem eorum quæ ultrà essent produxisse, ut postmodum ea docerem mortales. quod si uerè sensi (ut reor) palàm etiam est non hanc esse uitæ nostræ metã, non hos terminos: sed eorum solum qui immortalium rerum neglecta cura, totos se dederunt huius uitæ lenocinijs. Quamobrem seu uno seu altero modo id euenerit, non temerè ad scribendum animum appuli. Incitabant me et aliæ causæ non leues ad hoc, de quibus nunc dicam.

¶ Primùm quidem, monitus non semel somnijs ipsis: deinde etiam ipsa rei præstantia, quæ me ad hoc incitabat: & quòd nihilo ditior aliud faciens euadere potuissem, nec felicius uiuere. Demùm, quòd aliter mihi facere non licebat. Præsentiam quidem numinis mihi affuisse non dicam, sed tamen haud absurdè fortan id mihi persuasi, quandoquidem primùm monitus toties per somnium multa peregi, multaq; declinaui: quæ si euenissent, non hucusq; peruenire potuissem. quin etiam quasi coactus, & ab alijs negocijs reuocatus sum

dd

ad studia. Neq; inter tot oppugnationes aut uictum aut oppressum, uel impeditum, in tantaq; paupertate nihil omnino defuisse maius mihi uidetur, quàm ut sapientiæ meæ tribuam. Sed & hæc minora sunt quàm ut forsan numinis uim attestentur: at toties seruatum diuina ope à peste, ab inimicis, ac desperata aqua intercute in infantia, totq; alijs de quib. etiam in initio libri memini, res mihi magna uidetur. Deniq; natum hac ætate florida, tot mira occurrisse, non soli casui tribuendum puto. Quod si quis adijciat admonitionem patris per somnium, qua ad studia literarum excitabatur, profectò res mira uideri possit, casum tot attulisse, tanquam constanter præter opinionem. Verùm anno M. D. LVIII. qui ætatis nostræ fuit LVIII. ab eo sensim destitui uisus sum numine, quo impellebar: seu iam omnibus absolutis argumentiis, & fermè etiam libris: seu intermittente se ui illa, non subducente: seu alia quacunq; causa. certum est, cùm aliàs nihil esset de quo per somnum non monerer: deinde annis iam decem abhinc illis cessantibus ardor ille accederet, quo nihil arduum mihi putarem: & hic maxima ex parte cessauerit, nec ætatis uitio, siquidem ad alia promptior factus sum: uim aliquã cœlestem me deseruisse, quæ diu antea dux mihi fuit ad obeunda negocia illa. Sed ut ad rem redeam, etiam si nullum numen mihi affulsisset (quòd tamen ego non tam absq; ingratitudinis uitio dicere possum, quàm sine iactantiæ suspicione quòd affulserit affirmare) licet apud eos qui libros de Arcanis æternitatis legerint, talia haud dubia sint, nihilominus uel sponte hoc uitæ genus eligendo præstantissimum elegisse uideor. Vt enim de Anaxagora ad Eudemum scripsit Aristoteles, interrogatus ille qui'nam fœlix esset? Respondit, nullum eorum quos existimas, sed qui à fœlicitate alienissimus tibi uideatur. Animaduerterat enim, neminem nisi magnum, aut pulchrum, aut diuitem, fœlicis appellatione dignum illi censeri: cùm contrà sibi fœlices beatiq; haberentur, qui iustis honestisq; actionibus tranquillè incumberent, diuinaq; alia contemplatione participarent. Neq; id congruere mihi, quod ex Aristotele uulgatum est, existimauerim, scilicet quòd pauperes diuitias, diuites sapientiam quærant. Etenim quamuis de numine, somnijs atq; impulsu excusari possem: ostensurum tamen spero, etiam si proponatur bonorum finis ipsa uoluptas iuxta Epicurum, optimum uitæ genus me mihi elegisse. Atq; id tam apertè facere posse confido, ut nemo adeò sit huic causæ infensus, quem non in meam sententiam traham. Primùm igitur ab his quæro, apud quos constat Christum esse Dei filium, cur pauper potius quàm diues esse maluerit, atq; adeò pauper, ut ipse de semetipso testatus sit, nec tantum supereſſe ut recumbere posset (quandoquidem absq; agro, absq; domicilio, & absq; supellectile uagaretur) si non optima pauperũ

conditio esset? cùm ex his quæ mala sunt, nihil assumpserit, non deformitatẽ, uel morbos, aut cæcitatem, balbutiem ue, aut horum quicquam simile. frustra ergo laborarem, si apud uiros quibus diuino exemplo persuasum est diuitijs longè præstantiorem esse paupertatem, illam opinionem tueri conarer. Sed mittamus exẽpla, Deiq; autoritatẽ, uel apud atheos saltẽ sapientissimi uiri, solisq; rationib. ac euidentib. sensibus innitamur. neq; enim hoc modo minus spero q̃ exemplo ostensurũ, optimum mihi uitæ genus discendo potius quàm exercendo, scribendo quàm diuitias comparando elegisse. Id uerò commodius facturus sum, si utilitates scribentium aliquod dignũ inuentu mortalibus edocuero. Itaq; primùm ab exemplis clarissimorum uirorum iudicium sumendum reor, qui cum tot laboribus ac difficultatibus huic muneri addicti sunt. Quis enim Platone sapientior? Aristotele prudentior? Theophrasto doctior? Hippocrate grauior? Galeno acutior? Cicerone facundior? Cæsare dictatore potentior? Hieronymo sanctior? Antisthene pauperior? Zenone melior? Cleanthe ærumnosior? Plinio impeditior? Sylla deterior, aut imperitior? & tamen omnes conati sunt imaginem suæ mentis posteris scribendo relinquere. Quinimo alij sumptibus suis & industria aliena, nomen apud posteros quæsiuerunt: uelut Iustinianus Imperator, Alphonsus Castellæ rex, & Constantinus Cæsar: ille leges, hic agriculturæ præcepta, horum medius tabulas Astronomicas reliquit. Ingenui magis hominis erat, rem ut gesta erat fateri. Memorabile quoq; factum Sostrati Gnidij fuit, qui cum turrim in Pharo regis nomine exædificasset, exterius quidem obducta calce nomen Regis inscripsit: marmori autem, Sostratus Dexiphanes Gnidius dijs nauigantibus salutiferis. Quòd etiam Mausoli architecti feciſſe ferunt. An ergo omnes hi desipuere, qui non solùm sapientissimi, sed etiam felicissimi fuerunt? At dices: Diuites hi erant, & potentes? Nequaquam. nam Zeno pauper: Antisthenis nihil fuit: Cleanthes uerò noctu aquæ hauriendæ operam dabat pro hortis irrigandis, assiduè uerò studijs incumbebat, scribebatq; de die, adeò ut 60 libros reliquisse feratur. Zenonis uerò libri sunt innumerabiles. Sed iam ad rationem accedamus, primùm quidem, nihil esse delectabilius ipsa sapientia, hauddubium esse debet. Vt tamen euidentius hoc demonstremus, scire oportet, omnem iucunditatem esse in uoluptate, omnem tristitiam in dolore. Animalia igitur quod sensu prædita sint, delectationem habent: plantæ autem non habent. aut si habent, exiguam, ac quasi insensilem. Sed cum animalia rationis expertia non cognoscant se affici uoluptate, licet afficiantur, eorum longè minor est delectatio: hominibus autem maior, quoniam magis cognoscunt. Quia uerò se cognoscere percipiunt,

maxima:

maxima: adeò ut harum felicitatum interuallum pluries belluinam felicitatem contineat. Maximum igitur delectationis fundamentum est, cognoscere propriam felicitatem. Qui ergo adeò amentes sunt, ut non cognoscant infelicitatem, nec ualdè felices aut infelices esse possunt. Non est tamen felicitas humana absoluta, quòd sit cum metu doloris, quòd non sit diuturna: quòd eodem momento non intelligamus, & cognoscamus nos intelligere, sed paulo antè uel post: quod discrimen temporis, quanquam exiguum sit admodum, uetat tamen nos omnino esse felices: adeò refert, ut conueniant hæc duo tempora in unum. ob id igitur homines perfecta felicitate non fruuntur, nec cognitio etiam humana est de omnibus, neq; omni modo, nec perfecta. Vltimò, non efficit ipsa res. Primæ substantiæ autem absq; metu malorum, & semper cognoscunt: & dum cognoscunt se cognoscere, simul atq; eodem actu intelligunt: hisq; trib. modis ab omnibus differunt. inter se autem, quoniã plura aut pauciora, perfectius aut minus absolutè cognoscũt. hoc enim Dei propriũ est. sunt & alia fortasse discrimina, quæ intellectus meus non assequitur. Est & aliud maximum indicium, quòd humana felicitas in operatione consistat, quæ fit secundum cognitionẽ. nã ueſperi diem sequentẽ auidè expectamus, etsi senes una die fiamus seniores. Annos etiã persæpe cupimus exactos, ut quod cũ ipso rũ cursu perfici debere speramus, habeamus absolutũ. At mane diei finem non desideramus: quoniam exacta die nihil superest quod agamus. Constat igitur, animæ cognoscẽtis opus summũ bonũ in se cõtinere: & ut Claudianus inquit, Ipsa sibi uirtus preciũ est. Cũ igitur perfectio hominis summa sit, cognoscere se intelligere: qui scribunt legẽda, hac uoluptate fruuntur: estq; hæc ueramentis æternitas, cũ eadẽ sententia perpetuo tẽpore maneat, & nostri pars melior. Ob id igitur sapiẽtes conati sunt hãc meliorẽ sui partẽ scriptis ad nos traducere: atq; id est cõmodum primũ scribentiũ. Secundum est, memoriæ ipsius cõfirmatio. Tertium est, exercitatio honesta, per quam etiam multa scitu digna nobis occurrunt, quæ alioqui incautos præterirent. Galenus uerò, cum principalem causam conscribendorum operũ prætermisisset, honestiorem quidẽ, sed longè minus efficacẽ subiunxit: scilicet preces amicorum, quæ tamẽ nec nobis defuit. nam prædictiones ab Anglis, mathematica à Germanis, medica ab Italis postulabantur: naturalia uerò ab omnibus. Gallis moralia placuere, quæ forsan usui multis fuerunt. Si epistolas omnes clarorũ uirorum, qui ut ederem nostros labores suadebãt, in unũ cõgessissem, integra arca cõtineri nõ possent. Sed præsus multitudinis, maximã partẽ earũ ignibus tradidi. Verùm ad institutum redeo. maxima uoluptas est hominib. cũ seipsos uelut in speculo cõtemplãtur. nã speculum cũ corporis tantum effigiem referat, magna tamen uoluptate

nos afficit: tametsi corpus pars nulla sit nostri, sed tanquam uehiculum solum. Etenim homo totus uere anima est. Scripta igitur nostra cùm legimus, nos ipsos intuemur uelut in speculo ipso. Adde quòd effigies corporis ipso absente decedit: imago autem animæ manet in libris, etiamsi homo ipse non adsit. quare forsan melius libros picturis & statuis comparaueris. quæ tamen præter id quod (ut dixi) non nos, sed nostrum operculum repræsentãt, nullus etiã Zeusis aut Apelles uel Polycletus tam ad uiuum referet imaginem nostri corporis, ut scripta animæ. Distant præterea scripta à picturis & statuis, quòd in omnium conspectu sint: & ut immortale à mortali. nam scripta renouantur, augentq; autoritatem translata: imagines amittunt. Atq; id etiam scitu dignum, speculum hoc mentis cùm contemplamur, tam nos quàm speculum meliores reddit: corporeum autem speculum & imago non ita. Quamobrem Ouidiũ non aliud occultasse sub tã pulchra fabella Narcisi seipsum in fonte intuentis reor, quàm ut depingeret sapientẽ scripta sua perlegentẽ. hic enim uerè ille puer formosissimus est, animus noster, sui imagine captus. sic enim inquit:

Cunctaq; miratur, quibus est mirabilis ipse:
Se cupit imprudens: & qui probat, ipse probatur:
Dumq; petit, petitur: pariterq; accendit & ardet.

Quam putas esse uoluptatem eruditi, cuius scripta iam leguntur & placent, cùm cogitat, quòd in Regum ac Principum cubicula penetrat, in manibus sapientum ac potentium uersatur, diligitur à formosis (nam & mulieres legunt, alij auro uestiunt) commendaturq; perennibus bibliothecis, laudatur in publicis locis, suspicituraq; à tot sui seculi uiris? Quòd si contingat Genium adesse, & bona esse quæ scribuntur, ac rectè elaborata, subit spes tot futurorum seculorum, quibus perpetuò reuiresçit, familiámque cum posteris, ac primam illustrabit. Quas opes cum hac uita conferes? cùm tot Reges, ne dicam Principes & opulentos, temporis diuturnitas obruerit, ut ex decem millibus uix unius memoria superfit: Cleanthes autem, qui dum uiueret, terrã fodiebat, adhuc fama uiuat, innumerisq; in libris refloreat? Quid dicam de his quorum libri ad nos peruenerunt, qualis Plato, Aristoteles, Plutarchus, & absq; numero alij? Sed age, si quid melius habes his, opes erunt: uerùm non tam facile est parare opes, quàm nomen, si quis à natura ad hoc sit institutus. Subiacent hæ fortunæ, & labores inexhaustos aut dolos, sceleratáq; facta requirunt, maximè his temporibus. Itaq; & si meliores forent, non tamen tam tuta earum acquisitio esset. Præterea etsi bene succedat alea, grauis tamen & absque uoluptate est acquisitio, nec licet simul acquirere ac uti. Verùm uoluptas hæc ad posteros transfertur.

Sed for-

Sed forsan filijs etiam parum proderunt, cum tot insidiæ ob eas illis immineãt. hinc agnati ex hæreditate aucupium facient, dispensatores ac domestici subfurantur, tot lenones, sycophantæ, inde magistratus & causidici atq; aulici, & quandoq; principes. Ipsi filij opibus inertes facti, nec se tueri quin spolientur possunt: nec spoliati quid agant habent, ocio assueti. Deinde ut de me loquar, si opes parandæ erant, medica arte, non aliter parare potuissem: at ea, si qua alia (gloria quæ illam comitatur excepta) tota seruilis est, plenaq; laboribus, & (ut uerè fatear) ingenuo uiro indigna, ut non mirer olim seruorum fuisse hoc exercitium. Illud potius malè habet, quod nimis etiam me illi dederim: nanq; ad hanc usq; diem supra decem millia ægrorum curaui. Neq; enim hæc uitæ meæ ratio lucro obfuit: quippè quod solicitudini detraxi, autoritati adieci. Atq; utinam opibus comparandis non plus obfuisset prodigalitas ipsa, atq; incuria iam partorum, casus quidam aduersi qui filij culpa euenerunt, quàm studia literarũ, & conscribendorum operum uoluntas. Si enim quantum auri ex arte accepi referre uellem, uereor ne maior laude sit turpitudo, quod tantum profuderim. Neq; tamen adeò piget me huius profusionis & incuriæ, contemptusq; pecuniarum, cum recordor Bionem Borysthenitem adolescentem hæredem factum ab hero opulentæ hæreditatis, tabulas testamenti laceraſſe: Cratem uerò Thebanum super cc. talẽta patrimonij diuisisse ciuibus. quod exẽplum sequutus est, ut ferunt, Apollonius Thyaneus, & Peregrinus philosophus. Sed dices: Hi philosophi fuerũt, nos de ciuili homine sermonẽ habemus. Constat enim Socratem & plerosq; alios, maximè qui ex eius schola fuerunt, contempsisse diuitias. Sed quid dices de Aristotele, qui ob ueritatis studium in Eubœam concesit exul, et magna bonorum parte mulctatus? Quid de Philoxeno poeta, qui cũ nec philosophus esset, nec satis bonis moribus institutus, ut qui gruis collum optaret, quiq; obscœnè nimis uixit: cum tamen sortitus in Sicilia domum esset, & agros feraces, reliquit ea, dicens: μὰ τοὺς θεούς, ἐμὶ τούτων τὰ ἀγαθὰ ἐνι ἀπολεῖ, ἀλλ' ἐγὼ ταῦτα.

Sed adhuc pugnant aliqui: Opes meliores sunt. Eruditio & scripta una hora parari nequeunt, neq; unius anni spacio: opes, principis gratia, hæreditas, thesaurus detectus, inuentio quæpiam noua, una hora præstare possunt. opes possum sperare semper, etsi nõ habeam, delectet autẽ me illarum possessio, spes usq; ad extremum lactare potest. At si opes habeam, quomodo sperabo iam senex euadere doctior, et conscripturum opera, ni prorsus insaniam? Quamobrem meo iudicio, etsi numina non suasissent, optimum tamen uitæ genus delegisse, & summum humanæ fœlicitatis apicem appetisse mihi uiderer, ut in iudicio saltem non aberrauerim, postquam maior fœlicitas mortalibus contin-

gere nequit, quàm ut scriptis illustribus celeriter, atq; in omniũ ore simus: ut cõtrà nihil odiosius memoria scelerũ & dedecorũ. Quod uerò ad Aristotelis sententiã pertinet, satisfeciſſe me puto. nã ille dandã philosophiæ operam suadet, cum seipsum & ancillam alere posſit. At ego & filios, & equos anagnostas plures semper alui. At dices, artis auxilio: nihil refert, quãdoquidem hæc studia ad autoritatem, reliquaq; commoda quæ ex arte parantur, contulerunt. Quod nisi temerarium filij factum obstitisset, iam haberem quo sine labore uiuere posſem. Verùm etiam illud considerandum, quòd si uir fortis mortem sponte subire debeat ob uoluptatem, solum momento temporis ante mortem spe gloriæ consequendam: cur ego hos labores iucundos, hancq; pecuniolæ iacturam, si qua sit, subire dubito, propter uoluptatem multò ampliorẽ, qua iam multis annis fruor, & in posterum fruiturus sum, nõ iactura uitæ, sed potius augmento: imò ne rei quidem familiaris iam in futurum, & forsan, incremento? Constat etenim, hac opinione studiorum maximas & raras occasiones, splendidaq; bona oblata: quorum quædam recepi, quædam contempsi.

Quin etiam alias Regum & Principum locupletiſsimas conditiones renui, nõ ut pleriq; solẽt, iam quæsitas, sed ultrò exhibitas: existimans longè melius esse liberum uiuere, atq; in patria mediocribus opibus, quàm extra patriã et in seruitute opulentũ et diuitẽ. Stultum enim est in tã breui uitæ curriculo mori ut uiuas, diuq; infœlicẽ esse ut sis aliquãdo fœlix. Multi dũ seruierũt, mortui sunt: plures eũ habitũ corporis sibi cõparauere, ut in posterũ miserrimè semp cõflictati sint. Plus etiã est nõ recipere cũ posſis, quàm uoluisse et accepisse. in hoc omnis ratio dignitatis manet illæsa, atq; ideo honestius & honorabilius: illud forsan utilius. Quærere etiã Principũ gratiam his turbulẽtis tẽporibus, adeò inutile et importunũ existimaui, ut etiã odiosum esse putẽ. Quid enim inter tot bella pacatũ, inter tot uectigalia et tributa: tanquã rei pecuniariæ necessitas sperari facilè, aut etiã si offeratur, honestè recipi posſet? aut inter tot adulatores qualis uirtuti locus, aut qualis gratia studiosis inter impitos? Mihi sanè satis fœlix esse uideor, quod metiar uires meas: neq; Alexandri gloriã aut Augusti optem. nam prudentia est, recognoscere uires proprias, suamq; cõditionẽ, quanquã multo minus illi fuerint fœlices quàm existimentur, nihil fœlicius, nihil beatius studijs sapiẽtiæ: cũ illa nec uiolenti domini (hi sunt æstuãtes cupiditates, et animi pturbatiões) nec neceſſariorũ defectus impedierint. Hæc cum mihi studia pepererint, lõgè plus acquisiuisse uideor q̃ si Lucullianas opes mihi parasſem. Quàm dulce est atq; iucundũ, scire quæ ante nos, et quæ supra nos sint, quæq; futura sint cum animus hinc discesſerit: neq; moleſta uita, nec

quæ

quæ post mortẽ formidolosa, ipse solus trãsitus naturæ lege grauis est. Cætera omnia, si sobolẽ excipias, tã parũ mouere debẽt hominẽ diuina amplectentẽ, atq; in supremo illo mũdo tã pulchro omnes curas, omnes mentis actus collocantem, ut facilè in Pyrrhonis sententiã deueniã, qui omnia hæc indifferentia appellabat: adeò parũ refert, quõ alea mortaliũ horũ bonorũ, gloriæ, diuitiarũ, amicorũ, uoluptatũq; omniũ cadat. Gratias tamen Deo ago, q me penè 46 perpetuis annis sospitẽ seruauit, ut cõmodius sapientiæ studijs indulgere possem: quã occasionẽ iuui, ut nulla fermè hora perierit à reditu in patriã, qui iam annis uigintiseptem fuit. Horatianum illud aptè imitatus:

Ibam fortè uia sacra, sicut meus est mos,
Nescio quid meditans nugarum, totus in illis.

Vt multiplici cõmodo sic frui contigerit. nã & meditata cõscribere potui, & delectatione contẽplationis firmã sanitatẽ in inualido corpore sum consecutus. & duplicem uitam egi: alterã, qua anima cum corpore uiuit, & sensib. reliquã, qua mens supercœlestia cõtemplatur. Itaq; mihi sanè satis fœlix esse uisus sum, tametsi paupertate tanta premerer quandoq;, ut emptis libris nec obolus supereſſet, multiq; maledicerẽt, plures etiã cõtemnerẽt. Quapropter miror Galenũ dixisse, se fiusse gloriæ contemptorẽ: utq; crederem, persuaderi possem, si præsentis tantũmodo meminisset? Verũ postquã adiecit, et eius quæ ex cõscriptis libris paratur, nescio quorsum tetẽderint tã immẽsi conatus atq; labores, si gloriæ cupidus nõ erat? Illud certè cõtenderim, eos qui opũ & honorũ præsentiũ adeò sunt studiosi, nõ solũ insanos et malos, sed etiã infœlices esse. nam & Deũ, fidem, pietatẽ et honestatẽ, uitæq; quietẽ, imò uitã ipsam, et omnem uoluptatis sensum negligere coguntur. Et cũ cætera uitia morbiq; animi finẽ omnia habeant, sola ambitio & auaricia infinita sunt, atq; perpetua. Auarus semper malus: improbi alij quandoq; etiã boni sunt. Multum ergo his studijs debere me sentio, quæ à tantis calamitatibus liberarũt. Ergo detractis à luxu & pompa pecunijs, cõmodis ac necessitati uitæ inseruiui, anagnostasq; duos semper alui. Sic in hac tam splendida paupertate quietus uiuo.

Quamobrem malè agunt, qui me tam imprudẽter interpellãt, absq; utilitate: ut Germani plerique, ac Itali. nam de Hispanis ac Gallis, Anglis, Scotis, ciuibusq; meis hac in re conqueri non possum, nec quisquã horũ à negotijs absque munere me auertit. At illi, Dij boni, ab incognito tãquã familiarissimo, gratuitã operam tanquã debitã, sine ulla uerecundia exigũt. Quasi ego unus illorũ cupiditatibus explẽdis natus sim, cũ tẽpus ipsum ager meus sit, & totum præmijs et gloriæ, tũ animi relaxationi mãcipatũ. Itaq; desinãt in posterũ, rogo, mihi negociũ facessere, Otij. n. horula mihi præstinata est. Sed ut ad rem redeã,

conatus

conatus sum non solùm tranquillitati uitæ meæ, sed etiam aliorum, quantum licuit in hac ingenij mei mediocritate, consulere. ob idq; cum uita nostra beata bonis animi, corporis ac fortunæ, tum uoluptate constet: bonaq; animi duplicia sint, alia quidem uirtute et peritia rerum naturaliũ supernaturaliumq;, alia humanarũ meditationum scientia: in omni genere, ut uidistis, scripsimus, diuisimusq; in classes. Præcipua tamen omnium sunt quæ ad sapientiam pertinent. Nam sicut canis mediocris conditionis elegantißima planta beatior est, & homo mediocris fortunæ cane nobilißimo, & dæmon mediocris status homine beatißimo: ita sapiens mediocri fortuna, felicior est fortunatißimo, cum mediocri mente. Si quis enim beatus est, Rex est. at non uelles potius esse te cer uum aut canem, quàm regem apum? Ita longè præstantior est dæmon uulgaris conditionis, opulentißimo quocunq; Rege. Dæmon est autem, quicunque sapiens est cum corpore. Et ut breuiter dicam, ac clarè eloquar, non solum quod ego sentio, sed quod uerißimum est, & mihi planè perspectum: hæc humana fœlicitas, etiam cum sapientia iuncta, somnium est: sine autem ea, fabula mera. Sed decipiuntur homines, cum non attingant limites sapientiæ. Donec enim hærẽt sensibus, sunt auari, ambitiosiq;: inde ob id rapaces, perfidiq;. atq; beatos se existimant, non secus ac qui scabie graui tenetur, cum se affatim scalpserit. ob id ergo non iudicant homines de his quæ nesciunt. Optima igitur est conditio humana, animam habere præstantem, fœcundam, ornatam disciplinis, rebus reconditis instructam. Credendum est autem in hoc his, qui utranq; conditionem experti sunt. Nos enim per Deum fortunam nostram exiguam, atq; in ætate senili, cum ditißimo iuuene, sed imperito, non commutaremus. Multo minus Aristotelem aut Ciceronem, qui hoc apertè negauit se facturum, existimandum est: minimè aũt omnium Platonem aut Socratem, imò nec Epicurum ipsum uoluptatis laudatorem. Vt ergo neq; equo neq; puero credendum esset, præferentibus conditionem suam tanquam fœlicißimam, quod aliam meliorem non norint: ita neq; diuiti, qui sapientiam non norit, sapientibus fœlicitate se præferenti, quod talem se existimet, ab alijsq; imperitis existimetur. Nam & pueri à pueris, & equi ab equis ea ratione beatiores iudicantur: & si aliter esset, quid prohibet ne nos dijs beatiores arbitremur, cum quãta sit & qualis beatitas illa, experimento non assequamur? Voco autem sapientiam eam, quæ in libris de Arcanis æternitatis, de Fato, & in Theonosto, de Subtilitate, deq; Rerum uarietate tradita est. Sed iam ad ultimam causam deueniamus.

¶ Dictum fuit, mihi aliter facere haud licuisse. Atq; id uerißimum esse intelliges, si naturam meam, moresq; meos quales sint deprehenderis. Videtur enim

natura

natura me inter homines finxisse, uelut homines ipsos inter animalia: nec quic quam similius, non ouum ouo. Animalia enim singula armauit dentibus, aut ungulis, aut cornibus, aut pedum celeritate: homines nullis prorsus armis, sed ne corio quidem, aut squamma, ad defensionem: nec pilis aut plumis, ut à frigoris iniuria se tueri possent. nudum corpus & exarmatum, nudas q; manus præbuit, sed quibus, temporis & industriæ auxilio, & tela omnibus unguibus dentibus & cornibus meliora faceret, & loricas galeam q; corio spinis ac squammis tutiora, & uestes tunicas q; pelliceas omnibus pilis ac etiam plumis molliores & calidiores: ita & domos latibulis & nidis præstantiores. cum cætera animalia temporis successu nec ungulis nec dentibus aut cornibus discant melius pugnare, nec proficiant in melius: sed qualia à prima iuuentute natura finxit, talia etiam perpetuò maneant. Ita omnes homines natura, ingenita quadam scientia & promptitudine ad artes exercendas, ad mores, ad loquendum, ad scribendum, ad tractandum instruxit: me unum solum ad omnia naturaliter imperitum, rudem & ineptum fecit, adeò ut in quibus methodum nullã mihi scripserim, paulò melior pica uel graculo posim existimari. quod certè in omnibus mihi obfuit & ad opinionem hominum, & ad actiones obeundas. Vbi uerò methodum, quam (ut dixi) non tam gloriæ uel studij quàm necessitatis causa facio, mihi finxerim: adeò elaborata ratione atque industria singulari eam fingo, ut naturæ beneficium non desiderem. Sic etiam expers memoriæ omnis cum essem, memoriam artificiosam illam mirabilem mihi confeci, de qua in libro de Secretis egi apertè, obscurè in libris de Subtilitate: qua omnes memores memoria superare uideor. nec illa, ut naturalis, subiecta est casibus, ut senio, timori, tristitiæ q;, quæ solẽt naturalem memoriam excutere, iuxta illud Comici:

Tum pauor sapientiam mihi omnem ex animo expectorat.

Ergo uel hanc mihi causam fuisse constat, ut conscriberem: uel etiã à Deo iniunctam, ut in singulis argumentis normam & methodum conscribere cogerer. Itaq; & hac ratione ne admirentur mortales, mihi perisse filium: quoniam ubi methodum non mihi comparaueram, quolibet alio homine sum longe inferior.

Nec est quod quisquam admiretur nos non fuisse felices, cum nõ semper ars beatum hominem faciat. Pater eloquentiæ Cicero fuit, & maximi nominis apud suos: exagitatus tamẽ tribunitijs concionibus uictus est. Dum uerò damnaretur ad exilium, facundia illi nihil profuit. Deuenit ad mouendam commiserationem, artis Rhetoricæ non leue telum: nec mouit tantus artifex commiserationem, sed risum. Quid? damnas Ciceronem? Non damno: sed eo me tueor,

quòd damnari illum non posse præsuppono. Etenim quid aliud est hoc, quàm certamen fortunæ cum uirtute, cum arte, cum splendore humanarum inuentionum? Gaudet illa esse uictrix, & culmen conatus mortalium præscindere, aut decutere, uel superare. Non semel irrisit Ciceronem in Milone, quamuis conantem summis uiribus: & in Deiotaro rege amicissimo. quomodo frustrata est in Planco & Octauio, quos uictor contra se armauit suis orationibus? Quàm contempti conatus contra Antonium, in tot Philippicis? Demum qua fortuna bis usus? primùm in exilium actus, deinde etiam occisus cum tota domo, unico excepto filio qui ad Brutum euaserat: spoliatusq; fortunis omnibus ipse frater, fratrisq; filius cum eisdem sit proscriptus & interfectus? adeò ut præstiterit suis, illum non fuisse. Quid de Demosthene dicam, qui neque fœlicior Cicerone fuit, quamuis facundissimus? actus in exilium sæpe, inde etiam ad uoluntariam necem compulsus. Et Aeschines Rhodi exul, in Samo paulo pòst uitam finiuit. Quid ergo mirum, si nec belli duces egregij, se tueri possunt aduersus insidias armatorum, nec oratores eloquentissimi contra iudiciorum improbitatem (quorum duorum hominum generum maxima debet esse potestas ac uis inter mortales, quoramq; finis nullus alius est quàm plurimum posse, in tuto uiuere, alijs imperare:) nos philosophiæ & Apollineæ artis studiosos solum, non potentiæ, autoritatis, diuitiarum, honoris, amicitiæ cupidos, à coniuratione improborum, à iudicijs corruptis, à potentiorum iniuria oppressos esse? Præsertim quòd hi quibus fidebamus, iureq; fidendum erat, nos dereliquerunt. Forsan illud Poetæ dicere conueniet:

— Nimium uobis Cardana propago
Visa potens superi, propria hæc si dona fuissent.

Ludit fortuna, luditq; semper leonino more cum inclytis uiris, ingenti pila. Gaudet egregijs spectaculis: modò uirtutem Scipionis, modò Catonis innocentiã, modò Socrates sapientiam subijcit in theatro. Non potuit filius meus euadere securim, ultor impudicæ uxoris, nec certus occisor, sed qui occidere uoluerit tantum: euadunt tamen legibus ipsis tot latrones Regia clementia, q̃ tumuis cõuicti. Quot dolo legibus uindicibus subtracti? prætermitto quot preter leges. Tanta fuit deorum ira, non aduersus miserum adolescentem, quẽ immortalis fama consecrabit posteritati, innocentia supra cœlos euehet, uirtus ornabit æternis laudibus. Quod ad uitam attinet, non solum hac ætate, quæ multa habet difficillima, imò patitur: uerùm etiam semper uita potius pro onere fuit etiam improbis, quàm uoluptati. Quid dicam de bonis?

Dat ueniam corvis, vexat censura columbas:

Si

Si Deus uoluisset mortalibus bene esse, uel bonam mentem omnibus immisisset, uel supplicijs malos illico subiecisset. Quàm mihi semper arrisere Plauti ni illi uersus, non adolescente, sed Solone aut Socrate digni:

Sicut merciprecium statuit pro uirtute ut ueneat,
Quæ improba est pro mercis uitio, dum precio pauperet:
Itidem diuos dispertisse uitam humanam æquum fuit.
Qui lepidè ingenuatus esset, uitam longinquam darent:
Qui improbi essent & scelesti, ijs adimerent animam citò.
Si hoc parauissent, homines minus multi mali,
Et minus audacter scelesta facerent facta.

Verùm uidetur mihi, quicunq; regit, contempsisse hanc nostram uitam totam: ac pro scena mundum hunc, pro theatro autem uniuersum cœlum constituisse. Damnẽt aut deplorent hos casus, uel qui Deum hæc ipsa nec intelligere, nec moderari putant: et qui uitam hanc, hoc æuũ aliquid esse credũt: & qui à sapientia sunt alieni. at mihi hunc ordinẽ spectanti, memorantiq; quónam pacto à Dijs regatur: tum paruitatẽ terræ, quæ tota instar puncti est: breuitatem uitæ, ac cursum rapidum temporis, ac uelut ruinosæ domus semper in futurum incumbentis, & quàm fallaces sint omnes spes, uoluptates uerò breues & paruæ atque interruptæ mille incommodis: non solum solor memetipsum, sed alios etiam possum consolari. nec quisquam in tam miserabili casu, in quo sæuitiæ imago & rei indignitas longè maiora sunt mala, humilem & uiro indignam uocem exaudiuit à me: quanquam qui me audiebant, non tam quæ dicerem, quàm quæ ipsi me dicere putabant, aut æquum fore ut quererer, animo deiectum interpretarentur. Dum enim ille miser uiueret, qui modò beatus est (aliter enim beatus esse non posset, nisi dum uiueret miser fuisset) ipsa mei facies, illius uirtus, dignitas, causa, pro nobis supplicabant: non uoces flebiles, humiles, deiectæ atq; effœminatæ. Stat Deus pro nobis, stat uirtus, stat nobilitas gentis, causa ipsa plusquàm honesta, bonorum & eruditorum omnium consensus aduersus acerbitatem seu iudicum, seu (quod malim esse) inimicorum & accusatorum. Imitemur fortem illum Demetrium, si quid Senecæ credendum est, imò potius Socratem, iniusteq; damnatos tot prætores ab Athenienſi populo: nõ fœminas, non uilẽ plebẽ, non stultũ uulgus, aut sæuos quosdam è iudicibus tyrãnicosq; spiritus. Maxima pars fœlicitatis nostræ est, non promeruisse aduersa, neq; sensisse. An uerò existimas, si nos antea perijssemus quàm filius, si Priamus ante excidium Troiæ obijsset, eadem autem subsecuta fuissent, & Priamum & me dici potuisse fœlices? O insaniam, & muliebres querelas? uel enim semper dolendum, ut solebat Heraclitus ille

cum iugi fletu: aut nunquam, ut Democritus cum perpetuo risu. Nuper Iulianus chirurgus filium habebat nomine Prosperum, egregium sanè adolescentem. Hunc ego iam diu, cum lauream in medicina suscepisset, ea tamen parte tantum in qua pater erat exercitatus, dijudicaui aliquando in insaniam uenturum, ex Physiognomia, tum alijs argumentis. citius etiam deuenit quàm speraram, & primum quidem iacuit inter insanos uinctus: deinde cum se explicauisset, Præsidis prouinciæ fratrem nulla causa adortus est, dicens uelle cum eo pugnare, ut ex equo descenderet. uulnere autem à stipatoribus accepto, cum illi insanum esse nescirent, & rursus uinctus, ac male curatus, obijt. An tu illum patrem me ipso feliciorem esse credis? Sed est alius, cui ob hæreditatem (quod sæpe fieri solet) unicus eripitur filius: nónne hic etiã miserior erit? Denique omnes miseri sumus, si nil aliud superest à nobis: aut beati solũ boni, quocunq; casu uixerint aut moriantur: infelices tantum mali, si Deo aliqua nostri cura est. Sed iam de hoc toties diximus, ut lectorem non delectare, sed fastidire uerear. hæc tamen pauca huc congessi, ut etiam miseris, non solùm studiosis, aut amicis, uel his qui rationem legẽdorum librorum, eligendorumq;, tum etiam conscribendorum quærunt, satisfacerem.

Ergo cum multa conscripsissemus, longè plura animo uersaremur, uisum est ut aliqua in lucem ederem: iudiciumq; de me mortalium in pauco potius quàm in omni ac toto (quemadmodum etiam faciunt qui nouas artes experimentaq; inuenire sperant) facerẽ. melius enim longe est partẽ existimationis amittere, quàm totã. Occurrit igitur primò, ut dixi, libellus de Malo medendi usu, & Quòd nullũ simplex medicamentũ noxa caret. hos cũ edidissemus, incredibili omniũ applausu excepti sunt. Et quod ego non probaui, multi ob nouitatẽ fortè argumenti probarunt. Difficillimum est omnibus placere, imò prorsus ἀδύνατον. Verùm hoc satis est, incitasse me hoc tantillum ad spem editionis, cum non (ut alij solent) ab ultimo conatu, sed à nullo prorsus initium duxissem. Contigit igitur mihi ut probarer in principio, cum Galenus de hoc queratur. Siquidem in libro de Ordine propriorum librorum hæc habet: Mihi propositũ nõ fuit, ut libri mei quasi per manus ad posteros peruenirẽt, quãdo nec hos quos emiseram placere multis uiderem. Et paulo pòst: Persuasum mihi est, si uel Musæ ipsæ aliquid conscriberẽt, nõ id multo gratius futurũ uel indoctissimi uiri scriptis. Et certè ille querebatur iniustè, qui scriberet exiguo labore quicquid uidebatur. nostra ætas et autoritatẽ antiquiorũ in scriptis requirit, et euidẽtiores rerũ demõstrationes. Obtinuit tamẽ genius suus, et calamitas tẽporũ succedẽtiũ, oĩbus alijs studijs q̃ bonarũ literarũ intẽta, ut pro deo, nec Satyrus aut Faunus coleretur, q̃ plura corrupit lõgè, et meliora q̃ inuenerit. Ergo uelut

go uelut in morbis homines melius postmodũ se habent, et multi priuati publica calamitate ditiores euadunt: ita librorum funesta clades, & bonorum autorum interitus, auxilio fuit Galeni nomini & autoritati. Periere siquidem ea clade Hippocratis penè diuini plura opera, & maximè de Morbis quibuscunq; singillatim, & de Medicamentis. Erasistrati pronepotis Aesclepiadis, Archigenisq; monumenta, & in anatomia Marini: tum uerò Herophili & Agatini, atq; Praxagoræ: paulo post Galenum Oribasij inclyti libri quinquagintaquinq;, immortaliate digni: seruati autem sunt Galeni, non satis pij philosophi, maximiq; nugatoris. Præstitit tamen hos seruari, quàm nullos: imò fermè quàm omnes alios, præter Hippocratem, si ad utilitatem humani generis spectemus: propter diuinos illos quatuordecim de Medendi arte libros, & sex de Locis affectis, decemseptem de Vsu partium (si illi non sunt furto ab aliquo potius subrepti) decem de Compositione medicamentorum secundum locos, septemq; Secundum genera. In omnibus his planè magnus uir est, & etiã admirabilis: in reliquis, caruisse forsan melius fuisset. Id uerò generale præceptum sit, adeò prolixitati assuetum ac deditum fuisse Galenum, ut quicquid breuiter scripserit, malè scripserit. Vnde in Arte medendi, & Curatiua ad Glauconem, aut omnino infinitos errores admisit, aut infinitis modis peccandi in arte ansam præbuit. Ita uolui monere homines, ut non omnia in homine probent, seducti autoritate: sed ipsum potius hominem ex scriptis laudare par est. Fuit uir magni ingenij, in arte exercitatus, atq; optimi iudicij: ut gloriosior fuerit in uita quàm in scriptis. plurima enim pars sui cũ ipso absumpta est. Neq; etiã nos postulamus ut omnia nostra probent, quandoquidem multa nobis displiceant. Rectè scribere sine arte non licet omnino, cũ illa difficillimũ est: uacare culpa, omnium maximè arduum opus est. rapimur ab affectibus priuatis, studio præsentis gloriæ, opum cupiditate, studijs contentionum: placemus nobis ipsis, placet operis incrementum & magnitudo, ducimur stylo et facundia, si qua est: quod in Galeno tantum detrimenti attulit, quantum laude dignum uideri potuit. ideò difficile est, debito loco metam figere: nec excurrere antè, nec in latera inclinare. ita solemus humilia, sordida, uulgata immiscere scriptis, inania quoq; & aliena ab argumento, defensiones, reprehensiones, & (ut Galenus non semel fecit) etiam iurgia diei libris interserere: quod etiam & nos aliàs minus prudentes fecimus. Ita nostra ætate lapsi sunt, clarissimi alioqui uiri in hoc genere, Budæus aduersus Erasmum, Fuchsius aduersus Cornarium, Siluius aduersus Vesalium, Nizolius aduersus Maioragium: non tam credo iustis contentionum causis, quàm uanitate quadam & spe augendæ opinionis in hominibus. Velut Erasmus id puto secum dicebat? Si contra Bu-

tra Budæum scripsero, meo nomini addicti etiam maiorem futurum me existimabunt: qui colunt Budæum, me etiam aliquem esse credent, qui illum audeam arguere, præsertim cum non absurda fuerit accusatio. Hæ hominum artes, hæc studia. Sed qui forsan præsenti ætati ad augendum gloriam aliquid conferunt, succedentibus seculis euanescunt. Sic etiam tota Ciceronis uita in accusando & defendendo posita fuit. nec enim solum hostes accusabat, sed qui hostibus fauerant, quiq; amicis fuissent infensi, ut res in infinitum protrahe/retur. Sic L. Pisonem accusauit, à quo pulsus fuerat: Clodium, qui causam prebuerat: Gabinium, qui consenserat. Sextium, qui restituerat, defendit: Vatinium, qui contra Sextium testimonium dixerat, accusauit: Milonem, qui Clodium occiderat, tueri conatus est. Quæ intemperies, quæ insania, in tam breui uita nunquam uiuere uelle? Sed in Cicerone immoderata illa facundia, & temporum conditio, ut etiam antea dixi, laudem meruerunt: in alijs nec ueniam, nedum laudem promereri possunt huiusmodi libri. Sæpe enim accidit, ut etiam in uitioso genere atq; argumento singularis quædam præstantia non mediocrē afferat & utilitatē & uoluptatē. At dices: Quid si scripta ipsa pereant, aut obruantur, nō'ne operā et oleum perdideris, etiam si optimè scripta sint, & elegantißimè? Nequaquā, ô uir egregie. hæc ipsa nostra natura, nostra monumenta, fex sunt uniuersi: & tamen in ea fece adhuc uestigia sapientiæ seruantur, in alijs omnibus ordinibus superioribus abundè hæc suppeditant. itaq; ut non debemus uereri defuturas aquas stante Oceano, & nubibus calorem stante Sole: ita quoties hæc studia, hi cultus literarum in his inferioribus abrumpentur, seruabuntur abundè, nunquam deficiente immenso fonte in Dæmonibus, animabus, uitis, mentibus, numinibus atq; Deo. Quod ergo hoc aliud est studium, quàm imitatio diuinæ exercitationis, tranquillitatis atq; sapientiæ?

Sed iam ad institutum reuertamur, deq; ipso uitæ humanæ genere aliquid dicamus. Neq; enim quod aliquid esse ducam hoc nostrum uiuere (quid enim absurdius?) sed ut illis satisfaciam qui hoc uiuere aliquid esse existimant. nulla enim ratio efficacior inueniri potest, quàm quæ ex utrisq; contrarijs idem concludit. Quod enim ad me attinet, neq; mortem esse in malis duco, neq; uitam in bonis: ex horum enim alterutro alterū sequi uidetur. nam si uita bona non est, mors non est mala: & si mors mala non est, uita bona esse non potest. & rursus si uita bona est, necessariò mors mala est: & si mors mala est, sequitur confestim uitam esse bonam. Ob id sapientißimè filius meus respondit è carcere, cuidam suscitanti, Quónam pacto fassus esset tam facile, se uoluisse uxorem interficere? respondit, paternam redoēls animi constantiam, Quis scit an bono an malo meo id factum sit? forsan bono id factum est meo. Et certè exuit uitam

hanc

hanc ærumnosam, impedimentis & periculis plenam, & lachrymabilem, uanam, breuem, futilem, inconstantem: hisq; temporibus, ubi plurima dolo, omnia potentiæ, operibus & gratiæ dantur. Quibus eò uentum est, ut omnia sint uiolentorum, & eorum qui tyrannico spiritu rapiunt. solum adhuc pudoris uestigium quoddam supereſt: quod ubi euanuerit (euanescere autem necessariũ est, cum bene cedat uis, & noui homines etiam ditari uolent) ad arma, seditiones & tumultus res redibit. Qui ergo cupiat sic uiuere? in quo si nullum esset aliud malum, id certè maximum non deesse potest, scilicet mortis necessitas & expectatio certa. Quamobrẽ mortem inter indifferentia collocare soleo. neq; enim illius causæ adeò faueo, ut bonam appellem. Sed ut opes, formam, amicos, potentiam, gloriam, honores: ita mortem neq; bonam, neq; malam esse duco. ut enim opes benè utenti bonæ sunt, ueneficijs autem atq; homicidijs intento malæ: ita & mors infelicibus aduenies, improbis, stultis bona est, liberans eos ab innumeris periculis, à grauissimis doloribus, à curis exitialibus atq; turpi dedecore. sed & sic res ritè se habens, ut certum est, non solum indifferens & bona, sed etiam optima iudicanda est. Bonum fuit & optimum sic perijsse filium (Deus enim id uoluit) non illi dicam, non mihi, non stirpi: cui ergo? nam Deus iustè, sapienter & liberè cuncta agit: futuræ ergo melioris uitæ certè causa. Ob id nos in exemplum constituit, ut intelligant homines, non posse bonum & probum uirum infelicem esse. Sum pauper, æger, senex, iam orbatus filio optimo, optimæ spei, adolescente mei amantissimo, per iniuriam: alter, cum modica atq; exigua admodum spe bonæ fortunæ, propagandæ stirpis, filia, iam nono anno nupta, sterilis. Ego aliàs omnib. modis florẽs, amicitia, filijs, lucris, bona ualetudine: iuuenis in magnam spem erectus, assuetus non solum cõmodis, sed etiã delicijs: nunc uerò totus ærumnosus, despectus, multis cum inimicis, non solum infelicem me esse existimo, sed quàm unquam aliàs antè feliciorem longè. Neq; insanio, neq; glorior, actiones id ostendũt. constantissimo animo profiteor, ac ob id etiam frequentissimum est auditoriũ: omnia administro melius quàm antea. scripta quæ nuper confeci, si quis prioribus conferat, intelliget pleniorẽ, uiuidiorẽ, purioremq; mihi mentẽ inesse. At tu, quicunq; es, ob unum infortuniũ, etiã leuissimũ, muliebriter eiulas: nos tot & tanta ferimus. hoc unum lucrati, ut nec pigeat uitæ ob uirtutem et scientiam: nec timeamus mortem, finem tot periculorum atq; incõmodorum, rẽq; adeò necessariam. alius ex calamitate, quæ etiam calamitas non est, longè magis discruciatur: et quod per incuriam famuli equus claudicet, exclamat, noctes insomnes ducit, tot ansæ felicitatis nullũ solamen illi adducũt, tanq; totus sit in sui equi pede. miser est alius quia cõtinitur, alius quoniã filius illi nepos,

alius quia

alius quia de uxoris pudicitia timet, alius quia excidit à magistratu, tentat laqueo uitam finire. Ergo sensus hominum & gustus delicatiores, tum ignorantia rerum & conditionis nostræ, ac desperatio de futura uita, homines reddunt miseros, etiam minimis ex causis: adeò ut huiusmodi homines nõ possint ulla ratione esse felices, nec in aduersis possint consolari. Vide qualis sit uita nostra. Duo sunt homines, quorum uterq; perpetuis sex mensibus (ut de muribus alpinis referunt) dormit: horum unus somniat carceres, uincula, cruces, laqueos, tormenta, cædes filiorum, metus, excidia, fugas, tempestates, morbos, inopiam, famem: modò solus uectatur in undabundo mari, spe salutis posita: modò per deserta, omnium inops, fugit equites tyranni: modò uincitur, & in tetrum barathrum conijcitur: aliàs ducitur ad supplicium: modò à turba ut insanus exsibilatur. Contrà alter somniat regna, honores, epulas, ludos, societates, uiridaria, arces, itinera iucunda, scorta, uxorem pulchram, filios, atq; ex una uoluptate in alteram transit. Quin etiam non contentus his humanis delicijs, fertur ad cœlum: uidet pulcherrima, gloriosa, & supra fidem. modò rapitur ad spectacula, ad musicorum egregiorum certamen, ad uireta, uenationesq;, aucupia, piscationes. Inde ambo simul expergiscuntur. quis tam stultus est, ut hunc felicem, illum alium infelicem esse dicat? At hoc (respondebis) somnium est breue, minus afficit, nihil ex illo alijs relinquitur: uita uerò sit longior cum uero rerum sensu, maioreq; uoluptate atq; dolore, ex qua dum eximus, remanent illa alijs: filij, affines, opes, non omnino ut in insomnio euanescunt. Nugaris. tempus hoc sex mensium felicitatis perpetuæ, primùm si quis rectè consideret, in quantacũq; uita lõga, nemo æquat. De sensu, curis, uoluptate, omnia in somnis maiora & sunt & uidentur quàm in uigilia. idq; etiam ratio suadet, cùm à sensibus tamen non distrahamur. At quod ad ueram uitam spectat, hoc est quod contendimus: uerùm interuallum inter futuram uitam & hanc longè maius est, quàm inter uigiliam & somnũ. Quæ uerò relinquuntur, si ad stultam spem referantur, aliquid sunt: atq; ob id magis dolendum quod relinquere cogamur. si ad ueram opinionem, si ad successus rerum respicimus, falsa imagine decipimur. Ita cuilibet fingere licet immortalem uitam, regnum immensum atq; pacatum: sed quæ nugæ? res moueri non possunt. ita statuere oportet de uita nostra, ut uerè sit somnium. At, ut dixi, si maius aliquid fuisset, eò rem meam euexeram, ut ex infelicissimo felicissimus dici possem: & ex pauperrimo, mea & filij opera ad duo millia coronatorum aureorum in singulos annos lucraremur: nullius ordinis homines, nulli principes nostris in manibus non essent. Viceram inuidiam, superaueram æmulationem, contuderam conspirationes, in intima penetraueram:

aperueram

aperueram uias, struxeram mihi aditum ad omnia & mihi & filio. Quin etiã Principum occasio externorum non magis quàm alij cuiquam defuit. Primùm quidem apud Dacorum regem, inde Gallorum, mox etiam ad Scotos uocatus fui. Narrabo autem historiam, quæ contigit anno M.D.LI.

Aegrotabat Ioannes Amulthon, è regia Scotorum stirpe, apud illos Pont. primarius, uir insignis fidei, eruditionis ac pietatis, liberalissimusq;, difficultate spirandi adeò graui, ut qui illum in ipso morbo uidissent, nec uitæ diem superesse existimarent. ille tamen toto decennio iam tantum morbum perferebat, quamuis in dies res laberetur in deterius: nec ullius insignis medici operam non tentauit. uerùm cùm & Regios et Cæsareos physicos expertus esset, tũ professores etiam artis illustriores, fortè fortuna amicus quidam illius, tum Guglielmus Casanatus illius medicus, in nostros libros de Subtilitate & de Sapientia inciderãt. quos cùm reuoluerẽt, inuenerunt me iactantem, quod phtisicos aliquos sanassem. Et certè paucissimos ex huiusmodi morbo curaueram, multos tamen simili affectu laborantes sanaueram. ita minimè mendaci uiro non parum profuit ea iactantia, prædicatioq; falsæ laudis meæ: namq; his atq; alijs argumentis incensi, suaserunt illi, ut postquam nullibi pateret spes salutis, ad extremam anchoram refugeret. Placuit conditio, missitq; ad nos primũ literas, aduocans Lugdunũ aut Lutetiã. Et quãquam priore in huius libri editione ipsius epistolæ exemplũ inscripserim, melius tamẽ existimaui, omissis superfluis, ne lectorẽ morarer, quod ad rẽ faciebat hic inserere: sed ita tamen, ut neq; sensus neq; uerba ipsa immutarentur. fuit ergo medici sui epistola hæc.

¶ Illustrissimus Pontifex urbis sancti Andreæ, & totius regni Antistes, ac Proregis frater, Mæcenasq; meus, cui à medicina iam quatuor annis sum, destillatione per circuitus, quãuis absq; febre, difficillima annis abhinc decẽ fermè detinetur: adeò ut nõ solũ celerẽ & frequentẽ faciat illi ad summum respirationem, uerùm cũ stercore graui & horrendo. Contracta fuit hæc dispositio ex lusu pilæ in sole, æstatis tempore. cũq; omnia tentarit, & res in dies labatur in deterius: monitus à me de tua singulari uirtute, eruditione, atq; in arte medica peritia, ad te tanquam ad Apollinem quendam confugit: ut non solum tuo consilio, sed etiam præsentia frui optet. Itaq; quantum temporis uiæ peragendæ uoles, quem comitatum, quos sumptus, ab eo qui has perfert accipies. quãobrẽ pro tua humanitate, proq; totius huius regni salute, cuius ille summus semper extitit defensor, ut ad nos te conferre nõ dedigneris oro, ipsum nõ solũ qui optimus est atq; liberalissimus, nosq; omnes tibi deuincturus, sed uniuersum regnum quod ex illius salute pendet: simul quoq; & gloriæ & rei tuæ nõ leue incrementum facturus. siquidem non quantũ petieris, sed quantum uoles

accipies. Delectabit interim te transitus ipse per Galliam, cognitioq; tot erudi torum uirorum Lutetiæ: qui antea scripta tua tam religiosè coluerunt, nunc teipsum amplexabuntur atq; admirabuntur. Quamobrem ne patiare nos aduentu tuo frustrari, uehementer rogamus, atq; etiam rogamus. Cætera, qui literas perfert, te docebit atq; præstabit. Vale, Edemburgi, IX. calendas Octobr. M.D.LI. Sed nos solum initio sequentis anni literas accepimus, propter impedimenta uiarum ex sæuissimis bellis inter Cæsarem regemq; Gallorum orta.

Iui itaq; Lugdunum: sed ibi non aderat princeps ille. decreueram interim me conferre Lutetiam, cùm inter ea superuenit medicus suus, qui literas scripserat, Casanatus, uir sanè doctus. ibi alia numerata pecunia, excusationeq; adiecta, cùm neq; Lugdunum neq; Lutetiam ipse princeps se contulisset, ab eo literas scriptas reddidit, omissis non necessarijs, in hunc modum.

Redditæ sunt nudiustertius medico nostro literæ tuæ, quib. opinionẽ nostram de tua uirtute & recondita eruditione æquasti: simulq; nos, ob id quod de aduẽtu tuo Lutetiam certiores feceris, spe adipiscendæ salutis per te uelut Aesculapium quendam, impleuisti. uerùm cùm antea uelut ille scripserat meo nomine, uenturũ pollicitus essem me Lugdunũ, aut Lutetiã saltem, difficillimis causis uictus uenire nõ potui. rogo itaq; pro tua singulari humanitate, postq; scripta tua cõditione uenisse te existimo Lutetiã usq; Scotiã etiã quacũq; uelis cõditione attingere nõ pigeat. fidem publicã, uiaticũ, comitatũ præstabit ipse medicus noster tui studiosissimus. q, si quid inter te & ipsum pactũ fuerit, fideiussorẽ dabit P. Franciscũ Restũ, aut aliũ quẽ uoles trapezitã. Hoc deniq; unũ tibi Cardane optime atq; eruditissime pollicebor recto pectore, nullam te temporis uel laborũ iacturã facturũ, nõ mediocre aũt facultatũ incrementũ, maximũ uerò gloriæ nominis atq; existimationis cõsequuturũ. Persuadeas tibi sanè uelim, me longè plura uelle & posse præstare, q̃ polliceri. quod hauddubiè, si nostra causa tantũ laboris susceperis, esse uerũ, ipsa experiẽtia deprehẽdes. Vale doctissime Cardane, laresq; nostros non usq; adeò fortasse ut putas Scythicos inuise. Edemburgi, Pridie Nonas Februarij, M.D.LII.

Persuasit, iuiq; cũ medico, alia accepta pecunia. spõsionẽ tũ feci nullã, nec accepi: sed Lutetiæ. quam ille lõgè liberalius expleuit, q̃ fuerat pollicitus medicus suus. uerũ et Chirographũ ego antea laceraui, indignũ nõ solũ putans, sed etiã stultũ, cũ principib. præsertim externis, pacisci, quos solus pudor & probitas ad standũ pactis cogere posint. Porrò de toto itinere ac reditu aliàs satis dictũ est. nũc sufficiat memorasse, q, cõueni Lutetiæ Syluiũ & Pharneliũ regios medicos, et magni nominis, qui ambo iã mortui sunt: mansi apud Scoticũ Põtificẽ dieb. 75. redij p Belgas, metu Britannicorũ latronũ. Sed ut postmodũ certior factus sum à Lutetiano præside Senatus Emaro Ranconeto, et nepote meo ex

patrue-

patruele Gaſpare Cardano, q illac me imperãte trãſierat, circiter 40 uiros nobiles adfuiſſe Lutetiæ q undequaq; ex tota Gallia illuc conuenerãt, quorũ magna pars è numero principũ erat, operientes aduentũ meũ, ut à morbis inuictis eòuſq; pſanarentur. è quib. ut manerẽ, unus ſolus mille coronatos numeraturus erat) tanto noſtri deſiderio, tanta fide gens illa in nos flagrabat. Cæterũ ut reuerſus ſum Mediolanum, literas accepi ab Archiepiſcopo eodem ſeu Pontifice primario Scotici regni, huiuſmodi:

¶ Gratias tibi ago Cardane amiciſſime, pro ſanitate mihi tua opera magna ex parte reſtituta, uiribusq; ipſis etiã auctis, imò uita quodãmodo recuperata. Omnia enim hæc cũ corpuſculo ipſo tibi accepta refero, cũ à tẽpore tuorũ medicamentorũ tanta arte atq; dexteritate præſcriptorũ, morbus ille adeò mihi infeſtus, & rarius et leuius multo me uexarit. Vt acceßiones ipſæ uix in duob. menſib. tametſi aliquando ſemel in mẽſe, ſed multo mitiores inuadãt, cũ antea ſingulis octo dieb. ſolerẽ acerbiſſimas experiri. Ingratitudinis uitio me inſimulari ingenuè fateor, ſi tantũ beneficiũ nõ ut par eſt recognoſcerẽ. Sed epiſtolã ad te uiuã mitto, Michaelẽ (ut ſcis) mihi è familiarib. præcipuũ, ut qui tecum agat, quæcũq; illi mandaui, ut intelligas te ipſo chariorẽ mihi eſſe neminẽ. Cæterũ Caſanatus ipſe abijt, uir omni laude dignus. Vale, ex noſtra metropolitana ſede ſancti Andreæ, Calen. Octob. 1554. Accepi aũt ab homine liberaliſſ. propè duo millia coronatorũ, præter munera pro eo itinere: longè plura acceppturus, ſi diutius (q. ille enixè rogabat) apud ipſum manere uoluißẽ. erat enim ſtipendiũ, præter oẽs impenſas, decem aureorũ coronatorum in ſingulos dies. Hoc aũt p ultimas literas agebat tacitè, et per nunciũ, ſi in ſpe pecuniæ ad illũ allicere potuiſſet. Ergo nõ defuit fortuna, ſed ego mihi ipſi potius. Splẽdidæ oblatæ ſunt occaſiones, ſed occaſionib. defui: nec nõ intellexi aut præuidi, ſed intellectis occurrere neſciui. plus fuit põderis, q̃ ferre poßẽ. Viuo tamẽ. At egregij illi, Syluius, Pharnelius, Braſauoluſq;, et Emarus Rãconetus, oẽs inter biẽnij fermè ſpaciũ piere. Omnib. ſunt aliqua aduerſa, et ſua parata infortunia, cladesq;: tãtoq; maior lapſus, quãto altiore ex loco ruina eſt. Erat Pharnelius uir proceræ ſtaturæ, macilẽtus, ætatẽ paulo maiorẽ 55 annis præferebat: itaq; tũ paulo me ſenior. Syluius aũt uir iucũdus ac facetus, ſeniculus, paruus, totus canus, prope (ut mihi uidebatur) 70 annũ. Braſauolũ, ut qui Ferrariẽſis eſſet, et Ferrariæ moraretur, nũquã uidi: ut neq; Veſaliũ, quanquã intimũ mihi amicũ. Cũ illo adhuc ſpirabat inimicitias Syluius, neſcio qua cauſa ortas. ſanè præferebat Galeni iniurias: poſtulabatq; iniquiſſimã rẽ, ut et ego illi eßẽ inimicus. Budæum, Eraſmum, Linacrum, Thomam Morum, Cornarium, tametſi floruerint me iam inter meos cognito, neq; cognoui, neq; ab illis ſum cognitus. Fuchſium non uidi: ab eo agnitus ſum, ut antea dixi. Andream Matthiolum

pro amico habeo, tametsi non est facie mihi agnitus. Iam uerò si quis spectet quàm misera est hæc nostra uita, & qualis finis tot laborum & inclytorum uirorum, cum Theophrasto queri meritò omnes studiosi de mortalium conditione posse uideantur. Misera sanè esset ipsa per se hominum natura, etiamsi nullis exterioribus incommodis urgeretur. nunc autem, ut uideo, nihil tam molestum est homini, quàm homo. Et cùm olim ciuitates conderentur cõmunis utilitatis causa, nunc ciuitas nulla dici potest. Vrbes multas in Italia uideo: ciuitates aut nullas, aut quàm pauciſſimas: quãdo ciuis ciui potius insidietur quàm auxilietur: coganturq; uiri boni & uirtute præstantes pro adulatoribus, pro ignauis, imperitis ac sceleratis laborare, atq; uitam terere. Dico bonos, rusticos, & artifices peritos, aut quicunq; doctrina & eruditione præstant. Ergo non mihi occasio defuit primarij semper loci & scribendo & profitendo, & apud principes ipsos, & in priuata uita artem exercendi. Addideram alia in editione exempla, quinquaginta ægrorum à me præter omniũ spem seruatorum, & (ut dici solet) ex orci faucibus ereptorum: tum prædictionum admirandarum. nunc uideo illis exemplis locum hic non esse: & ut qui alijs normam scribendi definierim, ipse longè lateq; à scopo aberrem. plurimũ enim differt sanatio ægrorum, à descriptione librorum à me compositorum, & ordinis eorum atq; utilitatis, tum tractationis. Cùm ergo omnis studiosi uita ac gloria quatuor his definiatur, exercitatione ipsa in ea arte quam profiteris, gratia principum, professione publica alios uoce docendo, aut ipsis scriptis: tria ex his & habui quantum mortali licet, & possedi: quartum, sicut licet principis aulam, sæpius in manibus habui, sæpius elabi sciui, quòd neq; mores neq; uirtus neq; institutum meum hæc paterentur. corrupti enim mores aularum, ad adulationes & alia peiora: & labor immensus sine fructu uirtutis, licet opibus utiles, & dolis agere contra eos quorum saluti præfecti sumus, quiq; quod uerè illis conducat non norunt, adeò me alienum ab eo cultu effecerunt, ut non tam uoluisse suscipere prouinciam uisus sim, quàm ei negocio minimè aptus. Sed credas, ut uis, & cum poeta dicas,

Non omnia possumus omnes:

palàm tamen est, cùm in his quæ susceperim, nulli (aliorum iudicio, & cõmunis consensus autoritate, & ipsa rerum experientia declarante) secundus euaserim: etiam in hac causa, si uoluissem, si placere potuisset, primas partes obtenturum. Sed dices: Cur non opes et amicos parasti, si tanta poteras, omissa nunc aula? Respondebo breuiter: Opes bene parare & iustè minimè licuisse, ob pauperiem summam, in qua reliquit me pater, & liberalitatem, uitæq; splendorem: tum etiam studia ipsa quib. ab his curis distrahebar ac distinebar.

malè

malè autem & iniustè, non uolui: maloq; perijsse filium inopia rei pecuniariæ, quem satis constat ob id perijsse decreto iudicum (sed, si oporteat, & meipsum, Socratis exemplo, eadem causa) quàm iniustè locupletatum euadere, me aut illum seruatum fuisse. Moriendum est semel, qualiscunq; mors obtigerit: mala solum est, quæ scelcratæ uitæ finem imponit: bona, quæ eripit hominem cum honestate ab iniurijs improborum. Intelligẽt autem homines paucos post annos, quid hæc mors attulerit incommodi patriæ, & quantum mali præsagierit. Vt enim, cum in prædicendo in arte medica me exercerem, legebam obiter libros Epidemiorum sine nomine, & neq; usq; ad finem: cõsiderabamq;, an possem diuinare exitum: atq; si diuinassem, intelligebam me aliquid in diuinãdo profecisse: si non, adhuc me uagari in incerto, inopemq; esse eorum quæ ad artem pertinent: atq; eò usq; non cessaui (quod & studiosis artis alijs pro exemplo propono, & ut facere non negligant consulo) donec omnium finem (ut contigit) præsagire possem: tuncq; me existimaui etiam de his quos tractabã, idem efficere posse. ita dum orationẽ pro P. Sestio legerem, intelligebam, etiamsi historiam nullam de Romanorum amissa libertate legissem, fieri non posse ut diu Romana libertas consisteret. Sed de his postea.

Nunc uerò quod proposuimus, prosequamur. Hic finis est huius libri, ut doceamus librorum nostrorum argumenta, rationem compositionis, ordinẽ ac utilitatem. atq; hæc principaliter, quæ quatuor sunt: præterea ex consequẽtia tempus, locum, causamq; scribendi: tum uerò, quæ ratio sit conscribendi libros, qui fructus conscribenti, quot modis errare contingat, quàm accepti fuerint libri, quæ passi impedimenta: qui præcelluerint in hoc munere: quot genera argumentorum, tractationum, & stylus quàm multiplex. Quæ uitiosa sint & ferantur, ut Ciceronis & Galeni: quæ uitio careant, nec tamen placeãt nisi paucis, ut Auicenna inter medicos, Archimedes inter Geometras. plurimorum quoq; monumenta clarorum uirorum, quæ neglecta exciderunt. Iam ergo ut de nostris laboribus agam, certum est & ad Indos penetrasse, & Constantinopoli legi, ut per orbem iam uniuersum qui totus nunc patet, uulgati sunt: quanquam sint minima pars meliorum, ut intelligere potuisti. quamobrem, ut dixi, non defuit genius. Sed Ciceronianum illud dicam: Quoniam id Fatum temporum etiam nostrorum est, ut illa ex uepretulis extracta nitedula nostra quoq; monumenta conaretur arrodere. Verùm ut quod aliquando cœpi absoluam, difficile est bene scribere, ut dixi, etiam scribendi rationem tenenti, propter dissidia & uaria studia: ut non possis placere, neq; speres omnino omnibus placere posse, cum multi non intelligant. ijs uerò qui non intelliguntur, placere minimè possunt. Ob id his occurres clarissimè scribendo. Ve-

rùm his quos uitia delectant, uelut barbaries, obscuritas, inæqualitas (hæc enim tria maximè uitia multis grata sunt: uelut & autoritatum multitudo, & græca miscere latinis) quomodo satisfacies, nisi nitorem omnem ex oratione sustuleris? Ambitiosi ergo græca & autoritates libẽter mistas uident, etiam non satis aptè, narrationi. Inæqualitas placet multis ob id, quod uideatur stylus magis se attollere. Quid mirum? nónne multos etiam, per colles ire magis delectat, quàm per plana: tametsi etiam fatigẽtur in illis, non autem in planitie? Barbaries placet ex consuetudine: adeò ut suam miseriam, causam esse uelint damnandi aliorũ felicitatẽ. hæc tamen magno cum labore iam mitescunt. Vt uerò auellantur, multis Syluijs indigemus, aut tribus saltem. nam ille Mesuẽ ex barbaro latinum fecit. Quod si qui Auerroem, B. Thomam & Scotũ (quorũ sensa profectò, necessaria uidentur studijs philosophiæ atq; Theologiæ) ad latinam linguam deduxerit (horum enim causa uiget controuersia, cum illi aridо & infelici seculo floruerint) subitò omnia pacata uidebuntur. id aũt cum consensu Pontificis, atq; considerate fieri debet.

In exponendis autem aliorum monumentis alia ratio seruanda est, quàm in nouis scribendis libris. scopus enim non parum euariat. Namq; in conscribendo libros scopus est, rei ueritas: in explicandis autem libris aliorum, autoris sententia. Eam igitur sic uenabimur, quod pauci facere norunt. Oportet autem egregium aliquem autorem exponendum suscipere: non uulgarem, cum quo simul expositio ipsa pessundetur. atq; eo sumpto, conare ut stylum, uoces sensusq; uocum tibi reddas quàm familiarissimas. inde uerò meditare argumentum rei, atque principium unum ex quo omnia deducuntur. Quod si inueneris, ordinem ex illo quære, ac ex ordine diuisionem. Sed si uni illi non omnia conueniant, scias te nondum mentem autoris assecutum. Reuertaris igitur tanquam diligens explorator, ad nodum illum quærendum, ex quo omnia pendent. quo inuento, ut dixi, quæres ordinem atque diuisionem totius operis, ac demum demonstrationes quibus ille innititur. ita autoris sententiã pulchrè explicabis, & ad normam si quando paululum declinabit reduces, ipsumq; à calumniatoribus tueri poteris. Quatuor igitur sunt munia boni expositoris: autoris mentem declarare, demonstrare quòd ita sit quòd dicitur, amplificare illius doctrinam, & tueri ipsum à calumniatoribus. Hæc fiunt, inuentis principiò ordine & diuisione. hæc inueniuntur, interpretatione uocum illi autori familiarium sub eo sensu quo ille accipere solet, natura ac genere orationis & styli: tertiò, ex comparatione partium totius operis inuicem, tum ad alia ab eo conscripta: demum ab ipsa rei natura, ac partium serie atque dispositione. Vt uerò omnia hæc inueneris, conare ut ad amussim totum opus in par-

tes

tes sensibus diuisis congruentes distinguatur.

Quod si quis in eodem genere iam tibi amicus scripserit, seu argumento nouo, seu exponendo aliena opera: ut nuper mihi contigit in Adriano Alemano, Lutetiano medico, qui commentaria quatuor in librum de Aere & aquis Hippocratis scripsit: & quamuis non è facie uel ulla alia causa notus mihi sit, cum tamen multa adducat ex nostris Commentarijs in secundum de Iudicijs astrorum librum Ptolemæi, non sine magna nostri laude (hoc enim maximum est quod cuiquam tribui posit, ut integræ pagellæ uel periodi ad uerbum transcribantur, illius non suppresso nomine) nos uerò cum antea multo quàm liber in manus nostras peruenerit, decreuissemus commentaria in totum Hippocratis uolumen conficere: non par est cupidis naturæ & probis obtrudere maiore conatu illorum lumen: multo minus illum librum ob id inexpositum relinquere, aut à tam utili prouincia exponendi totum Hippocratem, ob id solum quod ille partem unam exposuerit, desistere. Quid ergo in huiusmodi casibus agendum? Seneca docet in Epistola ad Lucilium, hortator illius: ut cum Naso & Maro ambo de Aethnæ miraculis scripsissent, ipse nihilominus præsens ipsi rei scriberet: esse certamen hoc ad gloriam, non ad impedimentum eorum qui antea bene scripserint. non defutura (inquit) argumenta scribentibus, nec in eodem argumento rationes uariandi: ut cum tu placeas, Maro uel Naso displiceat. Atque ob id dixi, multa esse scripta ad hanc diem, paucissimos libros: multas urbes, paucas ciuitates: multos in ciuitate homines, paucissimos ciues. ita timere nemo debet, ut scribendi ansa desit. placent libelli, quia magis elaborati & absoluti: placent libri, quoniam plura in his continentur, nec lector tantum in his fatigatur. Ergo ille scripsit pulchrè: nos aliam exponendi uiam stylum rationemq; tenebimus, nihil ab illo inuito subripiemus. Si quippiam erit, accipiemus ab illo, non subtrahemus, atq; in alium usum disponemus. ita nostra post illius scripta delectabunt legentes: & post nostra, ut sua uideant, desiderabunt. id uerò facere, & eruditi cum primis & prudentis uiri est, nec interea nimis seipsum amantis.

Vitia uerò effugere, etiamsi multis placeant, oportet. Nec immodicè te effe ras: sed tamen loci, temporis, ac regni ratio habenda est. Quatuor esse genera sapientiæ, totidemq; esse regna, in libris de Sapientia docuimus. Sed relicto illo quod ad improbitatẽ puram ac uanitatẽ pertinet, in quo uersantur latrones, lusores, chymistæ, deceptores, necromãtici, diuinatores per sortes, præstigiatores, fures, atq; huiusmodi, q stultitiæ turbã, non regnũ ullũ cõficiunt: tria reliqua ita hic disposita sunt, ut unum alijs parêre dedignetur: quanquam qui sapiunt,

puunt, & naturalia & humana diuinis parêre uelint, rursusq; naturalibus ipsis humana. Sed non de eo quod esse debet, sed quod in usu est, nunc sermonem instituimus. Est igitur regnum humanum potestate & sapientia constitutũ: nec Deos ueneratur aut curat, sed illis permittentibus sine ullo impedimento non secus decernit de his inferioribus, ac Deus ipse de cœlo suisq; uitis: & natura de maribus, montibus, imbribus, animaliumq; generatione: adeò ut hæc regna prorsus impermista uiderentur, aut saltem illis uisa sunt. neq; enim uisus est homo, qui supplicationibus exorans Deum, ab uxore abstinens, filium ex ea susceperit: aut regnum obtinuerit contrà armatum hostem, ipse inermis & sine milite sedens. At contrà uidemus, quotidie Deos execrantes, cum fœcundis uxoribus concumbendo filios & robustos & egregios suscipere: alios omnino impios, impijs cum militibus, sed bene armatis, per uim, cædes, dolos, sæuitiamq; execrabilem obtinere regna. quæ etsi postmodum corruant, non à Dei ira, sed nimia impotentia cadunt. atq; hæc ita se habere, persuasum est hominibus illis qui res publicas tractant. Nec solum his, sed & Hippocrates salutis spem totam in medico, non in Deo collocat, illum etiam Deo æqualem faciens: an uerò ita sit, non est (ut dixi) præsentis instituti hic disputare. Quod si religioni inherere uideantur, ea pietatis specie ad securitatem, non pietate usi sunt. Huius uerò exemplum (ut procul petitò argumento, nunc propius accedam) Romani præbuerunt: qui non solum omnem uim, omnem potestatem, omneq; robur & autoritatem imperandi, & uictorias, & administrationem, atq; ex eis felicitatem in armis & Rom. Pop. consensu posuernnt: sed supra modum inflati ac tumidi immodica hac persuasione, ea uerba proferebãt, quæ Turcas, & ipsos multarum prouinciarum dominos, & Scythicam plane ducentes originem pudet proferre: adeò ut quandoq; mecum reputem mores hominum, & falsas opiniones de illis. Romani, qui alios barbaros uocare solebant, legum conseruatores, ciuilium morum autores, philosophiæ & humaniorum ab ipsis literarum ob id dicti studiosi, adeò insolenter se gerunt, uoce inflationem spiritus, spectaculis immanitatem summam testantes: Turcæ barbari, à studijs alieni, moribus sordidi, legum haud professores, uerùm quasi cõtemptores, crudelitatis exemplis inferiores, insolentia uerò uerborum minimè Romanis comparandi. En uideas summi oratoris, toto spectante populo Romano uerba, mores illorum tanquam in pictura quadam explicantia: plena tumoris, plena insolentiæ? Hinc illud de Pompeio loquens, & Tigranæ Armeniorum rege: Insigne regium quod ille de suo capite abiecerat, reposuit: & imperatis certis rebus regnare iußit. Et rursus Antiochum illum magnum, maiores nostri magna belli contentione terra mariq; superatum, intra montem

Lib. de Arte et lib. de decenti ornatu, pag. 2.

Taurum

Taurum regnare iusserunt. Et rursus: Ille Cyprius miser, qui semper socius, semper amicus fuit, de quo nulla unquam suspicio durior aut ad Senatum aut ad Imperatores nostros allata est, uiuus (ut aiunt) est & uidens cum uictu ac uestitu suo publicatus. Hæc de regibus, ut de seruis loquebantur: Iussit, iusserunt, imperauit. minus superbè nos seruos & mendicos alloquimur, quàm illi facerent reges. Dij boni, quo fastu, qua uerborum insolentia, quàm inflati, turgidi ac uentosi homines erant. Idem uerò Cicero quàm prostitutus adulator in Pompeio: Non est passus ille uir, qui sceleratissimos ciues, qui acerrimos hostes, qui maximas nationes, qui reges, qui gentes feras atque inauditas, qui omnibus bellis terra mariq; compressis imperium Populi Romani, orbis terrarum terminis definisset. Quàm illud superbè de magistratibus: In consulum magistratus tutela reges atque exteræ nationes semper fuerunt. At de seipso intoleranda, fastidienda, ridicula, de exilio solum loquens: Cum meum illum casum, tam horribilem, tam grauem, tam repentinum non solum homines, sed tecta urbis ac templa lugerent, nemo uestrûm forum, nemo curiam, nemo lucem aspicere uellet. Quid, si sol ipse, quid si Deus etiam pareat, maius aut dici potest, aut excogitari: cum filius carbonarij, sola facundia immoderata præceps, hæc sibi tribuat? Sed ad homines conuersus, audite quid dicat Arpinates ciuis: Quem enim unquam Senatus ciuem, nisi me, nationibus commendauit? Cuius unquam propter salutem, nisi meam, Senatus publicè socijs populi R. gratias egit? de me uno patres conscripti decreuerunt, ut qui prouincias cum imperio obtinerent, qui Quæstores legatiq; essent, salutem & uitam meam custodirent. In mea una causa post Romam conditam factum est, ut literis consularibus ex S. C. cuncta ex Italia, omnes qui Rempub. saluam uellent, conuocarentur. quod nunquam Senatus in uniuersæ Reipub. periculo decreuit, id in unius mea salute conseruanda decernendum putauit. Quem curia magis requisiuit? quem forum luxit? quem æquè ipsa tribunalia desiderauerunt? omnia discessu meo deserta, horrida, muta, plena luctus & mœroris fuerunt. Quis est Italiæ locus, in quo non fixum sit in publicis monumentis studium salutis meæ, testimonium dignitatis? Nam quid ego de me diuina illa Senatusconsulta commemorem? uel quod in templo Iouis Optimi Maximi factum est, cum uir is qui tripartitas orbis terrarum oras atque regiones tribus triumphis adiunctas huic Imperio notauit, de scripto sententia dicta, mihi uni testimonium patriæ conseruatæ dedit. Quis hanc ferat insolentiam, aut stulticiam, aut potius insaniam? Quæ neque summis Imperatoribus, quæ uix dijs conueniunt, homini impuro,

& solis fallendi artibus instructo tribuemus? At ergo dices, Insectaris Ciceronem? clamabunt hic grammatici, rhetores, Iurisconsulti, & omnes qui politioribus literis operam dant. At non uident hæc dici posse insectandi causa Ciceronem ipsum, quod absit: is enim uiribus suis usus est ad tuendam dignitatem in humano regno: & ob uitium temporis, aut exemplum. At uitium id fuisse temporis, non negauerim. hominem sola dicendi ui præditũ, rapinis ac uitæ flagitijs nõ omnino immunẽ ad sidera extulisse, quid aliud fuit, quàm ætatis illius luxuriam, inertiam, improbitatẽ, summam licentiam, auaritiam, metumq; declarare? Itaque hac oratione quis meritò interpretari posset, me uitia illorum temporum ac Romanorum insectari uelle: sed quorsum? quid hoc ad propositum nostrum? Reliquum est igitur, ut hæc adiecerimus instituti huius causa, scilicet licere rhetorico quæ non licẽt philosopho: & tantum condonandum consuetudini, loco & tempori, ut quæ etiam ab alio ferri non possent pro Cicerone, stomachumq; mouerent, quæ insani essent defensoris, insolentis, amentis, quæq; exsibilarentur, tempora, locus, cõsuetudo tulit ut in gloriam Ciceronis cederent. Veruntamen huiusmodi exemplis non est inniten/dum in libris conscribendis, cum iudicium generale ac uerum, nõ præsentis solum temporis ac loci sit præponendum. Sed & tum illa adeò immoderata insolentia, et Græcis potius quàm Romanis digna, nec illi decora fuit, nec utilis: sed argumentum leuitatis hominis, ac summæ ambitionis, causaq; ruinæ Reipub. atq; ipsius. nam uitia contemptum pariunt, contemptus odium suscitat, et animum ad opprimendum auget.

Verùm illud obiter mihi occurrit dubitandum, cur adeò excellentes uiri magnis flagrent uitijs? & cur qui magnis flagrant uitijs, persæpe uirtute uel eruditione sint incomparabiles? Sufficiat solum accepisse sex exempla in hoc: C. Marij & L. Syllæ, Pompeij & Cæsaris, Demosthenis & Ciceronis. quorum uirtus tanta fuit, ut à nemine nisi altero posset superari. Marius non nisi à Sylla, contra cæteros inuictus: Pompeius non nisi à Cæsare: Demosthenes nullis succubuit inimicis, sed Macedonum armis: Cicero Antonij, alioqui Romanorum rex dicebatur. Verùm ille idem rapax, contumeliosus, seditiosus, ambitiosissimus: Demosthenes, ut uno uerbo dicam, patriæ proditor: Pompeius & Cæsar, libertatis euersores: Pompeius occultè, sed nulla ui adactus: Cæsar, callidior, atque ob id mitior, sed apertè patriam oppressit. Marius & Sylla, ut uno uerbo dicam, tyranni, atque crudelissimi tyranni. Itaque reor hoc fortunâ contingere, & naturâ ipsa, uel ui siderum, ut minimè existimemus hoc regnum humanum alijs legibus subijci: sed more Romanorum, quod Pop. Rom. &

S. san-

S. ſanxiſſet, id pro rato habendum, tanquàm à Deo ipſo ſancitum: nullam eſſe deorum in huiuſmodi curam. Hæc igitur uolui dixiſſe, ut homines intelligerent, me (quod huius non ſim opinionis, ſed ſciam horum curam eſſe Diis) maluiſſe carere amplis opibus atque amicis, quàm iniuſtè uiuendo, & impie de prouidentia Dei ſentiendo, ditari: quod tamen admodum mihi facilè interdum fuiſſet.

Diximus de ſumma pietate humana, quam Romanorum Reſpub. expreßit. nunc autem de Sapientia dicendum erit: quæ, ut dixi, etiam eò tendit, ut arcana adminiſtrationum publicarum regniq; intelligat: ſcilicet priuata conſilia, literas notis ſuppoſiticijs cõſcriptas, deniq; modum quo ad proditionem præfecti tribuni militesq; ſolicitãtur & inducuntur, impellũturq;: tum maximè, quod rariſſimè (mirumq; id) qui talia agunt deprehenduntur, uerùm potius qui prodere deſtinarunt & ſolicitati ſunt. Ergo hoc regnum eſt humanum, fraudibus, ui, rapinis doliſq;, ac omni ſcelere præter leges tectũ, aut ſupra leges, aut ſecũdum leges plenũ. cuius fructus ſunt diuitiæ, honores, potentia, exiſtimatio, magiſtratus, principum amicitia, tũ aliorum potentiorum multo frequentior, ultionis commodum, ambitio, diuitiarum uſus, ædes, famuli, equi, ſundi, pecuniæ, gemmæ, ueſtes, cibi delicatiores, cœnæ ſumptuoſæ, conuiuia, muſici, carmina in laudem, applauſus populi, adulatorum blanditiæ, horti, piſcatio, aucupium, uenatio, picturæ, ſtatuæ, antiqui operis numiſmata, & quicquid deliciarum eſt uſque ad pueros & formoſas mulieres: præterea quod maius eſt, licentia tam in libidinibus quàm in iniurijs, legumque contemptus, ac penè ſecura uita. Per hæc ergo ſi tranſire uoluiſſem, non periiſſet filius, non eſſem inops. Atque hæc uia minus ardua eſt, quàm quæ ad uirtutem aliáque regna deducit ſapientiæ. Qui uerò in eo humano regno plurimùm poſſunt, & ab alijs coluntur, alioſq; in officio retinent, hos Optimates uocant. Quanquam optimatem aliter definiat Cicero: ſcilicet uirum qui nec nocens ſit, nec natura improbus, nec furioſus, nec malis domeſticis impeditus. Sed hunc uirum ubi nam inueniemus? Dicet Cicero, longè latéque patêre hunc numerum hominum: enumeratq; conſiiij publici principes, & qui cum eis ſentiunt, aut coniuncti ſunt, & municipiorum incolæ & ruſtici, & artifices ac libertini. Hic non quæ ſenſit, ſed quæ uera eſſent explicuit: ſed ſatis ab uſu alieno nomine. non enim Optimatem ſolemus appellare hominem, niſi uirum opulentum, blandum, quietum, & erga plebeios quoq; humanum uerbis: ſed qui tamen cum alijs tyrannidem exerceat, horrea concludat, iudicia ad gratiam ac commodũ diſtorqueat, trahat atque exerceat. cuius indicium eſt, quod raro hoc nomine

in singulari numero utimur: sed Optimates dicimus, quasi unus esse non possit. & uerè. Nam optimates esse non possunt, nisi in paucorum commodum conspirauerint inter se. sed si conspirauerint, plures fuisse necesse est. Ergo arguis Ciceronem rursum de interpretatione nominis? Absit. non errauit, sed fallebat populum uolens ac sciens. hoc enim arcanum tegi uolunt, ut plebs ipsa non norit: & quibus artibus possunt, occultant: ui, dolo, minis, dissimulatione, pietatis religionisq; prætextu, uirtutis imagine, simulatis dissensionibus: quando aliter fieri non potest, ut unus commoda tenuiorum suscipiat aduersus alios defendenda. At nunc non tam apertè, quia opus non est, defenduntur Optimates: inutiles homines euehuntur, uirtute prædíti & eruditi premuntur: sed secretæ sufficiunt conspirationes, adeò ut neque liberum sit principibus bonis liberam uocem emittere, aut se eis opponere, adeò undiq; obsidentur.

Mihi uerò persuasum est, primùm rem non ita se habere, quod uideam humanum regnum naturali saltem indigere: bellica uirtute, nauigandi peritia, medicina, agricultura, alijsq; artibus, quarum peritia & exercitatio ad naturale regnum pertinet. Vnde ueriſimile est, nec hoc debere esse contentum, qui uniuersa inuicem colligauit: sed ut humanum naturali eget, ita utrumque diuino opus habere, & ab illo regi. Deinde quòd uiderem, huiusmodi hæc omnia non afferre solidam uel stabilem fœlicitatem, sed tumultuosam, mobilem, uanã et breuem. Demũ, nõ mihi persuasum est, Deum adeò hæc inferiora despicere, ut malis tot bona esse uelit, bonis tot mala. Hæc atq; huiusmodi cogitans, malui proferre omnia, quàm improbus esse: Et si mors (quæ acerbissima res est omnium) toleranda est æquo animo, quàm tot uiri fortes spõte petiuerunt, fœlices uenientem moderatè tulerunt, molles homines tum fœminæ ac pueri adeò leniter ferrent ut nec queri nec cõmoueri nec dolere nec metuere ullo modo uiderentur: cur est ut tot acceptis ego supra conditionem humanam à Genio, Deo imperante, beneficijs, desertor solus euadam? Quod si clientes & beneficijs affectos & domesticos & affines & amicos decet tyrannis esse fidos, eosq; in calamitatibus non deserere: cur ego modicæ gloriolæ cupiditate, breuis temporis uitæ usura, instabilium & paruarum opum præmio, inconstantium & uanarum blanditiarum delicijs, curiosa ambitione Principalis amicitiæ, semper grauis, sæpe damnosæ, nonnunquam & non parum periculosæ, perfuga esse debui ab optimo illo benefactore Deo Opt. Maximoq;? Dices: Omnia concedã, si ostẽderis hunc à Genio fauorẽ peculiarẽ, hãc prærogatiuam, hanc singularem electionem. Fingis hæc, ut quod stoliditate, desidia,

desidia, casu, uanam spem dum sequeris, tibi contigerunt. Verùm hoc peculiare donum non ob id quod sæpè seruatus sim imaginor. casu enim fieri potest: & multis etiam maiora contigerunt, cùm essent improbissimi: non ex somnis, quos fortasse cupiditas immortalitatis nominis, aut diurnæ cogitationes, aut ab ortu sidera constitutio reuoluentibus annis excitat: non eruditio, quæ studijs & diligentiæ & laboribus & naturæ & iudicio ob exercitationem, & uitæ diuturnitati (si qua illa est) tribui posset: sed ostentis uisisq;, quæ modum naturæ (ni fallor) humanæ excedunt, tribuo. De his ergo aliàs abundè, atq; nimis sæpè dictum est, adeò ut non paruæ esset turpitudinis hoc in proposito argumenti tam breuis denuò ac quasi extra propositum inserere.

Itaq; neq; mihi ob has causas multum timendum uereor: quanquam ea sim in patria, in qua semper timere coactus sim, iustis adeò causis, sine præsagio imminentis calamitatis, ut à præside Senatus (quod aliàs etiam dixi) petierim biennio antequam crudelem illam tulerit sententiam, ut mitteret me in exilium: satis causæ esse dicens, hanc causam, quod sine causa adeò sub illis esse timerem atq; uererer. Nunc uerò exonerata in filium tanta clade, & toties Fati monitu tectus atq; defensus, præterea iam anno abhinc (ni fallor) decimoseptimo, claro somnio certior factus, pereundum esse mihi in itinere Romam uersus, ibiq; à socijs qui iampridem obierant expectari: & quòd, ut modò res cedat, tam parum mali in morte esse cernam, quàm felicitatis in hac uita, mortem nõ horreo, neq; timeo: & multo minus in posterum cauendum ab alijs calamitatibus censeo. sed hunc laborem, hanc curam atq; solicitudinem his relinquamus, qui erga nos tam sæui, tamq; inexorabiles fuêre. Expleuerunt uotum, satiati sunt, animo satisfecerunt, afflixerunt (quod in illis fuit) patrem innocentem in misero filio, filium optimum & pijssimum in parente, rarum exemplũ aduersus clementiam regiam inuexerunt, gentis Hispanicæ ingratum factum declarunt. Ergo in posterum quiescere proposui, paucis contentus, & maximè familiaribus. nam horum turba grauis est, præsertim pauperi, & inutilis: eorũq; discessu ac mutatione domus conturbatur, & animus angitur. adeò ut defectus in omnibus plenus est, incommodis, ita copia & abundãtia perturbationibus & curis: ad tranquillitatem enim uitæ & felicitatem nil melius est, quàm assuescere paucis, contentum esse amicis domesticis: sed, ut dixi, maximè familiaribus: in his autem felicitatẽ constituere, quæ tibi eripi non possunt, et securè possidentur. hoc enim est fundamentum diuinæ felicitatis uitarum & mentium, meliorumq; substantiarũ, securè frui his quæ illis à Deo tribuuntur.

Cæterùm ut interim quæ proposuimus, ad finem deducamus: postquam librorum singulorum in suo genere utilitatem atq; usum explicauimus, reliquũ

est ut ipsarum disciplinarum atq; scientiarum laudes & utilitatem proponamus, ut norint mortales quantum illorum commodis atq; utilitati profuerimus. Scripsimus autē in multiplici genere (ut uidistis) Dialectica, Geometria, Arithmetica, Musica, Astrologia, atq; ea duplici, scilicet diuinatione, & quæ de moribus tractat: tum Optica, Metoposcopia, Agricultura, Architectonice, Geographia, Medicina, Philosophia naturali, aperta illa ab Aristotele tradita & recondita, et arcana quam Magiam nominant, Somniorum prædicendi arte, ratione gubernandæ Reipub. atq; suprema omnium Theologia ac morum institutione. Decem & octo sunt hæ præterea de Ludis ac Fabulis: ut sint omnes modi atq; argumenta in quibus scripsimus, cum his, uiginti. De omnib. igitur, præterquam de Geometria, dicendum erit. nam illius encomium iampridem factum, huic Operi attexuimus. Ergo omniū harum disciplinarum seu artium, quomodo malueris appellare duplex est commodum: unum quidem, sciendi atq; intelligendi, quo mens ipsa delectatur: alterum, qui quasi fructus est exercitationis, Vt autem in difficillimo genere id explicem, à Theologia, cuius solus usus in intellectu esse uidetur, exordiar.

Theologiæ itaq; contemplatio nimis ex se perpulchra est. quid enim pulchrius aut excellentius, quàm diuina, quàm immortalia, quàm beatissima scire atq; intelligere? quod si tam scire atq; intelligere liceret quàm hoc pulchrum esset, nullum studium huic comparari posset. Ipse uerò usus est duplex: gratias reddere ei cui maximè debemus, & animū beatū efficere. Quamobrem summū bonum in utroq; constitutum esse debet, & felicitas maxima illis quibus uti licet. Habet autem Theologia duodecim partes, quarum prima de Deo ipso, summo bono essentiaq; æterna et perfectissima, agit. atq; hæc pars tā difficilis est, & ardua & obscura, quàm uidetur plerisq; facilis. omnes enim quid sit Deus intelligere se putant, cum nihil minus. Secunda pars est de potestate, sapientia, amore, personisq; ac defluxu earum, tā certa philosophis quàm perspicua Theologis. neq; idem est in illis amor & sapientia ipsi bono, neq; aliquid diuersum. Tertia est de mentib. ordines uocāt Theologi separatarū substātiarū. hæ mediæ sunt inter finitum & infinitum. Porrò unaquæq; harum partiū duplicem habet usum, ut dixi, in generali consideratione & scientiæ & usus. uelluti scientia boni & principalis & pietatis & sapientiæ & amoris delectat et instruit animū: præterea reddit nos illi gratos, cuius beneficio sumus & uiuimus. Quarta est de uitis quæ cœlo adhærent, suntq; similes animab. nostris. Quinta de his quæ sunt extra mundum: quanquam omnes mentes & uitæ & diꝰ extra mūdum sint, ea ratione quod sint in seipsis, non in loco ullo, neq; intus neq; extra. Sed tamen quibusdam mundus aut mundi partes eis insunt, quibusdam

busdam non. Sexta est de mundi cœlorumq; ortu atq; productione, & regimine ab illis inferiorum corporum. Septima de futurorũ ordine, & successu causarum. hunc Fatum appellare solent. Octaua, de statu animarum nostrarum ab obitu. Nona, de his quæ naturæ sunt melioris, aut sublimioris. Decima, de his quæ ad animæ perfectionẽ & operationes in hac uita pertinent. Vndecima est De cultu Deorum, & ceremonijs quæ licent, non licent de, appellaturq; religio. Duodecima uerò est de generalib. ut ente, re, uno uero bono, atq; huiusmodi. Singulæ harum multas habent partes, capita, amplãq; tractationẽ: de quib. non est præsentis instituti agere. Verùm de prima principaliter, tum de omnib. quæ Deo propria sunt, scripsimus in Hymno. At de sequentib. quinq; à prima, egimus in libris de Aeternitatis arcanis: de septima, in libris de Fato: de octaua & nona, in Theonosto: de decima, in libro de Animi immortalitate. Vndecima non est præsentis considerationis: duodecimam relinquimus Aristoteli.

Dialecticæ contemplatio est utilis ad scientiam rectè inueniendi & demõstrandi: usus autem ad omnes disciplinas, & in omnibus disciplinis. Partes eius sunt decem: noticia nominũ, uis orationis, ac comparatio, Syllogismus, Syllogismus demonstratiuus & probabilis, declinatio deceptionis, seu cognitio elenclici, syllogismus seu ratio imperfecta, suppositio, inuentio medij. Et modus tradendæ ordinãdæq; doctrinæ, cognoscendiq; bene ac malè tradita. De septẽ primis partibus egit felicissimè Aristoteles, de octaua Paulus Venetus: de duabus ultimis, quæ maximæ sunt, tum septimæ nobiliore parte, nos in nostra Dialectica.

Arithmeticæ contemplatio subtilissima est, & per se felicissima, tum quia docemur cũcta esse miro quodã ordine & arcano connexa. Neq; enim credendum est illam connexionem esse fortuitam, sed umbram quandam uinculi diuini, quo cuncta inuicem colligata sunt certo ordine, mensura, tempore. ob id nõ tam temerè Pythagorici & Academici numeros constituerunt rerum principia: quos si non per calumniam Aristoteles noluisset interpretari, quis dubitat nõ aliud per hoc ænigma illos significasse, quàm numeros umbras esse eius ordinis quo Deus cuncta cõstituit, fecit & ordinauit? sed ordo ille in Deo quasi inuolutus est, & unũ quoddam, extrà autem multiplex. qui cùm sit infinitus undequaq;, quis nõ uidet infinitam primi boni esse naturã? Nam neq; numerus p se est, est enim accidẽs: neq; sui autor, Deus enim non est: nec ἀνθρωπάρ, neq; animæ nostræ figmẽtũ, sic enim falsus esset. natura igitur quædã p se infinita est, nec aliud q̃ umbra aut uestigiũ ordinis infiniti. Ecce q̃ paruo deprehendimus infinitã esse naturã. In illum igitur intuens animus noster, diuinitatẽ quasi è rimula inspicit. Vsus uerò duplex: acuere mirum in modum ingenium,

& soler-

& solertem efficere: alius est, ad rationes & mercaturam exercendam Partes eius sunt quatuor: numerus, pars, latus, & incognitum. Præter has sunt proportiones progressus, laterum extractiones, transmutationes, incrementa seu usuræ, inuentiones & iudicia. In principalioribus quatuor partibus solent exerceri quinq; opiniones, numerando, iungendo, detrahendo, multiplicando, & diuidendo. Partibus autem una peculiaris operatio inseruit, quam uocamus insitionem. Primam partem mirum in modum auximus & illustrauimus, tum secundam: reliquas nouem fermè totas inuenimus.

Musicæ contemplatio quid peculiare est, habetq; quasi medelam, usus scilicet moderationem, ac participationem. de hac tam bene Ptolemæus egit, ut non audeam me illi commiscere, nec de ea tractare. Vsus est, demulcere affectus, delectare animos, & lætitiam gignere. Partes eius sunt duæ: uocalis & instrumentalis. tria illius genera, Diatonicum, Chromaticum, et Enarnomicum. ut in totum sint sex genera: quorum singulum longè lateq; patet. Est etiam constructionis methodus, ut sint septem. Difficillimum est Enarmonicum. Instrumenta autem alia fistulosa, alia hydraulica: alia fidibus constant, alia tympano: ut sint quindecim potius quàm sex genera. Præter has etiam est Musica antiqua, & carminum cantus & modulatio, tum saltatio & choreæ: ut sint in uniuersum partes decem & octo. Maxima est hæc disciplina, & ingeniosissima, à paucis rudibusq; uiris (si qua alia) tractata. Egimus nos de uniuersis, ut etiam superius uisum est.

Optica, digna studijs, & Geometriæ similis, exacuit ingenium: usus est, mirabilium effectuum intellectus, & scientia efficiendi spectra. Partes illius sunt septem: lux simplex, lux mutata, radius transiens, radius collectus, radius reflexus à plano, conuexo atq; concauo. Nos peculiarem de ea, ut de reliquis, tractationem non fecimus: uerùm in libris de Subtilitate & Rerum uarietate præstantiora docuimus.

Astronomia, quæ de motibus agit imaginandi, super omnia exercet. Eadē nos in summi opificis contemplationem erigit, præsertim eos qui diuinæ maiestatis magnitudinem non animaduertunt: unusq; is usus. alter. scire ortus siderum, loca, magnitudines, coniunctiones, eclipses. Partes illius sunt quatuor: scire motus & proportiones ac consonantiam illorum, scire per tabulas quod uolumus inuenire, scire construere simulachrum orbium cum motibus, corporeum solidumq;, & in plano per foliata. De hac, ut quæ ex obseruationibus pendeat, parum tractauimus in libro cuius titulus est, Supplementum Ephemeridum.

Astrologiæ cōsideratio per se pulchra est, uinculum intelligere horum inferiorum

feriorum cũ superiorib. Vsus aũt, scire futura, & præcauere posse. Eius sunt partes nouem uide Generales constitutiones Mundi, quæ ex reuolutionibus inerrantium statis pendent temporibus: Propria prouincijs magnisq; regionibus, in quib. nihil ex terra obseruatur. Obseruationes ex initijs urbium ac regnorum, quamuis fallaces: Visionum in sublimi interpretatio, Constitutiones temporũ, Ortus & occasus siderum cum ueterum circuitu, Geneses, Processus & Reditus annui. Porrò de his omnibus egimus.

Geometriæ partes sunt nouem: De corporibus regularibus, Conis, Cylindris, Oualibus, Sphæræ mensura, Conoidalibus corporibus, Elicis lineis, Proportionibus, & bifariam motis. Octauam partem ego auxi non parum, Quartam & ultimam ego inueni & tradidi.

Naturalis cõiecturæ tres sunt partes: Metoposcopia ex fronte, Chiromãtia ex manibus, ex toto autem Physiognomia. Metoposcopiæ partes sunt tres: Figura frontis, lineæ, & totius faciei næui atq; uestigia. de quibus omnibus nos egimus: ipsa contemplatio maximè rationalis, iudicium postulans, & participationis dialecticarumq; regularum Ptolemæi usum exercens. Omnium diuinationum præstantißima est Physiognomia, adeò ut prudentum consilijs proximè accedat. Proxima illi Metoposcopia: inde quæ ex astris. post Chiromantia, pòst prodigiorum, sexta somniorum si ritè obseruentur. De tota arte Metoposcopiæ scripsimus. Architecturæ scientia iudicio et solertiæ cõmoda est, hominemq; ad inueniendũ & excogitandum comparationẽq; faciendã inducit, cogitq; sagacem esse. rationes perpulchras docet. Vsus perspicuus, cùm sit ars mechanica. Eius partes sunt quatuor: Aedificatio, Munitio, Aquarum deductio, & machinarum fabricatio. de quib. omnibus, licet non specialiter, in libris de Subtilitate, et de Varietate rerũ, tum etiã de Secretis abundè egimus.

Agriculturæ cognitio superior pars est naturalis philosophiæ, inferior mechanica prorsus est. ob id & contemplatio & usus perspicuus est, & omnib. notus. De ipsa egimus in triginta octo illis libris iam enarratis, in quibus de Naturali philosophia egimus. Verùm partes illius sunt decem et octo, singulæq; illarum longè lateq; patent. Harum prima est satio: quo tempore, qua terra, quidq; serendum sit, electio seminũ, quomodóue serantur, semine an surculo, an alio modo. Insitioq; ad hoc pertinet. Huic succedit cura, ut perueniãt, ut grandescant, ut sint tuta à temporum iniuria, & animalium. Tertia est obseruatio temporum atq; locorum, imbrium, & exortus siderum, quid sub unoquoq; facere conueniat & expediat. Quarta est collectio fructuum, seminum, quid agendum, quæ paranda antè, quomodo dignoscatur maturitas. Quinta est, usus fructuũ aut seminũ: in quo genere sunt uinum, sapa, omphacium,

cium, oleum, fraces, & huiusmodi, ut etiam aqua rosacea. Sexta est conseruatio tum horum, tum fructuum & seminum: ut pomorum, frumenti, ac talium. Septima est, cura agri, hyeme collectio lignorum, & eorum quæ ad usum præbet ager, præter fructus & semina: ut sarmentorum, atq; fungorum, tuberum. Octaua est, cura instrumentorum necessariorũ, falcium, securium, curruũ, plostrorũ, torcularis, cadorum, lacus uinarij, bidentis, rastri, sarculi, rutri, occæ, marræ, aliorumq; sine numero. Nona est, de cura uillici, & educatione, institutisq; ac cautionẽ ne decipiat. Decima est, de educatione & cura boum, anserum, gallinarũ, suũ, & huiusmodi. Vndecima est, de cura bombycum et apum, atq; talium, quorũ lucrũ nõ mediocre est, & ars educandi nõ uulgaris. Duodecima est piscinarum, cancrorũ, ranarum, testudinũ, cochlearum impinguandarum. Tertiadecima est animalium syluestrium, ceruorum, damarum, cuniculorum, quorum magna est copia & prouentus certis in locis, parum alioqui utilib. atq; in hoc etiã continetur cura pastorum, pecudes, capras, asinos, uaccasq; alentium, alibi & camelos, ut in calidis regionibus, & rangiferos in frigidis. Quartadecima est aucupij, uenationis, fallendi lupos, piscationis, rei lucrosæ & iucundæ. Quintadecima est hortorum peculiaris cultura, ducere riuos, areas diuidere. Hanc sequitur singularium plantarum studium ac cura: deinde nemorum & syluarum, res non minus utilis cæteris, & minoris impensæ, laboris atq; periculi: sub qua & continetur rizum, quod in paludibus solum feliciter prouenit: res tanto lucrosior, quanto locis inutilibus & abiectis nascitur. Vltima pars pertinet ad prata, atq; in ea continentur deliciæ & miracula agriculturæ, & remedia calamitatum.

Succedit Geographia, cuius contemplatio utilis est ad historiam, & scientiam rerum naturalium: usus uerò ad cognitionem itinerum, bellorum, morũ, gentium, potentiæ, regum. Habet autem partes principales nouem: scientiã magnitudinis, & situs locorum, ac formam cum qualitate: dispositionẽ ad fortunatas insulas, & ad meridiẽ seu æquinoctij circulũ: mores gentium, instituta reges, uires, res præcipuas quæ ibi nascuntur: specialem loci descriptionem, urbes, pagos, riuos, fontes, colles, atq; huiusmodi minutiora, historiam insigniũ bellorum, & origenis gentis: descriptionem orbis in plano, descriptionẽ eiusdem in sphæra, modum nauigandi. Hanc solum disciplinam ex omnibus relíquimus intactã, ob inconstantiã eorum quæ in illa traduntur: obiter tamen de eiusmodi, & maximè de generali ratione descriptionis attigimus uarijs in locis, & maximè in libris de Rerum uarietate.

Medicinæ partes decem sunt. primùm, quæ antecedit totam artem, corporũ humanorũ dissecandorũ noticia, inde artis principia, elementa, qualitates, humores,

humores, membra, operationes, facultates. tertia est, partium singularum usus & utilitas. quarta, morbi. inde causæ & signa. pòst cura: inde noticia simplicium medicamentorum, & uirium eorum: pòst, componendi ratio: demùm, eorum quæ proprietate naturæ agunt scientia. Ipsa per se scientia pars est naturalis philosophiæ, cuius contemplatio pulchra, opera & ordinem naturæ spectanti. Medicus non ut philosophus adeò considerat formam finem ue naturæ, sed ut cæteri artifices, cum formam & finem quasi præ oculis habeant, in efficiens & materiam magis oculos dirigit. Vsus autem, ut dixi, duplex est in huiusmodi: unus quidem in anima, alius in opere atq; extra animam. In anima quidem scientia est, & cognitio modi operandi: extrà autem, finis est sanitas. Est autem fructus in anima, alios scire dirigere quàm rectè operentur. De prima, quarta & quinta, & sexta atq; ultima, nos scripsimus. liber enim Experimentorũ ad ultimã partẽ totus pertinet. De cæteris Hippocrates & Galenus, qui etiã de omnib. scripsit partib. præterquam de ultima: aut si scripsit, ad nos non peruenit. De septima speciatim non scripsit. Nos præterea de omnib. scribimus, dum commentaria in totum Hippocratẽ conficimus. Contradictiones quoq; ad Scholia & Castigationes quasi pertinẽt. Philosophiæ studiũ ipsum per se pulchrũ est, & ad primæ uitæ noticiã nos perducit. fructus aũt est scientia rerũ naturaliũ, unde artes exoriũtur, impulsus per ignẽ & aquã, & machinarũ se exonerantiũ trahentiũq;, tũ noticia proprietatũ rerũ et causarũ: unde quæ miracula alijs uidẽtur, nobis et cur et quomodo se habeãt nota sunt. Habet septẽ partes principales. Prima est de principijs naturæ, materia, forma, loco, tẽpore, appetitu. q, nõ sit locus sine corpore, nec cũ duplici corpore. Secunda de simplicib. corporib. cœlo, terra, aere & aqua. Tertia de mistione et mistis. Quarta, de anima. Quinta, de plantis. Sexta, de animalib. Septima, de homine. Porrò secundã libenter ego diuiderẽ in duas, scilicet de cœlo & elementis: non solũ q, natura unius horũ multũ ab alterius natura differat, sed q, cœli nõ minus, imò multo magis inter se differãt q̃ elementa inter se: ut declaratũ est in Theonosto. uitæ enim illorũ et animæ cũ differũt specie, differũt et cœli. at nihil est in elemẽtis quod in aliud trãsmutari nõ queat. Et præter id eadẽ participãt materia et qualitatib. fluit enim tã aqua quàm aer, et utrunq; humidũ est. Sexta rursus in quinq; partes diuidi solet: in quadrupedia, aues, pisces, serpentes & animalia quæ parentib. carent. Præterea quædã pars cõmunis est omnib. animam habentibus ab anima separata: ut uita, ad quam consequuntur multa: ut in quibusdã respiratio, iuuentus & senectus: in omnib. generatio, somnus, uigilia atq; motus. Sensus enim animæ coniunctior esse uidetur. erunt igitur in uniuersum tredecim partes.

Magiæ uerò seu reconditæ philosophiæ partes erunt decem. Prima quidẽ, quæ ex rerum proprietatibus pendet, lapidum, animalium, plantarum. præeliguntur lapides, quod in illis uires sint efficaciores, nec tam citò senescant, nec moriantur, aut suffocentur, aut putrescant commodiusq; gestentur. Secunda uerò ortum habet à siderum influxu in initijs rerũ, ut imaginibus uel sationibus. Tertia est ex consensu operationũ uisionis & soni, & odorum occultorum, & saporũ, et inunctionum: sicut ex tactu serpentis horremus adeò, etiã si illum esse serpentẽ nesciamus. Quarta est ex proprietate inter homines & res, propter ortus. Quidam semper erit infelix in una urbe, domo, cum uno equo. hoc autem magis cum hominib. propter repugnantiam naturæ ab ipso ortu contractã: ut cum uxore, familiari, amicóue. Quidam felicius agunt cum quibusdam æmulis & inimicis, quàm domesticis et amicis: quãto magis si ijdẽ fuerint & amici, & genius tuus cum genio illius consenserit? Ego uerè fateor, aspectu huius Præsidis Senatus, tametsi antea neq; unquam mihi iratum expertus essem, nec misi beneficia ab illo accepissem, magis semper exhorrui, quàm duorum præcedentium qui mihi sæpius irati fuere. atq; id tantum in me potui t, ut solum illius causa aliò commigrare destinassem: sed occasio defuit. quæ utinam non defuisset: non enim perijsset filius meus. Hoc est quod petiui, ut me in exilium mitteret. Sentiebam, seu ex Genio mihi præfecto, seu quòd natura mea in extremitate humanæ substantiæ, conditionisq;, & in confinio immortalium posita esset, magnum mihi ab illo malum imminere, adeò ut aspectum illius formidarem, nomenq; horrerem: sed tamen genus mali non intelligebam: refugiebamq; ipsum quantum possem, nec ab ullo alio primate metuebam: quamuis non ignorem aliquos mihi magis infensos, sed hi sine isto hoc non poterant. Refugere igitur expedit huiusmodi homines. Quinta est, quæ pertinet ad auguria, prodigia, miracula, eorumq; significata. Vt enim subtexuntur communibus causis, alios effectus indicant. Vnde quinq; præsagiunt, quinq; nõ. tãq; errãt qui omnia contẽnunt, quàm qui obseruãt, aut nimiũ fidũt. Sexta est, ex animæ operatione, cũ à corpore quasi separata, & supra seipsam eleuata, ostendit uarias rerũ effigies, & pſæpè diuinat: animas quoq; inferiores cogit. Septima est ex homine toto, cũ afficitur aut perturbatur certis cibis, terræq; habitu, aquarũq; potu: incerta ui, certo effectu. Octaua est ex effectu genij, seu etiã melioris uitæ in nos, aut alterius cuiuspiam: idq; præsenti, q. maximũ est: aut per somniũ, q. leuissimũ, nõ tamnẽ contẽnendũ. aut per Ecstasim, q. mediũ est. Nona est euentuũ qui Fato aduenient, cuius sublata ratione ad magiam naturalem solum recursus relinquitur. Ad hoc genus ultimò reducũtur, quæcunq; obscuras habent causas in nobis, seu ex medicina,

seu ex

seu ex naturalibus effectibus: ut Engastrimythi, & qui quasi Dæmonem habere in corpore uidentur, ut Pater meus referebat, & Lucius Philalitheus philosophus. Sentiunt enim huiusmodi homines modò uentrem, modò digitum pedis dextri magnum, nullaq; interposita temporis mora minimũ sinistræ manus dolere, inflammari, titillare, inflari, prurire, atq; alia huiusmodi sæpe absq; causa manifesta. quæ omnia ad decimum genus magiæ referri possunt. Siç quidam haud insulsus, cum se reuolueret, magnam uitri confracti quantitatem resonare in uisceribus sentiebat: audiebant & alij. Est autem flatus genus ad libellam temperati: propterea non perpetuò sentiunt. De his igitur omnibus, in Naturalibus non solum, sed etiam Diuinis libris, & de Secretis locuti sumus. adeò ut quod ad historiam attinet (ne Plinij, aut Alberti, aut Cornelij Agrippæ, aut Agyrtarum fabulas commemorem) unus ego penè totam hanc artem inuenerim, non quidem speciatim singula experimenta commemorando, sed meo more generalia præcepta pro tota arte ac disciplina constituendo. Porrò alterius partis tractationem satis pulchrè absoluit Aristoteles. nos plura addidimus: & quæ deficere uidebantur, ut ueritas nobtior esse, suppleuimus: aliqua, in quibus nimis cupidè antiquos sectatus est, in melius commutantes. Vtilitas autem quæ ex magia habetur, quanta nulla alia. est enim artium ars suprema, & disciplinarum mortalium præstantißima: sed cui non sint falsa ulla experimenta immiscenda. ipsius uerò scientiæ sola cognitio ad diuina nos rapit, fructu non exiguo: sicut fabulosa ad impietatẽ, contemptum, deceptionem, paupertatemq;: uelut & chymica. scientia uerò per se sola nos exercet in profundißimis contemplationibus, causarumq; abditarum inuentionibus, iudicio pluſquam humano.

Somniorum prædicendi ars quatuor habet partes: generalem interpretandi rationem, modum in singulis, & significata propria, distinctionemq; specierum. Hoc enim somnium uni significabit opes, alij inimicos, alij interitum, alij liberationẽ. Generalis interpretandi ratio causam docet somniorũ cur hæc significent. De omnib. his nos tractauimus in libris de Sõnijs. Vtilitas est euidens, sed non adeò certa. Exercitatio mentis, in coniecturali genere.

Ratio gubernandæ Reipub. in libris de Arcanis æternitatis explicata est. Vsus priuato nullus, sed ut intelligat quæ aliter intelligere non posset: & quamuis pauper sit, non uideatur plebeius homo: hinc ad altiores gradus pateat ascensus, uitetq; pericula, non in simplicitate confisus, aut uirtute. Quod si fortuna eum altius extulerit, & gratiam principum fuerit consecutus, aut in Repub. locum, intelliget quibus modis retinere posßit dignitatem, aut rectè consulere Reipub. Plerisq; enim potentiorum & procerum persuasum est, non

posse regi Rempub. rectè: nisi dolo, ambitione, crudelitate, iniusticia, impietateq; regatur. Idq; non tam rei ipsius natura contingit, quàm ministrorum & dominantium ignorantia, desidia, auariciaq;. Dicetur autem de his pòst.

Nunc uerò ad diuisionem accedamus politicæ disciplinæ, cuius sunt partes quatuor: administratio popularis, optimatium, regia, & belli gerendi ratio. Adeò autem patent singulæ harum, ut sint penè infinitæ. Egimus, sed non ut oportuit, in tertio libro de Sapientia etiam. Cæterùm omnis hæc consideratio debet comparari ad seipsos, ut in unum coeant ad naturalem necessitatem, ut agri colantur, aer sit salubris: & ad externos, ut tuti sint ab hostibus. Aristoteles octo libros Politicorum in hoc argumẽto scripsit: sed minus tamẽ sufficienter quàm oportuit. Multominus Plato. non enim uisi sunt tenere ueram rationem gubernandæ Reipub. sed non mirum: nihil enim difficilius est, quàm concordiam retinere quòd, si homines sint militares, nolunt superioribus parêre: si enerues, exanimas Rempub. si infeliciter cedant bella, periculum est ab externis: si feliciter, quis insolentes comprimet? Si æqualitas est, parêre nolunt: si inæqualitas, oderunt quibus inuident. Paupertas despicitur, & ad bella gerenda impedita est: diuitiæ efficiunt luxũ. cõtingit hoc, ut reor, quoniã humanum regnum in præcipiti circulo perpetuò reuoluitur, nec stare potest.

Morum institutio, quod ad contemplationem attinet, pulchrum à diuinitate sumit exemplum: quod ad usum, nulla potest dari certa ratio, nisi in bene instituto regno aut Repub. Dixi enim quales sint qui imperant alijs. nihilominus quatuor præbet semper commoda, incõmodis malæ institutæ Reipub. potiora: assimilari diuinis, cõscientia bona apud se, honestis apud alios, & occasiones dãnorum euitare. Partes habet tres: cõparationẽ ad seipsum, oriturq; Ethica: ad domũ, domesticosue, fitq; œconomica: et ad amicos φιλικὴ. neq; hæc ad politicum pertinet, neq; intima magis est domus gubernatione. sed & de his scripsimus non solum in libris de Sapientia & Consolatione, sed longè locupletius in libris de Vtilitate capienda ex aduersis.

Supersunt fabulæ ac ludi, quarum inuentio delectat, cognitio ingeniũ exercet. Et quamuis ludorum essent multa genera, de illo solum egimus quod malũ exemplum non præbet. Sũt autem plura quàm quis reputet, de quibus in libris de Vtilitate capienda ex aduersis locuti sumus.

Fabularum autem quadruplex genus: simplex, & mystica, & parabola, et historica. Simplex est, cũ per ea quæ esse nõ possunt, aut absurda sunt, aliquid significamus: ut si statua loquatur, aut homo statuam alloquatur. Historica differt à parabola: non adornatur, & tota in significatum conuersa est: historica uerò, fabulam historiæ similem efficere nititur. Mystica autem, arca-

na continet, aut præsentia, aut etiam futura. Sed & de omnibus his egimus peculiari libro.

Iam ergo liquet, à nobis expleta esse omnia argumẽta disciplinarum, ut quæ defecerint restituerim: atq; ea ratione condidisse libros omnes, quibus quod deficeret in omnibus artibus supplerem: nec abundasse nimiũ nõ necessaria scribẽdo, nec defecisse necessaria omittẽdo. Verùm dices, quid ergo supereſt alijs? Eò tẽdebat oratio noſtra, ut tria hæc doceremus. primũ quidẽ, nos maximum emolumentum attulisse rei literariæ, omniũ principia inueniẽdo, quæ nondũ inuenta essent, atq; docendo: Secundũ, supereſſe tamẽ infinitã ad ſcribendum alijs materiam: Tertiũ, ſcripta ab alijs non obſtura noſtræ gloriæ, ſed profutura: nec noſtra uicißim illis futura impedimento, ſed auxilio, & ad ſcribendum facilius & ornatius, maioreq; cum arte: tum etiam ut ſcripta magis legantur, maioreq; cum autoritate. Vt ergo hæc ita ſe habere conſtet, undecim esse genera ſcribendi oportet ſcire: Traditionem ſeu Artem, Expoſitionem, Hiſtoriam, Poeſim, Laudationem ſeu uituperationem, Paraphraſim, Caſtigationem, Scholia, Dialogos, Epiſtolas, Fabulas. De tribus primis generibus iam ſuperius diximus: de quarto, Horatius in Poetica: de quinto, Cicero qui de his tam luculenter egerunt, ut non auſim ne uel uerbum quidem addere. legite Quintiliano. Nunc de alijs, quia neceſſarium eſſe exiſtimo, agamus. In paraphraſi, breuiter quæ dicta ſunt, clarè explicari ſolent. Caſtigantur errata uel autoris, uel librarij: uel quæ bona mente ſcripta ſunt, ſed non rectè ſignificata, aut uerbis minus conuenientibus. Dialogos omnes ſcribunt, putantq; licere, ut etiam epiſtolas medicãq; artẽ hoc uitioſo ſcribendi genere repleuerint. Quoties res obſcura eſt, difficilis, nec uno continuo dicendi genere poteſt narrari, ſed eſt implicata, reflexa in ſe, & quaſi circũuoluta, poſtulat dialogo explicari. Tum perſonarum, loci, temporisq; habenda eſt ratio: nec gloriæ cuiuſquam adeò addictũ eſſe oportet, ut argumento rei noceas. Nec ibi, quod multi ſtulti faciũt, te ſub alterius perſona laudes, arbitratus ab alio laudari. puerile admodum commentum. Scribũt dialogos, quia facilius eſt ſcribere: at non animaduertunt, non tam quærendum ut facilè, quàm ut benè et rectè ornateq; ſcribas. Solum ergo dialogi in his quæ ad mores pertinẽt, & ad Theologiam, inuentionemq; principiorum, ſermonẽq; familiarem ſpectant, decorem ſuum retinent: in docendo artes, minimè conueniunt. Neq; etiã in iſtis ſemper: ſed oportet non ocioſum eſſe, nõ uerboſum, nõ iniuſtæ cauſæ ſuentem, ut uincas, cum uinci te oporteat. Sed omnes pro uiribus admittãtur. Plato & Cicero præcellunt in hoc dicendi genere: ad quod, non ut alia fugerent, ſe contulerunt, ſed quia hoc præ cæteris præſtare exiſtimarunt.

Lucianus

Lucianus uerò hoc ipsum amplexus est, quoniam in nullo alio pollebat: quamobrem nec in hoc ipso præstitit quod debuit. Dialogorum duæ sunt species. una, in qua personæ nomen præponitur semper: ut apud Poetas, Comœdos, Tragœdosq;, Sophoclẽ, Euripidem, Aristophanem, Plautum, Terentium, Senecam: tum etiam apud Platonem & Lucianum. Aliud tanto elegantius, quanto difficilius, ubi per sermonem continuantur: ut apud Ciceronem in plerisque philosophiæ libris, quanquam in Tusculanis hunc rigorem non tenuerit.

Epistolarum etiam laxius genus, quod turpiter à culina (ut dici solet) in sacrarium transfertur. Epistolis enim narrari debent domestica facta, fortuiti casus, opiniones, uota & studia hominum, non scientiæ explicari. At scientias artesq; epistolis recondere uelle, est gemmam luto intrudere. Sed nec sic norunt decus scribendarum epistolarum, adeò ut Erasmus, qui leges huic negocio præscripsit, turpissimas ipse reliquerit. Ergo cum parua sit res epistola, & minimi artificij, eo cultior & sine menda omnino esse debet. Non sit ex argumento ficto, neq; toto, neq; in parte, sed uero. Vix licebit rectè epistolam texere, nisi res ipsa animum moueat. Nec uelis ex argumento paruo longam condere epistolam: ex longo licet magis contrahere. Sit clara, quantum cui scribitur necesse est. paulò enim obscurior, laudabilior est omnino eneruata. Breuitatem Symmachi effugias: non decet nisi eos qui imperant, cum ad subditos scribunt. Cum ad principes scribimus, sit breuissima, quantum potest esse ut sit clarissima: & clarissima, quantum potest esse ut sit breuissima. Longis nullus est locus, nisi in defensione causæ suæ, aut narratione facti quod ad eum spectat ad quem scribitur: uel cum iocosa est omnino, & qualiscunq; delectare potest: cumq; ad suos qui procul absunt scribitur: uel instruitur filius, ut Laurẽtij medices ad Ioannem qui postmodum summus Pontifex creatus est. Vtrumq; extremum, ubi suspicio cadere possit & prolixitatis & breuitatis, contemptum demonstrant. Disponatur series rei gestæ antequam epistola scribatur, ut uelut in pictura partes narrationis gestæ rei in omnibus & ordine, respondeant. Sic enim obscuritatem effugies, & repetitionem. Eligas argumentum nobile, nõ de quacunq; re cuiq; scribendum. & uerba splendida & culta: disponasq; sic, ut in sensu ob uerba nihil redundet, neq; deficiat. Vbi periculum sit ne non intelligaris, non pigeat addidisse uerbum, ut ambiguitatem tollas. melius est orationis gratiam uitiare, quàm sensum. Omnino caueas, ne non perplexum amicum reddas: nisi timeas, ne non in manus inimicorum incidat. Vbi breue sit nimis argumentum rei, & tamen scribere cogaris, ne uidearis breuitate amicum contemnere, non aliorum more addas uerba illa communia ut chartã impleas:

sed

ſed diuiſo argumento in partes, illas exornando ſine uitio mediocritatem imitaberis. In ſerijs, & maximè quæ ad illum pertinent, huius decoris ne ſis ſolicitus. In uniuerſum habenda eſt ratio argumenti, rei, perſonæ, & quàm illi ſis familiaris et amicus, loci, temporis, opportunitatisq;. Similiter & fabularum inuentio, narratioq;, quamuis leuiſſima res uideatur, non quemq; decet: ſed de his in proœmio diximus.

Cum ergo præter fabulas decem ſint modi ſcribendi, argumenta uerò præſtantiorum rerũ ac notabiliorum generalia centũ ſexaginta duo, fiẽt libri mille ſexcenti atq; uiginti. Fac ergo ut nos cũ antiquis ducẽtos ſcripſerimus, quot adhuc argumenta illibata manent? at quot hiſtoriæ ſub uno argumento continentur? quot membra propria in ſingulis generalibus. Dicam autem exemplũ, in Caſtigationibus Franciſci Maſſarij in nonũ Plinij librum, quas eruditus quiſq; libentiſſimè legat: at in quot libros tũ Plinij tũ aliorum ueterũ huiuſmodi labores iuſtè deſiderari poſſunt? Scholia ſimiliter, de quibus nõ diximus, quibus obſcura breuiſſimè declarãtur, ſupplent quæ deficiunt, corrigũt errata librariorũ, quis nõ libenter legat? qualia Gabrielis Humelbergi in Apitium. Quis ergo paraphraſim breuem in Galeni prolixitate refutet? quis in Hippocratis breuitatẽ cõmentaria? quis in utriſq; aut Caſtigatiões, aut Scholia? quin potius unum propter aliud legat, cõmentaria ut Hippocratem intelligat, Hippocratem propter commentaria, quia intelligere poſſe ſperat? non ne alteruter gloriæ alterius fauebit? eo igitur cõſilio tot et tanta ſcripſi, & ut alij ſcribant adhortor, docuiq; ſcribendi modum qualis eſſe debeat.

Cæterum, ut dixi, noſtra nõ obſtatura eſſe aliorũ laboribus, ſed magis profutura: ita maximè quoddã genus hominũ auerſari debemus, qui nos Ariſtotele & Galeno iubẽt eſſe cõtentos: totamq; machinã hanc, totq; arcana ſapientiæ duorum hominum, qui nec ſe totos ſtudijs diſciplinarum tradiderunt, arbitrio committũt. Rem ſanè intolerandam, et mortaliũ generi perniciosiſſimã. Finge primũ, neutrũ illorũ erraſſe in principijs: quandoquidẽ hoc tamẽ neceſſe ſit eo argumẽto quod alter alteri cõtradicat, q̃ parũ lõgè ab ipſis principijs proceſſerũt? perinde eſt igitur, ac ſi quis in Geometria iubeat nos conſiſtere in trianguli æquilateri cõſtructione, oĩa alia tũ problemata tũ theoremata negligat: quæ inſania, quæ furiæ ſunt hæ? Ariſtoteles tradidit philoſophiæ principia, et rectè: modò admittatur, in ipſis cõſiſtã? nõ curabo an alia ſint, quot & quãta ex his deduci queãt? Galenus ſcripſit Elemẽta Medicinæ: ego non plus procedã, omitto quod ſtultè acquieſcã? Sapientiã Dei infinitã, duorũ ambitioſorũ uirorũ ineptijs definiã? Ineptias nõ appello ad meã aut tuã doctrinã comparata, ſed ad Dei, ſed ad naturæ arcana. homines uelim admirari. tradiderũt

illi aliquot fundamẽta: sit ita, nõ ulla alia quærã? neq; de his, si satis firma sint? demũ ex omnibus qualẽ fructũ poßim colligere? Quid, quod turpius eſt, in e/iuſdẽ rei determinatione non pudet ſimul cõtrarias ſequi ſententias, easq; pro principijs habere? tanq; idem poßit eſſe & nõ eſſe, quod duo clari uiri diuerſa ſentiãt. O pluſquam improbã hominum uecordiã atq; pertinaciã? Quid hoc eſt? Quoniã magis diligũt exiſtimationẽ et pecuniolas, q; ueritatẽ: magis timẽt ſuperari, aut mutare ſententiã, quàm falſa credere & docere, et peſſũdare ſapientiã et mortaliũ cõmoda. Videas q; parũ doctrinæ hæ duæ, adeò cultæ, adeò ſplẽdidæ, cũ tot præmijs proſeſſorib. additis, creuerint: ne dicã imminutas! eſſe, ut illorum ætate ad hanc uſq;, quum Geometria & Aſtronomia, longè cõmodis humanis minus aptæ, nullis præmijs aut fauoribus principũ adiutæ, fermè ad culmẽ humani ingenij auctæ ſint. Quæ horũ cauſa? niſi peruicacia, pertinacia, impudentiaq; profeſſorũ et expoſitorũ, qui cũ duos homines, duos faciãt Deos, & uera & falſa ex æquo tuẽtur: & quæ ne ſomniarũt quidẽ, mordicus tenẽt illos dixiſſe: & in quibus erraſſe cõuincuntur, ipſa potius negare experimẽta, q; illorũ fateri ignorãtiam. Sic factum eſt, ut etiã in eiſdem hæreamus, in quibus etiã illorũ ætate homines hærebãt: nec tot annorum curſum quicquam profuiſſe putemus ad detegẽda naturæ arcana. ſic uix retinemus impreßionis et bellicarũ machinarũ et acus nauigãdi uſum: atq; id meritò, q; in homines philoſophiæ ignaros inciderũt. Nã exiſtimo, ſi cura etiã horũ cupiã philoſopho de mãdata eſſet, perdẽda potius fuiſſe, q; perdendã iniquũ dogma. At iſta ob eui dentẽ utilitatẽ, et maximã, ab idiotis ſeruata ſunt: quãta uerò perierũt ab his infidis Peripateticis? alia etiã Galenicis medicis cõmiſſa, quod nõ adeò utilia uſibus hominum uiderẽtur, nec cõmiſſa idiotarum cuſtodiæ. Adhuc diſceptãt, an neceſſe ſit ſemẽ fœminæ ad generationẽ cõcurrere. ita fit, ut neceſſe ſit ſemẽ fœminæ in generatiõe fœtus cõcurrere, & nõ ſit neceſſe. O pulchrũ dogma, et dignũ talibus autoribus, ac tãta ſapientia. at, Neſcimus, dicetis? neq; ergo pudeat dicere, Neſcimus. nõ ego Ariſtotelẽ et Galenũ deſpicio, ſed ſuſpicio: nolim tamẽ in eorũ inuẽtis, tãquã in Dei ſapiẽtia, in abſoluta rerũ cognitiõe quieſcere. nolim uos plus credere illorũ autoritati, q; experimẽtis. nolim magis fidere eorũ dictis, q; his quæ demõſtrationibus cõtraria eorũ ſentẽtiæ conuincuntur. Dabo exẽplum unũ fermè utriq; cõmune, ex 2. libro noſtro de Sanitate tuenda. Ariſtoteles oleũ, ſuccũ, uinũ, aquamq; cognouit: Galenus, præter id etiã ſucci alterius ſpeciẽ, quæ lacti ſimilis uidetur, tum muccoſum. Multa nugantur, nullus illorum rationem explicat, qua in re inter ſe differant, ita ut primũ quid unicuiq; ex his cõueniat, & cur quæq; inuicẽ eſſe poßint aut nõ poßint: uelut oleũ & uinum ſimul eſſe nõ poſſunt, uinũ & aqua poſſunt. inde inuẽtis prin/cipijs, qualia hæc ſint quæ proprietates tum in ipſis tum in comparatione ad

nos

nos exurgãt: cur uinum uuarum seruari posit, mororũ nõ posit. an uerò hæc toto genere differant, an iuxta perfectionẽ & imperfectionẽ: uelut uinum & omphaciũ, oleũ & muccosus succus? Hæc atq; huiusmodi scire, scire uerè est. Quæ nã scientia est, dicere horæos fructus corrũpi, qđ humida sint substãtia, aut febres generare? cur aqua, cũ sit humidior, febrẽ nõ generat quadruplo sub pondere epota: succus pomorũ facilè generat? cur cerasa celerius corrumpuntur ficubus, cum sint lõgè tamẽ duriora? Itaq; operã dare oportet, ut alia principia multo profundius recõdita inueniamus, et inuẽta ab his ad trutinã reuocemus. aliquot enim falsa sunt, plura malè intellecta, ea oĩa excolamus, ultraq; procedẽtes amplificemus disciplinas ipsas, atq; augeamus, quẽadmodum et Archimedes & Apollonius suã Geometriã. neq; enim paruum est quod adijci potest, sed ad millecuplum et ultra procedere poterit: adeò exigua est portio quæ inuẽta fuit ab his qui nõ artes ipsas iuuerũt, sed propriæ ambitioni cõsulẽtes, modũ quærẽtibus & inueniẽtibus imposuere. Nã & philosophia ante Aristotelẽ magnum et aßiduum suscipiebat incremẽtum, et medicina ante Galenum. post hos hoĩes cessarũt mortales ulterius quærere: nec tantũ profuere quæ illi addiderũt præter antiquos in his disciplinis, quãtũ nocuerũt plura bene inuẽta corrũpendo, q, suis illis principijs parũ (ut puto) cõgruerẽt, & posteros ab inuẽtione deterrẽdo. Cũ enim has artes ad normã quãdã, quã [illegible] uocãt, reuocaßẽt: pleriq; mortaliũ, quos facilitas et breuitas magis mouẽt q̃ locuples & profunda scientia, his contenti, alios deterruere ab ulteriori inquisitiõe atq; inuẽtione: existimãtes inuẽtionẽ primò dubiã. deinde etiãsi bene cederet, mortales eorũ lectionẽ, si traderẽtur, ob laboris tædiũ et iudiciũ anceps aspernaturos. nos uerò speramus ipsos pulchritudine rei motos, ac utilitatis spe euidẽti propositã, multo plura singulis in disciplinis adiecturos, q̃ quæ à nobis inuẽta repererint. Hoc. n. habet ueritas, ut detecta tãdẽ tẽporis auxilio emergat. falsis obrutis. Ob id conati sunt hi uiri multa supprimere, ne in infinitũ humana sciẽtia augeretur: plus ambitiõi propriæ cõsulẽtes, q̃ posterorũ utilitati. Causam huius erroris humanæ præbuere disciplinæ, cũ multi eo exẽplo ducãtur: nã in eis finis qdã uideatur impositus, uelut in Rhetorica. Sed res secus se habet. Etenim si Rhetoricã in infinitũ coneris extẽdere, nõ solũ nõ augebis, sed corrũpes quæ iã bene inuẽta sunt: et adeò difficilẽ reddes, ut nemo eã posit assecq; et illius usum etiã inutilem reddes: nã nemo tantã subtilitatem deprehendere poterit. Hoc autem continget, quoniam eius artis limites angusto spacio concludũtur. At in philosophia & medicina secus est. limites enim nullos penè habent, & spacijs rebusq; infinitis patent. Quamobrẽ dolosi sunt atq; improbißimi uiri, qui breuia sectantur, simulantq; ac persuadere conantur se paucis artem docere posse. necesse est plura didicisse, nõ pauca, qui plura scire uult: & plura

scire necesse est rursus in arte, qui uult ut decet opitulari languentibus. Quot amissa sunt circa artem curandi, quæ nota erant tempore Hippocratis? hæc fuit præclara illa doctrina Galeni, quæ nõ solũ bene inuentis quicquam nõ addidit, sed multa ac maximè necessaria inuenta ab Hippocrate prætermisit, quẽ admodũ dissectionẽ in empyemate, exustionẽ in tabificis, ustionẽ in iecoris tumoribus, perforationẽ cranei in aqua cerebri, extractionẽ lapidis renũ per sectionem, extractionem aquæ intercutis (quã licet exerceant hodie, non tamen ea est quæ Hippocratis tempore habebatur, cum omnes pereãt, olim multi seruarẽtur) sectionẽ supra oculum in suffusione: multaq; alia pulcherrima, et maximè necessaria. At nostri tẽporis uiri ex eodem in idem se reuoluẽtes, gloriantur de prudẽtia & sapiẽtia, qua miseros ægros qui se suæ fidei cõmittũt perimũt: atq; adeò turpiter, ut uix è pluribus unus aut alter, excarnificatus etiam euadat. Itaq; parum iam hæc gloriosa methodus ab illa antiqua, quã Galenus meritò insectatur, abest: adeò ut fermè præstiterit nõ esse, ut quæ imperfecta sit, et ansam his improbis præbeat fugiendorũ laborũ, spernẽdi sapientiã, contradicendi nouis utilibus inuentis, atq; (ut uno uerbo explicem) artes & disciplinas destruendi. Et cũ Galenum adeò & Aristotelẽ præferãt, nihil est in illis nõ maximè abiectorũ uita, studijs atq; præceptis alienũ. Falsi, imperiti, rudes, osores ueritatis, ambitiosi, auari, iniusti, crudeles, perfidi: ut quoties occurro his uiris (quotidie autẽ occurro) uel huiusmodi uirorũ fucatã lego aliquot paginis doctrinã hinc inde furto subreptã ac cõfarcinatã, suppresso etiã nomine eorũ à quibus subripuerint, libeat exclamare. O genus hominũ pessimum, cur nõ te iustius forsan terra absorbeat quàm Datã et Abiron? quõ audes in publicũ prodire, & tui meliores spernere ac irridere? cõscij uobis ipsis uestræ imperitiæ & scelerũ? Sed redeo unde digressus sum. Spero equidẽ, cũ tot aduersis etiam detectis nostra opera, tot rerũ principijs arcanisq; speciosis & humano generi utilib. eiectis his qui ad pulcherrima inuenta uiam obsepiũt, atq; aditum, uẽturos homines ueri amãtes, qui etiã naturalẽ scientiã amplificẽt, colãt, ornẽt, in immensumq; augeãt. cogantq; uel rerũ necessitate, uel edictis principũ, magis pluribus magisq; arduis & artificiosis methodis humanis cõmodis cõsulere. & ut nõ fraudare illos debita laude, qđ ad bonas artes nos adhortati sint, decet: ita nec omnia præter iustũ tribuere, qui plus sibi q̃ nobis cõsuluere.

Quod si cui inanes hi labores uideri possint, quòd scripta multis subijciantur casibus: non tamen metuendũ est ut libri pereant. Tria enim sunt quæ uecordiæ mortalium, perire sinentium bonas artes ac scripta, obstant: Rerum ipsarum inuentio, uelut medicina, quam necesse est cõstare scriptis, quòd ars sit necessaria: ideo culta, & longa, ob id ut sensim augeatur postulat: Religio,

ligio, quæ ceremonias scriptis mandari uult, ut conseruentur: Et principum studia, qui famam, gesta, uitam historijs consecrari cupiunt. his tribus tanquam principijs, res literaria constat.

Reliquum est, tandem ut doceamus, curam esse Deo horum mortalium, & cur & quomodo, quod ab initio polliciti sumus. Nam si Xenophon seruatus est à superstitiosis dijs, quanto magis & nos? Quod si regnum humanum sibi relinqueretur, deficeret mortalium genus. Sed cùm ad extremum peruentũ fuerit, dissoluta tyrannide, ut etiã Moses insinuat in inundatione orbis, redigitur humanum genus ad pauciſsimos. hi recuperata libertate, edocti prioribus malis, iustè uiuunt. At non decuit Deum uiolare regnum naturæ atq; humanũ, uim causis inferendo: quando tã facilè mutata opinione nostra, potest nos eripere ab hostibus uel inuitis, aut hæsitantibus obijcere. Postquam igitur hypomochlium (ut dici solet) manu retinet, id est animum, si illum circumagendo parum non uult nos eripere à malis, cur uis ut confusis omnium rerum ordinibus eripiat? Memini me, quod aliàs etiam narraui, cum in uia essem quæ ad Orientalem portam ducebat, nullo consilio, nulla causa ad aliam partem transisse uiæ, dicens mecum: Hoc uolo agere, cur id agam nescio. Cecidit interim à parte qua discesseram antè, quantum lata erat uia, tantum cementi, ut octo boues occidere potuisset, ab altißima fenestra, quæ prope tectum erat. Itaq; si Deus hoc paruo consilio me seruare potuit, cur erat ut me sineret procedere, & tanti ponderis postmodum ictum irritum faceret? Nihil uulgare agit Deus: sed tam paruo negocio nos & in foueam & regna deducit, & casura abducit. Principium enim omnium in nobis mens. Id ego non fortuna accidisse puto, quòd cùm à pueritia fermè quotidie ad hunc diẽ usq; sanitatem, sapientiã, & uitæ diuturnitatẽ petierim à Deo: sanitatem certò præter spem cõsecutus sum, de uitæ diuturnitate in magna spe sum, de Sapientia alij iudicabunt.

Regna igitur omnia, sed non ut remur, diuino subijciuntur, ut sine metu cuncta qui possunt agant: ipse uerò Deus, quem uelit, illis nescientibus eripiat.

EIVSDEM HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEdici libellus, de Curationibus & prædictionibus admirandis.



Vnc librum in Catalogum cæterorum non ſolum ob paruitatem aſcribere neglexi, ſed quòd antea pars fuerit libri de Libris proprijs. nunc poſtquam eam tractationem ab illa ſeiunxi, uiſum eſt, ut breuiter quæ mihi in arte contigerunt mira, enarrarem: Galeni exemplo, in libro de Prædictione ad Poſthumum fretus, imò illum potius imitatus. Cum ergo Mediolanum ſub finem anni 1534. redijſſem, inops & omnium egens, quò me fortuna compulerat: neq; enim ſolum in collegium receptus non eram, ſed etiam ab illis oppugnabar, grauiq; omnium (Fato quodam) inuidia laborabam: non amici, non res, non affines: ſed ab omnib. deſertus, illum Sinopenſem Diogenem imitari, imò potius referre uidebar: forte fortunà obtigit, quod Cauenagus ad curã Principis accerſitus, dimiſiſſet eos phratrios q Canonici uocãtur (ſunt aũt in eo genere monachorũ, nã et Monachi à quibuſdã appellantur, nobiliſſimi) atq; illi medicum quærerent: Franciſcuſq; Gadius tũ templi collegio præpoſitus, quadã antiqua familiaritate mihi notus eſſet, ſuadente etiã Cauenago ipſo,
1 me pro collegij illius medico eligeret. Ipſe autem loci antiſtes Gadius, tum iam biennio toto & atra bile morbo, & Græcorum lepra detinebatur: nec ullis auxilijs, quanquã à clariſſimis uiris curatus, leuari, nedũ ſanari potuerat. adeoq; eum morbum moleſtè ferebat, ut dicere ſoleret, malle ſe mori, quàm tam grauiter affligi. hortabaturq; me, ut etiã periculoſa tentarem remedia, quandoquidẽ ſecura nihil profeciſſent. Verùm felicior fui ego, quàm illi expediret. namq; ptiſanæ uſu aſſiduo, & carnium teſtudinum, leuiſſimis alioqui medicamentis, ſalis interdicta conſuetudine, eum ſex menſium ſpacio ita ab utraq; affectione curaui, ut nunquam poſtea nec atra bilis ex mœrore animi, nec ſcabies ex mora ſex annorum, quibus in Diomedea inſula captiuus ſuperuixit, redierint. Sed ut dixi, expediebat illi ut potius Themiſon aliquis fuiſſem, quàm Hippocrates. Septimo enim pòſt, aut ad ſummũ octauo anno, qui rex uocabatur apud ſuos, ab eiſdem captus, miſera multa primùm paſſus, & ſub terram uiuus defoſſus, ut crimina fateretur, tandẽ in uinculis in excelſo atq; edito loco animã reddidit.

Deinde cùm in urbe eſſet Branda Scotus, frater Octauiani illius amici noſtri, & ipſe mihi familiaris, deduxit me in uiã Sozzæ numeratæ. ubi ingreſſus
2 ſ l mi l erem natam circiter annos 30, quæ iam 13 (ut ipſa referebat) annis ſuper ca-

Atra bilis
Lepra

per cathedra sedebat, quoniam ulcus in crure sinistro patiebatur, quod etiam tabefactum erat, atq; debile adeò, ut nullo modo se sustinere posset. Eratq; in ea tabes alia quædam totius corporis, & dolores per circuitus eam uexabant, uocabatur Martha Motta, quæ etiam nunc uiuit: cum iam exacti sint anni plusquam 20, habitatq; extra portam orientalem, nunc marito coniuncta. Eã curare aggressus, biennij spacio sanaui. atq; in posterũ ambulauit: nuncq; crus elongatum est, non tamen adeò ut non claudicet aliquantulum: peperitq; filium, quamuis parum superuixerit. Dices, quomodo laborabat quadruplici morbo: corruptione, & retentione mensium, febre inordinata qua etiã corpus siccabatur, contractione neruorum & ulcere. Menses prolicere tam inueterato affectu non potui: sanguinem, fumaria, & lupo salictario, & aqua lactis, uictuq; humidiore meliorem effeci: ulcus ob id sponte sanatum est. neruum extendi in unctione pinguedinis asini, & fotu uinaciarum. Sensim curaui reparare, quod lõgo temporis cursu corruptum fuit, aut uitiatum, aut tabefactum.

Cæsarem Palauicinum, aliumq; nobilem ex oppido Gallarati, melancholia & comitiali morbo alternatim quorum unus iam quindecim diebus (cum febre, Palauicinus alter iã sex mensib. sed sine febre, uerũ cũ clamoribus) laborãtes, & frustra à medicis uexatos, somniferis lotionib. capitis, et solo potu pulueris chrysolithi ex uino, in 8 dierũ spacio sic liberaui, ut nunq̃ morb. redierit.

Ex tabe autem simplici innumeros sanaui: atq; inter reliquos, filios duos fabri lignarij qui apud portam Tonsam habitabat. Erat autem præter uictus moderatam rationem, ex pane cocto cum seminib. peponum contusis, ac colatis, aut ptisana, cochleis, cancris, testudinibus & potu uini albi, unicum hoc præsidium: Sanguinẽ suillum, et cochleas purgatas, et ranas cũ germinib. rubi in balneo Mariæ destillabã, & aquæ huius pro ætate quantitatem dabã, donec pingues efficerẽtur. Sic etiã sanaui filiũ Iacobi Mariæ Astolphi, tabellionis summæ fidei, amiciq; nostri.

At uerò ex pthoe exquisita non nisi unum seruasse me memini, Iulium Catium, institutorem iunioris ætatis Principis Mantuæ in humaniorib. literis. is perfectè sanatus est. Fuit autem cura longa & artificiosa. Et præter uictus rationem humectantẽ et exquisitã, lutiq; Samij (q, nunc uocant Armenũ) usum, aquæq; destillatæ per balneũ ex folijs aristolochiæ & cõsolidæ seu symphyticũ uinaciola & lichen, nõ satis memini an aliud addiderim præter rubi rosarũq; germina, aquas etiã calidas Veronensi ex agro Caldæræ uocatas exhibui. Ita seu diligentia, seu bona fortuna quadam et sua et mea usus, sanatus est. Nec ignoro nunc multa posse addi: aloes succum in destillatione, et galliopsis radices, & uulpis pulmones, & lutum armenum: quod & tunc addidimus.

Verùm

Verùm qui non curati sunt, sed diu protracta sit uita, plures fuere: Donatus Lansa, Hieronymus Tiboldus, & Franciscus Sextius, alijq; multi: sed horum trium, quorum & miraculum & exitus idem fermè fuit, historiam narrare decreui. Donatus itaq; Lansa pharmacopola erat eregionè templi Scalæ, uir probus, & Musicus: & ob id Leoni Ogiono Musico, & qui me ea in arte instruxerat, maximè notus. cùm hoc aliquando transibam ante tabernam Lanzæ: atq; ibidem paululum moratus cum Leone, uerba fortè fortunà de cura Pthoes habebam: ille autem ex taberna cuncta (ut postmodum intellexi) obseruabat, quæ dicebam. ubi sermonem absoluimus, rogat me ut paululum in taberna conquiescerem, auditurus quæ narraret. ibi omnia aperuit, & sanguinis sputum, & saniei, & febriculam, & extenuationem: rogat, ut si quid auxilij haberem, impertirer, haud ingratum futurum beneficij accepti. Itaq; copiosè de omnibus disserens, adeò illum iuui, ut se sanum apud omnes prædicaret: sputum tamen sanguinis non omnino cessauit. Hieronymus uerò Tiboldus mercator, ad tabem natus, macilentus & alatus iam pluribus mensibus iacuerat in lecto, & pro deplorato habebatur, quòd saniem hauddubiè multam quotidie expueret, & consumptus esset totus, nec cartilagines integræ illi erant. sed & hic reuixit, & impinguatus est, filiamq; ex uxore suscepit. Sextius autem, cum illi iam duo fratres ex eodem morbo perijssent, ad extremum consumptionis deductus erat: sed hunc non potui efficere unquam, ut febris putrida relinqueret. quamobrem uix tribus annis superuixit, & morbi ui absumptus est demum. reliqui longiori tempore, & non sine causa obiere. Lanza enim post quadriennium, dum prætoris familiam effugit, è fenestra saltu se deiecit. inde diu latuit in piscina: unde cùm nec sic nisi iam diu à febre correptus, sibi prospexisset, quadriennio pòst obijt. Tiboldus autem totus è pluuia madidus, noctem in alea consumpsit, unde cum febri correptus esset, nec ego adessem, diu atq; diu conflictatus, ac frustra nostrum implorans auxilium, qui tum Papiæ degebam, quinquennio postquam releuatus erat perijt. Verùm dices: Quibusnam remedijs leuati sunt? Hisdem quibus Catius sanatus est.

Sputũ sanguinis

Sed à sanguinis sputo, antequam prorsus tabescerent, multos curaui ac liberaui: Ambrosium Seronum, militem strenuum, cui haud dubiè uas in pulmone ex destillatione iam quatriduo disruptum erat: Aloysium quoq; Pusanium, tũ adolescentem, qui etiam nunc uiuit: & Cæsarem Bozium, cuius duo fratres proximis antè diebus eodem morbo absumpti fuerant. Cura fuit, qualis à Galeno describitur in Quinto Artis curatiuæ: hoc uno addito, quod super renes lintea madefacta in succo plantaginis imponebam. quo etiam auxilio curaui Ambrosium Castanum, uirum propè septuagenarium, qui libras sanguinis

supra

supra decem euomuerat: nuncq; etiam, cùm multi anni interiecti sint, uiuit.

Sanaui & neptem adolescentulam à Pontificis libellis, Datarium uocant, 8 Phthoe
Francisci Alciati, postquam uelut phthoe peßima laborantem ipse ego pro deplorata reliqueram. aderat febris uehemẽs, spirandi difficultas, maxima tußis, puris sputum copiosum. itaq; cùm cætera præsidia non ualerent, iußi ut sola ptisana pro cibo uteretur, aquaq; cũ saccharo confecta. acciperet autem singulo mane uncias quatuor decocti caudarum & chelarum cancrorum in aqua hordei, cum drachmis duabus sacchari. conualuitq; perfectè, & sanata est. hoc eodem auxilio multos admodum curaui, qui integræ sanitati restituti sunt. erat autem illa, filia unius qui ex phthoe uera obierat.

Ex peßimo autem empyemate, à medicis egregijs derelictum iuuenem, 9 Empyema
Adrianum Belgam, optimorum morum. nam neminem illo gratiorem expertus sum. Erat autem à libellis Don Alfonsi Pezoni, regij quæstoris. hunc itaq; febre, tußi aßidua, sputo saniei, difficultate spirandi laborantem, miris modis curare aggressus sum anno abhinc quarto: coactusq; sum sanguinem mittere, quod magis periculum, quàm etiam morbum uererer. inde testudinum usu, & syrupo etiam ex illis confecto, exquisitaq; uictus ratione: in qua alij medici non obseruanda peccauerant, carnes & oua concedentes. tandem eum liberaui sic, ut uxorem duxerit: & nunc etiam sanus, mei memor uiuat. Vsus autem sum in eo destillatis aquis, cuiusmodi supra docui: tum decocto ligni Indi, cum humectantibus & expectorantibus. melle siquidem, altheæ & symphyti radice, scabiosa, glyziriza, folijsq; longæ aristolochiæ.

Quæ uerò contigerint in hoc genere morbi in filijs Laurentij Gadij, 01
tempus est ut exponam. Hic tabellio est. Contigit autem anno, ni fallor, M. D. XLVI. ut duo filij morerentur ex simili fermè morbo. Ad tertium autem adolescentulum uocatus, qui & ipse eodem morbo laborare uidebatur iudicio parentum & domesticorum, cùm iam fluxu uentris & tußi & summa tabe detineretur, iudicaui celerrimè moriturum. Itaq; cùm alij quatuor filij & ipsi eodem morbo detineri uiderentur, territus pater, quasi de ueneno suspicabatur. At ego uerecundè petij, ut cùm mortuus esset qui iam grauiter laborabat, liceret corpus dissecare, ut alijs prospiceretur. Annuit pater, dissecuimusq;. Sed hac in cura & actione aderat Franciscus Peregus medicus. peracta est res: inueni in iecore pustulas sicut ciceris grana, candida, rotunda: in pulmone quoq; alias, & partẽ oblongam liuidã atq; fuscã. Ex quib. coniectura assecuti sumus, non esse uenenũ: curæq; modũ. Itaq; hac ratione seruati sunt omnes qui superstites erãt filij, & nunc etiã uiuunt. curatio aũt fuit cum refrigerantibus & humectantibus, & usu sacchari rosacei aßiduo.

In simili casu fuit filius legati Reguli Mantuæ, puellus decẽ circiter annorum: cui olim confracta caluaria, magnaq; parte ossis capitis extracta, destillatio & febris continua adeò urgebant illum, ut ego (quod esset illustris uiri filius) iussérim primos ciuitatis medicos aduocari. qui ubi superuenerunt, nullam spem superesse concludebãt. Itaq; hoc uidens, & solus in cura relictus, nouam curandi rationẽ inire cœpi: & humido uictu imperato, ab ouis & carne abstinens, melq; destillans, ac rorem Syriacum (quoniam & illud adiectũ erat incõmodi, ut medicamẽta omnia respueret) 40 dierũ spacio illũ plenè sanaui.

11

Virum quoq; illustrem Franciscum Inaram Hispanum, præfectum stipendijs bellicarũ machinarum, qui iam quinquennio perpetuo, magno patientiæ exẽplo non solũ morbum Indũ ptulerat, sed à diuersis medicis excarnificatus, et pecunia magna spoliatus (referũt enim, supra mille aureos coronatos in medicos cõsumpsisse) nihil iam reliqui habebat. Erat enim hecticus, duplici tertiana laborabat, ulcera in capite serpentia & insanabilia: nec ossa detraxisse profuerat. uigil, tabefactus totus, ac cũ gipseis tuberibus in cruribus uarijs doloribus cõflictatus, nihilominus unico præsidio uini Indici ligni, dieb. in octuaginta, in quib. totidem accepi coronatos, planè pleneq; liberaui, restituta carne, colore, uiribus, ut postea plures susceperit filios, & nunc beatus uiuat. Porrò Indici uini descriptio hæc fuit: Vmaciola optima, cortex eius ligni in puluerem redactus, cinanomum nostrum, garyophyli, lachryma abietis lota, rosmarinus, saluia, S. sampsuci, thlaspi, buglossa, borago, melissa, radix ænulæ, stœchas, betonica, camepythys, santhalum, sulphur non expertum ignem, senna, cyclamen, colocynthis, caphura, mel, serapium è fumaria, modò è succo, modò ex infuso cum rore, thus, elleborus, cardamomum maius, piper, eupatorium, xiloaloes. Prandebat passam uuam edens, cœnabat comedens elixum pullum & panem in iure intinctum, sumebat tum uuas passas. Verùm hæc multo pòst, scilicet post reditum è Scotia.

12 130

Ad temporis ordinem reuertor, cum in multos sola spirandi difficultate laborantes incidissem, omnes quidẽ sanaui, sed paucissimi permanserunt in ea sanitate. uerùm ubi reciderunt, mortui sunt. Inter quos fuere Iacobus Zampana sacerdos, et Prothasius Roellus. hi cum primùm ex eo morbo eò peruenissent, ut iam pollinctores & funus pararentur, reuixerunt, & plenè curati sunt. Sed Prothasius Roellus, cum fessus et inflãmatus ab exercitio, in templo Diuo Laurentio dicato diu quieuisset (est autem frigidissimum, etiam æstate media) correptus à febre, non potuit à me liberari: sed pulmonibus totis putrefactis, & per sputum reiectis, perijt breui. Zampana prandebat hora decimaoctaua: & cum bene perpotaret, ante uesperam cœnabat, cum tamen sexagesimum ex-

mum excessisset annum. ob id denuò reuertente morbo, non potuit amplius curari. Oportebat ergo per annum huiusmodi homines à morbis adeò sæuis liberatos, victu conualescentium regere, et sub arcta regula continere, tum maximè quod senes essent. Indicio est, quod Elisabeta Pagnana patricia, ex diuturna spirandi difficultate à me sanata, nunquam recidit. Curaui autem illos, victu tenui, usu mellis, & decocto ligni, cum his quæ cum lenitate quadam siccant: uelut isopo, thymoq;: nec brassicam in cibis abhorrerem. Clauenzanus autem adolescens, nomine Iacobus, qui iam per septem annos spirandi difficultate laborabat, frequentibus et longis sæuisq; accessionibus, desperatus ab alijs medicis, à me in duobus mensibus plenè sanatus est, factusq; pinguis: sed alia ratione: Dropace enim Pauli ad coxendicũ dolores, addito melle anacardi, superimposito suturæ coronali, una die fermè libras duas aquæ detraxi. inde sequentibus diebus idem actum est, sed non tanta defluxit aqua: sicq; liberatus est. Existimo cantharidas idem posse, quod anacardi mel & euforbium etiam. Miscebam etiam elaterij granum unum uncijs tribus lactis, iubebamq; eo tanquam errhino uti: & conduxit multum. atq; hæc omnia prius præpurgato corpore, cum catapotijs: siccatoq; victu tenui, sed humido tamen, parũq; olente, tum decocto Indici ligni pro potu exhibito. Periit hic iuuenis aliquot post annis, licet ab eo morbo prorsus liber ex acuta febre. Existimo eum indiguisse victus ratione certa, & exercitatione diuturna in libero aere: quod cerebrum ab immodica intemperie liberatum, non bene ferret tantam mutationem: tũ maximè, quod (ut dixi) iam diu ea detentus fuerat. Qua etiã ex causa Octauianus Robia, à Senatus libellis, ab Indica lue ad mortem oppressus, cũ summis uigilijs & tabe ultima maceratus, à cibis abhorrens, & febre putrida laborans, quamuis semel liberatus, quod à liberatione immodicè se fructibus horarijs repleuisset, quamuis ob iuuentutem non perierit, diu tamen cõflictatus est: & recidit in eosdem fèrè morbos, licet non adeò sæuos. Alij uerò, qui à lue Indica à me liberati sunt, sine numero sunt, & quotquot penè uoluerũt liberari: q; illos diligẽtius monuissem, in sanitate recuperata pmãserũt.

Donato aũt Lãzæ erat patruelis Simõ Lãza, qui cũ iã duob. penè mensib. renũ calculo laboraret, irritis auxilijs, iussi ut inuncta manu cũ oleo liliaceo, qs secũdũ ureteras eã deduceret, appositis etiã cucurbitulis supra natẽ lateris doloris: intraq; 3 horas lapidẽ satis magnũ, ut postmodũ apparuit, detrusit in uesicã. sequẽti die, uino è radice graminis epoto (q, etiã in antistite Phratriũ canonicorum, et Hieron. Gorla mercatore pannorũ prosuit) lapidẽ eiecit, et liberatus est. Idẽ anno sequẽti frigidus totus cũ esset, et sine pulsu, ex assumptione catapotiorũ pperã à medico magni tũ nominis, sed satis impito assũptorũ,

rursus ad uitam restitutus est, iuribus pullorum, abstinentia ab omni cibo, clysterijs leuibus pinguibusq;, & calefactione extremitatum.

15 Laborabat itaq; multum Donatus Lanza, & beneficio proprio, & experimentis in agnatum suum atq; alios, ut nomen meum omnibus innotesceret, & ut in ciuitate inclarescerem. itaq; cum relicta taberna pharmacorum in domum Francisci Sfondrati se contulisset, qui uir & senator erat, & secretioris consilij, & multis nominibus dignus: forte fortuna contigit ut per eosdem dies puellus, ni fallor, 17 natus menses, febre ægrotaret. aderat autem Lucas Cruceius, famosus medicus: dixeratq; non esse periculum. 13 die superueniente, comitiali morbo subitò correptus est. Aduocatur alius celebris medicus: hæret, & meritò. nam in decretorio die aduenerat, & à febre: eratq; admodum ualidus affectus. tum Donatus persuadet patri, uti me aduocet. ille ut uidebat periculi magnitudinem simul, & alterum medicorum deceptum, alterum hærere, misit statim ad me: non inueniunt. paulo pòst bona quadam fortuna rediens domum, intelligo me uocari. accedo ilico, non solum quòd uir illustris esset Sfondratus, sed quòd etiam de me benemeritus. ibi inuenio medicos: respicio puerulum, animaduerto contortum collum retro habere. dico coram omnibus, laborare alio morbo, etiã grauiore quàm comitiali. quærunt quo? respondeo, Opisthotono. Ad uocẽ insolitã omnes silent, conijciuntq; in me oculos. tũ Cruceius exponit, quid hoc nomine significetur. deinde rogant, quare id dixerim. tũ ego puerulũ attolli iubeo: uident retortum collum retro uelut arcum. nec hoc contentus, admoneo ut conẽtur dirigere. nihil proficitur. tum Cruceius, ut erat uir minimè malus, seu numine impellente, inquit: Ecce nõ est similis Hieronymo in dignoscendis morbis. Ad hæc uerba obstupuerunt omnes, ut qui scirent quanta apud medicos laborarẽ inuidia. Tũ pater: Est ne modò auxiliũ huic morbo? siluerũt socij. At ego, ne gloriam partam scientia artis, fortunæ arbitrio committerẽ, respondeo: me tentaturum omnia, nihil posse polliceri, q, morbus naturâ lethalis esset. Medici reliqui cõijciũt totũ onus in me, ne si puer interijsset, q, scirẽt notũ omnib. esse quàm mihi aduersarẽtur, ego in illos culpã reijcerẽ, postquã iã psuasum esset astantib. me solũ morbũ agnouisse. Hac igitur in parte fortunã propitiam habui, sanauiq; puerũ, et satis breui: qui nunc à dignitatis cuiusdã nomine Baro uocatur. Itaq; ex ea hora tantũ gloriæ mihi accreuit, ut si uel integro anno Sfondratus Mediolani mansisset, omnes ciues ad me cõfluxissent, atq; ita breui primũ locũ inter medicos nostræ urbis obtinuissem. Sed Deus q, me ad maius munus uocauerat, effecit, ut nõdũ expleto bimestri spacio Sfondratus abierit: et interim etiã mortuus est Donatus Lãza. Tãtũ tamẽ mihi profuit hoc factũ, ut nũquam deinceps coactus fuerim cogitare de moderãdo expẽsas,

sed ut

sed ut pro earũ magnitudine laborẽ augere uellẽ. Quæris, quomodo sanauerim trib. auxilijs: breuiter dicam: abstinentia à carnib. uino, et ouis: linteis in oleo camæmelino & liliaceo perpetuò impositis ceruici, partibusq; quæ contrahebantur: & medicamento quod constabat ex Mithridato, & triplo sacchari rosacei, & electuario de moscho, tum margaritis, Hyacinthis, Smaragdisq; orientalibus. id quadam bona fortuna apud me compositum erat. misscebatur serapium, ex citri seu mali medici succo.

Ex arthritide autem & articulorum morbis primum Io. Antonium Scazosum, Io. Baptistam Maresch alcum à Senatus libellis, et filiam Io. Angeli Litrati, tum alios innumeros. Sed iuuat horum trium insigniorum curam narrare. Laborabat ergo Io. Antonius Scazosus biennio arthritide, nil proficientibus medicis. quem ego exhibitione decocti ex ligno cum betonica, & catapotijs ex hermodactylis, curaui. At Io. Baptista Maresch alcus quatuor iam mensibus (eratq; mensis ille quo curare aggressus sum illum, Decembris) conflictabatur, præterea duabus febribus: una intermittente, altera continua: & quod omnium deterrimum fuit, cibum omnem auersabatur. et fermè immobilis cùm esset, meritò à medico suo uel pro insanabili habebatur: uel expectandum uer ad curam contẽdebat. ob idq; diffidebamus. Ego enim non existimaui hoc faciendum, quandoquidẽ affectæ particulæ in dies fiant imbecilliores. neq; enim in humano corpore quicquam quiescit: sed si non in melius proficiant, necesse ut in deterius prolabantur. Itaq; colocynthidã in melle coxi puro. mel autem odoratis mistum, uelut offam deuorandam dedi: decoctumq; interim ligni ex aqua propinans, ante finem hyemis perfectè sanaui, ut nunquã postea in eum morbum reciderit. & adhuc uiuit. Filia autem Angeli Linati iam biennio experta non solum omnes medicos, sed etiam circulatores, sumpserat uinum, aquam, unctiones et suffumigia ex cinnabari facticio, nec sanari poterat. Dolebãt ei crura, ac tremore uexabatur ita, ut totas noctes uigil perspè duceret, absq; spe ut par erat, tot frustra tentatis potentissimis auxilijs. Itaq; exhibito uino cũ optimo cortice, curãdã interim particulã ipsam suscepi. excogitatoq; præsidio, quod & causæ morbi et morbo aduersaretur, ipsum cõfirmaret mẽbrum, lachrymæ ligni magnam quantitatem excipi iussi: qua cum thure, ligno aloes, semine balsaminæ, styrace odorata, cortice citrij mistis, & sæpe cruribus eo suffumigio calefactis (aderat & lapis gagates copiosus) sanata est perfectè, conualuitq;. Liberaui etiam Petrum Antonium Besutium, iuxta ædem sacram Breram, nõ procul à Porta beatrice laborantẽ arthritide, essem penè auxilijs quibus etiam Scazosum, cum hi à medico suo omnibus in deterius labentibus destitutus esset.

16 Arthritis

17 Ex sciæ morbo, quẽ inexpugnabilẽ esse putant, multos liberaui, imò præter Aelium quotquot in manus meas uenerũt. atq; inter reliquos, uxorẽ Hannibalis Crucei, à Senatus libellis, amici nostri, uiri præterea eruditi, iacentẽ cum dolorib. intolerandis, et ea parte qua coxendix afficiebatur etiã immobilẽ iã per quatuor mẽses. tum mihi tẽpus anni æstiuum fuit. Aquã igitur ligni, multo admisto agarico, et multa radice pytiusæ, cũ gingebre, cinamomo, cardamomo, maiore pyretro, santhalisq; citrinis, saluia & rore marino exhibens: cum moderata, nõ exquisitißima uictus ratione, quam ferre non potuisset ob morbi longitudinem. demum, cum ex his coxendix nõ leuaretur, dropace Pauli imposito, perfectè eam paucis in diebus liberaui.

18 Quod uerò cõtigit de Gaspare Roulla (uix enim aliter scribi rectè potest, ut profertur) caupone triũ tibicinũ eregionè arcis nostræ Mediolani, adeò miraculo proximũ uisum est oĩbus, ut multi ad hũc uisendũ accurrerẽt. nã nulla uihumana sanari posse uidebatur, anteq; per nos sanatus sit. Sed libet narrare historiã. Iacebat iã per annũ integrũ cõtractus in lecto, sed supremis quinq; illius anni mẽsibus totus immobilis, nõ pedẽ, nõ caput aut brachiũ mouere poterat: neq; aliud quicquã præter dolorẽ enim ingentẽ, mẽbra ut lapis rigida obduruerãt. Et erat media hyems. cõstat hũc à me intra xl. dies plenè sanatũ, nõ admiratione, sed stupore maximo eorũ qui illũ uiderũt. Alij enim sideratũ, alij perculsum diuina ira, alij resolutũ, alij dæmone correptũ dicebãt, ita ut nõ deessent supplicatiões et execratiões. Hunc itaq; ita curauimus. Abstinuimus ab omnibus unctionibus, quorũ usu maximè, nõ rectè præpurgato corpore, in tã tam morbi magnitudinem deuenerat. Misimus ter sanguinẽ, quamuis maxima cum difficultate, quod brachia cõtracta essent, nec possent extẽdi. induruerat enim, ut dixi, uelut saxum aut lignum totus ceruix, crura, dorsum & brachia. Sed & dum curarem, sæpius de salute desperauit, adeò ut à cura me desistere uellet. primis enim uigintiquinq; diebus non alleuatus est uel minimum. Sanatus autem est cura Mareschalci: sed, ut dixi, ter misso sanguine, non solum ob morbi magnitudinem, sed etiam quòd ex uitæ ratione & ipso morbo coniectarer, totam sanguinis cõgeriem corruptam esse. Nec fefellit me ulla ex parte de hac re iudicium factum. siquidem totus qui exijt sanguis, putridus erat. Remansit tanti mali uestigium, collum obtorum: et nunc Alexandriæ etiam (ut audio) cauponam exercet.

19 Quinetiã ex podagra et Franciscũ Tagainũ sacerdotem, amicũ meũ, quam diu uixit (uixit autem senex) & meipsum, & alios omnes quotquot parẽre cõsilijs meis uoluerunt, in perpetuũ nullo negocio seruaui incolumes. Ea autem fuit ratio, ut mane solũ olus aliqd aut mel cũ pane ederẽt, exercerẽtur ieiuni,

&

& aluum mollem haberẽt: summoq; studio uitarẽt, ne absq; fame, aut cũ eruditate, aut nauseabundi cibũ sumerent, uterenturq; uino albo. Medicamentũ nostrum ad præseruandum recipit cuperosam, semen bassamine, asphaltum Iudaicum, & xiloaloen, aut cinamomum.

Sed & cæcitatẽ in nõ paucis sanaui, nondũ tamẽ confirmatã, ac præcipuè 20 in illustri antistite Bonromeo: quẽ cũ nõ tam morbus quàm medici excæcaßẽt, curantes oculũ qui nullo morbo laborabat, purgãtesq; iã debilitatũ, eôdẽ processerũt, ut nõ solũ nõ sanauerint, sed in deterius deduxerint hominẽ. Erãt autem eius temporis primarij omnes: sed in medendo parum, ut etiã reliqui, prospicientes. Forsan id mirum uideri potest: at non est: nam difficillimum est in regno humano plurimum habere autoritatis, & in naturæ regno multum posse. Et rursus impoßibile prorsus, in humano atq; diuino. Nõ eadẽ placent Deo, quæ hominib. nec quæ hominib. aduersantur, deo rursus grata sunt. in eo dẽ. n. genere sunt & quæ placẽt, & quibus homines offendimus. Cõspiratiões, doli, iniuriæ, authorib. ac socijs malorũ placẽt, Deo displicẽt: his qui uexãtur, et patiũtur. Deliciæ aũt, inertia, luxus, nobis placẽt, Deo displicẽt, et si nõ offendãtur hoẽs. Verùm modũ quo sanauerim, seu potius iuuerim, nũc dicã. Iußi ut abstineret à medicamẽtis oĩbus purgãtibus, ut uteretur fœniculo et euphragia, cõspicilia etiã perpetuò gereret. à quibus dũ ferret, ita leuabatur, ut sine impedimento interim cerneret: sed & in posterum absq; illis melius uidebat. Hic postmodum fungis malis deuoratus, cum ego non adessem, perijt. Leonem Ogionum, cum diu conflictatus esset oculorum morbo, medicamẽto ad parotidas ex cantharidibus appositio, statim multa aquæ defluente liberauimus. indicium curæ fuit, alijs præsidijs non potuisse sanari. A' cæcitate etiam, ligni Indi decocto, eruditionis nõ uulgaris amicum uindicauimus, Io. Antoniũ Comitẽ, cum aliquot mensibus parum aut nihil uideret.

Sed & eundẽ Ogionũ anno præterito ex febre singultuosa, quã alias tantũ 21 semel uiderã, sanaui, dũ iã excederet annũ octuagesimũ. Exhibui absinthiũ, & oleũ amygdalinũ, & oxymel aßiduè. Extra uerò absinthij succum, cum oleo amygdalino dulci. existimaui, ut par erat, membra esse sicca: manum quæ in illis continebatur, lentã. Alius itẽ seruatus est, quem uidisse dixi: sed ille iuuenis erat: ut quod maximum esse antea putaueram, non esset formidandum. Verùm multum interest, quòd singultus cum febre uel antea adueniat, uel pòst. Agnetem quoque Claudij Galli (qui solus ex ea gente in nostra ciuitate mercator supereſt) iam nouem mensibus continua febre laborantem, postquam extremam sumpsisset unctionẽ, sanaui: quanquã sæpe uir suus Vale mihi diceret, non posse id fieri ratus. Habitabat tum in uia quæ à templo magno ducit

ad

ad Bouleuterium uetus, & nunc quoq; tabernam mercium ibi habet. Simili miraculo sanaui Iuliam Rotoram, uxorẽ Io. Baptistæ mercatoris insignis, laborantem febre continua cum tumore & dolore in hypochondrio dextro: tussi quoq; & spirandi difficultate adeò magnis & assiduis & confirmatis, ut uix uno aut duobus diebus superesse posse existimaretur. Ergo diæta exquisita robustior facta, et rursus misso sanguine, & ubi remisit febris decocto propinato ex ligno Indico, conualuit, & nunc etiam uiuit: quam tamen repetentibus febribus, uix post triennium in columem præstiti.

vertigo

22 Clementem pocillatorem illustris Principis Bentiuolæ iam non audentem progredi ob uertiginem sæuam, qua incertis horis, sed assiduè corripiebatur, aquæ decoctæ cum ligno Indico, et corticis eiusdem dimidio, tum agarico, stœchade, saluia, betonica, seseli, semine leuistico, rosmarinoq; sanaui. nec in posterum eiusmodi symptomate correptus est. Reddidit hic mihi gratias ingentes.

Dolor capitis

Dolorem capitis quoq; annorum uigintiseptem, in Franciſco de Puteis, sacerdote D. Nazarij, mitigaui: cum alij non potuissent. plurimùm ualuit, à pinguibus omnibus, & ualidis ab Hippocrate nutrimentis uocatis, abstinuisse.

delyrium

23 Martiano mercatori duo filij ægrotabant, quorum natu maior annos natus (ni fallor) octo, post delyrium, sensum & uocem amisit. aderatq; febris & urina aquosa, & uires imbecilles. minor natu cò tendebat, sed nondum tanta morbi magnitudine correptus erat: nam natu maior iam decem dies in amẽtia degerat. Intellexi abscessum esse in capite ex genere catalepsis, cum detinentur sensus atq; motus, proximo affectu sideratorum. Verùm utrunq; sanaui: facilè quidem, ut par erat, natu minorem, difficulter autem maiorem. Summa curationis, quandoquidẽ aliter parum proficere poteram, in cucurbitularũ sine sanguinis detractione assiduo usu fuit, & ciborum abstinentia ac somno: cum alij pessimo argumento & nutrirent abundè, & uigilias imperarent, Galenũ & Auicennam de grauis soporis cura perperam interpretantes.

quartana

24 A quartana etiam non paucos, sed inter alios filium Bartolomei Cressi Pistoriensis ciuis, cum iam septem mensibus, eaq; duplici detineretur, incredibili celeritate: ut etiam uxorem eius, matrẽq;, quartana laborãtes, ex diarrhœa totidem mensium: ambo enim in lecto iacebant. Cura fuit, uomitibus, abstinẽtia cibi in diebus accessionis, purgatione cum pharmaco Amechio, inunctione dorsi hora frigoris ex oleo de scorpionibus, & pinguedine anseris, & gentianæ succo. Alios uerò curaui succo radicum uerbasci, in potu dato.

vteri dolor ab humor

25 Exuteri antiquis doloribus curaui uxorem pharmacopolæ trium regum: quæ postmodum erga me tãti beneficij memor, semper grata fuit. uiuit adhuc,

cum

cum iam à curatiõe anni circiter uigintiquinq; præterierint. Sũma curæ fuit, purgato corpore cum his catapotijs. Recipe corticum caßiæ nigræ, caſſiæ odoratæ, cinamomi, corticum citri, betonicæ, radicum pytyuſæ, zedoariæ, galangæ, & triferæ magnæ appellatæ. Inungebam locum aßiduè ex oleo de lino, liliaceoq́; atq; ita conualuit.

Dolorem diuturnum inexpugnabilem circa præcordiũ dextrũ, cũ uomitu biliosorũ & crudorũ, à Cauenago & Candiano tũ celebribus medicis fruſtra tentatũ, in Octauiano Mariano patricio uiro, redeuntẽq́; per circuitus, ego ſolus tandẽ curaui: ſed maximè prãdij cõſuetudine ſublata: inde miſſo ſanguine, purgato corpore, decoctoq́; ligni ſancti exhibito. Sed uix intra duorum annorum, ni fallor, ſpaciũ: cum morbus ipſe ſæpe iam abijſſe, & hominem reliquiſſe uiſus, rediret. iniunxi et, ut à crudis abſtineret, & puluinaribus uentriculũ & præcordia foueret. 26

Porrò ex urinæ profluuio primũ meipſum, et filiã Paluicinæ adoleſcentẽ, et quotquot in manus uenerũt curaui, cum in aliorum manibus omnes perierint, quãuis primarij medici illi exiſtimarẽtur. Cũ uerò quendã corã aliquibus illorũ una fermè die ſanaſſem, qui iam penè per mẽſem curatus nõ ſolũ nihil profecerat, ſed penè interierat, admirabãtur: cũ tamẽ res non eſſet admiratione digna. Abſtinebam à purgãtibus medicamẽtis, illi dabãt: abſtinebã à pinguibus, illi ad eorum uſum hortabãtur: dabã uuas paſſas, admittebãt: lentes nõ admittebãt, niſi inuiti: calidis utebar, illi frigidis: renibus aſtringẽtia imponebam, illi uerebãtur ne concluſa ui aqua redundaret ad uiſcera principaliora. Plumã detrahebam, huius nõ meminerãt. lauabam ſæpè pedes, & hoc negligebãt. Vinum dabam album, id iure non conuenire dicũt. prohibebam à cibo exercitationem, ſomnum iniungebam. Hæc duo ſolũ cum illis fuere communia præcepta. Cæterùm poſt hæc inueni, ad huiuſmodi affectũ auxiliũ præſtantißimũ, quod in librũ de Secretis retuli. Liberaui et Antoniũ de Caio, in domo Io. Antonij Maioragij, laborantem ex caſu ab equo ſanguinis mictu. hoc non inter admiranda recenſeo, cum morbus etiam ab alio ſanari forſan potuiſſet, quamuis magnus, ſed ob auxilij utilitatem: ſucco enim radicis eius quem rauanellum uocant, illum paucis admodum diebus curaui. 27

Iam uerò quæ cõtigerunt in Io. Paulo Negrolo, mercatore nõ uulgaris nominis, quæq́; toti urbi nota ſunt, tẽpus eſt ut cõmemorem. tanta enim fuit res, ut pleriq; obſtupuerint, omnibus uerò maledicis perpetuũ ſilentiũ ſit impoſitũ. Pertrãſibo aũt breuißimè rẽ omnibus notã, ut poſteri eam ſciãt. Laborabat igitur hic capitis dolore grauißimo, cũ tußi & difficultate ſpirãdi, iam biẽnio: & ut erat liberalis admodũ & ingenui animi, tres medicos, primos ciuita 28

tis absq; dubio, aduocauerat: cumq; illi curando nihil profecissent, in eam opinionem (ut audio, idq; etiã ab uno eorũ accepi) deuenerũt, ut esset phthisicus, & omnino insanabilis. Spe igitur omni destitutus, ad me uenit: rogat ut opem afferam. fuit dies illa Iouis: iubeo, ut sequenti mane operiatur in lecto. eo ad illum: omnibus bene pensitatis, pronũcio ipsum sanãdum, facturũq; ut die Mercurij sequente intelligat se posse sanari. Describo igitur quædam in rem facientia. sequente die admonet eum pharmacopola Castellinus, ut desistat: tam calida enim esse medicamenta quæ scripsi, ut si eis utatur, uitæ periculum subeat. Quo consilio id egerit, tibi æstimandum relinquo. Die dominico, cum diu sortem suam languens defleuisset, decreuissetq; abstinere his auxilijs, nec amplius fidere consilio meo: admoneor ab Ambrosio Serono, quem postea (ut superius dixi) ex homoptoi curaui. Accedo ad ægrum. post multa impetro, ut pharmacopola uocetur. aduenit. interrogo, quæ nam sint illa medicamẽta calida? tandem, ut breui rem peragam, fatetur se ignorare singula medicamenta cuius naturæ sint: hocq; pertinere potius ad me, quod etiam uerum erat. Itaq; cõuictus propria cõfessione, accersitur alius pharmacopola. quid plura? die Mercurij accedo ad illum, lætum inuenio. Proh superi, inquit, uera pollicitus es: quomodo tam celebres medicos tandiu latẽre hic morbus potuit? tum ego, Non latuisse puto, inquam, sed quisq; iudicio suo utitur in medendo. Hinc fit, ut ego in te fortunatior sim, alius in alio. Vt uerò rem paucis peragam, intra uigintiduos dies perfectè sanatus est. Quæris modũ? Idem fermè, quo Iuara sanatus est. Purgaui illum catapotijs Galeni, ad catarrhum, quinto Methodi: inde ligni Indici decocto, cum colocynthida & aromatibus: detraxiq; prandium, solũ panem bellariaq; concedens. 122

29 Post hæc uocatus ad affinẽ suũ Nicolaum Siccum, hecticũ, arthriticũ, tabesactũ morbo regio, aqua intercute, et resolutiõe laborantẽ, nõ curaui: sed ita leuaui, ut iam omnibus præterquã mihi ipsi sanus uideretur. Si uoluisset de uita curare, uiuere potuisset. superuixit quinque annis. Fuit mistum curandi genus, in multiplici morbo. Iuuit decoctũ Cynæ radicis, plus alijs auxilijs. Sed et Cæsarem Barbauarã, patricium uirũ, duobus annis in uita retinuimus, quanquã ulcere uesicã perforatã haberet. Hic tamen nunquã sani uiri munia obire interim potuit: sed ei facultas, alteri uolũtas, ad recuperandam integram ualetudinem defuit. Multa mihi præter hæc præclara auxilia fuerunt ad cordis palpitationem, quo me à natiuo morbo, alios quoq; plures uel una die in perpetuum sanaui. Et ad uriginem, flagrantiamq; urinæ: quæ nunc commemorare non est necessarium, quòd secreta sint.

30 Transeamus ad eorum ægrotantium narrationem, qui à me his medicamẽ-

tis

tis curati sunt, quæ publicare fas est. E' quibus celebre illud est quod cõtigit in Francisco filio Philippi Peragalli. annum is agebat duodecimũ hecticus, asciticus, leprosus, putrida etiam febre laborabat. curabatur à Gotifredo Castillioneo, medico nõ uulgari: uerùm in melius nõ proficientib. remedijs, aduocatus sum. uix erat ubi inciperemus. Iecoris dolor præterea urgebat. Consilium fuit nostrum, ut pane uteretur ex zea, cum aqua cineris confecto, semineq; fœniculi, & dimidio triticeæ farinæ. Curationis autem uis fuit. succus cichorij, cum erithrodani puluere, atque spicæ. Eò deuenit, ut singulis diebus, ad libras decem aut duodecim urinæ mingeret. atque ita is quoque persanatus est.

Hesthius, Asthius leprosus

¶ Atq; hæc de ægris insignioribus, qui ex morbis desperatis à nobis curati sunt: quanquam innumeros alios temporis longitudo & obliuio aboleuerit. neq; enim nisi paucis abhinc annis huiusmodi miraculorũ rationem habui.

Hoc unum satis sit, me semper in artis operibus felicissimum fuisse, adeò ut nonnulli ad casum, alij ad dæmonem referrent. Verùm ut nemo felicior perpetuo successu in curando, ita nullus ab erroribus & casibus aduersis tutior meipso fuit: adeò ut in tota uita uix ter aut quater sinistrè res cesserint. Itaq; si ad fœlicitatem medendi respicio, haud piget fortunæ meæ: quandòquidem uideam Galenum tam paucorum meminisse quos ex deploratis morbis sanauerit. In libro enim de Prædictione ad Posthumum, meminit Eudemi senis, in hyeme à tribus quartanis curati: & uxoris Bæthi, cuius morbum reliqui medici ignorare uidebantur: tum Demadis rhetoris, & familiaris Charilampi cubicularij. sed horum duorum casus haud insignes fuisse reor. Meminit & iuuenis eius, decimo artis curatiuæ, quem Thessalici medici media penè perdiderant. ut fermè tota hæc summa in tres reducantur. Verùm tamẽ Galenus non tantum curandi arte, quantum scientia dissectionis & prædicendi inclaruit. Admirabilem enim in hoc genere fuisse, scripta eius de Pulsibus tam egregia testantur. In curando uerò si maiora exempla edidisset, uir gloriæ cupidissimus, qui toties de prædictione gloriatur, quiq; etiam minima scriptis suis inseruit, existimant aliqui non prætermissurum fuisse. Verùm conscripsisse multa talia credo, atque etiam maiora in libris de Cura uniuscuiusque morbi propria: sed hi libri magna humani generis iactura, ut reor, periere. Sed his omissis, non solum in curando, sed in cognoscendo morbos, ac prædicendo, adeò felix fui, ut æmuli ipsi hoc mihi munus sponte tribuerint, non solum quòd id fatendo maiorem fidem in alijs uiderentur habituri: sed quoniam, quæ contigerunt, supra artis ipsius uires esse uiderentur.

rentur. Narrabo autem è multis pauca, atque inter cætera quid contige-
1 rit Baptistæ Syrtiro mercatori prædiuiti, tum uxori ac filijs. Eius enim primùm uxor ægrotauit: cumq; nihil proficerent auxilia familiaris medici, antequam illa obiret, ægrotauit & ipse coniux. ob idq; alium quendam Themisonem turgidum, & multa deblaterātem, maledicum, in medendo infœlicissimū aduocauit. Is licet medicamenta nulla suo more, ut eruditus uideretur, adhibuisset, multaq; (ut solitus erat) differendo adduceret, partim falsa, pleraq; ex ignobilibus quibusdam empiricis contra alios medicos, nihilo felicior in cura fuit. quippe æger defunctus est. Interim iam omnes filij ægrotabant. ego autem solitus eram tres fratres defuncti mederi, Paulum, Euangelistam, & Benedictum. Itaq; uidentes hoc nihil profecisse, & quia res arbitrio eorum agebatur defuncto fratre, aduocant me. Ego perpendens rem diligenter, cognoui ue neno illos esse affectos. doceo patruos. iubeo aduocari socium, eum qui primus in cura uxoris fuerat, ueluti testem: præstitis auxilijs, scilicet copioso lactis potu, quamuis febrirent omnes, conualuerunt. Inter hos erat puella minor natu annos agens circiter octo, quam auia existimabat sub occasu solis perituram, quod iaceret ut mortua, irridebatq; adhibentem auxilia: minusq; ob hoc mihi fidebat, quoniam crederet quadam iuuenili ac prorsus temeraria spe me ad curandum accessisse. memini autem, quòd pueri ipsi conuellebantur etiam, præter reliquos morbos: sed & illos postmodum curaui solus. uiuunt etiam nunc omnes, præter infantulum: qui postquam sanatus fuit, à nutrice dormiente suffocatus est. Verùm in curatione ipsa usus sum in omnibus medicamento illo, quo Sfondrati filium sanaueram. 124

2 Sororem quoq; Io. Pauli Negroli, cuius superius feci mentionem, iam duobus mensibus febre, sed magis quàm pro febris ratione conflictatā cum cognouissem, dixissemq; in utero habere, intra quinq; dies sanaui, exhibito diamargaritone: peperitq; filiū primogenitū, qui adhuc solertia mea superstes est.

3 Bartolomeū etiā Marianū, cū falsò existimaretur phthoe laborare, atq; ob id pro deplorato relictum, in uiginti diebus sanaui, morbi intellecta sede.

¶ Sed non solum in dignoscendo præsentia, uerùm futura prædicendo curū adhibui. cuius testimonio sunt tot præclara præsagia: atq; inter multa, imò innumerabilia, adeò ut uatem me uerum prædicēt, nec unquam de errore quisquā accusare me ausus sit.

4 Memini inter reliqua, quòd cū laboraret Ludouicus Madius puer, annum agens circiter undecimum, aduocatusq; essem cū alio celebri medico, nec uideretur puer grauiter laborare, quòd et febris remissa fŏret, et puer facilè morbū ferret: dixi matri, futurū ut aliquando hic puer repentè ex hoc morbo in grauissimum

uissimum affectum incideret, à quo uix euaderet. Cum illa causam scisciteretur, respondi, me ex uenarum pulsu id intelligere. Nunciauit hoc illustris femina alteri medico: qui cum eadem hora qua ego solebam, scilicet sub noctem, puerum non inuiseret, dixit, quod & uerum erat, hanc tantam mutationem se non percipere. nam alijs horis nõ tanta erat inæqualitas, quæ uel ab ipso, uel à me, si tunc solum tetigissem, percipi potuisset. Cumq; ego hanc diuersitatem augeri in dies uiderem, affirmaui semper hoc futurum. Quod & contigit. namq; repente post dies fermè uiginti, cum grauissima spirandi difficultas inuasisset, miserunt ad me, & uenienti occurrit mater flens, ac dicens: Heu quàm uerus uates magno meo malo fuisti. Itaq; obijt puer altera die. Ob id uerò, tum etiam alia experimenta, cùm toties abierim, nunquam me deseruerunt. Quæris forsan, quod genus pulsus tantum periculum significare potuerit? Erat innuens et miurus, & inæqualis etiam, atq; inordinatus: semper autem humilis, nec ad cutem elatus, sed profundus. quæ omnia indicabant causam opprimentem & firmam.

Cùm uerò reuersus essem in patriam, ægrotabat Io. Iacobus Resta, duoq; 5
aderant egregij medici. aduocor. dixi, laborare cerebri absessu. senior contradicebat: alter non negabat, sed posse adhuc sanari sperabat. Sequenti die, cùm adhuc conueniissemus, qui pridie negauerat laborare absessu, credo immemor eorum quæ dixerat, absessu cerebri iam quatriduo laborare fassus est: ob idq; mittendum sanguinem, quod & alter medicus censebat. tum ego nihil obijciẽs de pristinæ diei contentione, respondi, non laturam uirtutem. cùm uerò ipsi concordes contradicerent, ut uiderunt me dicentem statim casuras uires, etiam dum sanguis mitteretur mirabantur: neq; enim causam ullam adijciebam, cur id ego expectarem. Quamobrem surrexerunt, diligentius pulsum exploraturi. Cumq; unà ad ægrum iremus, tentatis uenis, iam prorsus cecidisse uires cognouerunt, & admirantes abiere. At ille paulo pòst mortuus est. Tum iunior quendam submisit, qui me interrogaret, qua ego arte id deprehendissem? cum respondissem, ex pulsu: At & nos, inquit ille, pulsum percipimus. quasi idem sit pulsum sentire, & omnes illius differentias exactè assequi. Erat enim pulsus ille humilis, inæqualis, inordinatus, nec tactui resistebat. unde non solũ oppressionem facultatis, sed etiam resolutionem significabat. Declaratũ enim est in medicis expositionib. quatuor modis deprehendi facultatis imbecillitatem: quæ cùm summa est, præsentem mortem nunciat.

Nuper uerò, cùm ad quendam ingrederer, neq; lotio, neq; ulla alia re uisa, nec ægro interrogato, pronũciaui ex solo ægri aspectu, illum magna spirandi difficultate laborare, non posse dormire, & pedes tumidos habere. Ille admi-

ratus prædictionem, inquit: Nõ solum pedes, sed & crura tumida habeo, iãq; sex diebus noctibusq; uigilo, & spirandi difficultate maxima laboro. Tum ego suis, moriturum breui, dixi. Mortuus est sexta die, postquam illum inuiserant. Quomodo autem id assecutus sim, quatuor uerbis explicabo. Cum accessissem, sedebat in lecto ægrè spirans, omoplatasq; trahens: quod maximæ difficultatis spirandi argumentum est. & faciem tumidam habebat. unde clarum erat, qui sic afficiuntur, somnum capere non posse. debilitatis inde uiribus, aqua intercute à pedibus ueluti remotioribus à corde corripi: quod & tumor faciei apertius ostendebat. Deniq;, ne singula prosequar, in prædicendo adeò felix fui, ut neminem mihi uel æmuli ipsi præferant, cum quidam uel plus mihi tribuant quàm res ipsa exposcat. Alij facilè esserint, modò laudis in arte aliquid remittere uelim. Non enim existimant prædicendi partẽ medicæ artis propriam esse, ac medico ut reliquas cõuenire. uerùm non tam est prædictio hæc nostra ad ostentationem (ut plerunq; esse solet) sed potius ad ægrorum salutem.

7 Non pigebit autem subijcere, quod Augustino Fornario Genuensi nobili uiro cõtigit. Is nãq; Indica lue aliquando cũ laborasset, correptus est febre lenta, qualis solet affectos illo morbo comitari: atq; ita sensim in hydropis genus illud incidit, quod uocant Tympanitem. Aderat & alius medicus. cumq; maxima diligentia ab utroq; curaretur, nihil tamen proficiebat. Mulieres assistentes & amici collaudauerunt quendam aliũ medicum, turgidum & glorioſum: et, ut fit cum res ad uota non succedunt, facilè obtinuerunt ut superuocaretur. Is ut conspexit hominem diuitem & liberalem, simulq; quod inuideret mihi, tametsi iuueni: existimauit é re sua esse, ut me abacto, præda solus potiretur. Itaq; statuit, ut coram omnibus Genuensibus nobilibus, contra morem & decreta Collegij, uerba faceremus. Inuitauit aũt (ut credo) illos. nam alioquin nõ tã cõmuni consensu præsentes adesse potuissent, ad audiendum quod instituerat. Adueniunt itaq;. & prior ille, cũ dixissem, demonstrassemq; morbi genus, rogat autoritati suæ consulens, licet iunior esset, ut ultimo loco ei dicere liceret. assensus est senior. Quid plura? ut tum solebant, ambo in unum consenserunt: scilicet in ægri perniciem, ut me exploderent. ita sunt mores hominum. Tunc senior lætus, pronunciat salutem futurã die sequenti: multaq; alia addit, amentium more. Itur deinde ad ægrũ. ibi multa gloriatus, pollicitusq;, dicit cõmuni consensu statutum, ut medicamentũ sumeret. rogatq; me, an uerũ sit. ego, qui mentiri nõ didici, respondi, placuisse hoc maiori parti. Intellexerunt astãtes, intellexit & æger. rogat igitur æger me, an medicamentum sumere debeat? fidebat enim plurimum mihi. Respondi, uocatos esse tres medicos, hanc sententiam esse maioris partis, medicamẽtum esse natura i. nox um (erat enim cassia nigra,

nigra,hieræ ſpecies,& rhabarbarum)illorum eſſe maiorẽ autoritatẽ.nõ audebam ulterius progredi:erat enim is collegij procurator. Hæc nãq; officia pleriq; quærunt,ut ui retineant, & metu,quod bonis operib. aut eruditione cõparare non poſſunt:ſimul & ut apud imperitos autoritatẽ aſſequantur. Tũ ille acrius inſtat,urget,ſanitatẽ pollicetur: tandem medici, amiciq; recedunt. Tum aſtantes mulieres rogant,ut ſi exiſtimem obſuturũ medicamentũ, ne exhibeam. At ego,qui non ſolum rerum naturæ ſatis peritus eram, ſed etiam diuini iuris,in hæc uerba reſpondi: Si ẽ re fuiſſet ut non propinaremus,non eſſet aduocatus hic tertius medicus. nam iam diu nos ab hoc auxilio uolentes abſtinuimus: uerùm poſtquam uos aduocari illum iußiſtis (leges autem collegij iubent,ut qui ultimò aduocatur, ſententiam ferat)non decuit me pluſquam par eſſet contrà obniti:omnes enim ſciũt,me quantũ licuit obſtitiſſe.multo minus uerò iam cõſtituta re,mihi ſolũ licet à conſtitutis diſcedere. hoc enim improbi & fallacis hominis eſſet,aliud ptinacis:nec hoc etiã,ſi uellet, facile eſſet facere ſine magno meo periculo & iactura famæ: ſi uos ita uoluiſtis, rectéq; conſuluiſtis, non eſt cur ego obſiſtam: ſi erraſtis, haud par eſt me pro alieno errore pœnas luere. Acquieuerũt inuitæ:ut quæ intelligerent, nõ placere determinationẽ. Datur itaq; medicamẽtũ ueſperi(hæc enim mane ãcta erãt) diluculo ius quoddã. Tãtũ uerò abfuit ut cõferret,ut noctẽ inquietã duxerit, mane obſtrepere regmone. Aduenit medicus ſenior,audit ſtrepitũ, uidet plorãtes mulieres:interrogat,an is eſſet ægerꝰ reſpõdẽt,eũ eſſe.adijciũt uerba,more mulierũ. Ille pertinacia adeò amẽs erat,ut nõ crederet eũ eſſe ægrũ:ſed dubitabat credo, ne ego illi ludos facerẽ. Caput introducit. erat enim apertũ oſtium de more,ut moriẽtib.fieri ſolet.uidet ægrũ eße.ſtatim abijt dicẽs,mortuus eſt,mortuus eſt. uenit et alter medicus,uidet ægrũ,ſolatur. Veni ego hora prandij. Tũ æger ad me: Ecce uides hominẽ in te confidentẽ:age,ſi potes,ut me reuoces à periculo præſente:nõ ego illũ,ſed ciues mei ad me adduxerũt. Itaq; hortatus hominẽ,ut bono animo eſſet,aliquid dedi.iuxta ueſperã redij:nec diſceßi prius,q̃ illũ perfectè ab omni medicamenti noxa liberaſſem. Tũ Genuenſes omnes uſi ſunt opera mea deinceps,præter duo,qui addicti erant nomini illius. ſuperuixit aũt æger menſib.7. & cũ uideretur liber,ſurgeretq;, repentè diaria obijt. uix enim ſupuiuere poterat,uel cũ optimo regimine:quãto minus, ſurculis lapathi crudis aßiduè utẽs? Atq; hæc in patria cõtigerũt. Quãobrẽ ne mireris,ſi talib.atq; his ſimilib.crabrões(ut dicitur)irritauerim: unde tot cõſpiratiões et oppugnatiões,maledictiões ortæ ſunt. Adagiũ enim uerũ eſt: Qui in tenebris ambulat, odit lucẽ. Nec uerò ob ſolã ignorantiã pleriq; peccãt, ſed quia ſanctißimã artẽ nõ legitimè tractẽt. unde diuino deſtituti lumine,maxima peccata ppetrãt.

Iam ue-

Iam uerò hic fuit uitæ meæ cursus ad hanc usq; diem, pro quo more maiorum hanc accepi compensationem. Sed quantũ mundus me odit, tantum mihi Deus fauit: & inter cætera, quod mortis amicorum conscius non sum. Atq; id Antonij Mariæ Maioragij, qui se mutato prænomine Marium Antonium uoluit appellari, fato perspicuè declaratum est. is cum bis ad minus, siue ter, à me uitæ periculo esset liberatus, supremo tamen morbo sine causa alium rogauit. Et licet me etiam aduocasset, omnia tamen alterius medici arbitrio agebantur: tum quod ille medicus (ut mos est) id affectabat tũ: quod æger ipse uerbis plus quàm rebus fidens, optare id uidebatur: tum etiam, quòd ego non nescirem quorsum tanti apparatus tenderent. itaq; qui toties cum mea laude seruatus erat, sine mea culpa perijt. Retulit tamen alter medicus suæ infelicis operæ locupletius munus, scilicet annulum decem coronatorum precij: cum ego pro salute bellaria quædam tantum accepissem. Agnati tamen sui fidentius in posterũ mea opera usi sunt, aliosq; spreuerunt. aut enim (dicebant) ille curando errauit, aut solus tum cognouisti qualem exitum esset habiturus. ille enim alius etiam prope mortẽ cum esset, salutẽ pollicebatur. Verùm non in hoc amico solum, sed in omnibus, uno duntaxat Prospero Marinono excepto, eadem felicitas me comitata est.

At dices: Si hæc ita se habent, totam urbem occupare debuisti. Nequaquã, ô amice. Sunt & regni humani uires, quibus quod suum est, id est, autoritatẽ inter homines, licet nõ adeò celebrem tueatur ægrorum multitudo quæ plebẽ mouet, solicitudo circa languẽtes etiã præpostera & inutilis, grata principibus atq; proceribus, collusio cum alijs medicis & chirurgis, tonsoribus, pharmacopolis, obstetricibus, famulis, mulierculis, cauponibus, tam scelesta quàm utilis: multitudo auxiliorum peritis quidem ridenda, imperitis admiranda. Diximus autem de his in Apologia aduersus Thessalicum medicum: nunc & propositis & utilioribus insistamus. Verùm quamuis non omnia simus complexi, meliora tamen fermè omnia, et nobiliora obtinueramus, nulla cura, modico labore: & quod omnibus melius fuit, multum immutata est imitatione nostra & autoritate & exemplo ars medendi in ciuitate nostra, quamuis aliqui durius obstiterint. Etenim & carnis & ouorum usui (nam de uino uetus est consuetudo) ad septimum diem primùm, nunc etiam ad quartumdecimum (ultra obtinere non potui, quod prædictionem non calleant) interdictum est in acutis. Separarunt alexipharmaca & gemmas à cibo, purgantium medicamentorum exhibitionem ab initio morbi reliquerunt, sectiones uenæ & plures in uno morbo & liberaliores administrant. tot dulcium usum, quo antea ægris non rectè consulebant, minuerunt. Frictionibus utuntur, coctiones

expectant,

expectant, cum purgare uoluerint. uentriculum confirmant in qnibuslibet morbis. Vsum quoq; multorũ simplicium introduxi: sed & medicamentorũ. ualidioribus tamen uti non audent, cum ego semper sine errore illis usus sim. Memini, cum aliquando me absente laboraret morbo gulæ (anginam fuisse prauam existimo) Regens Pyrouanus, qui è consilio Cæsaris erat, medicos celeberrimos totius ciuitatis aduocasse, eos inspexisse auxilia, quibus ego quendam patricium curaueram: neq; tamen ausos uti illis, quanquam collaudassent ea. Subiecitq; unus ex his: Optima quidem existimamus hæc præsidia, sed oporteret qui eis tum usus est, nunc adesse præsentem. Itaq; qui uelit feliciter in artis operibus uersari, non solum sufficit ut scripta antiquorum perlegat, tum nostra atq; aliorum, sed diligentiam summam adhibeat & in curando, & in prædicendo, ne ulla ex parte aberret. Cumq; id facere non possit nisi paruo numero susceptо ægrorum curandorum, ut nec uentriculus multos cibos bene unquam concoquere potest: præstat, paucis manus admouere, & eos sanare, quàm plures perperam medendo, magnam eorum partem perdere. Cumq; id agendo lucrum forsan non suppeditabit pro uictu, pauperumq; curam non magis quàm principum negligere iustum sit, turpe non est, nec flagitiosum, ab his quos curandos suscepisti, multo plus exigere pecuniarum, cum eos sanaueris, quàm alij medici faciant. Atq; ea de causa multos ego curare recusaui, qui diligentiam quidem me dignam, & iustè à me exigebant: solutionem autem medico gregario, idq; iniustè, mihi proponebant. Atq; hæc ad hanc usq; diem, qui quartus est ab Idibus Aprilis, anni M. D. LXI, mihi contigerunt. Qui autem in posterum succedent, si digna huiusmodi erant commentarijs, aliàs referam: in uniuersum hoc suadens bonarum literarum studiosis, atq; addictis artis operibus, ut meminerint, nihil esse melius quàm diuini beneficij accepti memorem esse: & nos nostraq; à numine gubernari: nec conatus hos nostros multum prodesse, sed ulcisci diuinitatem non aliter crimina nostra, quàm errore mentis in nobis relicto: humana uerò speciem solam boni atq; mali retinere, atq; eam momentaneam, solidi nihil, ut eius gratia aberrare debeamus.

NERONIS ENCOMIVM,

PER HIERONYMVM CARDANVM Mediolanensem Medicum.



Saepenumero accidit in iudicio ferendo, habendaq; existimatione de hominib. ac maximè principib. quod etiã in rebus ipsis, uelut corporib. erga animam, sensuum illecebris erga rationẽ scilicet, ut deterior pars meliorem uincat. Etenim orta à populi, ab imperitorum, ab improborum uocib. uulgari opinione, quod Nero improbus esset, ac crudelis, adeò permanauit in omnium mentes, adeò peruicit etiam sapientũ sententiam, ut iam talis ab omnib. habeatur. & si quis contradicere, uel illum laudare tentet, paradoxa dicere uideatur. Quòd si illud Antisthenis dictum aureum secum pensitarent, idem esse laudari ab improbis, et uituperari à probis, uel uituperari ab improbis, à probis laudari, non minimum laudis hæc uituperatio afferre posset: quandoquidem constet, eius ætatis uiros, maximè Romanos, adeò improbos fuisse, ut nihil suprà excogitari possit: seu uerò imperitos, seu ipsos scriptores inspicias, in existimatione haud possis aberrare. Namq; Tacitus sacerdos fuit idolorum, & uir summa ambitione atq; improbitate, si uitam ex uerbis etiam eius conijcere uelis. At quanto etiam deteriorem fuisse credendum est, quàm sponte se prodiderit? In uniuersum, ut breuiter agam, impius cultor Deorum, existimationem omnem flagitij constituebat in offensa potentiorum: ut non à probitate, nec à causa pœnas & supplicia, sed ab opibus, potentia & nobilitate æstimaret: Cætera quæ pro maximis sceleribus nũc habentur, nec in numero habenda censuerit. Dico rapinas, stupra, cuiuscunq; generis furta, dolos, sæuitiam, oppressionem miserorum, iudicia profanata, atq; huiusmodi. Alter Suetonius, eius cui erat à secretis, uxoris Antonini scilicet, corruptor: cætera ex hoc uno æstimato. His ergo iudicib. & testib. damnatus est Nero. Quanquam nec sic ab illis damnari potuit, ut etiam eorum testimonio optimus princeps haberi non debeat. Quod si ad Senatus ac potentiorum iudicium rem ipsam deferamus, placet mihi illud Ciceronis: Vel ego, uel illi desipiunt. Cum enim à plerisq; damnaretur, & pro stulto haberetur, quòd posthabita sui suorumq; securitate, tutatus esset rempublicam, constanti animo ausus est se solũ pronunciare sapientẽ aduersus tot stultos: cum alterum duorum esse necessarium foret, uel ut omnes illi desiperent, solus ipse saperet: uel omnibus illis rectè sentientibus, ipse solus desiperet. Ita dico, uel Neronem necesse est fuisse improbum, illos autem omnes innocentes & probos:

probos: uel solum Neronem probum, Senatum omnem cum optimatibus illis pessimos, & omnis flagitij autores. De Senatu, de optimatibus, notissimum est quales fuerint, quibus ludibrio totum humanum genus fuit præter Romanos: homines in theatro pro peculibus subijciebantur, uis pro iure & æquitate fuit, Romanus populus & Senatus pro dijs erat. Quid est quod singula commemorem, ubi nihil esset quod homine dignum esset? Si ergo homines hos punire nefarium est, omnis Rex, omnis Senatus nefarius est. Si homines interficere uiri est nequam, cum nullus Senatus quouis latronum collegio pauciores homines occidat, necesse est omnẽ Senatũ collegio latronũ esse scelestiorem. Si ergo causa, locus, tempus, persona, necessitas, excusare non solum possunt hominum necem, sed etiam eos qui illam iusserint, laude dignos reddere. non est quod damnemus Neronem sæuitiæ, quòd multos occiderit: sed, si iniustè & sine causa occidit. Nulla calumnia certior est, quàm cum res ipsa accusatur, modus non adijcitur. Interfecerit patrem, matrem, filios, fratres, uxorẽ licet, nihil dicis modò, quod sine causa non ostenderis occidisse. Potuit occidisse nolens, coactus iustam ob causam, deceptus: nihil horum condemnat eum: aliqua etiam gloriosa sunt. Timoleon fratrem patriæ insidiantem occidit: laudatur ab omnibus, defensus à dijs, post id factum uictorijs multis clarus. Brutus & Torquatus filios occiderunt, & laudantur. Virginius filiam uirginem, ne in seruitutem raperetur: factumq; illius ab omnibus probatur. Ottomanorum principes, quos Deus tueri uidetur, patres, fratres, filios, nepotes ex fratribus ac filijs occidunt: nec ob id nefarij habentur. Causa enim est in omnibus, non solum regnare tutò, sed etiam sine seditione & iactura subditorum. Quid ergo est, ut factum in crimen sine causa in Nerone uocetis? Si Nero bonus fuit, non meretur uituperari: si malus, sub malis principibus boni solent esse rectores magistratus, & reliqui homines, metu saltem: ut nonnunquam melius sit (ut dicebat Fronto consul) sub his esse, sub quibus nihil licet (Domitianum innuens) quàm sub quibus omnia: ipsum designans Neruam, uirum sanè optimum, sed ætate inualidum. Confer ergo Domitiani sæuos spiritus cum clementi Neruæ natura, & Domitianum cum Nerone, & tempora temporibus Domitiani iam fracta potentia, militum deniq;, Senatus & potentiorum, tot intestinis a ciuilibus bellis, tot proscriptionibus contra Neronis adhuc spirantis uictorias, triumphos, minas, cædes, libertatis memoriam dulcem, nouæ seruitutis impatientes animos: intelliges Neronem meliorem fuisse suis temporibus, quàm Neruam suis. Quod si commutata fuisset ratio, aut cõmutari potuisset, Neronẽ Neruæ temporib. ut Deum uisum iri, Neruã Neronis æuo inutilẽ: com-

para, si rectè libet iudicare, homines hominibus, tempora temporibus, non simpliciter hominum facta, locus, tempus, leges, consuetudo, ætas multa uariant: ob quæ mali persæpe meliores uidentur, boni deteriores. Si sontes Nero puniuit, bonus fuit: si Nero insontes opprimi permisit, malus. Ergo si utrumq; contigit, Nero Nerua melior est. at Neronem non solum sontes oppressisse constat, sed insontibus omnibus ac miseris mitem, liberalem atq; utilem fuisse haud dubiũ est. Quot igitur gradibus, ut ita dicam, Neronem Neruæ præferemus? Quid enim si Nero non optimus fuit imperator, nec ad hoc coegit ut laudes illius describerem? an forsan tot post annos mihi manes illius conciliaturus, uel placaturus sum? an in gratiam agnatorum illius, uel consuetudinis eius studiosorum, iam mille & quingentis annis elapsis? aut forsan periculum facundiæ meæ facturus, qui sim propè elinguis, aut ira, amore, odio, spe alicuius? aut ocij causa? cum tempus nec ad necessaria conscribenda satis superesse animaduertam. aut nece filij irritatus, sperabo me aliquid editurum audentius, sub hoc titulo Aduersus necis authores? cum constet, hoc Encomium nunquam non à me excogitatum, iam diu meditatum & cœptum, aliquot antè obitum filij annos conscriptum, & inter libros meos numeratum. Ergo sola rei indignitas me mouit: cum, ut pleraq; alia, optimum principem peruerso ordine inter pessimos numerarent. Cæterùm rei gestæ series ita se habet.

C. Iulio Cæsare, uiro tyrannico spiritu, Romanam rempublicam dolo, seditione, ui occupante, eoq; parum feliciter occiso, Antonius, Octauius & Lepidus defectione, proditione, conspiratione atq; ui tandem imperium obtinuerunt. Erat autem Octauius Acciæ filius, ac Octauij: Accia autem Iuliæ, C. Cæsaris sororis, & Balbi filia. ita Octauius nepos fuit sororis Cæsaris, & ab eo in filium adoptatus. Is perculsis ambobus collegis, M. Antonium ad uoluntariam mortem adegit, eius filium natu maiorem iussit interfici: sic potitus rerum, cum nefanda crudelitate C C C Senatorij, II equestris xxx, è populo occidisset, & bonis etiam spoliasset, quorundam etiam uxoribus ac filijs sublatis tanquam nouus Aristides suscepit Reip. Romanæ gubernacutum, in quo neq; ipse neq; maiores sui quicquam incrementi contulerant. ut cuius pater adstipulator, auus fuerit argentarius. atq; sic Cicero. Antonius uerò & Cassius etiam numularium fuisse auum, et pistrinum exercuisse aiunt. Constat utrumq;, & patrem et auum, precarium feciſſe quæstum. Ex Scribonia uxore, quæ iã duob. antea maritis nupserat, Iuliam suscepit filiã. statimq; pertesus coniugij. quod morosam esse diceret, Liuiã duxit, Tiberij uxorẽ: quæ iã ex marito Tiberiũ pepererat, & tũ in utero Drusum semestrẽ gerebat. Ita Octauius

filiam

filiam unam & duos priuignos habuit. Ex Liuia nullum potuit ſuſcipere filium, ſed abortu pueri ſterilis euaſit in poſterum. Iuliam ergo filiam ob hæc Agrippæ genero Octauiæ ſororis nuptui dat, ubiq; coniugium à diuortio auſpicatus. Felix tamen & in hoc, ex Agrippa ſuſceptis nepotibus, altero Agrippa, Caio & Lucio, qui tamen ſine filijs & in iuuenta obiere: neptibus autem, altera Iulia & Agrippina, Iuliam neptem locauit Lucio Paulo Cenſoris filio. Mortuo Agrippa, Iuliam filiam Tiberio locauit: coacto prius uxorem quam unicè diligebat, & ex qua Druſum ſuſceperat, filium abdicare. Atq; antea omnia, ſi non probè & iuſtè, ſaltem cautè egerat. Hoc autem neq; prudenter, neq; cautè. Quin etiam pertæſus Tiberius huius coniugij, quamuis principalis, maluit ſecedere Rhodum, quàm impudicæ uxoris, quam nec necare ob patrem, nec pati ob turpitudinem poterat, tædium ſuſtinere. Per hæc tempora Liuiæ, ut puto, uxoris aſtu cognouit, utranq; Iuliam, filiam & neptem, parum pudicè uiuere: ob quæ utranq; relegauit. Filium etiam neptis poſt damnationem natum ali uetuit, ſed iuſſit exponi: ſeu ira Deûm ad id cogente, ſeu quod ſæuiſſimus eſſet, adeò ut in bello Peruſino trecẽtos ex dediticiis utriuſq; ordinis ad aram Iulij more ouium mactauerit. ſicq; alijs qui capti erant ueniam deprecantibus, etiam ſæuam illam & ferinam uocem addidit: Moriendum eſſe. Iam ergo tota illius progenie in ſpem unius Agrippinæ redacta, eam Germanico Druſi priuigni filio collocauit: adeò felici ſucceſſu, ut ex ea pronepotes ſex, qui ei ſuperſtites fuerunt, ſuſciperet: maſculos tres, Druſum, Neronem, & Caligulam: totidem fœminas, Druſillam, Liuillam, & alteram Agrippinam. Omitto modò cæteros ex eiſdem parentibus liberos genitos, qui ante Auguſti mortem obiere. Suſceperat Druſus ex Antonia, M. Antonij triumuiri ex filia nepte, duos alios filios, præter Germanicum: ſcilicet Claudium, qui poſtmodum imperauit, & Liuillam. Conſtat itaq;, neq; Claudium neq; Tiberium quicquã ad Auguſti progeniem pertinere: ſed Claudium priuigni filiũ, & ex nepte inimiciſſimi hoſtis: Tiberium uerò tantum priuignum fuiſſe. Hucuſque, ſi non cautè, ſaltem non ſtultè, & quæ quoquo modo excuſari poſſent, peracta ſunt ab Auguſto omnia. Quæ autem poſt hæc, nullo Conſilio, nullo iudicio ab eo peracta ſunt, ut mente omnino excidiſſe uideretur. Viuente igitur nepte Agrippina, & coniuge eius Germanico, Tiberium, ad ſe nihil pertinentẽ, imperij hæredem reliquit. Præterijt Agrippam iuuenem & nepotem, & in filium cum Tiberio adoptatum, qui adhuc ſuperſtes erat. ſatis ſit. Exulem dices? ſed Germanicum alterius priuigni filium, & tot ſuorum pronepotum parentem, quo iure? itaq; ubi Octauius exceſſit è uita, Tiberius Agrippam ſtatim in

insula occidi iussit. Nec uerò sine suspicione doli Liuiæ mortuus erat Caius, Octauij (ut dixi) nepos, ex Armenia ueniens, licet uulnere debilis. Perierat & iampridem Drusus, alter priuignus: unde summa rerum in Germanico Tiberij ex fratre nepote incumbebat, exercituum domino. Sed seu patrui reuerentia, seu testamentum Augusti deterruerit, seu non confisus uiribus proprijs, aut etiam quadam ignauia distineretur, nihil aduersus Tiberium moliri ausus est. at contrà ille, ut par erat, non legittimum imperium obtinens, tot adhuc saluis legittimis hæredibus, primùm per Pisonem Germanicum dolo aggreditur: quem seu ueneno, seu maleficis artibus, seu dolore atque angore animi interficit. Inde duos natu maiores filios illius. Senatus authoritate morte damnauit, Drusum & Neronem. Adiecit & sceleri matrem. Et nisi fortuna quædam Caligulam seruasset, omnem stirpem Germanici extincturus proculdubio erat. Verùm dum ipse luxui simul & sceleribus operam dat, & ut honestius uiderentur damnari nepotes, per adoptionem Seranum quendam subijcit, omnium horum ministrum, ille ubi uidet Germanici propè domum extinctam, senem hunc diis & hominibus ob immania flagitia inuisum: mox cupidus inuadendi imperium, solus Drusum iuuenem Tiberij filiũ, in quem spes omnis imperij incumbebat, ueneno necat. quæ res detecta, ut exitio Seiano, ita Caligulæ saluti fuit, cum iam nullus hæres imperio relinqueretur præter Caligulam. Qui non eò seruatus est, quòd pronepos esset Augusti: sed quòd Drusi fratris Tiberij nepos fuerit. Ex quo apparet, quàm stultè Augustus imperium reliquerit Tiberio: cui tamen esset filius Drusus, quomodo poterat sperare imperium relicturum filio salua prole Augusti? ut cogeretur, etiamsi impetrare neglexisset, aut filio imperium relinquere: aut si ipse & filius salui esse uellent, totam Augusti stirpem excindere. Accessit huic Fatorum ordini quoddam non leue suffragium, ut Tiberius Tiberiolum ex proprio filio Druso natum, filium illius esse non existimauerit. aliter enim res rursus acta erat. Et uel sic tamen illum cum Caligula instituit hæredem. Sed Caligula ut sibi prospiceret, & tot cædes suorum ulciscereturr, statim ubi imperium inuasit, Tiberiolum occidi iussit. Occiso Caligula ob immensa scelera, Claudius (ut dixi) Drusi filius, & Antonij pronepos, nulla sanguinis affinitate contingens Augustum, ad imperium rapitur, nullo iure, sed sola amentia militum, & Senatus ambitione. Hic rursus excluſis, descendentibus ex filiabus Germanici, ac pronepotibus Augusti, extra illius stirpem iniquissimo iure (si ius ullum tyranno regnandi

regnandi esse potest) aut nullo, si nullum concesit. Hic iterum fortuna, quæ in illorum familiam iurauerat, admirabile commentum inuenit. Erat Claudio uxor nomine Messalina, Barbari Messalæ consobrini filia, & ex descendentibus Messalæ unius è tribus Augusti principalibus amicis) fuerunt autẽ hi, Mœcenas, Messala, & Agrippa) quæ omni genere probri cõtaminata, eò amentiæ uenit, ut uiuẽte Claudio filio nuberet: unde Claudij iussu occisa. Claudius impatiens cœlibatus, cõtra omnia iura Romana, Agrippinam Domitij Aenobarbi aliàs uxorem, & ex quo Neronem sustulerat, Germanici fratris filiam, in uxorem ducit. illa callido consilio primùm Octauiæ, filiæ Claudij, Neronem iam adolescentem connubio iungit. Deinde quamuis Claudio filius esset Britannicus satis adultus, suadet ut Neronem in filium adoptet. quibus rationibus, non sat scio. sed nec ad suadendũ Claudio ullæ poterant esse insufficientes, & alteri nullæ sufficere potuissent. Persuasit demum & Claudius priuignum natu maiorem ex stirpe Augusti, cùm ipse nullo (ut dixi) eam iure contingeret: & matris præsidio armatum adoptat in filium. Inde priuignum fictis criminibus ad Claudium delatis, quibuscunque fidis custodibus exarmat. Facile fuisset, etiam prudentem decepisse, opitulantibus omnibus qui in necem Messalinæ consenserant: è quorum re erat, ne Germanicus succederet, futurus ultor siccariorum & inimicorum matris. Cùm uerò Agrippina, quæ eò usque prudenter se gesserat, petulantia & lasciuia thorum Claudij incestare aggressa esset, resipiscente Claudio, & fœdas nuptias, adoptionem stultam, periculosam Agrippinæ & morosam consuetudinem animaduerteret, consilio mutato, omnia dissoluere tentabat. Sed prius dixit, quàm statuerit: adeò amens erat, & inops prudentiæ. Quamobrem illa metuens, ne pluribus annis dolo partam imperij spem, una hora per uim amitteret: Claudium quidem boletis ueneno infectis, per Halotum spadonem ministrum & Locustam ueneficij magistram necat. Atque sic imperium filio parauit, nomine quidem, re autem sibi. Adiunctis enim Neroni, Seneca, tanquam literarum institutore, & Burro imperij ministro, conabatur imperij ius ad se trahere: & ut filium maiore in metu ac magis in officio contineret, simulauit amplecti Britannicum, & spem etiam imperij facere: Burrum & Senecam sperabat terreri posse minis, ob beneficium contineri in officio (namque præter cætera constat, Senecam ab exilio iam trunca manu reuocatum, etiam bona sua, & multo ampliora recepisse) his adolescentem coerceri. Eò autem uenerat insaniæ

& petulan-

& petulantiæ, ut Armeniorum legatis apud Neronem causam orantibus, ascendere suggestum Imperatoris, & præsidere simul pararet: ni cæteris pauore delixis Seneca Neronem admonuisset, ut uenienti matri occurreret. ita specie pietatis obuiam itum dedecori. Post hæc etiam cum nil proficere uideretur, filium ad stuprum solicitauit, existimans hac uia posse filium decipi. His causßis motus, fratrem ueneno, ne illum mater præponeret audacia, gratia potens, sanguinis Claudiorum adolescentulum, filiumq; Imperatoris: non tam imperio quàm etiam uitæ timēs. deinde matrem cum uideret nihilo secius omnia moliri, ut nō tam ipse quàm illa regnaret, maiusq; esse ius uxoris quàm matris, diu cunctatus, consilijs tandem eorum quos illa ei præfecerat, qui nec ipsi mulieris impotentiam perferre possent, occidit. Eādem ratione occidit et uxorem. nam dimissæ cum essent ex imperatoria stirpe tam mater quàm uxor, si alteri nupsissent, exitium Neroni peperissent: cum & inimicos proprios, & amicorum partem, & omnes amicos illarum ac noui sponsi aduersum se pugnaturos animaduerteret. Interim in omnes mitis ac blandus, iustiq; ac recti defensor: sed paulo post irritatus duplici conspiratione, Pisoniana primum maiore, inde etiam Viniciana, Beneuenti plurimos occidit conscios illarum: inter quos Senecam, et Lucanum illius nepotem. in quibus etiam se mitem profecti ratione exhibuit, cum neminem nisi simplici mortis genere damnauerit, pluribus etiam inusitato clementiæ genere pepercerit. Accidit autem, ut inter hæc urbs Romana sex totis diebus arserit: ibi quàm iniustè sit culpatus, quòd incēdij autor extitisset, apparet, cū constet immēso auri pondere populū ad ædificandū adiuuisse. ad eò ut qui eum accusant, nec sibi constēt. Subiectos post hæc falsæ criminationi incendij Christianos, immeritas luisse pœnas scio. Sed ubi difficultas est, nemo lapidem mouet. Quorsum enim subiecisset, qui non esset sibi facinoris conscius? Demum amitam & Burrum ueneno sublatos calumniātur, tā leuibus suspicionibus, ut pudeat huiusmodi in medium afferre. Quod uerò maximè accusant, est, quòd aurigauerit, cecinerit, saltauerit: quæ omnia humanioris, ac si acerbius prosequi factum uelis, mollioris animi argumenta sunt, non sceleris aut flagitij. Sublato metu, & obrepentibus adulatoribus, paululum ad libidinem, adolescentiæ peculiarem affectum, inclinauit: in qua miris eum modis lacerant. quòd si quid habuissent potius quod damnassent, in tam futilem accusationem non iam se totos recepissent. Crimina sunt adolescentiæ, irritamenta potentiæ, sensuum illecebræ, consilia & auxilia adulatorum: quorum nihil defuit Neroni. At non culpabunt clementiam, libertatem, iusticiam, amorem sapiētum. proborum ac tenuiorum, publicæ rei dilectionem & curam, mansuetudinem, contemptū ambitionis, splendorem,

dorem operum, acumen ingenij, facundiam, memoriam, gratiam in bene meritos, Deorum cultum, religionē: hæc si possent culpare, in ipso potuissent, ne certè ad laudem eius hæc abolendam aut minuendam pertinerent. Sed cum in his omnibus admirabilem se præstiterit, cum omnes maiores suos probitate superauerit, uanum esse puto, ex puerilibus aut adolescentiæ uitijs illum criminari. Cum uerò seditiosi duces ac perfidi administratores, auaricia & ambitione pellecti, tot beneficiorum immemores legiones solicitassent communi omnium periurio, ad armaq; aduersus iustum & æquum principem capessenda incitassent, quod nollet illos finibus excedere, deprædari finitimos & insontes, miseramq; plebem, quo nil magis optabant milites: crimini eius datur alienum scelus. Indicio autem est sub Nerone tam amplis finibus Romani imperij nullum fuisse bellum, nisi pro Armenia cum Parthis: quòd etiam & uictorijs insignis, & liberalitate admirabilis placauit, mediumq; tenuit, ut nec auidus quicquam ex hostibus adiecerit imperio fraude uel ui, nec ob mollitiem aut socordiam amiserit. Quæ duo uitia, etiam in his qui optimi habiti sunt imperatoribus, Traiano atque Adriano, damnantur. Horum alteri nil satis esse uidebatur, alter etiam patris factis per summam segniciem inuidebat. Desertus ergo ab improbis militibus ac facinorosis, mortem se suaq; uirtute dignam oppetijt: manumque fortiter sibi inferens, ostendit nihil formidare potuisse, qui nec mortem honestam refugerit. Quinetiam qualem animum retinuerit, in ipso quoq; mortis instantis sensu declarauit, cum militi cuidam ad eum pro auxilio uenisse simulanti respondit, Serò: scilicet, si ad auxilium. Inde subiecit, Et hæc est fides: ne non intelligere fraudem uideretur. Cogita modò tu, quali ingenij præstantia, quali prudentia ac fortitudine fuerit. Vnde illa uerba, οὐ πρέπει Νέρωνι, οὐ πρέπει. νύφαν δεῖ ἐν τοῖς τοιούτοις. ἄγε, ἔγειρε σεαυτόν. Id est: Non decet Neronem, non decet: supple, hæc pati, & tam sordido loco esse. Euigilare oportet in huiusmodi. Age, suscita teipsum. Ipse sibi sepulchrum exornauit. & cum equorum aduentum sensit, dixit:

ἵππων μέ' ὀκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει. id est:

Equorum citatorum strepitus circumsonat aures.

Vt intelligeremus, in ipso mortis aditu (neque enim distulit ictum, quo se gladio confodit) mente haud consternatum esse. aliena enim lingua metu excussi quomodo loquentur, cum multi nec loqui prorsus queant? Iam ergo honestissimam mortem subijt, adeò ut cum damnatus esset à scelestissimo Senatu, metu populi miserantis tam indignam damnationem, defectionem, proditionem, uiri fortem casum, non ausi sint eum contumelia aliqua

efficere: ut contigit Galbæ, qui eum prodidit: ac Vitellio, alijsq; : imò crematus est funere quinquies mille aureorum coronatorum, stragulis albis auro intextis, quibus usus fuerat Calendis Ianuarijs.

Cæterùm ut ad reliqua uitæ ornamenta transeam, pauca de multis subijciam, & breuiter: ut illius fortunam potius miserabilem, quàm lætam, licet splendidam, fuisse ostendam. Adolescens nobili genere, sed parum felici ortus sidere, inter odia populi Romani atque senatus, ob maiorum sæuitiam ac iniurias, inter ætatis illius & urbis infanda uitia, inter abusus & iniustas leges, quas tollere sine periculo & relinquere sine maxima iniuria uniuersi orbis non poterat, fraudulenta matre, infirmo principatu, improbis consultoribus, nequissimis amicis, pugnare cum omnibus coactus est. Existimo, si sui iuris fuisset, nunquam cum tot periculis, & curis etiam, oblatum fuisse recepturum imperium. recepit imperium hortatu & iussis matris: dimittere amplius tutum non erat. Parum prosperum & auspicatum fuit initium, non alius successus neque finis sperandus erat. Deceptus à matre quæ illum à studijs philosophiæ prohibuit, & à Seneca magistro, mortalium improbissimo, qui matri id persuasit non conuenire principi philosophiam, quo ipse uideretur Neroni admirabilior. Educatus à prima pueritia, ne ulla in parte fortuna illius uirtuti aduersari uideretur apud Lepidam amitam, duobus sub pædagogis, saltatore atque tonsore: quas rogo disciplinas, aut quales bonos mores aut egregia exempla, aut regendi atque imperandi præcepta, sub talibus magistris discere potuit? Et tamen ubi primum Senecam nactus est præceptorem, quampri/mum (quod optimus esset natura) ad illius perfectam imitationem se totum tradidit. Itaque quicquid boni in eo fuit, proprium illius naturæ, iudicij, consilijq; fuit: si quid omnino errauit: aut si aliqua in parte defecit, certè id ei alieno uitio contigit, atque eorum sanè quos turpius fuisset à se abigere, quàm parêre. Sed quoniam, ut cognoscamus qualis sit optimus princeps, necessarium est, scire primùm, quænam sint officia optimi principis, quæ à nullo (quod sciam) aut uerè aut scitè explicata sunt: sed peripatetico more omnia miscentium, confundentium atque perdentium inuoluta, causam præbuere ut optimi habeantur tyranni, improbi uerò qui optimè regunt, ideò inquam necesse est de officio optimi principis dicere. Cumq; omnibus in rebus quædam sint necessaria, quædam magis necessaria, quædã maximè necessaria: hoc idem in institutis optimi principis distinguere oportet: nihil enim deterius in multiplici rerum usu atq; doctrina, quàm aut decipi in rebus ipsis, uelut bona pro malis, & mala pro bonis habere: aut in ordine,

cum

cum quæ optima sunt, bonis anteponimus, aut etiam peßima simpliciter malis, aut uehementer malis. Optimi igitur principis maximè necessariæ conditiones sunt, foris pacem aut necessarium tantum bellum habere: domi autem iusticiam & æquitatem colere. Magis autem necessariæ, sed non quantum priores, sunt, commodis omnium prospicere, maximè tamen bonorum & egentium. Necessariæ autem non adeò sunt, prouinciam totam ornare moribus atq; pulchritudine. Ita in urbibus templa, ædes magnificæ, spectacula: in agris cultus, in uijs æqualitas, & pontes iuxta flumina, resiccare paludes, transferre noxios torrentes, saxa eximere, montes peruios facere, custodias contra latrones adhibere, feras tollere, diuersoria locis necessarijs constituere, rusticorum alacritati fauere, omnia tuta & uisu iucunda reddere. Hæc ut fiant à principe, necesse est ut prudentia & bonitate polleat. Parum in illo fortitudo desideratur, si hæc adsint, quod multorum auxilio se tueri possit. Bonitas duplicem exigit usum: & quod uelit bona malis præponere, & quod nulli incommodo uel labori ut publicæ utilitati consulat parcere uelit. Hæc igitur, & non plura, optimi principis officia esse, nemo non uidet, tametsi nullus Glauco uel Polemarchus nostra dicta tanquam aliena probet. Sed modò uideamus, an hæc omnia ita sint, & non pluribus indigeamus, & quomodo sint intelligenda: tum demum Neronem hæc ipsa obseruasse demonstrabimus. Principiò igitur pacem bello præponendam, nō puto necessarium esse ut doceamus. sed tamē ob peruicaces docere abs re non erit. Pax incrementum & quietem affert humano generi, bellum perturbationem & interitum. Pace artes bonæ coluntur, bello destruuntur. Pax bonis omnibus amica est, & miseros solatur: bellum bonos opprimit, miseros funditus enecat. Pax leges exercet, & improbos punit: bellum efficit improbos, & leges silere cogit. Pax denique agros fertiles reddit, domos erigit: bellum agros deuastat, ædificia diruit. Denique bellum propter pacem est, non pax propter bellum. Feris nationibus bellum familiare est: humanis, cultis, bonis, sapientibusq; uiris pax cordi est. bellum fit furentibus hominibus, atq; insanientibus: pax uerò pacatis, felicibus atq; prudētibus. Itaq; Neronem quis hac in laude æquare poterit? Audi quid dicat Suetonius: Augendi propagandiq; imperij neque uoluntate ulla, neq; spe motus unquam & ex Britannia ducere exercitum cogitauit: nec nisi uerecundia, ne obtrectare parentis gloriæ uideretur, destitit. Ponti modo regnum concedente Polemone, item Alpium defuncto Cottio in prouinciæ formam redegit. Hæc ille scripsit: in quibus si tantum laudis contineri sensisset, nescio an scripturus fuisset. nam certè nihil maius, aut absolutius hac in causa ex-

cogitari potuit. non enim ui augere imperium uoluit, ut Traianus: nec dolo turpi, ut Tiberius, quem præstabat uel sic imperium minuisse quàm auxisse. Vnde de Tiberio Tacitus: Archelaum Cappadociæ regem quinquaginta annis regno potitum, specie indulgentiæ per matris literas accersit. inde ubi uenit, accusatum in senatu tædio & angore animi, senio'que ad mortem seu uoluntariam, seu ex morbo adegit, regnum'que in prouinciam redegit. Sic Maraboduum Germanum & Thrasypolim Thracem decepit: ac contra Armeniam à Parthis, Mœsiam à Dacis ac Sarmatis, Gallia à Germanis uastari neglexit. Itaq; Alexander Seuerus non ausus est pomerium urbis Romanæ ampliare, dicens, licuisse hoc solum tribus Cæsaribus, Augusto, Neroni, et Traiano: quòd hi limites Imperij ampliarũt, et partum seruarunt. Itaque quod ad imperij moderationem cupiditate, & pacis tuendæ rationem, nulli impar optimo principi fuit, plerisque etiam superior. Veniamus ad bella. Quinque causis licet bellum suscipere. Prima, si iniuste quis inferat. stultum est enim iacere desidem, ingruente hoste cum exercitu. Secunda, si qui aliquid eripuerint ultro: nam ueterem ferendo iniuriam, irritas nouam. Tertia, si periculum est ab hoste, ita ut cogaris fidei suæ salutem tuam committere. Vt enim optimus sit princeps, malus ei succedere potest. ideo cum non nisi iustis legibus rectè uiuere & beatè liceat, curandum est ne uicinis armis impediamur. Quarta, cum his qui nobiscum fœdere iuncti sunt, bellum aut iniuria infertur. decet enim & ob fidem seruandam, & ut par pari, si occasio eueniat, referatur, amicos tueri. Quinta, ut militem in disciplina contineamus. diu enim expertes belli, uel disciplinam amittunt, uel pro militibus latrones euadunt, prouincialium/que bona & finitimorum cum quibus pax est diripiunt. Quocirca non diu in pace sinere oportet: sed translatis exercitibus ita agendum, ut unum bellum exercendis omnibus militibus satisfaciat. Ergo Neroni nulla causa cum esset bellandi, præterquam contra Parthos, qui Armeniam simul posidebant, & infestabant: inde omnes causæ iusti belli eum compulerunt ad illud suscipiendum, & omnia etiam quæ diximus peregit. Cum enim Corbulonem, acrem uirum, in ducem elegisset, hæc Tacitus subiungit: Sed Corbuloni plus molis aduersus ignauiam militum,
» quàm contra perfidiam hostium erat. Quippe Syria transmotæ regiones pa
» ce longa segnes, munia Romanorum egerrimè tolerabant. Satis constitit
» fuisse in eo exercitu ueteranos, qui non stationem, non uigiliam inis-
» sent, uallum fossamq; quasi noua & mira uiserent: sine galeis, sine
» loricis, nitidi & quæstuosi, militia per oppida expleta. Igitur dimissis

quibus

quibus senecta aut ualitudo aduersa erat, supplementum petiuit. Et habiti per Galatiam et Cappadociam delectus. Adiectaq; ex Germania legio, cum equitibus alarijs, & peditatu cohortium. Liquet igitur ex Taciti testimonio, Neronem artem reparasse militarem, quæ sub continuis tribus proximis principibus, Claudio, Caligula, & Tiberio (aliter enim ueterani munia illa ignorasse non potuerunt) neglecta fuerat. Bellum suscepisse iustißimum, maximè necessarium & utile Romanæ Reipublicæ: illudq; obseruasse, ut hoc uno bello nullæ legiones quiescerent, sed plures in officio & exercitatione, omnes in metu continerentur. Nam non solum hanc, sed plures alias legiones loco mouit, ex Ponto, Mœsia atq; Pannonia. Sed nec minus felix exitus, & longè utilior quàm M. Crassi, qui exercitum amisit: & Augusti, qui solum specie honoris contentus, satis habuit illos suis in sedibus quiescere: & quàm (ut dixi) Tiberij & succedentium, sub quibus Parthi Armeniam occuparant: & quàm etiam Traiani, qui cũ specioſis uictorijs plus afflixit Romanam Rempub. quàm auxerit. unde infecta re coactus est regredi. Victi etiã Parthi fuerant ab Antonio, Ventidio duce: sed & ea uictoria nil plus attulit quàm honorem illum, quem postmodum Augusto detulerunt. At Nero pertinaci & bene instituto bello, castella illorum expugnauit, exercitus profligauit, Artaxatam Armeniæ quasi caput occupauit: tandem Parthos ad deditionem, ad fatendum se uictorem, ad supplicandum Romanorũ uexillis coegit. idq; nec mutato duce in tam diuturno bello, nec clade insigni ulla accepta, cum Augustus Lolianam & Varianam magna cum ignominia accepisset, tam ualidis cum exercitibus, & tum maximè uigente militari disciplina, ac Romana republica. Sed & sub fine imperij quàm sapienter Nero prospexit defectioni Iudæorum, quos & subegit & deleuit per Vespasianum ducem? licet ob proditionem Vindicis & Galbæ, Nero eam uictoriam uidere non potuerit. Apparet igitur, Neronem tam belli quàm pacis artibus, omnibus Cæsaribus qui uel ante uel pòst fuere, præstantiorem fuisse.

Veniamus ad Reipublicæ gubernandæ munia, in quibus an melior, an prudentior, an felicior fuerit, non sat facilè dictu. Id uerò primò uidendum, quis sit iustus aut æquus iudex, aut dominus. Iustum solent definire, qui legem obseruat. At uideamus quid Reipublicæ et humano generi utile sit. certè, ut quisquis quantum fieri possit, bene habeat. Id uerò duobus modis fit commodis uniuscuiusq; prospiciatur, & ut omnes boni euadant. cum enim mala duplici modo nobis contingant, alia quidem natura & fortuna, alia uerò ab hominib. alijs: rectè consultum fuerit, si his quæ natura & casu ueniunt, beneficijs & liberalitate princeps succurrerit: his autem quæ ab hominibus eueniunt, illos efficiendo bo-

endo bonos. nam sic non solum nemini oberunt, sed etiam multis proderunt. Iusticia uerò probos efficit homines: & præter id etiam, quod cuiusq; est, ei reddit. ob id iusticiam & primam & solam, id est omnẽ complectentem uirtutem rectè appellat. atq; hæc sine controuersia sunt. De quib. autem controuersamur, sunt tria. Primùm, an fauendum sit miseris, an potentibus? Secundum, an iusticia sit, seruare leges ex præscripto? Tertium, an idem sit in fauendo utile & honestum? De primo enim non magna est difficultas, quin leges afflictis & miseris fauere debeant, si ad Deum, ad iustum & æquum respicere uelimus. nam cum, ut dixi, finis optimi principis sit, ut omnes optimè habeant: palàm est, leges debere subleuare languentes, fouere miseros: non aũt potentes, qui hoc ipso non indigent. Quid ergo proprium est iusti aut æqui domini aut iudicis? est, erigere miseros, protegere, alleuare afflictos. Ob id non iustus est qui leges ex præscripto seruat, sed sæuus: illi tamen Seueri nomen sibi uindicant. Et rectè. secus, à uero. Sed in tam graui re omittamus iocos. Ille iustus est, qui legem ad mentem conditoris refert, non qui ad scriptum. Mens conditoris considerat non factum solum, sed causam facti, qualitatem errantis, ut eorum qui cum illo iuncti sunt. Seruauit Pop. Rom. & bene, Horatium illum qui sororem occiderat, quoniam patriã seruauerat. Occidam'ne ego hominẽ, qui iratus ciuem occiderit, cũ seruauerit plurimos? ille iustus est iudex, qui ad mitiorem partem semper inclinat, non sui, sed delinquentis causa. Sui causa, si in mitiorem partem declinet, iniustus est. Sui causa inclinabit, cum delinquentis potentiã aut gratiam spectabit, aut ab illius pecunia corrũpetur. Delinquentis causa inclinari dicitur, cum illius iniurias quas passus est, ac molestiam ab illo quem occidit, diuturnam uexationem, periculum uitæ, iuuentutem, leuitatem, consilia aliorum, pœnitentiam facti, uirtutem, eruditionem, pietatem, utilitatem quam exhibet reipublicæ, facta egregia, filios impuberes, patrem aut matrem senem, aut cui nulli alij sint filij, aut si unus alius supersit, sed inutilis prorsus, aut si parentes alat, uel si unus supersit è memorabili aliqua stirpe (nec magis in alio probem Augusti factum, quàm cum damnatum reuocauit nulla alia causa, nisi quod unus esset ex Brasidæ Lacedæmonij descendentibus) uel quoniam incorruptus sit ei ad pecuniam animus, considerat. Aequitatis uerò est, si ueniam consecutus est ab his quos læsit, si alij ex eodem crimine dimissi sunt, si alat filios eius quem interfecit, si se religioni addixerit, si sui miseri sint, si non existimauit occisurum, si desperatione & multitudine calamitatum ad id compulsus est. Non ergo iustum est ex lege iudicare, nisi in ciuilibus causis, propter confusionem, & rei de qua agitur humilitatem. Errare enim in pecunia, multo minus est quàm in criminib. capitalib. ubi infamia

morti

morti adiungitur, & ubi ex præscripto legis agitur: ut apud Areopagitas. Et tamen duas liberarunt, quas lex damnabat: ut apud Valerium Maximum legitur. Adeo laudabilis est clementia & misericordia, ubi non pro pecunia adipiscenda crimen admittitur. in cæteris enim ad mitiorem semper partem inclinandum est. Cogita uir inique, qui alium damnas, quanta tu admiseris, quali tu pœna dignus sis, ni te calliditas tegat, potentia nimia tueatur. Qui in pauperes & impotentes sæuit, excusari nequit, quod se norit esse nocentem. Qui legibus homines damnat, rarò in id quod rectum est collimat. Puniuntur homines tribus ex causis, uel ob id ut improbus tollatur è Republica, uel ob exemplum, uel ob solatium eorum qui offensam passi sunt. Si ut improbus è Repub. tollatur, nulli sunt puniendi nisi qui uel ipso uitio oblectantur, uel qui ob pecuniam id agunt. Verisimile enim est, huiusmodi hominibus facultatem peccandi nunquam defuturam. Reliquos, & maximè iuuenes, sinere oportet. saltĕ enim prole iuuare Rempublicam poterunt: maximè si artem aliquam calleant. Ob exemplum in atrocibus facinoribus, & in his ad quæ hominum genus procliue est: in cæteris nonnunquā pœna plus exemplo nocet, quàm absolutio. Considerandum est aũt præcipuè in his, quis iniuriam primus intulerit, etiam si leuior sit. Iniquissimum est, sinere insultos prouocantes: prouocatos aũt, etiam si maius admittant peccatum, punire. Ad solatium aũt eius qui offensam passus est, punire quenquam, ferinum est, imò uipereũ. Vsurparunt hoc ueteres pessimo exemplo, solum in bellis. unde illud.

Vinxerat & post terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, cæso sparsuros sanguine flammas. antea uerò dixerat: Sulmone creatos
Quatuor hic iuuenes, totidem quos educat Vfens
Viuentes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captiuoq; rogi perfundat sanguine flammas.

Sumptum etiam ab Homero, in Patrocli funere. Pòst edi munus gladiatorium per bustuarios cœpit, ut atrocia facti leniretur. Quid ergo est, ut in pacato iudicio detur hæc atrocibus & saucijs ira, ultionis desiderio, ambitione animis? Nulli ergo hoc dandum, nisi altera ex prioribus causis adsit. Tertium, quod in contentione erat, duo habet capita: unum, an simul iungantur utilitas publica, & pium iustumq; præceptum, decretumq;. deinde, si non iungantur, cui parendum sit, & quid præponendum. In hoc omnes & reges & aulici & magistratus decipiuntur, hoc conantur tueri, & duo esse diuersa, & Reipub. potius quàm pietatis habĕdā rationĕ. Hic pugna, tametsi occulta, hic dissidia oriũtur. Dicũt, melius esse Reipub. fauere, opulentis fauere, potentib. magnisq; uiris. Hoc suadent improbi fures regibus, hoc agunt re, tametsi dissimulent.

Et pri-

Et primùm quidem ratione id defendunt, quod à miseris & humilibus nullum immineat periculum, ingens autem à potentibus strenuis & opulentis. & cõtrà opulenti multis in causis amici prodeße possunt, inopes nequaquam. Non aliud philosophi et poetæ dicunt, quàm euersa regna ob nobiliorum offensas: tenuiorum nullum, aut unum alterum ue exemplũ. Pauciores etiam in officio continere, multitudine facilius est Ergo si tenuioribus faueas, non propter id continebis multitudinem, sed cogêris plurimis fauere: nec tamen ob id multitudinem tibi amicam habebis. Potentes etiam sunt magis natura grati et memores, ut qui sint meliorum morum, & magis agnoscant beneficium. Vident etiam & ostendunt regna nunc Turcarum, Gallorum, ac omnia (ut dicã) adeò ut etiam Respub. quæ diuturna sunt & antiquis firmiora, quæ fauent potentioribus. Ita hæc persuadent regibus iniquißimi uiri: cum non solum honestius sit ac magis pium, ut dixi, fauere tenuioribus: sed securius principi, & diuturnitati Reipub. ac cuiuscunq; dominationis utilius. Itaq; in utroq; errare faciunt, ipsi non errant. nam sic uenditantes iusticiam, quam tenuioribus uenditare ob paupertatem non possent, prætorias domos & alta palatia construunt: & fundos poßident adeò latos, ut persæpe fines eorum ignorent. Sed maledictis non his opus est, quæ plus illi non curant quàm dij preces simiarum. Pugnandum est ratione, nec adducam quicquam ex Deorum ira atq; uindicta: cui si crederent, ut Philippus Argemonus optimè dicit, opus non esset mea admonitione. Deinde etiam si crederent, scio nihil grauius posse eorum auribus contingere, quàm quotidie offundere has minas: dicentes (quod uerum esse fateor) me non esse Dei συμμύστην. inde reuocatis consilijs, uel statim ueniam párere per exomologesin. quod ego non nego, modò præstes quod ex iure illius est. Alij dicunt, sermones institui oportere de præsentibus: nam futura incerta sunt. Omittamus ergo, quandoquidem paucos secus habituri sumus auditores, sermones pios. nam in his nullum est dubium, nec apud ipsos: & de principum utilitate disseramus. Si potentibus faueant iudices, si illos plus iusto euehant, principes tria maxima sequuntur incommoda, quæ ad euersionem dominationis faciunt. Primùm, quod pecuniæ in paucos & potentes congentur, unde necessitatis tempore tributa exigere non licebit: hacq; ex causa uicti cessere tandem semper Galli. à plebe enim facilè est pecunias habere: tum quia facilius parent, tum quia auctis uectigalibus crescunt reditus principum absq; periculo. Secundum, quod si per iniusta procedatur, & ad potentiores semper procedat fauor, necesse est ut breui res in tyrannidem euadat, & regnũ uel Respub. ruat. quod & Romæ, & in Parthorum ac Britannorum alijsq; plurimis regib. euenit, qui ab his quos iniustè euexerant, euersi sunt. Tertium est, quòd

est, quod crescentem potentia uel unius ad fastigium, uel plurium satraparum, ualde necesse ut regnum maximo cum rege in periculo sit, seu illi inter se conue niant, seu dissideant. Porrò quàm inualida sint huiusmodi regna quæ poten tioribus fauent, ostenderunt in Italia nostra ætate Neopalitanum, Insubrum, Taurinum & Salassiorum: quæ omnia nostra ætate dominos commutarunt. Sic & Florentia ac Sena. Solæ Venetiæ, Ferraria ac Mantua diu steterunt: om nes munimento situs potius quàm gubernationis, præter Venetias: sed hæ ius æquum custodiunt melius. Turcarũ potentia stat ob reuolutionem. serui enim sunt omnes: nec potentia uel opes ad descendentes perueniunt. ob id fauere po tentiorib. aut tenuioribus, pro eodem habentur. At non sic Pannoniæ regnũ, quod & nostra ætate concidit, semper instabile antea, licet nunquã aliàs euer sum. Incredibile est quàm facilè concidant hæc regna, in quibus iudices poten tioribus fauent. nam regnum Neapolitanum & Mediolanense, uix toto trime stri spacio conciderunt prorsus. Taurinum, uel mense toto: Salassiorum, uix octo diebus. Speciosa est pompa horũ procerum, sed ut uitrea organa magni sumptus, inutilis. Si petis, non dant: si imperas, non obediũt: undiq; discordiæ, seditiones, contentionesq; fluctuant. Regis magnitudini aut inuident, si nihil det: aut damnosi, si dat. quandoq; utroq; modò noxij. Nihil est nocentius regi bus procerum potentia. Si quicquam peccet princeps in illos, facilè cõspirant in unũ, ob paucitatẽ: facilius irascuntur ob ambitionẽ. Vidistis infelicẽ casum Pharnesij ducis: hoc metuere à tenuis fortunæ uiris nõ poterat. Quinetiã mul ti ex his adeò amentes sunt, ut pluris se existiment rege. cum enim plures sint potentes, quid mirum est si unus aut alter eò dementiæ ueniat? Hoc insaniæ genus, si secus mente ualeant, incredibile dictu quanta & qualia mala ipsi regi pariat. Quis princeps apud nos regnauit è Vicecomitum aut Sfortiadum fami lia, quẽ non aliquis ciuis noster, etiam sine causa, sed sola ambitione, ferro ag gressus sit? pauci certè. Forsan pluribus sufficere posßit exemplum illud Tar quinij ad legatos filij, cum loco responsi capita papauerum quæ superemine bant uirga decuteret: insinuans, tutò Gabijs non imperaturum, nisi eos qui potentia præcellerent, tolleret.

Ergo si diuino humanoq; iure tenemur fauere tenuioris fortunæ uiris, nec non miseris, iusteq; id ac secundũ leges: Nero uerò id maximè præstitit: haud dubium est, Neronem non fuisse optimum uirũ. atq; etiam perspicuum, quare pro improbo habitus sit. Turba enim illa omnis, primùm aulica, inde potentio rum ac Senatus, deinde gratiosorum (scitis quos dicam) nec non fœneratorũ, quorum & nunc maxima est potentia, historicorum, ducum, militum, aduer sus Neronem conspirauit: non in initio principatus, nam tũ Burrus ac Seneca

suis fœneratoribus ac potẽtioribus fauebant. quod si quem oppressissent, illis, non principi imputabatur. ita aliquandiu Nero iacuit & seipso deterior, & laudatus: cum his placeret ciuibus, qui plurimum possent. Verùm ubi patrocinium iusticiæ, æquitatis, tenuiorum ac miserorum, tum plebis suscepit: inde repentè crudelis paricida, impius, infamis, omnium mortalium pessimus dictus est. Hæc igitur ut ostendamus, beneficia illius in omnes bonos, in omnes dico, in plebem & miseros atq; abiectæ sortis homines, in memoriã reuocemus: id prius prædicentes, Neronem bono magis animo, & meliore quàm felici successu rerum suarum fecisse. Vt enim non sinunt potentiores, plurimum posse atq; superare leges: ita ubi iam occupauerint illi, non ualde tutum est deijcere eos è loco. Itaq; legibus potius proterendi sunt tunc proceres, quàm imperantis uoce ac iussu. Leges per plures administrantur, imperium per unum, imò ipsum principem. Quocirca Nero non tantum potuit hac in parte habere consilij, quantum erat necesse. Verùm ætatis feruidæ confidentia plus sibi tribuit quàm posset. Vnde etiam illa uox emanauit: Nullus ex principibus, qui me præcesserunt, sciuit quid sibi liceret. quam in deteriorem partem, ut reliqua etiam alia, interpretati sunt: quasi non de cohibendo potentiorum iniurias in tenuiores loquerentur, sed inferendo. Adiecit & aliud incommodum, quòd se theatro, cantui citharæ, histrionicæ, aurigationiq; dedit: quæ tametsi crimina non essent, autoritatẽ tamẽ in tanto periculo, quam necesse erat maximam esse, imminuerunt. Quatuor enim necessaria sunt ad procerum iam confirmatam potentiam euertendam: Sapientia summa in constituendo leges & iudices, & ut eò non tendêre uideantur: summa autoritas, ut etiam uita religiosa sit: uitæ diuturnitas: & bona fortuna quædam, sine qua nil arduum inter mortalia perficere, multa excogitare licet. atq; in hoc genere sunt filij, affines, cognatiq; ac amici, potentia fide consilioq; præstantes. Sed iam ad leges & benefacta Neronis ueniamus, quæ plura sunt quàm quæ à me collegi facilè possint. Primùm ergo de annonæ abundantia testis ille iniquus Cornelius Tacitus, cum de Neronis discessu ageret, inquit: Præcipua cura rei frumentariæ, angustias, si abesset, populo metuenti. Quid hoc? nisi quod per absentiam illius horrea concluderentur, præsentia paterent? ita nequissimi illi optimates pessimorum plebem enecabant. Et rursus: Cum urbs, ut dixi flagrasset, precium frumenti minutum ad ternos nummos, ut pauperibus consuleretur. Aliàs stratagemate usus, effuso frumento ueteri in Tyberim, non permisit, tametsi in magna penuria, precium augeri. Nec unquam sub illius imperio fame laboratum, nisi extremo tempore, cum non potuit auxiliari. Sed ad decreta ueniamus. Initio principatus, professus (quod

(quod etiam, ut Tacitus refert, præstitit) se non omnium negociorum iudicem futurum, ut clausis intra domum unam accusatoribus & reis paucorum potentia grassaretur, teneret antiqua munia Senatus, consulum tribunalibus Italia & publicæ prouinciæ assisterent, illi patrum aditum præberent: se mãdatis exercitibus consulturum. Inde constitutum, ne quis ad orandam causam mercede aut donis emeretur, ne designatis quæstoribus edẽdi gladiatores necessitas esset. Statuas aureas à Senatu oblatas, & initium anni ut ad Decembrem mensem (quo natus erat) transferretur: & Antistij collegæ in consulatu iuramentum in manus suas prohibuit, nec passus est accusante proprio seruo Carinam Celerem, nec Iulium Densum ob inuidiam inter reos duci. Quinetiam raro exemplo accusatos Burrum præfectum, Pallantem atque Cornelium Sullam affectati imperij, non solum plenè absoluit, exustis etiam tabulis, sed & accusatorem in exilium damnauit. Detraxit & in spectaculis theatri militem, ut plebs liberior esset. Sed hoc diu manere non potuit, nimia plebis licentia: quæ in partes diuisa, dum diuersis studijs immodicè fauet, penè seditionem excitauit. Cumq; liberos ad seruitutem redigere rursus quidam conarentur, ob non satis graues causas inhibuit, additis etiam his uerbis: Dispiceret quisq;, dum liberaret seruum, illius merita: tardeq; concederet, quòd datum non adimeretur. Inducti etiam tribuni non adeò soluta licentia, sed tum qui plebis commodis consulerent: statutumq;, quantum Aediles pignoris capere possent. Et tribunus Eluidius Priscus contra Obultronium Sabinum contentiones exercuit, quòd quæstor ærarij contra inopes ius hastæ inclementer exerceret. Elegit & ad quæsturam illam prætura perfunctos, & experientia probatos. Antium coloniam deduxit, additis ueteranis è prætorio, ditissimisq; primipilarium, portuq; sumptuosissimi operis extructo. Capuam & Nuceriam firmauit additis militibus: plebeiq; congiariũ quadrigeni nummi uiritim dati: Et sestertium quadringenties ærario illatum, ad retinendam populi fidẽ. Vectigal quoq; quintæ & uigesimæ uenaliũ mancipiorũ remissum. Et quod optimum fuit, edixit ne quis magistratus aut procurator qui prouinciam obtineret, spectaculum gladiatorũ aut ferarum aut ludicrũ aliud quoduis ederet. Nam antè non minus largitione quàm corripiendis pecunijs subiectos affligebant: dum quæ libidine deliquerant, ambitu propugnant. parum uerò absuit ne cũcta uectigalia tam in cæteris prouincijs quàm in urbe & Italia pulcherrimo dono mortaliũ generi aboleret. Sustulit tamẽ quadragesimam & quinquagesimam, & quæcunq; illicitis exactionibus excreuerant. Cossutianus uerò Capito & Vibius Secundus, pluresq; alij sub Nerone repetundarum damnati sunt. Contra Valerium Messalam collegam in consulatu,

ſed pauperem, & duos ſenatores ad inopiam redactos, pecunia in ſingulos annos conſtituta ſubleuauit. nec eos tantum, ſed (ut Suetonius inquit) quoſcunq; nobiliſſimi generis, e tiam ad quingena ſalario anno conſtituto. P. Suilium ut damnauit, quãq; Senatorẽ, ob ſcelera, ita ne uideretur inuidiæ quorundã in patrem ſubſcribere, filium illius Nerulinum abſoluit: tametſi Seneca, qui tum plurimũ poterat ob Neronis ætatem, & patri illius erat inimiciſſimus, reluctare tur. Pomponiam Græcinam, externæ ſuperſtitionis ream, pulcherrimo exemplo coniugi Plancio conceſſit: qui eam adhibitis propinquis inſontem pronunciauit. Leges publicanorum ad id tempus in fraudem exactionum occultatas, publicari iußit: & ne quis corũ ultra annum poſſet repere debitum. Et cum ſibi iudices antea haberent, uoluit, ut Romæ prætor: in prouincijs qui pro prætore eſſent, ius aduerſus illos dicerent: et ut militibus immunitas ſeruaretur, niſi quid illi uenderent. Temperata etiã apud tranſmarinas prouincias frumenti ſubuectio: & ne cenſibus negociatorum naues aſcriberentur, nec pro illis tributum penderent, cautum eſt. Et ne ſegnem militem deſidia corrumperet, exercitum in Germania, poſtquam pax cum finitimis eſſet, coegit aggerẽ quo Rhenus cohiberetur, ſub Druſo cœptum ante ſexaginta annos, abſoluere. Exules impotentia matris pulſos patria, ubi illa perijt, ſuis ſedibus reſtituit: non quidem (ut dicunt) in matris iniuriam (neq; enim ulla illius alia decreta reſcidit) ſed quòd nec dum uiueret pulchrum putabat illi aduerſari, nec male acta quanquam in matre probaret, exitio præcipuè alieno. Ipſe uerò poſt epulas ſapientiæ doctoribus operam dabat, & pangendis carminibus, quæ certatim ætate æquales ſupplebant. doctus etiã cælare, pingere, canere, pulſare, equos curſu exercere & agitare. Pedius quidẽ Bleſus à Senatu motus eſt accuſantib. Cyrenenſibus, uiolatum ab eo Aeſculapij theſaurum. Quàm illud penè diuinum? Appio rex, agros quoſdam cum regno populo Romano reliquit. hos inuaſere quidam ciues Cyrenenſium, atq; occupauere. Orta inter Claudij Imperatoris procuratores & Cyrenenſes contentione de huiuſmodi agris, mittitur iudex Attilius Strabo, qui eos populo Romano adiudicauit. Tum Cyrenenſes de iudicis iniquitate apud Senatum conqueſti, remiſſi ſunt ad Neronem, ea ratione (puto) quòd res fiſci ageretur: ille pronunciauit, Attilium rectè iudicaſſe: agros tamen Cyrenenſibus reliquit. Dicam miranda, tamen uera, de miti illius ingenio atq; prudentia. Fulſerat cometes. Populus ingratus, & nouarum rerum cupidus, deſtinarat ſua exiſtimatione Neronem morti: quòd huiuſmodi ſidera mortem principum prænunciare uideantur. iam illi quærit ſucceſſorem, eumq; Rubellium Plautum, ex Iulia familia per matrem originem ducentem, iuuenem clarum opibus, augurio etiam ad

ſpem con/

ſpem confirmatum. namque paucis antè diebus, dum Nero apud Simbruina ſtagna in finibus Tiburtum cœnaret, ictæ illi ſunt fulgure dapes: cum Plautus paternam originem ex Tiburto duceret. Hunc ergo tam ſuſpectum, ſatis habuit monere, præuè diffamantibus ſe ſubtraheret. habere in Aſia auitos agros, ubi tuta et inturbida iuuẽta frueretur. Cũ aliquãdo comitia Prætorũ, arbitrio Senatus haberi ſolita, nimiũ ob cõtentionẽ exarſiſſent: Nero optimè cõpoſuit contentionẽ, eos qui ſupra numerũ petebãt (erãt autẽ tres) legioni præficiendo. Eundẽq; deinceps morẽ ſeruauit, ut Suetonius refert, in candidatis omnib. qui ſupra numerũ eſſent, ut in ſolatiũ moræ & dilationis legionibus præficerentur. Idem auxit Patrũ honorẽ, ſtatuẽdo, ut qui à priuatis iudicibus ad Senatũ prouocaſſent, eiuſdẽ pecuniæ periculũ faceret, cuius & qui ad imperatorẽ appellauiſſent: quaſi Senatus autoritatẽ, quanti principis, faceret. Factum eſt & Senatuſconſultum, ne rei ad prætorem deferrentur, pœnas à præfecto urbis euaſuri. nam præfectus urbis ampliorem habebat ſontes puniendi autoritatem. Et cum damnati eſſent ſerui Pedanij Secundi crudeliter, uellentq; etiã libertos damnare, uetuit, dicens: Si morem antiquum miſericordia nõ minuit, nec par eſt ſæuitia accendere. Idem in dedicatione Gymnaſij, oleum præbuit Senatui, equitibusq;, Græco more. Antiſtium, qui probroſa carmina in ſe factitauerat, ſatis habuit publicatis bonis in inſulam deportare: quanquam quaſi per Neronis iniuriam, à morte abſolutus eſſet à Senatu: cum Nero illum nulla in parte antea læſiſſet, quinimò tum prætor eſſet illius beneficio. Simili lenitate, ſed maiore etiã, in Veientonem uſus eſt: cui ſatis fuit ut libri exurerentur, (nec tamen conquiri omnes potuerunt, ſed paſſim habiti legiq; etiam poſt damnationem cœpere) & ipſe Italia pelleretur. eo autem mitior hæc fuit ſententia, quòd Antiſtium Senatus, Veientonem Nero condemnauit. Sanxit quoq;, ne ſimulata adoptio ulla in parte orbos iuuaret, ac ne uſurpandis quidem hæreditatibus, cum antea multi per has adoptiones priuilegia uerorum parentum occuparent. atq; hæc Senatus autoritate. Illud ſine ea, ut qui è prouincijs diſcederent, non in prouincia illorum collegijs, quod in fauorem paucorum cedebat, ſed Romæ proprætoribus aut proconſulibus gratias apud Senatum agerent. Idem diſtinxit in ſpectando equites à plebe, cum antea ſolum lege Roſcia de Quatuordecim ordinibus cautum eſſet. Id autem iuſtiſſimè. nam ut in opibus fauere oportet miſeris ac inopibus, ita in honoribus his qui eos promerentur. Sic enim æquatis (ut ita dicam) æquitatis etiam fauoribus, & hi commodius, & illi honeſtius uiuere poterunt. Sexcenties quoque ſeſtertiũm annuũm, id eſt quindecies centena millia coronatorum largitus eſt Reipub. qua munificentia quid poteſt eſſe præclarius? quod ue maius ar-

gumentum amoris in plebem? Et tamen cum ad fanda infandaq; cæterorum principum gratias publicè agerent, supplicarent, ac uota facerent diis, hanc ut leuissimam rem silentio fermè obliterarunt. Et Tacitus ipse, qui illam refert, quia nil maius referri potest, duobus uerbis eam transigit, quasi de re non admodum certa ageret: cum tamen, quamdiu Nero uixit, locum habuerit, & omnium in oculis esset. Cur hoc? Dices, nescio: At ego bene scio. quoniam hac pecunia dissoluebatur fœnus plebis, redimebantur agri potentioribus oppignorati, emebatur annona ex publico: quæ omnia cum in iacturam cederent fœneratorum, Senatus, qui talia mercabatur, & potentiorum, quibus non sufficit esse ditissimos nisi omnino & domos & agellos & uxores & filias filiosq; miserorum occupent: ideò pro tam ingenti beneficio nullas reddiderunt gratias. Iustè igitur factum est, ut quas illi gratias tam ingratè agere noluerunt, quas diis preces fundere pro eius salute meritas neglexerunt, cogerentur ira numinum pro cædibus coniunctissimorum agere ac fundere: pueros contumaces imitati, qui cum non pro beneficijs gratias reddunt, reddunt pro flagris. Qui admirantur me Neronem elegisse inter tot principes, quem Laudarem: desinant iam admirari, nisi ostenderint alium quēpiam imperatorem aut regem etiam antea uel pòst simile quid, aut pro ratione redituum donasse perpetuò suæ Reipublicæ. Iam tum & illud bene actū, quòd nationes alpium maritimarum mitius Latij transtulit. Senatum etiam edicto increpuit, quòd hortorum potius amœnitati inseruirent, Reipub. munia desererent: eorumq; exemplo equites ad segnitiam uerti. Cladem Lugdunensem quadragies sestertio solatus est, ut amissa urbi reponerent. Non inter laudes uocem illam reposuerim, quam cum damnati cuiusdam supplicio subscribere de more cogeretur, edidit, scilicet: Quam
„ uellem nescire literas. fictam enim aut puerilem esse contendent. Similiter nec illud recensebo, cuius tamen meminerunt quidam, ut magnifici responsi. Cum enim accusaretur apud illum Thraseas, iam ob contumaciam inuisus, quod
„ esset iniustus: respondit Nero, Vtinam tam me Thraseas diligat quàm iustus est iudex. Quæ enim admiranda sunt in alijs, ad laudem Neroni, ob eam opinionem quòd compositus ad simulationem existimaretur, prodesse nolumus. Sed ad facta redeamus. Recitat Seneca, fuisse Demetrium quendam Cynicæ sectæ uirum sanè probum, sed (ut mos est hominum illorum) iacentem inter stipulas nudum. huic tamen ducenta sestertia, id est aureos coronatos penè quinquies mille transmisit, quos ille solita ei genti stulticia renuit. Ille idem, eodēq; autore teste, duos misit centuriones in Aethiopiam, qui quàm diligenter de

Nili

Nili origine ſcrutarentur, eidemq; referrent. Silium Italicum, notiſſimum poetam, & uirum eruditũ atq; probum, ſupremo anno conſulẽ fecit. Amaſſe literatos & eruditos, ac nemmi nõ potẽti uiro infenſum nõ fuiſſe, imõ perhumanũ, declarant uerba illa Suetonij: Sed neq; autores requiſiuit, & quoſdã per indicem delatos ad Senatum affici grauiore pœna prohibuit. Tranſeuntẽ eum Iſidorus Cynicus in publico clara uoce corripuerat, quod Nauplij mala bene cantitaret, ſua bona malè diſponeret. Et Datus Atellanarũ hiſtrio in cantico quodam ὑγιαῖνε πάντες ὑγιαίνω μόνος, ita demonſtrauerat, ut bibentem natantẽq; faceret: exitũ C. Claudij Agrippinæq; ſignificãs. et in nouiſſima clauſula,

Horcus ducit uobis pedes,

Senatum geſtu notaret, hiſtrionem & philoſophum: Nero nihil amplius quàm urbe Italiaq; ſubmouit, uel cõtemptu omnis infamiæ, uel ne fatendo dolorẽ irritaret ingenia. Quis eſt uel noſtrorũ regũ, qui tot cũ titulis pietatis talia ferat? qui nõ magis in deprehenſos ſæuiat? Idem Suetonius refert, Domitianũ propter quaſdã in hiſtoria figuras Hermogenẽ Tarſenſem occidiſſe, librarijs etiã qui eã deſcripſerãt crucifixis. Quare uelim eos qui tã anxiè in Neronis famã graſſantur, cogitare homines omnes eſſe: neq; Neronẽ dijs, ſed hominibus cõparandũ. Quod ſi hoc animo cenſurã actorũ Neronis agere uelint, minimè tanquã Neronis aduocatus recuſo. Verũ in alijs cauſis hoc requiro, in hac ſanè nõ: cum dijs enim patientia conferri poſſe cõtendo. Iuuenis ſecurus omniũ, ſine cauſa laceßitus, tot beneficijs in Rẽp. in omnes bonos fruſtra collatis, loco gratiarũ perpetuas calũnias & probra ſibi perpetuò objici ſentiẽs, atq; ob id non mediocriter iratus, plus tamẽ tribuit hominũ uirtuti quàm cauſæ iuſti doloris. Quis auſuit unquã ſub Nerone, præter Senecam, maximorũ malorũ autorẽ, quenquã ſtudioſum aut eruditũ uel philoſophũ damnatũ, uexatum, malè habitũ? Tiberius cũ inter Græculos quotidie uerſaretur, cum publicè profitẽtes audiret, Gymnaſia frequẽtaret, Zenonẽ exilio, Seleucũ (ambos grãmaticos) ſine cauſa morte damnauit. C. Caligula meditatus eſt Virgilij & Liuij ſcripta abolere. Sub Claudio exuſti libri Labieni, q Rabies cognominabatur, cum quorum cineribus uiuum ſe uoluit ſepulchro inferri. Quantus in oratoria arte, quantus in utraq; lingua fuerit, ex hoc perſpici poteſt, quòd apud Claudiũ tunc nõ ſolũ imperatorẽ, ſed etiã conſulẽ, & gratias egit pro adoptiõe & pro Bononiẽſibus latinè, & pro Rhodijs et Iliẽſibus Græcè perorauit. Notiſſima eſt oratio illa eius ad Senecã, huiuſmodi: Et qđ meditatæ oratiõi tuæ ſtatim occurrã, id primũ tui muneris habeo, q me nõ tãtũ præuiſa, ſed ſubita expedire docuiſti. Auus meus Auguſtus Agrippæ et Mæcenati uſurpare ocium poſt labores cõceßit: ſed in ea ipſa ætate, cuius autoritas tueretur

quicquid

quicquid illud & qualecunq; tribuisset. Attamen neutrum datis à se præmijs exuit. Bello & periculis meruerant. In his iuuenta Augusti uersata est. Nec mihi tela & manus tuæ defuissent, in armis agenti. Sed quod præsens conditio poscebat, ratione, consilio, præceptis, pueritiam, deinde iuuentam meam fouisti. Et tua quidem erga me munera, dum uita suppetet, æterna erũt. Quæ à me habes, horti, & fœnus, & uillæ, casibus obnoxia sunt: ac licet multa uideantur, pleriq; haudquaquam artibus tuis pares, plura tenuerũt. Pudet referre libertinos, qui ditiores spectantur. Vnde etiam rubori mihi est, quod præcipuus charitate, nondum omnes fortuna antecellis. Verùm & tibi ualida ætas, rebusq; & fructui rerum sufficiens, & nos prima imperij spacia ingredimur: ni si fortè aut te Vitellio ter cõsuli, aut me Claudio præponis. Sed quantum Volusio longa parsimonia quæsiuit, tantum in te mea liberalitas explere non potest. Quin si qua in parte lubricum adolescentiæ nostræ declinat, reuocas, inornatumq; robur subsidio impensius regis. Non tua moderatio, si reddideris pecuniam: nec quies, si reliqueris principem: sed mea auaricia, meæ crudelitatis metus, in ore omnium uersabitur. Quod si maximè continentia tua laudetur, non tamen sapienti uiro decorum fuerit, unde amico insaniam parat, inde gloriam sibi recipere. Et rursus de illius ingenio atque peritia, maximè in poesi, Suetonius: Liberales disciplinas ferè omnes puer attigit. sed à Philosophia eum mater auertit, dicens imperaturo contrariam esse: à cognitione ueterum oratorum Seneca præceptor, ut diutius eum in admiratione sui detineret. Itaque ad Poeticam pronus, carmina libenter ac sine labore composuit: nec (ut quidam putant) aliena pro suis edidit. Venere in manus meas pugillares, libelliq; cum quibusdam notißimis uersibus, ipsius chirographo scriptis, ut facilè appareat non translatos, nec aliquo dictante exceptos, sed planè quasi à cogitante atque generante exaratos: ita multa & deleta, inducta & superscripta inerant. Sed ueniamus ad edicta, in quibus (ut dixi) præcipuam habuit Reipub. curam. hæc enim solum addidi, non ut prodessent, sed ne obessent. Et patri & matri præcipuos detulit honores, non solum quandiu uixit Claudius, sed etiam semper post obitum: quamuis etiam Seneca ad contrarium adhortante, ut etiam ex impurißimis illius in Claudium uersibus, qui adhuc extant, apparet. Sed & matri, quantum quisque alius princeps detulit: & sæpe cum illa in publicum se produci uoluit. Et auspicanti signum Tribuno, optimæ matris signum dederit, eò usque procedens, donec illa non satis habuit quibuscunque modis ornari ut matrem Imperatoris, sed concupiuit imperare. atque inde signa dedit etiam, nec si quieturam: uerùm uel cogi Neronem illius esse coniu-

coniugē, contra omnia naturæ ac gentium decreta: uel illam alteri nupturam, cui deferret imperium. Profitsus etiam est, ex præscripto Augusti imperaturum, nec liberalitatis (inquit Suetonius) nec clementiæ, nec comitatis quidem exhibendi occasionem ullam omisit. Grauiora uectigalia aut aboleuit, aut minuit. præmia delatorum ex Papia lege ad quartas redegit, diuisis populo uiritim quadringenis nummis. Adhibitus sumptibus modus publicæ cœnæ ad spor tulas redactæ. interdictum, ne quid in popinis cocti præter legumina aut olera ueniret. usum Tyrij Amethystini que coloris non nisi certis personis indulsit. Oēs ordines subinde & memoriter salutauit. Agenti senatui gratias respon dit: Cū meruero. Recusauit & Patris patriæ nomē, ut minimè ætati eius con gruens. Recitauit & carmina non modò domi, sed in theatro, tanta uniuer sorum lætitia, ut ob recitationem supplicatio decreta sit, & pars carminum aureis literis Capitolino Ioui dicata. Vetuit & quadrigarum lusus, quibus inueterata licentia passim uagantibus fallere ac furari per iocum ius erat. Pantomimorū factiones cū ipsis simul relegatæ. Auersus falsarios: tū primùm repertum, ne tabulæ nisi pertusæ, ac ter lino per foramina traiecto obsignaren tur. Cautum, ut in testamentis primæ duæ ceræ, testatorum modo nomine inscripto, uacuæ signaturis ostenderentur: ac ne quis alieni testamenti scriptor legatum sibi ascriberet. Statuit &, ut litigatores pro patrocinijs certam iustamq; mercedē, pro subsellijs nullam omnino darent, præbente ærario gratuita: ut que rerum actu ab ærario causæ ad forum ac recuperatores transferrentur, & ut omnes appellationes à iudicibus ad Senatum fierent. Parauit autem expeditionem ad Caspias portas, ex Ecbatana in Parthiam tendētibus, ex tyronibus senum patrū Italicis conscripta legione, ut barbaris terrori esset pariter, & admirationi. Primus quoque rastro in Achaia humum effodit, Prætorianos ad Isthmum fodiendum cohortatus. Primus quoque corbulo congestum humeris extulit, exemplo cauens, ne quenquam laboris pigeret. Culpatur à Luciano id factum, & à uulgo, non ob aliud quàm exitum. Ferunt enim Cæsarem dictatorem, Caligulam etiam antea, sed infelici (ut apparuit) successu, rem eandem tentasse. Sed Philostratus docet, Neronem destitisse non difficultate rei, nec timore ne perficere non posset, sed ne Aegina submergeretur: uel etiam, ne Romanis hoc pro infausto omine esset. nā mutationem imperij hoc facto portendi affirmabant. Nec magis felicem fuisse Seleneum Nicanorem, qui Isthmum qui dirimit Euxinum à Caspio mari, quàm etiā Cæsarem, qui tentarit Corinthiacum dirimere. Sed & Cnidios uoluisse propriam Isthmum effodere, prohibitos que ab oracuło. Hæc uolui adduxisse, ut respon-

ut ostenderẽ Neroni nec defuisse animũ ad maximas res conficiendas, nec consilium, ut quæ agenda non essent, spe gloriæ facere concupierit. De liberalitate autem eius, quid dicam? cum diuitiarum & pecuniæ fructum nullum alium arbitraretur, quàm profusionem? In cunctos liberalis fuit, in plerosq; uerò etiam magnificè splendidus. Prætorianis suis frumentum distribuebat, mensiruumq; gratuitum. quo fit ut demirer, quomodo in eum tam ingrati esse potuerint. In Tyridatem, quem ex Armenia aduocauit, D. C C C. nummûm in singulos dies, id est aureorum millia penè uiginti dedit: abeunti quinquies ac uicies centena millia. hanc liberalitatem ut in externum, imò inimicum, multi uituperant: at ipse pulchrum putauit, non solum Regem in finibus imperij & procul Roma contimere beneficio atque metu potentiæ, cum ibi Parthi & Persæ, Romanis inuictæ utræque gentes, incumberent: apparuitq; hoc consilium fuisse salutarius quàm Traiani, & multo magis quàm Iuliani ac Valeriani. Cæterùm quod ad summam pecuniarum attinet, magna est, seorsum id æstimantibus. sed cum ad bellum eadem comparatur, nihil est. Hoc uerò est quod solus forsan Nero, aut saltem cum paucis, intellexit: mininum bellum plus exhaurire pecuniarum, quàm quotannis prodigentia. Sed & illud considerare dignum est, Neronem multa didicisse à Tygrane circa magiam, multa uidisse quæ illi chariora regno ipso fuere. nam de manibus fermè, quod essent, certior factus est. Græciam quoque uniuersam liberam pronunciauit. Inde satis frigidè in libro de Sera numinis uindicta fingitur, cum damnatus esset Nero ob parricidium, quispiam illum à pœna exemit dicens: Et Neroni à Deo aliquid debetur, quòd maximè carum illi Græcorum genus, à seruitute & oppressione liberasset. Non ausus est Plutarchus, quamuis Græcus, testimonium integrum de Neronis uirtute referre: quòd sciret quàm ille popularis fuerit, & optimatum potentiæ inuisus: quodq; idem esset laudare Neronem, ac illius probare gesta: quod perinde esset atque animare principes ad iusticiam tuendam, premendosq; insolentes optimates, è quorum numero non solum ipse, sed eius amici, ob Traiani consuetudinem, erant. Quinetiam inter admirandas illius fuit uirtutes, alea non lusisse: cui Augustus primùm, inde Caligula & Claudius totos dies insumebant, adeò ut etiam essendo uect non cessarent. Studia aleæ ob auaritiam & publicis damnata legibus, id maximè efficiunt, ut principem à studio administrationis Reipub. auocent. Itaque maximo malo ac flagitio caruisse Neronem constat. At hoc parum putant: puniuntúrque multo minora scelera ludo, fœnori atque rapinis

pinis nullus impositus modus. Quid deterius est, rogo, aut esse alea potest? & tamen eam isti acres censores, plebi soli minitantes, inultam relinquunt. Est'ne quid, aut esse potest, aut etiam excogitari, deterius alea? cur ergo relinquunt, ne prodant uitium suum? Reges enim atque potentes ea delectantur. Hæc armat filios in patres, hæc furari cogit, eripit tempus, ad execrationes aduersus Deos impellit: uanas alit spes, illicita lucra præstat, spoliat filios familias, urget mulieres & adolescentulos (si quid aliud) ad impudicitiam perferendam: gulæ, profusionis, meretricum debacchationis ministra: ibi lenones, fures, impij, sacrilegi, parentum contemptores, inertes, improbi, proditores unà congregantur, inficiuntq; uniuersam urbem.

Laudatur Augustus & Claudius, qui aleæ operam dederunt: uituperatur Nero, quòd citharam pulsauerit, innoxio & facto & exemplo. adeò peruersa sunt hominum iudicia. Cur adulteria & puerorum concubitus, & furta & latrocinia, & impietatem & execrationes, & perfidiam tabulasq; falsas punitis, modum ganeæ imponitis: radicem omnium malorum integram relinquitis? an ideo, ut etiam in cæteris malis, ut repullulet? nec est ministrorum uotum excindere uitium, sed habere quo ditentur. Si uos nullus Dei metus mouet, moueat saltem pudor Maumethanorum, apud quos alea perhibetur ut certè malorum maximum. Atq; hæc circa mores uirtutemq; illius, leges atq; instituta dicta sint. Cæterùm in adornanda urbe nullus ei comparari, nedum æquari potuit. Vbi enim ex quatuordecim, ut dictum est, regionibus tres penitus conflagrassent, septem deturpatæ omnino incendio exustis reliis essent, relictæq; tantum quatuor fuissent intactæ, totam sic urbem restituit. Non enim ut post Gallica incendia, domus nulla distinctione, nec passim erectæ: sed dimensis uicorum ordinibus, & latis uiarum spacijs, cohibita ædificiorum altitudine, ac patefactis areis, aditisq; porticibus quæ frontem insularum protegerent, eas porticus Nero sua pecunia extructurũ, purgatasq; areas dominis traditurum, pollicitus est. Addidit præmia pro cuiusq; ordine, & rei familiaris copijs, finiuitq; tempus intra quod effectis domibus aut insulis adipiscerentur. Ruderi accipiendo Hostienses paludes destinabat, utq; naues quæ frumentũ Tyberi subuectaßẽt onustæ rudere decurrerẽt: ædificiaq; ipsa certa sui parte, sine trabibus, saxo Gabino Albanoq; solidarẽtur, quod is lapis igni imperuius est. Iã aqua priuatorũ licentia intercepta, quo largior & pluribus locis in publicũ flueret, custodes & subsidia reprimẽdis ignibus in propatulo quisq; haberet. nec cõmuniõe parietũ, sed proprijs quæq; muris ambirẽtur. Ea ex utilitate accepta, decorẽ quoq; nouæ urbi attulere. Erant tamẽ

qui crederent, ueterem illam formam salubritati magis conduxisse, quoniam angustiæ itinerum & altitudo tectorum non perinde solis uapore perrumperentur: at nunc patulam latitudinem, & nulla umbra defensam grauiore æstu ardescere. Ob hæc tanta tamq; inclyta in Rempublicam beneficia, non demiror Traianum optasse quinquennium primum Neronis. Quæ nam laus Imperatori maior, quàm ab Imperatore? bono uiro, quàm ab optimo? sapienti, quàm à prudentißimo? forti, quàm à fortißimo, contingere potuit? » Ob quæ etiam nec mirum illud, multis adeò post annis nunquam defuisse, » qui tumulum eius uernis atque æstiuis floribus ornarent: ac modò illius » imagines prætextatas in rostris proferrent, modò edicta quasi uiuentis, » & magno inimicorum malo reuersuri. Et Vologesem Parthorum re» gem mißis ad Senatum legatis de instauranda societate, hoc etiam ma» gnopere orasse, ut Neronis memoria coleretur. Denique cum post uiginti » annos extitisset quidam conditionis incertæ, qui se Neronem esse iacta» ret, tam fauorabile apud Parthos illius nomen extitisse, ut uehementer adiutus sit, ac penè restitutus. An uerò pietatem, & erga Deos uenerationem, quanquam id conentur historici euertere, multis modis ostendit: primùm, cum sacris Eleusinis interesse non est ausus: deinde, quòd cum in æde Vestæ esset, uniuersis membris tremore correptus est, adeò ut ab incœpto uenerandi illam destiterit. Apparet autem non superstitione detentum neglexisse Deos, sed superstitionem. cum enim omen quoddam sibi (ut uidebatur) faustum occurrisset, ueneratus est cœlum: tanquam sciret non Iunonem aut Palladem & reliqua deliramenta Deos esse, sed uitas cœlestes, atq; omnium conditorem summum Deum. Eius etiam causa promeruit, ut Diuino auxilio adiutus uideretur: & Neapoli cum theatrum cecidit, omnibus iam è theatro spectatoribus egressis: & cum in Artaxatæ oppugnatione intus tenebræ defensoribus essent impedimẽto, exterius clara lux faueret oppugnatoribus. Ergo si Nero diu suum potuisset imperium retinere, aut statim ei succedere ei similis, quàm bonus fuisset, omnes intellexissent. Quid enim profuit Augusto, ut bonus uideri potuerit, triumuiratus exitialis, quo omnes potentes & ambitiosi ac improbi ceciderunt? ut tum licuerit regere populos miti uirga. Post superuenit Tiberius, qui repullulasse animaduertens. improbos & contumaces uiros, non solum se trucem aduersus eos ostendit, sed & ex ipsis unum. Idem quoque accidit in Caligula. Sub Claudio rursus, per illius segnitiem collectis adhuc spiritibus redundarunt optimates hi, id est, tyranni potius: quos dum excindere Nero coactus est,

& re-

& regimen temperare erga bonos & miseros, pius & clemens ab aliquibus damnabatur. Eius tamen iusticia factum est, ut Vespasianus laudaretur: & Domitiani rursus seueritate, quae tamen non, ut Neronis, clementiae & iusticiae ac bonis artibus iuncta erat, omnes qui successerunt principes iusti & probi, excisis tot improbis, dici potuerunt. Traianus uerò omnium callidissimus, unicum praesidium inuenit, ut quoscunque pacis uirtutibus non probaret, in militiam duxerit. hac enim solertia sine odio cuiusquam quoslibet sceleratos aut sustulit, aut militiae laboribus & acerbitate fregit. quod consilium prudens, & Adrianus & Antoninus Philosophus secuti sunt magna cum laude. Sic uerò facile fuit, etiam eos qui domi manebant reddere bonos, dum facultatem poenae nimis pronam in Principe metuunt. Sed cum haec iam in Nerone probauerimus, metuo ne quis sinistrè interpretando, postquàm adeò facilis est lapsus in mala, existimet me probare principem, qui potentes, quòd potentes sint, premat, aut ex medio tollat. quod nec uitium in Nerone fuit. Verba Taciti referam: Eo anno mortem obijt Memmius Regulus autoritate, constantia, fama (in- " quantum praeumbrante imperatoris fastigio datur) clarus adeò, ut Nero aeger ualetudine, & adulantibus circum, qui finem imperio adesse dicebant, si quid fato patêret, responderit, habere subsidium Rempublicam. Rogantibus dehinc in quo potissimum responderit: in Memmio Regulo. Vixit tamen posthaec Regulus quiete defensus: & quia noua generis claritudine, neque inuidiosus opibus erat. Haec ille, adeò potentiorum factioni addictus.

Verùm cum tres sint dominandi formae: una, quae potentioribus fauet, ut olim Parthica, nunc (ne exemplo desit inuidia) omittenda, cum nullibi fermè non adsit: altera, quae nouis fauet hominibus, ut Turcica & Britannica: tertia, quae potentiorum insolentiam ulciscitur, illorum honoribus fauet, haec sola & diuturna & iusta est. nam secunda, etsi iniusta sit, plena est tumultibus: caretq; iusticia, quod per iniuriam potentiorum fiat. Vnde inter Turcas & Britannos tot caedes. Sed Britannica adhuc inconstantior est, quoniam plures familiae inter se ausae sunt de regno decertare: unáque consuetudine tantum stat illud regnum, quod per quantamcunque seditionem, coniurationem, proditionem, clademq;, nunquam neque in domos, nec agros, nec imbellem turbam saeuitur. qui mos si non esset, iam uicies regnum illud more Africanorũ funditus euersum esset. At in Ottomanis, nondum bellum ab aliquo qui ex aliena familia esset oriundus, exarsit. itaque & diu illa manet, & formam iusticiae retinet. Dum enim fauet potentibus, po-

tentes autem uariantur iuxta singulos principes, ut ex miseris fiant optimates: ita fit, ut lanx quasi æquetur, appellariq; potius possit fortuna quàm iniuria. At prima forma iniqua est, & minimè diuturna, dum qui iacet iacere semper cogitur: qui urget, acrius instat, securus conditionis suæ ac sortis. In tertia est hoc impedimentum, quòd si nimis confirmata fuerit optimatum potentia, nec diu manere potest sine regni exitio, nec euerti secure potest. Vnde quidam, qui per blandimenta illam euexere, caducum postmodum posteris suis regnum reliquerunt. At qui conati sunt iustè retinere regnum, cum persæpe cogerentur potentiam procerum frangere, in ipso regnandi medio, uel etiam circa initia conciderunt: ut Caligula, Nero, & multi alij, quos optimos fuisse nemo negat: ut Pertinax Seuerus, Alexander, Probus, Aurelianus, Claudius secundus, Caius. Qui uerò perdurarunt, non solum posteris tutum regnum reliquerunt, & firmum: sed etiam ipsi tutò & quietè regnarunt: uelut Augustus, & Pertinax Seuerus. sed hic discordiarum semina reliquit, dū diuidere imperium inter duos fratres moribus etiam, non solum studijs et odio dissidentes, uoluit. Quibus ergo huiusmodi regna obtigerint, opus est magna prudentia, fortitudine atq; uirtute: inde etiā bona fortuna, quæ diu uitam principis protrahat, nec ab externis hostibus impediatur. Cum ergo Nero hoc genus imperandi aggressus fuerit, iam coalita tyrannorum potentia per Claudij segnitiem, periculosum sibi, bonis miseris & Reip. utile iter ingressus est: in cuius medio, & multo antè, ne in principio dicam, concidit. Decepit eum Senatus autoritas, quam frangere oportuit, non uexare: alios legere, & ordinem aliū ei præficere. nā libertatis tempore magis à tribunitia potestate frāgebantur, quàm sub Nerone ab Imperatore. quod apparuit in damnandis Sorano atq; Thrasea: ubi necesse fuit Senatum globis militum terrere, quo nil deterius, cum autoritas relinqueretur, uis autoritati intenderetur, & confessio metus patefieret. hæc autē stultè à Tigillino excogita fuere, qui amicitiæ principis cum suo genero Cossutiano Capitone illudens, ne potentia eius infringeretur, maluit Tribunis plebis suam non restituere: quæ unum erat aduersus Senatum auxilium. nec poterat Nero, in tanta suorum solitudine, in tanta potentia tyrannorum, Senatus conspiratione, seculi licentia, urbis ambitione, ciuium flagitijs, odio aduersus Cæsarum nomen, adhuc recenti libertatis memoria & exemplo uetusto post tam diuturnā regum seruitutem excussi iugi. Itaq; quanquam expediebat has leges, hos mores, hæc edicta in uoluminib. Iustiniani includi, odio tamē Neroniani nominis et factionis Senatus ac potentiorum, qui illius memoriam funditus eruere in exemplum cæterorum qui regnaturi essent ne talia aduersus illos auderent satagebant, aspirante fortuna quod nemo prorsus ex sanguine Augusti superesset, ornamenta hæc Reipub. miserorum so-

rum solatia, plebis & tenuiorum munimenta, exempla uirtutis, bonorum arma, & in eruditos etiam peccantes clementiæ singularis documenta extinxerunt. Et ne uidear forsan oratorio boatu hæc adijcere, enarrabo historiam uix credibilem. Coniurauerant in necem eius C. Piso, innumeriq; alij, cupidine occupandæ dominationis: & detecta coniuratione, animaduersum est in proceres illorũ. Virginium tamẽ Rufum eloquentiæ præceptorem, & Mosonium sapientiæ doctorem, non suspicione criminis carentes, sed inter reos Mosoniũ saltẽ nominatum constat, cum subijciat Tacitus: At Cadicia uxor Secuini, & Cesenius Maximus Italia pellũtur, reos fuisse sese tantum pœna experti, satis habuit ob eruditionis nomẽ, in maris Aegei insulas relegare. Quin etiã Aciliæ Lucani matri, quàm Lucanus inter cõscias nominauit, pepercit. Hæc sunt crudelitatis exempla: ut non immeritò ei Seneca de Clementia libros dedicauerit. Rectè igitur feciſſent, si sanctiones quascunq; Neronis ut maximè populares, iustas, clemẽtes, atq; probis & miseris eruditisq; fauorabiles, Corpori (ut uocãt) Iuris, ne una quidẽ omissa, inseruissent. Verùm iã ad obiecta ueniamus. neq; enim pauca, neq; leuia obijci solẽt. Maxima uixit cũ inuidia, obtrectatorib. ideo nõ caruit. Genera primùm eorũ de quib. dicturus sum, narrabimus: in de quæ in singulis generib. propria obijciũtur. Ergo paricidia et cædes coniũctorũ, aut eorũ quib. nõ minus debem9, ut apud Hebræos, q̃ parentib (imò magis eos colũt, scilicet magistros) inde improbitas, qua (ut aiũt illi) sactos uiros sustulit: pòst sæuitia, incẽdiũ urbis, crudelitas in Christianos, etiã his q Christianos ipsos oderũt inuisa, rapinæ, luxuria, sũptus immẽsi et inutiles, et publica infamia. De paricidio, mors patris, matris, uxorũ, fratris, sororis, amitæ, educatorũ Burri et Senecæ, priuigni proponitur. De patre, nullus illũ autorẽ prodit: q maximè illi infensi sunt, dicũt eo cõscio Agrippinã uenenũ Claudio dediſſe. paricidiũ igitur patrauit Agrippina, nõ Nero. Si Nerone inscio, nullum prorsus est crimẽ: si cõscio, adhuc puer cũ esset, excusandus uideretur, adhortãte impia matre. cõstat enim necdũ 17 annũ tũ Neronẽ expleuisse. Sed fac expleuerit, sciuerit, patrarit: patrem nõ occidit, sed fratrem aui materni, patruũ magnũ. Scelus est, si nil addas: sed tyrannũ occidit. Nulla, ut dixi, ratione ad Claudiũ, omnino ab Augusti sanguine alienũ, nec testamento Tiberij nec Caligulæ imperiũ peruenire potuit. ui militum ad illud raptus est, metu adactus, senatus confirmauit. Si Augustus testamento imperium relinquere potuit, maius etiã est ius hæreditariũ descendentium, qui absq; testamento ad hæreditatem ueniunt. Filij si testamento exhæredentur sine causa legittima, ad hæreditatem tamen ueniunt. Ad Neronem ergo si ab intestato imperium perueniebat, Claudius nullo consanguinitatis uinculo Augusto annexus erat. Claudius tyrannus fuit, Nero successor legittimus, & abnepos (ut audiuistis) Augusti: uis, ele-

uis, electio, illa nihil prosunt. nam si in Repub. fuisset arbitrium, non Claudium quidem amentem & stupidum quæsisset imperatorem, sed nec quenquam alium quidem, uerum libertatem. Si uim militum, tyrannus fuit, & omni supplicio dignus. Sin autem Augusti uoluntate: omnino explosus est ab eius coniunctione, nec etiam testamento hæres ulla in parte relictus, nec inter secundos hæredes aut ultimos numeratus. Si igitur uoluntas Augusti irrita esse debuit, libertas prævalebat: si firma, nõ potuit esse hæres nec ab intestato, nec ex testamento: tyrannus ergo omnino fuit. nam nec à Tiberio, nec Caligula nominatus est. At parum ductis eriptam tyrannidem, adeptum fuisse imperium hæreditarium siue dolo siue ui, aut fortuna aut uirtute tanquam deessent potentes, opulenti, acres uiri, qui omni conatu, industria, studio, diligentia, maximisq; periculis illud quærerent. Itaq; uel hoc ipso maxima laude dignum Neronem censuerim, quod imperium occupauerit, si ad ius respicias, in quo plurimum posset: si ad uires, in quo nihil. Quòd etsi nullo iure occupasset, adhuc iuxta Ataui dictum laudari poterat:

Nam si uiolandum est ius, imperij gratia
Violandum est: alijs rebus pietatem colas.

Sed hæc omnia frustra: neq; enim huius rei conscius fuit, quam non celasset adolescens, & natura liber. nec uerisimile est matrem, quæ nullo eius auxilio hac in re indigebat, frustra tantum crimen ei communicasse: tum magis, ne eã ille pro impia abhorreret. quod et postquã resciuit, statim euenit. Nullum enim factum tam in utilitatem cuiusquam cedere potest, quòd si supra humanam improbitatem efferatur, ei in cuius utilitatẽ cedit, non odiosum euadat: seu quòd consensu exprobretur, seu quòd exemplo metuere cogatur. Quinimo tametsi laruato illo philosopho Seneca aliquando imprudens adhortante, cauillis eũ prosecutus sit, publicos tamẽ quotcũq; potuit honores tribuit, et acta illius manere uoluit, nec gestis illius inuidit. Eadẽ ratione & fratris & sororis crimen diluimus. nam ut nec pater fuit Claudius, ita nec frater Britannicus, nec soror Antonia. Dices, lege facti sunt frater & soror, ut etiam Claudius pater. Stultum est lege agere contra eos, qui legibus non sunt obstricti. In huiusmodi requiritur ius sanguinis: quod si seruatur sanè nimis, legem nullam in talibus requiras. Sed ne si centum patres, lege adoptionis patres factos, quis occidat, tantum facinus patrauerit, quàm si quis uerum patrem, à quo etiam sit emancipatus. Vrgebat periculum amittendi Imperij, & cum imperio uitam. Agrippina omnium malorum causa erat, quæ ut terreret Neronem, Britannicum amplexabatur intempestinè, quem ueram stirpem Claudij, & imperio dignam dictitabat. Inde illa uerba furnoris plena: Id solum dũs et sibi prouisum, quòd

uiueret priuignus: ituram cum illo in castra: audiretur hinc Germanici filia. Accessit huic metui, error Britannici, frustra querentis quodam carmine euolutum se de patria summisq; rebus: & cum minimum sapere præstitisset, tum nimio studio, Fatis ita uolentibus, motam commiserationem erga se, erga Neronem inuidiam, quasi alienũ occuparet imperium. Vnde idẽ Tacitus subijcit: Nero intellecta inuidia, odium intendit. Vrgentibusq; Agrippinæ minis, quia nullum crimen neq; iubere cædem fratris palàm audebat, occulta molitur. Sit crimen occidisse huiusmodi fratrem securitatis causa (quod etiã excusatur à Tacito his uerbis: Pleriq; etiam hominum Neroni ignoscebant, antiquas fratrum discordias & insociabile regnũ existimantes. Quid'nã dicemus de Augusto, qui prius hoc exemplũ edidit in Cæsarionẽ Cleopatræ filium, quem et per adoptionem fratrem, & per sanguinem in eodem gradu cum ipso fuisse constat, quem etiam sine ulla suspicione regni occîdit? Et Augustum pro Deo colitis, Neronem autem execramini: quæ hæc est ira, iniqua & de rebus & & de factis æstimatio? Existimatur Antoninus Philosophus Verum fratrem sustuliße, nec hoc etiam in his qui hoc credunt inter crimina numeratur. Sed plures factum negant: sit ita. satis est, paruum creditũ crimen, ut salua sit Resp. fratres occidere. Melius sanè, quàm pernicioso exemplo prouinciam deuastare, urbes excindere, tot innoxios occidere. Quanta mala, quantam iacturam attulit Carolus, frater Ludouici undecimi Gallorum regis, Gallico regno, quod penè euertit? Ludouicus Sfortia, dũ sibi principatum asciscere conatur nostra ætate, quantas clades regioni attulit? inde etiam è familia excidit, & ad barbaros peruenit, maximis Italiæ bellis. Quàm præstitisset illum non fuisse? Non ego laudarim paricidium. Hercules Ferrariæ sapientissimus dux oculos fratri effodit, & in carcere perpetuò, quoad uixit ipse filiusq;, habuit. liberatus est à fratris nepote, & nunc etiã robustus superuiuit, cum quinquaginta perpetuos annos in carcere exegerit. Quòd si computentur anni, erunt supra octuaginta. Vigesimumquintum annum agebat, cum coniectus est in uincula: tertius annus agitur, postquam liberatus est Iulius Estensis. Omitto modò, quod Ottomanis Orientis principib. tam familiare est sustulisse fratres, ut nemo ex illis unquam dum regnaret, passus sit fratrem superuiuere. nam & exules & profugos ita persequuntur, ut canis odorus feram. Non laudo factum, sed potius consuetudinem regis Aethiopum: uerùm nullus hoc obijcit Ottomanis. quod sanè minus triste est, quàm ut nostri principes, qui ab adulatoribus, à mulieribus, à perfidis consultoribus persuasi, dũ plures uolunt posteros principes relinquere, principatus extra familiam & posteros eliditur, & ab alienis occupatur. Plura sunt, è quibus hoc unum est, quæ sub pietatis specie

fiunt, apud Deum maximè impia. An melius est, ut bene sit improbo uni bel-
luoni, tot perdere homines insontes, mulieres, infantes, pueros, prægnantes,
diripi ciuitates, spoliari templa, incendi urbes, uastari agros? quo nam orato-
re hæc apud Deum tuebimur? non regna propter reges, sed reges propter re-
gna facta sunt. Tyrannici spiritus hæc introduxerunt: adulatorum & precio
corruptorum, & nimis proprijs commodis prospicientium turba, tum eorum
qui liuore, odio, spe, metuq; ducuntur, defenditur. Quàm pulchrius spectaculũ
est, uidere plures filios principes: tam miserabilius, finem illorum aut nepotũ
spectantium. Multitudo, inquit Aristoteles, principum mala: unus ergo prin
ceps. Si in tam amplo orbe multitudo deorum ex æquo dominantium, quan-
quam hi nihil exigant ab illo, mala est, tametsi ipsi dij per se boni sint: quanto
deterior in angusto terræ ambitu hæc multitudo dominorum, qui omnia à sub
ditis exigunt, plura etiam non necessaria occupant, nec ut dij iusti aut sapien-
tes aut potentes? Sed omittamus modò, quid præstet: satis fuerit defendisse
Neronis factum, necessarium sibi, & Reipub. admodum utile. Quid sperari po-
tuit, si populus Romanus duplici aula, duplicatis ministris, adulatoribus, ma
gistratibus, uectigalibus, luxu, pompa, ludis, spectaculis pressius fuisset, aut di-
stractus, quando ne uni quidem sufficiebat? Non fuere Neroni montes Negu,
non consilium eruendi oculos fratri (postquam fratrem uultis appellari filiũ
patrui magni, etiã dãnata adulterij et occisa matre) quid ergo suprerat, fremẽ
te matre paricida tutum, fidum ue auxilium illi, præter id? maximè quod Bri-
tannico perperam persuasum erat, iniustè sibi ereptum impium, quod iniusti-
simè prius pater illius ereptum Neroni, aut occupatum ex Repub. possedisset.
ut non obscurum esset, moriendum fuisse Neroni, nisi clementiam in Britannì
co paternam, utilem esse potuisse credat, cum Claudio neq; nocentiorem neq;
sæuiorem hominem natura ediderit. Stulticia meticulosus, metu exitiosus. Ve-
niamus ad sororem Antoniam, in qua eadem omnia mala erant, quæ in Bri-
tannico. nam neq; soror uerè, nec periculum ingens ab ea deerat: imò plura et
maiora quàm in illo. nam & ætas, & causæ irarum, occiso fratre & sorore,
quæ & uxor illius erat, Octauia, manifestiores: & destinati Pisoni, qui Ne-
» ronem occidere & occupare imperium aggressus est. Sic enim Tacitus: Inte-
» rim Piso apud ædem Cereris operiretur, unde eum præfectus Tenius & cæ-
» teri accitum ferrent in castra, comitante Antonia Claudij Cæsaris filia, ad eli-
» ciendum uulgi fauorem. quod C. Plinius memorat. Nobis quoq; modò tradi-
» tum non occultare in animo fuit, quamuis absurdum uideretur & inane, aut
» ipsi Antoniam nomen & periculum commodauisse, aut Pisonem notum amo
» re uxoris alij matrimonio se obstrinxisse, nisi si cupido dominandi cunctis affe
ctibus

Etibus flagrantior est: & tamen uel sic in illam, credo, misericordia domus «
Claudij non animaduertit. Quis ergo tam Neroni infensus est, qui non ad- «
miretur clementiam eius in illam, quam omnia iura ream mortis damnabant?
Superuixit tamen eò usq;, donec Poppæa post aliquot annos extincta, dum
nuptias eius reposcentis aspernata, & odij pertinaciam & periculum quàm
in gratia esset patefecit. Siquidem clàm nubens alicui, perculso Nerone, opti-
matum & Senatus odio inuadere imperium facilè potuisset. Tum ergo tan-
quam immemorem beneficij, & implacabile odium testantem, & ob immi-
nens exilij periculum et priora quasi facta exprobrantem, interfici iussit: non
solùm necessariò, sed etiam iustissimis ex causis. Sequitur uxoris Octauiæ
mors, magis necessaria quàm cæteræ, non tamen adeò iusta: iusta tamen.
Memor illa fratris, Agrippinæ etiam, noua pietate, quæ & sceleribus & blan-
ditijs æquè perniciosa Claudij domui, nec retineri sine periculo aut ueneni
aut nocturnarum insidiarum, neq; dimitti absq; maiore etiam poterat (quip-
pe expertus semel uulgi in illam fauorem, disiectis Poppææ statuis & acclama-
tionibus) non tam scelere Neronis, quàm Claudij patris ac maiorum execran-
dis flagitijs extincta est. Decuit enim Antonij, sceleratissimi uiri, prius
quàm Augusti, uel etiam non minus uniuersam progeniem extingui: atq;
ferro, ne non fortuita ultio diuina aut neglecta esse uideretur. Et quanto sæuio-
ra in puella spectacula representabantur: eo recordantibus cædes, tot bonorũ,
tot insontium, ab illius maioribus factas, ut minora præteream, diuinæ iusticiæ
locuples testimonium elucebat. Hoc tamen consilium uxoris necis, non tam
sponte inijt, quàm impulsus fraude Ottonis & Poppææ, qui & ipsi ma-
lè periere. Nec quicquam est quantumuis magnis causis hoc effecerit, quod
Neronem feciſſe nollem, quàm cædem coniugis Octauiæ. puella pudica coniu-
gio iuncta sine crimine, non potuit ad mortem iustè damnari, tametsi
ille se à periculo iustè liberare poterat. sufficiebat religasse, quam post-
modum custodia diligenti seruatam denuò ducere in domum poterat. Sed
præter alias causas quibus ei infensus erat, sterilitas fuit. nam Octauia
nupsit Neroni, A. Vitellio & L. Vipsano consulibus: perijt P. Ma-
rio & Silio consulibus. postquam uerba illa Nero ad Senecam habuit.
Agebat tum Nero annum uigesimumsextum, Octauia uigesimum ex-
cesserat, nec tamen unquam concepit. Ego tamen inuisum autorem ne-
cis, etsi non necesse, superis fuisse crediderim. namque Claudiorum gens
ambitione summa, auaricia & crudelitate fuit: ut etiam Claudius ille De-
cem uir damnatus sit iudicio publico: & Claudia fœmina, quæ elisa ob
multitudinem optabat fratrem reuiuiscere, præcipuam iacturam classis Roma-

næ, ut rursus uictus frequentiam populi minueret, atq; & illa ob id damnata. Infensa hæc semper plebi & miseris, qualem putas fuisse erga alias nationes? qualem erga seruos? nihil minus quàm quòd in immeritam hæc fierent, nec eo consilio ob id puto dijs inuisam fuisse. nam prope mortem uisus est ab Octauia trahi in interiores tenebras: & ipse eâdem die ferrum intulit quo Octauiam occiderat. ut uideatur non fortuitò id contigisse: sed seu ordine astrorum, seu ultione diuina, cui propius accedo, factum reor. Neq; enim omnia quæ necessariò fiunt, iusta sunt: quoniam ubi causa non est, potius quàm innoxium occidere, maximè morte præuisa, præstat quoduis periculum subire, & mortem ipsam. Nec idem est optimum fuisse uel esse principem, & nihil admittere quod culpari queat. Quis tam sanctus fuit, ut non deteriore animo regnarit? Possem, si uellem artis neruos intendere, hanc necẽ ut iustam laudibus magnis efferre: sed non est id mihi consilium, ut calamo ea probem, quæ animo probare non possim. Temperetur ars ad beneficium publicum: ut quæ scribuntur, ad exemplum trahi possint. satis sit ostendisse, necessitate & stulticia & alieno scelere quæsitam hanc necem, Dijs quidem iustissimam, non itidem autori. Meminerim me esse philosophum, nõ rhetorem. Et si conarer, aut non effecturum quod uelim: aut si efficiam, non placere hæc superis: & mihi minus fidei habendum, qui ambitione ductus, & ostentandi causa, falsa simul & uera laudem. Quo minus, ni mors matris tam iusta fuisset, absistere decreueram. Sed in ea nescio an maiori laude dignus sit Nero, quòd occiderit, an quòd tam diu pertulerit. neq; quicquam maius excogitare possim, quàm cum illius æstus, quos tam diu tulit, imaginor. Hinc materna species, memoria educationis, dulcedo coniunctionis, partum illius seu industria seu scelere imperium: at ex aduerso omnia, obscœna paricidium in patrem perpetratum, cædes multæ nobilium, tentatus concubitus nepharius filij, cupiditas eripiendæ dominationis, perpetua solicitatio fratris, uxoris, exercituum, tribunorum, optimatum ad illum euertendum: ira, minæ, suspecta fides & consuetudo, non ipsi tantum, sed omnibus eius amicis & educatoribus, etiam ijsdem quos illa ei adiunxerat. Si matrem occidere omnino non licet, fateor iniustè cæsam: sed si unquam licuit (licuit autem Oresti, etiam consultore Apolline) maximè licuisse Neroni ostendemus. Sed prius historiam enarrabimus. Fuit Agrippina filia Germanici, ut diximus, & Agrippinæ, neptis Augusti, fœcundæ matronæ. itaq; eò nobilitate potens, sed nõ minus sceleribus notissima, & incestu etiam fratris infamis: quam tamen uel sic sororem & pellicem ferre non potuit, sed in exilium egit, ob impotentiam. adeò uerò ferox & improba, ut cum Nero nuper natus esset, gratulantibus amicis,

amicis, pater Domitius negarit potuisse ex se quicquam nasci & Agrippina, nisi exitiale populo Romano. adeò uxoris mores aspernabatur. quæ uox adeò inconsulta, multum dedecoris & inuidiæ Neroni attulit: tanquam necessariũ sit, aut esset, filium assimilari parentibus. Namque ego ex duobus parentibus natus sum maximè iracundis, cum tamen sim mitissimus: filij tamen mei parentibus meis, non mihi similes nati sunt. Deinde fac ut quis natura talis nascatur: quid faciet aut proderit educatio, si necessariò talis futurus est natus quales fuere parentes? insulsa sanè uox fuit, & quæ quotidiano experimento atq; usu refellitur. Quimimò plerunq; accidit, ubi parentes seu uirtute seu uitijs extremis inter se similes fuerint, ut filius nascatur contrarijs morib. & natura: ex duobus maximè sæuis mitissimus, ex sapientibus stupidus aut stultus, ex iracundis (ut dixi) quietus: seu quòd ut ignis ignem retundit, seu quòd extrema necesse sit in contrarium statum declinare: seu quòd uitia parẽtum dum filius aspernatur, aut uirtutem æquare posse non sperat, in contrarium habitum transeant. Vbi ergo successu impudicitiæ primùm cum fratre, inde Pallãte Claudij liberto, sed potentissimo & locupletissimo, ornatoq; multis dignitatibus, deinde cum patruo imperatore facta ferocior, cœpit (ut mos est eorum qui per scelera & flagitia ascendunt) nihil sibi existimare non licere, atq; ex eo moliri ut filius in imperium succederet: potita uoto. per omne flagitium, seu quòd maius sit, uxorem esse Imperatoris quàm matrem: seu quòd Claudius ob inertiam plus illi tribueret quàm Nero adolescens, & feruidus naturà, ipsiq; matri similis: seu quòd plura uellet quàm haberet, seu quòd mallet omnia imperare, non obscurè concupiuit. Et primùm quidem experta indulgentiam filij: sed ea tanta esse non poterat infinita cupienti, ut satisfaceret. inde conuersa ad uim occultam, & impudentiam: pòst apertè tentauit. ubi uidit non licere fœminæ imperare, possèq; plus publicum ius priuato uinculo maternæ reuerentiæ, ad stultum consilium diuertit occupandi Neronis adolescentiam nephario incestu. Vbi uerò neq; id processit, ad querelas, iurgia, solicitationes, minasq; animum intendit: nullum lapidem non mouit, donec tot tantisq; malis, maioribusq; periculis, tum etiam assiduitate importunæ mulieris perculsus Nero, coactus est exuere filium, induere iusticiam, abijcere respectum, sumere potestatis licentiam, contemnere famam uanam, consulere securitati. Iam ergo singula ita esse ostendamus, ex uno eodemq; autore. Ecce initium libri, ubi de Nerone agitur. Prima nouo principatu mors Iunij Sillani, Procon- "
sulis Asiæ, ignaro Nerone per dolum Agrippinæ paratur, non quia ingenij "
uiolentia exitium irritauerit, segnis & dominationibus alijs fastiditus, adeò "
ut C. Cæsar pecudem auream eum appellare solitus sit: uerùm Agrippina fra- "

» tri eius L. Sillano necem molita, ultorem metuebat: crebra uulgi fama, antepo
» nendum esse uix dum pueritiam egresso Neroni, & imperium per scelus ade-
» pto, uirum ætate composita, insontem, nobilem, & qui tunc spectaretur è Cæ
» sarum posteris. Quippe & Sillanus D. Augusti abnepos erat. Hæc causa ne-
» cis. Ecce quibus auspicijs. Inde subijcit: Nec minus properatò Narcissus Clau-
» dij libertus, de cuius iurgijs aduersus Agrippinam retuli aspera custo-
» dia, & necessitate extrema, ad mortem agitur, inuito principe. Iba-
» túrque in cædes, nisi Afranius Burrus & Anneus Seneca obuiam issent.
» Habetis iam ingenium fœminæ, atque acta. Incestum autem negare
» quis possit quæsitum? Tum Agrippina uersis artibus, per blandimen-
» ta iuuenem aggredi, suum potius cubiculum ac sinum offerre cõtegendis quæ
» prima ætas & summa fortuna expeterent. Quin & fatebatur intempesti-
» uam seueritatem, & suarum opum, quæ haud procul imperatorijs aberant,
» copias: & ut nimia coercendo nuper filio, ita rursum intemperanter de-
» missa. Quæ mutatio neque Neronem fefellit, & proximi amicorum me-
» tuebant, orabantq; caueri insidias mulieris semper atrocis, tum & fal-
» sæ. Fortè illis diebus Cæsar inspecto ornatu, quo principum coniuges ac pa-
» rentes effulserant, delegit uestem & gemmas, misitq; donum matri nulla
» parsimonia, cum præcipua & cupita alijs prior deferret. Sed Agrippi-
» na non hic instrui cultus suos, sed cæteris arceri proclamat: & diui-
» dere filium, quæ cuncta ex ipsa haberet. Nec defuere qui in deterius refer-
» rent. Et Nero infensus his quibus superbia mulieris inuitebatur, demo-
» uet Pallantem à cura rerum, quis à Claudio impositus, uelut arbitrum re-
» gni agebat: ferebaturq;, digrediente eo magna prosequentium multitu-
» dine, non absurdè dixisse, Ire Pallantem ut eiuraret. Sane pepigerat Pallas,
» ne cuius facti in præteritum interrogaretur, parésque cum Republica ra-
» tiones haberet. Præceps post hæc Agrippina, ruere ad terrorem ac mi-
» nas, neque principis auribus abstinere. Et rursus hæc subdit: Tradit
» Cluuius, ardore retinendæ Agrippinam potentiæ eò usque prouectam, ut
» medio diei, cum id temporis Nero per uinum & epulas incalesceret,
» offerret se sæpius temulento comptam, & incesto paratam. Iamq; lasciua
» oscula, prænuncias flagitij blanditias annotantibus proximis, Senecam con
» tra muliebres illecebras subsidium à fœmina petiuisse: immissamq; Aeten
» libertam, quæ simul suo periculo et infamia Neronis anxia deferret, peruulga
» tum esse incestum, gloriante matre: nec toleraturos milites profani principis
» imperium. Fabius Rusticus non Agrippinæ, sed Neroni cupitum id memorat:

eiusdemq;

eiusdemq; libertæ astu disiectum. Sed quæ Cliuius, eadem quoq; cæteri autores prodidere. Et fama huc inclinat, seu conceperit animo tãtum immanitatis Agrippina, seu credibilior nouæ libidinis meditatio in ea uisa est, quæ puellaribus annis stuprum cum Lepido spe dominationis admisserat, pari cupidine usque ad libita Pallantis prouoluta, & exercita ad omne flagitium patrui nuptijs. Igitur Nero uitare secretos eius congressus, abscedentem in hortos, aut Tusculanum, uel Antiatem agrum laudare, quod ocium lacessisset. Hæc ostendunt, Neronem non id, sed Agrippinam quæsisse. Si igitur Nini filius matrem Semiramidem ob id solum occidit, quod illius concubitum quæsisset: quam inuremus infamiam Neroni, quòd eandem ob causam matrem occiderit? cum etiam uim illa, minasq; adderet, mulier uenefica, impotens, sæua, multis flagitijs nota, superba, rapax, impudens, falsa: præterea potens, diues, & (ut dixi) ex Augusti stirpe. Sed age, cum quietura non esset nisi stupro impetrato (quanquam quid abominabilius, etiam dempto scelere:) an uxorem & concubinas, pellicesq;, quarum forma propter ætatem præcellebat, omnes tollere uoluit, nullam præponi sibi Agrippina sperare potuit? Quòd si præponeretur, adhuc nihil erat actum, nisi perpetratum flagitium: dissensio, iurgia eadem manebant. Quid ergo? duceret in uxorem matrem, ut ferunt moris esse Persarum gentis? tulisset ne hoc populus Romanus tantum scelus, ac tam publicum? Necesse igitur fuit, extinguere hoc tantum incendium, morte ipsa. Admirantur forsan quidam, multitudinem rerum: & quod in uno tolerandum uidetur, auersantur in pluribus. Non ignari sunt, Ptolemæos quosdam fratres, alios parentes, alios filios, alios uxores, plures etiam amicos occidisse. Sed mireantur Neronem simul hæc omnia egisse: ut uideatur ipse potius consilio suo huiusmodi peregisse, quàm fortuna, aut casu. Neque illis id persuaderi potest, uerisimile quidem fuisse ut in tot occasiones solus incideret, sed eas potius quæsisse. atque hæc maxima suspicio est contra illum. Cui respondemus: Quosdam homines esse uelut agaricum, centauream, & uerbascum, quibus plurimæ sunt uires, atque numero incredibiles: alios ut arbutum, cui nullæ. ita certè contingit, ut quibusdam plurima & maxima eueniant infortunia, aut occasiones difficiles, quibus etiam cogantur aut succumbere, aut acriores quàm communis usus sit uideri. è quorum numero Nero fuit, si quis alius. Sed tamen si occupata tyrannide omnes Claudij descendentes excidisset, ut multi quoque alij fecere principes, quamuis id iniustè egisset, melior tamen uideri poterat. Eius enim clementiam

mẽtiam segnitiem interpretantes, ea ausi sunt, per quæ, nisi sibi prospexisset, euertebatur. Id maximè contingit, cum ex familia in familiam regnum transfertur: atque lætis temporibus, & in magna uiuendi licentia. Sed iam ad
„ Agrippinæ uiolentiam redeamus, cum præter superius adducta inquit: Simul
„ intendere manus, aggerere probra, consecratum Claudium, infernos Sillano-
„ rum manes inuocare: & tot irrita facinora. Et rursus: Certamen Senecæ &
„ Burro unum erat, contra ferociam Agrippinæ. quæ cunctis malis, dominatio
„ nis cupiditatibus flagrans, habebat in partibus Pallantem, quo autore Clau-
„ dius nuptijs incestis & adoptione exitiosa semet peruerterat. Sed facile est uidere, Neronem non quæsisse occasionẽ perdendæ matris, cum habitam ut honestam non receperit, uerùm omni studio seruare concupierit. Narrabo historiam breuiter. Erat Rubellius Plautus, pari cum Augusto, ut Nero, in
„ gradu. de hoc ita Tacitus: Iturius & Caluisius, non iam uetera & sæpius audi-
„ ta referentes, quòd Britannici mortem Agrippina lugeret, aut Octauiæ iniu-
„ rias euulgaret, sed destinauisse eam Rubellium Plautũ ad res nouas extollere,
„ coniugioq; eius etiam imperio Rempub. rursus inuadere. hæc Atimeto Domitiæ Neronis amitæ liberto aperiunt (quippe inter Agrippinam & Domitiam insensa æmulatio exercebatur) ille Domitiæ ea, Paridem histrionem libertum solitum lusus principis intendere, ad illum iam prouecta nocte mittit: adeoq; exterret Neronem, ut iam non solùm de Plauti & matris nece cogitaret, sed etiam amouendo præfectura Burro tanquam Agrippinæ gratia prouectum. Quid plura? hic uides Neronis moderationem in tanta suspicione, in odio matris tam manifesto: Burrum præfectum prætorij, in cuius manu uita erat & imperium, loco non mouit, nec Senecam: quamuis uterq; ab Agrippina eidatus esset. Sed neq; illorum quenquam priuauit uel punita matre, uerùm Burrum morte amisit. Seneca sponte, Nerone nolente, se abdicauit. Sed uide finem huius accusationis. neque enim satis habuit matrem & Plautũ innoxios pronunciare, sed & accusatores et Atimetũ, qui extra culpam erat, supplicio affecit: ratus ob Domitium delatorem ultrò accessisse. Quis ergo tam infensus Neroni esse potest, ut audeat dicere, quæsisse causam occidendæ matris? uerùm ut Tacitus & Suetonius refert, uictus illius acerbitate destinauit occidere.
„ Vnde Tacitus: Postremò ubicunq; haberetur, prægrauem ratus, interficere
„ constituit: hactenus consultans ueneno an ferro, uel qua alia ui. Et Sueto-
„ nius: Verùm minis eius ac uiolentia territus, perdere statuit. Quæras forsan, quomodo potuit Princeps orbis terreri minis fœminæ? Dicam. primum quidem ab insidijs, ne non ueneno per communes ministros illum confi
„ ceret. unde Tacitus: Et ministros Agrippinæ tentare de ueneno arduum uide-
batur,

batur, mulieris usu scelerum aduersus insidias intentæ. Et alibi: At matris ira nulla munificentia leniri, sed amplecti Octauiam, crebra cum amicis secreta habere: super ingenitam auariciam undique pecunias quasi in subsidium corripiens, tribunos & centuriones comiter excipere: nomina & uirtutes nobilium, qui etiam tum supererant, in honore habere, quasi quæreret ducem & partes. Cognitum id Neroni, excubiasq; militares, quæ, ut coniugi Imperatoris solitum, & ut matri, seruabantur, & Germanos custodes super eundem honorem additos digredi iubet. ac ne cœtu salutantium frequentaretur, separat domum, matremq; transfert in eam quæ Antoniæ fuerat. Quoties ipse illuc uentitaret, septus turba Centurionum, & post breue osculum digrediens. Imminebat, ut dixi, maius & longè periculum, ne alicui potentium nuberet: neque enim non manifestißimo in discrimine imperij & uitæ uersabatur. Quid dicam de infamia, qua illum aspergebat, tanquam parricidam fratris, desertorem coniugij, suspectum de Claudij morte, illegitimum successorem imperij, matri ingratum, flagrantem amore libertæ, tum nocturna flagitia, & quæcunque tenebræ abscondunt etiam in sanctißimo uiro deformia, nedum in adolescente principe euulgando, omniaq; in maius augendo, præsens exitium cum contemptu illi parabat. Quòd & si nullum exitij periculum fuisset, uitam illi acerbam reddere potuit. Neque fides testi, matri scilicet, deesse poterat. Quid deinde intra domesticos penates, dum uxorem illi parum beneuolam etiam contumacem & iratam reddit, eamq; suspicionibus malignis replet? cunctosq; illi Claudij seu Britannici seu Octauiæ amicos, tanquã non ipsa Claudium occiderit, fratrem & uxorem euerterit, amicos interfecerit, oppresserit, eiecerit, sed Nero. Nam forsan credas, quòd Britannicum amplexaretur, in odium filij amasse illum? Absit. Quæ enim nouerca, quantumuis bona, & sine imperij etiam æmulatione, potuit priuignum non odisse? Et amabat Agrippina Britannicum, cuius patrem necarat, à quo transtulerat imperium, imò eripuerat, filioq; proprio dederat. Quid plura, audi rursum Tacitum: Commotus Agrippinæ querelis, quasi criminibus, Claudius, optimum quemq; educatorem filij morte aut exilio afficit, datosq; à nouerca custodiæ eius imponit. Lusciumque Getam & Rufum Crispinum, Messalinæ memores, & filijs eius deuinctos, specie quòd cohortes duorum ambitu distraherentur amouit: traditiq; Burro Afranio, gnaro cuius sponte præficeretur. Et rursus post, dum de Britannici nece agit: Nam ut proximus quisque Britannico, ne fas

» neq; fidem pensi haberet, olim prouisum erat. Primùm itaq; uenenum as-
» sumpsit ab ipsis educatoribus. Deinde deflebat, quem ipsa morti destinarat.

Tot sceleribus infandam mulierem, & fœminei totius sexus dedecus, ac naturæ horribile monstrum, decem annis fermè pertulit Nero inter maxima pericula, maioresq; metus, & maximam molestiam. Quali autem a-
» nimo aut timore eam occiderit, audi: At Neroni nuncios patrati facinoris
» opperienti, affertur, Agrippinam euasisse, leui ictu sauciam: & hactenus adito discrimine, ne autor dubitaretur. Tum pauore exanimis, &
» iam iámque affore obtestans uindictæ properam, siue seruitia armaret, uel
» militem accenderet, siue ad Senatum & populum peruaderet, naufragium
» & uulnus & interfectos amicos obijciendo: quod contra subsidium sibi?
» nisi quid Burrus & Seneca expergiscerentur, quos statim acciuerat:
» incertum, an antè ignaros. Igitur longum utriusque silentium, ne ir-
» riti dissuaderent: & eò descensum credebant, ut nisi præueniretur Agrippina, pereundum Neroni esset. Pòst Seneca hactenus promptior,
» respicere Burrum, ac si scitaretur, an militi imperanda cædes esset? Ille,
» Prætorianos toti Cæsarum domui obstrictos, & memores Germanici,
» nihil aduersus progeniem eius atrox ausuros respondit: perpetraret A-
» nicetus promissa. Qui nihil cunctatus, poscit summam sceleris. Ad il-
» lam uocem Nero, illo sibi die dari imperium, autorémque tanti muneris
» libertum profitetur.

Iam dubio procul esse uideo, & Neronem metu id egisse, ac in summa desperatione rerum: & nisi detectus fuisset dolus nauis ruinosæ, non prorupturum ad publicam cædem. Et sanctum Senecam cum optimo Burro non solum conscios huius paricidij (si modò paricidium sit, tam scelestam fœminam occidisse, exemisse se manifesto uitæ periculo) sed & consultores & autores.

Sed & inuitam cædem confestim subsecuta est pœnitentia. unde & se exagitari materna specie testatus est: & maris eius ac littorum aspectus, quo cœptum est facinus, turbabat eum. Et ut Suetonius ait, manes illius, facto per magos sacrificio, euocare & exorare tentauit. Vnde demiror Tacitum in ea uerba prorupuisse, ut Neronem uoluerit occidisse matrem, ut Octauiam abdicaret, Poppæam duceret. Quo mendacio nihil turpius: aut si ita ex coniecturis credidit, opinione nihil absurdius esse aut dici potest, aut excogitari.

Omitto, quòd causæ necis matris tot tantæ que, ut dixi, fuere, ut quemuis sent,

patientißimum mouere potuißent. non ne animaduertit, uel etiam ipso teste, inter mortem Agrippinæ & Octauiæ annos pluſquàm tres interceßiſſe? Mortua enim eſt Agrippina, C. Vipſano Fonteióque coſſ. quibus ſucceſſerunt Nero quartò & Cornelius Coſſus: his autem Cæſonius Pætus & Petronius Turpilianus, pòſt P. Marius & L. Aſinius: ſub quibus Octauia occiſa, Poppæa ducta in matrimonium. Si ergo ardebat tum Poppææ amore, cur tantum diſtulit? nimis enim longa amanti hæc mora, etiam moderato, & priuatæ conditionis.

Quòd ſi uerò nondum eò ardor proceſſerat, ſed mediocriter ferebat, cur tantum ſcelus aggreſſus eſt, quod etiam non ſufficeret? Quid uetuit, ne Octauiam tolleret minore crimine, Agrippinam relinqueret? Sanè fateor, multum acceleraſſe Octauiæ necem conſilijs improbis, quibus aduerſus coniugem eam accenderat: inuiſam'que illam filio reddidiſſe, dum per uim, quam ardenter deperiret, quaſi matrem, metueret, retineri uideri uult. Ita mulier hæc ſeu uolens, ſeu inuita, exitio fatali miſeræ domus Claudiorum nata uidebatur.

Forſan obijcies, quod ſolum obijci poſſe ſentio, præſtitiſſe Neroni periiſſe, imperium amiſiſſe, quàm tanta cum infamia matrem occidiſſe. Sed quis adoleſcens tam ſanctus, tam philoſophus eſt, qui malit alieno ſcelere perire, quàm ſupplicio ſeruari? Iam omnia quæ propoſuimus, oſtendimus. ueniamus ad ius ipſum.

Si Sillanorum affines atque amici, ſi Antonia Claudij filia, ſi Narciſſi coniuncti, tot'que aliorum (quos illa perdidit) uirorum (nam ſub his optimatibus haud dubium eſt magnam turbam mediocris conditionis uirorum interemptorum, ſilentio præteritam latère: nam & Caliſtus ab ea occiſus eſt, unus è tribus potentioribus libertis) ius aduerſum Agrippinam à Nerone petiſſent: an non cogebatur illam punire? Tum uerò iuſtiſſimus habitus eſſet.

At modò cum tot alijs ſceleribus iniuſtus & parricida uocatur. Quid hoc? Fecit, ſed in ſui commodum. Si finem ſpectus, poſt'que factum eſt ſine crimine, cauſa facti eum excuſat etiam qui cum crimine feciſſet, poſt'que timore iuſto id egit: nec uiuere illa ſalua, nedum imperare poterat. igitur cum factum iuſtum ſit, cauſa non ſit turpis, quam etiam philoſophus egregius & cæterorum doctor comprobauit: & uir optimus Burrus, ut Tacitus teſtatur: non parricidium admiſit Nero turpiter, ſed magna cum laude uindicauit. Fac ut Traiano, fac ut duobus Antoninis ea ſors, mater adeò ſcelerata contigerit: uis reliquerint incolumem? iniuſti

planè erunt. non enim alienæ iniuriæ domini sunt Cæsares. Fac ut uindicauerint: cur quod in Traiano & Antoninis laude dignum habetur, in Nerone etiam longè maioribus cum causis uituperatione dignum esse debet? Nunc ueniamus ad amitam, in qua ut nullum crimen, ita nec in Nerone suspicio necis: nec de ea quicquam apud Tacitum. Si dicas, deesse partem xvi. libri: certum est non esse magnam. peruenit enim ad finem consulatus C. Suetonij & L. Telesini, ut Nero postmodum parum superuixerit. Quomodo ergo positurum lanuginem dixit, qui iam propè triginta annos natus esset? Quid minus uerisimile, quàm coegisse medicos, tantum scelus admittere: imò nec coegisse, sed quasi de pecudis uita ageretur, uno uerbo hortatum, ut amitam imperatoris occiderent? defuisse illi uenenum, quod per fidos sibi daret ægræ? Demum quæsisse iam tot facinorum infamia laborantem, si Deos, si æquum iustumq; sperneret, quo publicè & sine excusatione maiore dedecore flagraret apud populum & milites, quos metuebat? Quo teste ista prodita? qua securitate illi prodere potuerunt? Et si securos eos princeps reddidit, cui bono? ut scilicet non solùm fama, sed lucrum illis periret? Demum, quot purgationibus opus erat ut periret? an medicamento medicamentum addere oportuit? Quis non uidet hæc conficta ab inimicis, tam absurdè etiam, ut fidem non sint habitura? Amabat amitam, suosq;, nisi illos qui ingrati erga eum fuerunt. Nónne constat, in extremo uitæ superfuisse duas nutrices suas, Sporum, Epaphroditũ, Phaontem, totq; alios? atq; utinam tam illi fidi fuissent, quàm plures superfuere amici, atque magnis affecti beneficijs. Siquidem refert Tacitus, XXII. HS. id est, aureorum coronatorum quinquagies quinquies millies mille, in ditandis amicis impendisse, à quibus desereretur. Atque inter cæteros autor ille inuidiæ Ophonius Tigillinus, ab eo & ipse desciuit. Cæterùm in Domitia. nam Liuilla & Drusilla non amitæ, sed materteræ fuerunt. Nec existimandum est odisse defensores potentiæ suæ. Sed eo Fato natus uidebatur, ut non solùm beneficia quæcunq; pro maleficijs haberentur, sed & quæcunq; egisset, in malam partem traherentur. Simili iniuria illum aspiciunt, dum reum mortis Burri esse uolunt, & priuigni. Burro misit medicamentum, quo fauces illineret: misit uenenum. an non poterat experiri in seruo, in damnato, qui esset præfectus prætorij? Sed Tacitus uerisimiliora dicit, medicos mandato Neronis id egisse, non uenenum à Nerone missum, Simili uanitate mentiuntur Ruffinum Crispinum priuignum ex Poppæa natum, impuberem, iussisse mergi mari, quòd luderet

deret ducatus & imperia. Quid enim absurdius, cum Poppæam unicè dilexerit, & ab ea usq; ad mortem dilectus fuerit? quod etiam illi causa mortis fuit. Cum enim ob zelotypiam reuertentem, acrius irata eum obiurgaret, percussa ab illo calce perijt, quòd excusso fœtu abortierit. Quomodo uerò occiso illi filio sine causa, impubere præsertim, eum amare adeò ardenter potuerit, non uideo. Quòd si fingas id factum post Poppææ mortem, quid hoc habet uerisimile: cum iam puero nulla essent præsidia quibus metueretur? nec Tacitus tantæ rei meminit. Quod enim iratus nolensq; uxorem occiderit, fortunam & hic, non animum accusare oportet. Quotus quisq; enim mortalis adeò patiẽs est, qui cum uxore quatuor annis, etiam minimè morosa, quadrienni, aut Nero cum Poppæa, omnium fœminarum morosissima, perpetuò sine iurgio uiuat? Satisfecimus paricidijs, si de Senecæ morte agamus. Occîdit Senecam philosophum, educatorem, institutorem teneræ suæ ætatis, adiutorẽ potẽtiæ & dominationis, rhetorem eruditum, disertum oratorem, uirum facundum, memorẽ, ut qui (quod aliàs diximus) duo millia nominum propriorum memoriæ mandare solitus esset: hominem grauem, optimi exempli, sine causa, & insontem (quæ duo maxima sunt) & si quid ad rem facit, amicum B. Pauli apostoli. O maximum & inexpiabile facinus. Verte sententiam, & ad ueritatem retrahe. Occîdit pseudophilosophũ, proditorẽ teneræ ætatis, atq; ob id euersorem Imperij, adiutorem et institutorem scelerum, rhetorem malignum et insulsum, oratorem improbum, frigidis cum argutijs beneficio naturæ peßimè abutentem: hominem uarium, dolosum, peßimi exempli, atq; huiusmodi (quod Christus maximè damnauit) subdolum, dißimulatorem, peßimum adulatorem, participem & doctorem omnium quæcunq; in Nerone maximè reprehensa sunt causa cum maxima, inhiantem etiam imperio: inimicum non solum B. Pauli, sed omnium Christianorum atq; bonorum. Itaq; existimo necem Senecæ, si quid modò per imprudentiam in alijs deliquit Nero, maximam criminum partem eluere. Eo enim quisq; deterior est, haberiq; debet, quo principaliori loco, & sub specie probitatis, & titulo integritatis, ac sapiens mala admittit. horum enim exemplo ita peruertuntur principes, ut quicquid malorum orbi euenit, ob hos peßimos adulatores hypocritasq; contingat. Euersores bonorum, seditionum causæ, proditores principum, laruæ malorum dæmonum, oppressores miserorum, exemplum malignitatis, hirudines humani generis, corruptores aulæ, eruditionis & uirtutis pernicioßissimi hostes, faces tyrannorum, regnorum blattæ & caries perniciosa semper. Hic professor Stoicæ disciplinæ, quemadmodũ & ille improbus P. Egnatius (qui pecunia corruptus prodidit Baream Soranum, amicum præcipuum) nihil non alienum à Stoa sapiebat.

piebat. Sed nihil actum est, nisi talem Senecam fuisse ostenderimus. Primùm quidem non est cur tot nominibus insecter Senecam, uirum iam fermè mille quingentis annis mortuum, quem odisse possum. Mores fuere urbis & seculi, ac propria illius ambitio, non leui coniuncta stulticiæ, atq; immensæ auariciæ. Sed uis dignoscere probum uirum ab improbo? duob. tibi uerbis absq; physionomia aut astrologia te docebo. non est quod errare timeas, si hæc duo obserues. Si auarus non est, si immortalitatem animi credit, bonus est: qui contrà, malus. At de animi immortalitate, quid hoc simulant pleriq;, ob legis metum? Christi præceptum habes, quo etiam auari & insontes deprehenduntur. inquit enim: A fructibus eorũ cognoscetis eos. At hæc ambo iã in Seneca sine difficultate produntur. nã & animos esse mortales, sæpe fassus est: et summam in eo auariciam, quantũ in quouis mortalium fuisse, nemo dubitare debet. Inquit enim Tacitus, obijciente, quem accusabat Seneca, Suillio: Qua sapientia, quib. philosophorũ præceptis, intra quadriennĩ regiæ amicitiæ, ter millies sestertiũm parauisset? Romæ testamenta & orbis uelut indagine eius capi, Italiam & prouincias immenso fœnore hauriri. An grauius existimandũ, sponte litigatoris præmiũ honestæ operæ assequi, quàm corrũpere cubicula principũ fœminarũ? Hæc sufficere deberent, ad ostendendũ improbitatem fucati philosophi, qui his morib. fuerit, ut insatiabili animo ad quæstum esset: nec solùm sibi, sed etiam fratrib. maximas diuitias comparauit, aut cõparare docuit. Vnde Tacitus: Mella, quib. Gallio & Seneca parentibus natus, petitione honorũ abstinuerat per ambitionẽ præposteram, ut eques Romanus consularib. potentia æquaretur. Simul acquirendæ pecuniæ breuius iter credebat, per procuratores administrandis principis negocijs. Et inde subdit, Neronẽ opib. illius inhiasse. Quales fuerint cogita, quibus imperator orbis inhiauerit. Nec fuisse expertem Senecã, nec omnino conscium Pisonianæ coniurationis, ex eo coniicitur, quòd paucis antè dieb. de maxima familiaritate cũ Pisone accusatus fuit à Romano: & licet discusserit crimen crimine pari, existimandum tamen est Senecam hortatum fuisse Pisonem sic, ut mens potius quàm uerba deprehenderẽtur. Vnde Tacitus: Et Natali misso à Pisone respondisse Senecã: Sermones mutuos & crebra colloquia neutri conducere, cæterùm salutem suam incolumitate Pisonis inniti. Iam consuetudo intima, & conscientia facinorum Neronis, quæ ut illi necessaria ob imperium & uitam tuendam, ita Senecæ ob auariciam & ambitionẽ, scelera erant. Fratris, matris, uxoris, aliorumq; more impera-

ta, quam possunt mereri excusationẽ in Seneca? Sed nosce ingeniũ hominis in controuersijs illis fœdis, flagitiosis, sæuis, cum ut ostentaret eloquentiam, nec ueritati, nec æquitati, nec misericordiæ locum ullũ reliquit. Sed quò rapax & inculta

inculta facundia rapiebat, eò detorquebat ius atq; æquum. Deterius est longè docere mala, quàm facere. qui facit, impetu et dolore, aut ira uel perturbatione alia animi fertur, semel tantũ peccat, & peccando seipsum criminis damnat, dum celat, fingit, pauet, excusat, habetq; quædã decoris & honestatis in causa facti rudimẽta: qui docet, impudẽter docet, et multos: nec ullo affectu nisi improbitatis ducitur, nec habet ullam facti causam. Vis uitæ impuritatem uidere? historiam lege hostis illius, primo Naturalium quæstionum, adeò turpem, ut plures (inter quos Andreas Alciatus, uir eruditionis singularis) eam pudore obliterauerint: maluerintq; codicem deformare, quàm animum. Præstat enim in quibusdam atrocibus malis uiam præscindere, ut etsi uelis, facere uel scire non possis. Porrò quòd mortalem censuerit animum, omitto. quòd Epicureus, & cui Epicurus placet, sit, & carmina uulgata illius, quæ forsan quis sua esse negare possit, in Epistolis sæpius se prodit: in quib. etiam, uel ipso teste, quàm frigidè bonus fuerit, dignoscitur. Hunc uirum adeò abhorrentem ab omnibus Christianis præceptis, qui ne uno in loco Christi aut Christiani cuiuspiam mentionem fecerit, nec moriendo, quis audeat ob fictas epistolas Christianum dicere? Ergo si Senecam alter punisset à Nerone, iustissimus dici poterat: nunc quia Nero fuit, cuius omnia facta probrosa, iniusta facta, sceleratáq; esse uolunt, iniustissima nex, Senecáq; sanctius appellantur. O iudicia hominum, ô stultitiam. Sed hæc omnia quare contigerint, suo loco demonstrabimus. Nunc illud aggrediamur, quo demonstremus peruersam mortalium sententiam: Augustus (inquit) ex nepte Iulia post damnationem natum infantem agnosci aliq; uetuit. Hic rogo animaduertas. Augustus pro diuo colebatur, qui infantem pronepotem sustulerat. Nero, qui matrem sceleratam, & cum periculo imperij & uitæ eius omnia turbantem sustulit, pro impio damnatur, & reijcitur. Nuper Solimanus filium, & nepotem ex eo adhuc impuberem, ob suspicionem affectatæ tyrannidis laqueo strangulari iussit: eius pater Selim patrem suum Baiazetem pulsum regno, decrepita ætate, necari curauit per Hebræum medicum: nec Solimanus ob filium & nepotẽ, nec Selim ob patrem impij habentur. Pius enim uidetur, qui crimen agnoscit, & propter publicum beneficium punit. Quærat igitur iustè aliquis, an deterius sit occidere pronepotem, an filium? & an filium, aut matrem, uel patrem? Aegyptiorum reges alij quidem parentes, alij filios occidere consueuerunt, atq; inter reliquos Physton, filium impuberem ex sorore, eáq; uxore genitum, sororis odio interfecit. Philopater autem, patrem & matrem: Mithridates filios. Verùm crudelius est matrem occidere: magis impiũ, patrẽ: quòd leges patriâ potestatẽ cõstituerint, nõ

maternam:

maternam: & quòd pater principale sit agens ut semen, mater autem ut terra: planta autem semini plus debet quàm terræ. et quod pater alat filium, educet, instruat, magis quàm mater. filium autem occidere magis contra naturam est: & amentis, ut quẽ genueris occidas, spemq; tibi perpetuitatis succidere cupias aduersum temetipsum. At pronepotes magis in spe habẽtur quàm filij. Ideo nemo excusauerit Augustum, quòd cum non posset dubitare de matre, pronepotem insontem sustulerit: ut si de impietate agendum sit, qui patriam oppressserit, fratrem & pronepotem occiderit, magis non sit Nerone execrandus: & tamen Augustum deum & effecerunt, & coluerunt. adeò peruersa sunt hominum studia, ut si quis secum reputet, simillima sint amentiæ.

Sed iam ad aliud crimen, scilicet sæuitiæ, descendam: in quo adeò damnatur Nero, ut iam in adagium uersum sit: tametsi Erasmus eidem non Neronem iustè, sed Phalaridem iustius subiecerit. Primumq; obijcitur sæuitia, qua in Christianos usus est: cum etiam Petrum & Paulum Romæ occiderit: ut proxima sit hæc crudelitas etiam impietati. Ingrata res, quæ cum plerosq; optimos principes tetigerit etiam, ut Traianum, Decium, Diocletianum, Neroni pro crimine obijciatur. Quòd si Nero probos & sanctos Christianos & utiles Reipub. necandos putauit, non recuso quin Neronis factum cum alijs maximè detester. Sed si probrosi, seditiosi & impij habebantur, Nero non est in crimine. Est enim prudentis principis, tueri præsentem & uetustam religionem. Sic Antonini atq; alij optimi principes ac uiri. Paulus primùm persecutus est Christianos: postea idem effectus est uas electionis. Si error est pro scelere, certè Nerone hac in causa non minus sceleratus fuit. Sed neq; Suetonius, neq; Tacitus Neronem ob hoc arguunt: sed quòd tanquam incendij reos subiecerit innocentes. At quis non uidet quæsitam fabulæ causam, ut etiam Christianis, quorum non paruus tunc erat numerus, & omnibus alijs exosus esset? Christianis, quòd eos falsa ex causa crudeliter damnasset: populo autem, & præsertim sacerdotibus idolorum, quòd antea semper damnari uetuisset eo nomine. Itaq; inuidia ardentes cum plerosq; incitassent, qui Christianos incendij autores dicerent: Nero permisit ut punirentur. in quo facto causam illi maledicendi inuenerunt, quasi punierit & ob falsum, & ob minus delictum. minus enim existimabant incendi urbem, quàm cultum deorum suorum negligi. Indicio est sic esse, quod antea non legatur in Christianos desæuisse ullos, quòd sufficerit etiam prioribus Imperatoribus urbe illos depulisse. Vnde idem Suetonius in Claudio: Iudæos impulsore Christo assiduè tumultuantes Roma expulit. Inusitatum fuit ad eam usq; diem, qua permisit Nero Christianos ob incendij suspicionem accusatos plecti, quenquam ob alienam superstitionem supplicio

plicio extremo affici: in quo errauit Nero. Sed Suetonius id inter illius benefacta narrat, uocatq; Christianos superstitionis nouæ ac maleficæ. Sed si modò improbandus est Nero ob Christianorum supplicia, ut certè est: magis Traianus, Decius & Antonini erunt incusandi, qui absq; causa ulla, nec causæ suspicione & per edictum damnarunt illos, cum alioqui mites & perhumani haberentur. Ita non solùm facto, sed & autoritate degrauarunt Christianorum sectam, tanto acrius, quanto hi Nerone meliores habebantur. Nero non edicto Christianos omnes, sed causa incendij eos damnauit. Et cum sæuus haberetur, autoritate non perculit. Vide quàm iniquè homines de rebus statuant. nemo Christianorum causæ minus hostis fuit: & tamen ab omnibus damnatur. fortuna & casu euenit, ut coactus sit Christianis esse infensus. crimini datur: cæteri qui ex proposito illos odêre, à Christianis ut boni uiri laudantur. Videte Traiani, diuini hominis, de Christianis ad Plinium Secundũ rescriptum: Actum quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum qui Christiani ad te delati fuerunt, secutus es. Neque enim in uniuersum aliquid, quod quasi certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt: si deferantur & arguantur, puniendi sunt: ita tamen, ut qui negauerit se Christianum esse, idq; re ipsa manifestum fecerit, id est, supplicando dijs nostris, quamuis suspectus in præteritum fuerit, ueniam ex pœnitentia impetret. sine autore uerò propositi libelli, nullo crimine locum habere debent: nam & pessimi exempli, nec nostri seculi est. In hac epistola, quæ ut res rara celebratur, tot penè sunt errores, quot sententiæ. Nam cæteros prætermitto: quod uerò ad Plinium illa scribit, plenum est turpis & fœdæ adulationis in priuatum hominem, quoniam scilicet illius panegyricum scripserat, aut etiam dixerat. Hic primùm incognita causa, inaudita defensione, damnat omnes Christianos. Defendas, publici boni causa non fuisse improbũ, & quanquã eò spectet, semper de summa causæ cognoscere impiũ esse * apud nos fuisse'ne quomodo negare potes, ac longè deteriorem Nerone, qui hoc generali edicto non cauit? Dices, hoc ostende. Ostendo, quòd Paulus cum prima uice in uinculis Romã deductus est, ut referunt omnes autores, liberatus est: de quo nõ ambigitur, quòd Christianus esset: imò constaret, multos ad nomen Christi conuertere, & accusabatur à potentissimis Iudæorum, atq; ditissimis illorũ. ut si edictũ fuisset promulgatum in Christianos, nullus ueniæ locus futurus esset. Inde dicit: Delatos & conuictos punies, non delatos non conquires. Quid absurdius? Siquidem crimen non est, cur delatos uis puniri? si est, cur non uis conquiri? præsertim cum de publico bono agatur. Tertiò uult, ut qui probauerit se non esse Christianum, ueniam consequatur. Quæ uenia debetur ei qui non

peccauit? an sola suspicio reum quenquam facere debet, aut potest? Sed addit ultimis in uerbis, Dijs nostris: quasi alios esse duceret. Quòd si existimauit, cur eos non iussit coli? quicunq; enim deos esse nouit, nec coli iubet si princeps sit, aut suadet si priuatus, etiãsi cum periculo uitæ id fieri necesse sit, impius est. Si enim prodere principem omni supplicio dignum est, prodere deos ipsos multo magis. Et tamen uir hic inuenit (ut referunt) sanctum uirum, qui illius animam ab inferis reuocarit: Nero non inuenit, qui tametsi aberrauerit timore infamiæ populi, non tamen odio Christi nomen prosecutus est. Sed nec mireris damnatos Christianos ut incendiarios, nam multi Christiani (ut Eusebius refert in Ecclesiastica historia) eo nomine Christiani facti sunt, ut sceleribus ac flagitijs licentius operam darent.

Sed iam ad alia sæuitiæ experimenta transeamus. Hic uerò altius repetendũ est exordium, multa quoq; longius petenda, quæ non nobis adeò præsentia occurrunt. Diuinæ enim primùm bonitatis est atq; iusticiæ, ut omnia flagitia puniantur, si non in ipsis qui admittunt, saltem in posteris: & ut æquata lance mortalium genus simul afficiatur ac releuetur, atq; cum hoc commodis illius generaliter cõsulatur. Sic enim ab initio, cũ uicus uicũ, domus domũ, regio regionẽ uexaret, ut nihil tutũ cuiquã esset, arreptis armis, et occupata tyranni de, Ninus imperiũ constituit Assyriorum: sub quo cõmodius uiuebatur: quanq; una tota gens Assyriorum tyrannidẽ, nõ solùm unus homo exercebat, quàm sub ullo principe, tyrannis aũt omnibus. cuius rei etiam testis est Plutarchus in Thesei uita, qui ob hoc ut deus habitus est, quòd Atticæ formam hanc uiuendi non armis, ut Ninus, nec sub uno, sed sub Remp. Athenienſem redegit. Ita necesse est in omni regno esse quod regatur ut corpus, & quod regat ut caput: semperq; caput hoc corpori graue quodammodo est. Sed cum uitijs gentis Assyriæ et regum, nouißimè Sardanapali subditi paulo melius uiuerent quàm ab initio nullis sub principib. per Arbacum translatum est regnum ex Assyrijs in Medos. Qua mutatione simul Diuina sapientia duo b. maximè commodis prospexit: & ut quæ in Assyrijs leges & consuetudines erãt præter ius atq; æquũ uelut solutis nimis moribus antiquarentur: & ut eorum iniurijs in alias gentes illatis, per Medos uersa uice satisfieret. quanquam enim pluribus unus homo uel gens iniurias inferat, satisfit omnib. pulcherrimo Dei consilio, si unus homo seu gens, licet non omnes qui iniuriam acceperint, uindicent in iniustã gentem uel hominem illatas iniurias. Ergo pari ratione, cum Medi Assyrios satis preßissent, alios uerò iniurijs afficerent: uisum est diuinæ sapientiæ, ut ex Medis sub Astyage per Cyrum in Persas imperium deferretur. Et ne non

fortuitò

fortuitò id accidisse contingat, ut caueret per somnum monitus est ipse Astyages: exponiq; iussit Cyrum nepotem. unde postmodum tragœdia illa in Harpagum: cuius cum non meminerit Xenophon, illi ætati proximior, fabulam esse suspicor, à mendacissimo Herodoto natam. Sed ut ut fuerit, eiusmodi translationes regnorum, maximè uiolentas, manifesta signa consequi solent, quibus moneamur, non hominum errore aut ui (ut pleriq; mortalium credunt) sed diuino consilio ista peragi. namq; cùm Persæ diu regnassent, & ut Medi crudelitate, ita ipsi ambitione subiectas nationes præsissent, exusto Ephesi templo Dianæ (quod ob magnitudinem, artificium, opulentiam & celebritatem inter miracula orbis numerabatur) à Græco quodam Herostrato, uates protulerunt natum puerum, qui Asiam totam pressurus esset. ita natum constat eadem die Alexandrum Magnum, qui imperium transtulit ex Persis ad Græcos: ut quas passi essent Græci à barbaris iniurias non solùm, sed etiam aliæ gentes à Persis ipsis, uindicatas in eisdem uiderent. Quanta uerò prodigia præcessere Romanorum imperium, quòd, ut Græci alios atq; Macedones presserant, ita Macedones ipsos ac Græcos pressit? ut penè nulla gens peius & crudelius afflicta sit, initio ab ipsorum regum semine facto. nam & Persa rex extinctus est in carcere, & filius unicus qui superfuit fabrilem exercuit artem. Itaq; consulto à diuina prouidentia facta sunt hæc omnia: & ne quis inficiari possit, hæc etiam in minimis animaduersa sunt.

Quippe temporibus nostris, dum Rex Gallorum excussus est dominatione Mediolanensium ab Eluetijs, nónne uentis ac tempestate excidit totus apparatus ligneus triumphi Gallici regis? Et cum sæuiore casu pulsi sunt ab Hispanis rursus, est rursus excussa terremotu ac fulmine penè tota arx Mediolanensis, nullis uiribus humanis expugnabilis? Quid ergo, tam sæuum Reipublicæ Romanæ imperium, tam crudele iugum in omnes gentes, nónne, nondum ullis iniurijs quas Græci, & qui eorum nomine imperauerunt, Ptolemæi, Antigoni, Mithridates, Carthaginenses, Macedones, Corinthij, Athenienses, Lacædemonij orbi intulerant, ut non expediret solui, puniri non debuit? Qua ergo uia immanis hæc gens quæ in theatris sontes & insontes dimicare inter se cogebat ad necem crudelem, quæ uiros, fœminas, pueros, non miserta sexus uel ætatis, feris dilaniandos in spectaculis exhibebat, quæ seruos etiam per ludibrium excruciabat: unde rotæ suspensi pedibus uiri, & ad necem usque uerberati: piscinæ, in quibus per ludibrium, seu quibusuis minimis ex causis,

non sexus, non ætatis habita ratione, piscibus deuorandi uiui mergebantur: tot cruces, pistrini, compedes, tormentorum inaudita genera in miseros? quæ in reliquis seu domitis seu socijs seu fœderatis gentibus tantũ exercebat, quantum libebat. nemo à nece, quantumuis insons, nemo à uerberibus tutus, non puer, non nupta à libidine, Romani non solùm magistratus, sed nec ministri ullius, nec etiam serui uel liberti: non signum, statua, fundus, domus, aut quicquam aliud auariciæ illorum imperuiũ. Nónne Cicero recitat, cum in Asiam proconsul iuisset, eò redactos per tributa, extorsiones, rapinas, publica & priuata furta præcedentium administratorum, ut nisi uenditis capitibus suis & filiorum, non essent soluendo uectigalia? Est tamen hic sanctus Arpinas, qui cum tam innocentem se iactauerit, uel toto uertente anno nomine Reipu. Romanæ collegis ex prouincia HS. (I), id est, aureorum uicies quinquies centena millia: satis nimis uel toti Asiæ expilatæ, uel prouinciæ quam regebat Ciliciæ, adiectis tribus diœcesibus Lycaonia, Pamphylia et Isauria, & Cypro insula. Ex his paucis tantũ corrasit pecuniarũ, tanta infamia publica, quanta priuata gloria, si modò tam sanctus in administratione fuit, quantum se prædicat. nam de Q. Cicerone illius fratre uel ex ipso Marco dignoscitur, quàm crudeliter & auarè petulanterq; se gesserit.

Sed redeo ad Ciliciam & Cappadociam, cuius regem Ariobarzanem pupillum in tutela habuit adeò pauperem, ut cum tutelã alij reliquerint, ipse concupierit. atq; inter reliqua uni Pompeio, sancto illi atq; innocenti, numerati sunt cc HS, aurei centum & uiginti mille, pro fœnore: nam ex sorte nihil decidebat. Erat fœnus hoc XXXIII. talenta Attica in singulos menses. Cogita reliqua, ut nec regẽ in ea prouincia esse expediret, nec priuatum. Audi aliud. Salaminij ciues (ea urbs in Cypro est) menstruo fœnore in quaternas centesimas pacti fuerant, etiam cum annuis anatocismis. Cicero ex Senatusconsulto in centesimam cum anatocismis redigere tentauerat. Scaptius, uir nequissimus, & M. Bruti administrator, redigere tentauerat. non potuit: rem reliquit affini Bruti iudicandam, qui Ciceroni successurus erat: cum antea Scaptius impetratis equitibus, ita miseros ciues uexasset, ut Senatu eorum in arcem recepto, aliquot senatores fame perierint. Est autem fœnus quatuor centesimarum cum anatocismis annuis adeò magnum, ut mille coronati in decem annis quinquaginta millia euadant. tantam ergo iniuriam humani generis, talem contemptũ, ut mortem duorũ hominũ & insignium, quòd Græci essent, Cicero irrideat, ultrà pati non potuit: immisitq; C. Cæsarem primò, qui Rempublicam occupauit, sed minimè crudeliter. cui succeßerunt Augustus, Tiberius,

Tiberius, Caligula, Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitellius, Domitianus. inter quos Neronem mitißimum omnium si fuisse probarem, sufficere mihi deberet: sed hoc non solum demonstrare contendo, uerùm mitiorẽ inter optimos etiam quoscunq; principes, adnumerato etiam Vespasiano, Tito, Traianoq;: eaq; exempla clementiæ in omnibus edidisse, ut non immeritò uideatur eos illi libros de Clementia (ut antea dixi) Seneca inscripsisse. Nec prodesse uolo nunc mihi, quæ proposui de diuina ultione, de commodo humani generis uniuersali, cum abundè hoc sufficere posset. Neque enim Deus, postquam horum principum ortus, dominatio, uita, fortuna, interitus, manifestis prodigijs propter plebem, & Diuinæ prouidentiæ ratione propter sapiẽtes à Deo institutus uidetur, quicquam impotenter aut inuidiosè facere potest, aut negligere uel ignorare. Sint tamen hæc malorum principum, nõ Neronis defensionis argumenta: nos Neronem nihil peccasse, sed iustißimum fuisse atq; mitißimum ostendemus. Non officiat modò nobis publica fama, ex ignorantia & alieno scelere orta. Sed præstat primùm scire Romanorum eo tempore leges: nam de moribus satis dictum est. Et, ut uno uerbo expediam, scias ad improbitatem nihil addi potuisse. Lex erat Romæ, cuius etiam meminit Cicero, ne ullus ciuis Romanus morte afficeretur, adeò ut è foro crux sublata sit prorsus. sic Milo, quanquam cædis reus primarij uiri P. Clodij, & Pompeio ac Cæsare parum amicis, Maßiliam relegatus est. hanc legem neglectam ut par erat, à Nerone atq; Domitiano, ob idq; tyrannis appellatis, Nerua atq; Traianus restituerunt, bi homines sanctißimi. sed uide exitum uimq; legis, ac fructum. Marius Priscus Proconsul Africæ, conuictus quòd acceptis à Vitellio Honorato trecentis millibus, id est aureis septem millibus ac quingentis, inimicum illius equitem Romanum exilio, septem eius amicos ultimo supplicio affecisset iniustè: à Flauio aũt Martiano septingentis millibus, id est aureis coronatis decemseptem millibus ac quingentis (sed tamen in utraq; summa propter auri incrementum demere sextam partem licet) alterius equitis Romani uirgas, damnationẽ ad metallum, strangulationem in carcere mercatus esset. (quot in inferioris sortis homines flagitia admiserit huiusmodi, alterius uerò generis, cõiectari facile possumus) accusantibus Lepticanis, perorãte causam Plinio Secundo in quinq; horas, & Cor. Tacito coram ipso principe Martiano (nam Vitellius, dum causa apparatur, interijt) Italia & Africa interdixerũt: Mariũ Priscum cõdemnarunt, ut septingenta millia fisco inferrẽtur, ipsi urbe & Italia interdiceretur. Hostilium Firmitiũ Senatorem, qui omnia hæc Prisci scelera adornauerat, tractauerat, cõpegerat, cum uellẽt amouere Senatu, Nerua sanctißimus prohibuit: satis esse ducens, ne in sortitione prouinciæ ra-

tio eius haberetur. hancq; sententiam adulator nequissimus ille tam laudat, quàm Cornutũ Tertullũ consulẽ designatum fortitudinis. ô tẽpora, ô mores. Hisce certè uideri potuit miser Nero crudelis. homines dignos crucibus, palis, serra, & quicquid est tormentorum, satis habuerunt pellere Italia, nec bonis sublatis, nec etiam trecentis millibus restitutis: cum etiam illum alium in senatu reliquerint. atque ad hoc etiam impetrandum eloquentia tanta opus fuit, ut non criminis hæc pœna fuerit, sed præmium ambitionis oratorum. I modò, uel hoc exemplo uno, sub quo quanta contineantur & qualia intelligis, causam accusationis & calumniæ Neronis discas. Aliquanto grauiora erant, & seueriora iudicia, sub Republica Ciceronis tempore, quæ tamen corruptissima fuere. Sed audi aliud. Classicus Proconsul cum uxore, filia, amicis, ministris, totam prouinciam diripuerat: ueniunt hi (Betici enim erant) prouinciales omnes accusant. est Plinius Secundus, & L. Albius. quid plura? uix aliqui ad exilium damnati quinquennij, alij biennij, plures absoluti, prodente causam (ut puto) ipso Plinio, quo etiam gloriatur. hæc erat iustitia temporum illorum, & miseria mortalium sub his beatissimis atque sanctissimis Imperatoribus, cum etiam ipse imperator Hispanus esset, atque ideo ex prouincia spoliata. Tales cogita fuisse quoscunq; laudauerunt, Vespasianum, Titum, Adrianum, Augustũ, Antoninos, atq; huiusmodi deos inferorum, non cœlestes. Sed audi tertium, ne non credas in quoquam uariasse. Iulius Bassus sub Vespasiano reus, sub Tito inuisus: à Domitiano, cui amicus ferebatur, relegatus: à Nerua ob ambitionem non solùm restitutus, sed Bithynijs præpositus, inter flagitia & rapinas senex factus, iam ab ipsis prouincialibus accusabatur. Defensorem huius Plinium Secundum de criminibus, quæ & ipse fatebatur, constabat. Bæbius Macer repetundarum lege teneri uolebat. Cepio Hipso salua dignitate censuit dandos iudices è senatu. Quid plura? obtinuit utrunque, & utrunq; euasit. nam & in Senatu remansit, & quod rapuerat obtinuit. atque de hoc gloriatur ipse Plinius: ut iam non recti ac æqui ulla esset cura, sed ostentationis eloquentiæ.

Sed hoc parum. Theophanes è Bithynijs uir disertus, parum abfuit. nam Senatus ea erat sententia, ut quia reum acrius urgeret, pro reo ipso subijceretur. Verùm tantam infamiam ab ipso Senatu, non dicam scelus (id enim contemnebant) Consules auerterunt.

» Sed adhuc hoc minus est causa ipsa, qua liberatus est. Fecerat (inquit)
» eum fauorabilem renouata discriminum uetus fama, notumq; periculis no-
» men: & in procero corpore mœsta & squalida senectus. ô Secundum impu-
dentem:

dentem: non'ne turpior est causa, quàm absolutio? Fauorabilem fecit renouata scelerum uetus fama? toties repetita iudicia non obtenta, ob gratiam, ob potentiam, ob corruptos pecunia iudices, contra miseros prouinciales? notumq; periculis damnationum nomen? quasi ei uni, qui primò peccauerit, non facilius ignoscatur? Et in procero corpore, id est segni atque inerti sue, mœsta (ob quid?) & squalida senectus: quod damnari tandem timeret. Dicis: Damnabatur, quòd munera ab amicis (nec accepisse is negabat) quæ lege prohibebantur, licet sine flagitio accepisset.

O uirum impudentem: quæ refers in laudem tuam, quanto melius fuerat silentio obliterasse? Venissent Bithynij, uiri pauperes, ex tam longinqua regione, tanta cum impensa, ut uirum potentißimum accusarent, quòd munuscula quædam (ut ipse appellat) accepisset. quæ quis dare cogerat primùm? Deinde, quæ conuictus repetundarum solum restituere cogeretur? cum aduersis dijs atque iratis nihil damnato deterius contingere posset.

Sed audi iam: Quibus sententia Cepionis placuit, sententiam Macri ut duram rigidamq; reprehendant. Verùm Pæana uide: Adfui Beticis contra Bæbium Bassum. Quæsitum est, an danda esset inquisitio? data est. Adfui rursus ijsdem, quærentibus de Cæcilio Claßico. Quæsitum est, an prouinciales ut socios ministros'que proconsulis plecti oporteret? pœnas luerunt. Accusaui Marium Priscum, qui lege repetundarum damnatus, utebatur clementia legis, cuius seueritatem immanitate criminum excesserat: relegatus est. Tuitus sum Iulium Bassum, ut incustoditum nimis atque incautum, ita minimè malum. iudicibus acceptis, in senatu remansit. Dixi proximè pro Vareno, postulante ut sibi inuicem euocare testes liceret (hoc autem lege prohibebatur) impetratum est. Quid amplius, si huius testimonio, cuius intererat uel saltem uerbis defendere iuris speciē, omnia ad gratiam rei & pro facundia agebantur? miseris insontibus, criminibus, nullus locus erat. quo loco fuisse putas reliqua, quæ silentio tegebatur? quæ defendere non ausi sunt? quæ pro criminibus habebantur? quæq; ab his agebantur oratoribus, quos improbos esse dicebant? Illud mirum, solum quod in tantis seculi probris non inultum adulterium esse uoluerunt. Galitta enim damnata est Iulia lege, & mœchus centurio exautoratus, atq; relegatus. Vt deterius sit aliquanto seculum hoc nostrum flagitiosißimo quouis antiquorum, in quo saltem pudoris ratio habebatur. reliqua tam profanata erant, ut nec crudelitati, nec rapinis aut ambitioni, aut auaritiæ aut stupris, aut alijs ullis uitijs modus ullus esset, sed liceret quicquid lubitum esset. Gloriatur ipse his uerbis: Quòd senatum inuidia liberassem, qua apud alios ordines flagrabat:

bat: quòd seuerus in cæteros, senatoribus solis dißimulatione quasi manca parceret. Sed quid tandem actum tanto conatu ab isto facundißimo oratore? ut Publicius Certus, qui Heluidium Priscum Thraseæ generum ad mortem adegerat, non fieret consul: nimis, si iustè damnatus fuerat Heluidius: ridicula pœna, si iniustè. Has leges contra naturæ gentiumq; decreta cum antiquare uellet Nero, et crudelibus iudicibus mortis pœnam irrogare, & iniusta iudicia punire, magistratuumq; scelerata flagitia supplicio summo & bonorum priuatione uindicare (hinc dolor, hinc lachrymæ) factus est repentè omnium mortalium sceleßimus. Damnauit & Thraseam Pætum, ac Baream Soranum, (inquit Tacitus) cum quibus ipsam uirtutem excindere concupiuit: præterea Seruiliam Sorani filiam, C. Caßium, Ostorem, Syllanũ, omnes senatorij ordinis, insontemq; Vestinũ consulem. Hic non tam de crudelitate quàm de iniusticia agitur. nam si iustè perempti sunt, quandoquidem omnibus permissum est liberũ mortis genus, crudeliter extincti dici non possunt.

Sed uideamus qualis hic fuerit Senatus, in quo hæc iudicia exercebantur. Incidit fortè, ut Pedanium Secundum seruus eius, siue amore exoleti, seu quòd libertatem pollicitus non daret, occiderit. Erant Pedanio seni, adnumeratis mulieribus ac pueris, plus quàm quadringenti. omnes capti lege improbißima Romanorum, ad mortem damnabantur. Plebs tot insontes (neq; enim præter illum qui dominũ ac semetipsum occiderat, quisquam facti conscius erat) protegebat, miserebaturq; tot fœminarum, puerorum, infantium. acta res in Senatu, multis ob multitudinem legem moderari cupientibus. C. Caßius è senatoribus unus obtinuit, ut omnes occiderentur: totq; insontes ad supplicium ducti sunt. Aderat Thraseas, aderat Soranus. quid est quòd amentiam uiri non prohibuerunt? tunc nullus Nero obstabat.

Sed crimine ab uno Disce omnes. –

Si tam impudenter, tam crudeliter, tam sceleratè quadringentos insontes, nulla sexus aut ætatis habita ratiõe, nullo quæstu, nulla gratia, nullo metu damnare ultimo supplicio potuerunt: quales eos putas fuisse in iudicãdis causis, in quibus quæstus gratia metusúe urgebant, cum nec tam publica infamia crudelitatis obstaret, nec iudicij iniusti tam apertum scelus? Quas putat fuisse meditationes, conspirationes, uitia, iras, factiones eorum qui se adeò omnis humanitatis expertes ostenderint? Si ergo Nero hunc omnem Senatum sustulisset, crudelem uocare uelles? Si crudelis fuit, iustus esse non poterat: at iustus fuisset, quomodo ergo crudelis esse potuit? Quam faciem uis Neroni obuersatam fuisse, in damnatione Thraseæ, Soranique, atq;

atq; aliorum senatorum, cum recordabatur quòd quadringentos insontes ad mortem (inter quos, ut dixi, & mulieres & pueri puellæq; numerabantur) una sententia ob ambitionem damnassent? ut uiderentur scilicet legem scriptã seruasse. Vis mitem experiri dominum? & tu erga alios prior mitis esto.

Lex (dicis) erat huiusmodi. Lex iniusta, lex non est: nec fas est Principi legem cõstituere, nec Reipub. ut unquam insons morte afficiatur, aut cruciatu. insontes autem sunt omnes pueri, puellæq;. Sed an in bello non conuictos damnare morte liceat, aut filios proditorum, non est præsentis instituti. Et mihi quidem uidetur quòd non: uerùm temperata ratione utendum. Quicunque igitur huiusmodi ferunt, non leges, sed imperia appellanda: nec ab aliquo uiro bono defendenda, etiamsi cum capitis periculo certandum sit. An existimas quenquam fuisse Senatorem, postquam tam impudẽter hos morte damnabant, sontes absoluebant, aliarum cædium non conscium? Misit Deus Neronem, qui de tam impio, tam scelerato ordine pœnas sumeret. Misit & Domitianum & Commodum, aliosq; plures.

Durabat & tam sæua lex contra seruos Plinij Secundi tempore, sub Nerua atque Traiano. Afranius Dexter Consul perijt: & post quæstionem de suis habitam, incertum à quo, an à seipso, an ab aliquo ipsorum. Et tum seruos morte damnarunt. De libertis dubitatum est. quidam morte afficiendos, quidam relegandos: alij, qui & plures, absoluendos esse censuerunt. Crudelius quàm ex Neronis sententia. ille enim de Pedanij libertis ita pronunciauit: Postquam morem antiquæ legis misericordia non leniuit, nec par est sæuitia accendere. Quid ergo tu, qui Neruam, qui Traianum bonum esse dicis, quomodo tueberis esse bonos, qui has leges, hæc potius (ut dixi) sæua imperia non abrogauerint? Quid ergo, cum Soranus ille sanctus deflebat Seruiliam filiam, si ego præsens affuissem, interrogassem: Tu quidem defles teipsum, filiámque quasi inhærentem, an recordaris, cum pueros illos puellasq;, post tam longam seruitutem, quos nec ipse dominus si reuixisset damnasset, sine ulla culpa ad necem damnabar, fœdámque ac sub carnifice? at filia tua quoquo modo rea est? & si forsan non omnino, illi ne umbra quidem criminis aspersi, tantummodo tyrannica uestra lege concidebant. Imaginare impie iudex, crudelis & omni fera atrocior, illos miserorum iustos gemitus, illas lacrymas, quæ populum etiam truculentißimum, rudémque, & solis cædibus ac spectaculis laniandorum hominum assuetum, ad misericordiam mouere potuerunt: te autem non potuerunt. At illi serui erant. An illis ô nepharie uir unum oculum, tibi duos, illis unum pedem, tibi duos, non aciem uidendi, non auditum, non crura ad

cursum, & formam te ipso etiam liberaliorem atq; uenustiorem illis tribuit? cur ergo in tuam imaginem sine caussa sæuis? quid meruere illi? quid tibi fecere? An nescis, aliquãdo tibi atque illis cõmunes fuisse parentes? Morere igitur æquo animo, & patere etiã filiã mori: quæ etsi in nullo deliquisset, in hoc deliquit, quod sceleratissimi uiri filia sit. Omitto modò illius deuotiones in Cæsarẽ, ipsius de amicitia cũ Plauto exule, & solicitata Asia ad nouas res suscitandas. quæ si non omnino uera fuerunt, non tamen prorsus conficta. Accusabat Iouius Sabinus eques Romanus. constabat aluisse ciuitatum seditiones, uir potens, diues, ambitiosus, factiosus, titulo ementitæ probitatis: quæ qualis fuerit, satis intelligis. Hæc quiuis sæuus iudex expectet in nepotibus & pronepotibus, si non uidit filijs: expectet in familia, si stirps propria desit, si non putat diuinam ultionem sopitam esse. uiue securus ô crudelis & inique, non distulit Deus ob te uindictam: sed ne illius qui per te affligitur, præpropera ultione sua minuatur pœna, ac leniatur. ultio enim iniuriæ patris minuit dolorem. Similibus causis alij damnati, inter quos C. Cassius ille author damnationis seruorum, multorum criminum reus, in Sardiniam relegatus est, celeriter nouissima meritus: ut intelligas, Neronem fuisse mitissimum, illos pessimos uiros. Sed hæc de iusticia. in qua caussa sufficere poterat illud dixisse: Quoscunque occidit Nero, præter illos qui ad coniurationem pertinebant, ut Vestinum consulem, Senatus iudicio occidit. Quod si dicas, Senatum timore illos occidisse, non sponte: quid coegit illos timere, in quorum manibus erant iudicia? nec uisus est Nero petere, ut Soranum, aut Thraseam, aut Ostorium, aut Syllanum occiderent: sed accusatoribus & iudicibus illos permisit. Deinde quorsum fœdæ illæ adulationes? non ne sufficiebat damnasse sine principis adulatione pessima? Et quod peius pessimo est, quonam processere, ut eum cui tam fœdè adulati paulo antè erant, tam crudeliter damnarent? non ne illi mortis arbitrium relinquere præstabat, ut ipse illis, nec addere ut puniretur more maiorum? Quis non uidet in hoc timiditatem plusquàm fœminilem, iram plusquàm ferinam, crudelitatem & ingratitudinem turpem, cum multi eorum ab illo locupletati essent? Itaque nemo Neronem, sed temporum mores & improbitatem Senatus illius ac optimatum arguat. Deinde fac ut Nero eos timore adegerit ad facinora, terrore continuerit atque potentia: quid illos detinuit, ne subsequentibus temporibus accusatores ipsos & scelerum adiutores, uelut Tigillinum, Eprium, Marcellum ac Cossutianum Capitonem, Thraseæ accusatores, Torium Sabinum, Marcum Regulum, totque alios quorum nullus à Senatu ad mortem damna-

damnatus est post Neronis obitum: uix unus Tigillinus ab Othone, cæteri omnes iudicium nõ solùm mortis effugerunt, sed sub subsequentibus principibus plerique regnarunt, pauci è multis, ut Marius Priscus & Publicius Certus, leuiter, uel etiam leuissimè tacti, tanquam aliquem irati ad leue exilium adegissent, aut paruam pecuniæ summam soluere iniustè coegissent. Quid ergo querimini iniustè de Principe, si autores malorum esse finitis? si damnati fuissent qui sub Tiberio sæuierant, non fuissent inuenti qui sub Caligula: uel si sub Caligula, qui sub Claudio aut Nerone alios detulissent, aut damnassent Plures inueniri malos necesse est, quando innocentia damno est, improbitas tuta etiam præmijs afficitur. Nihil ergo ad Neronem hoc malum: sed diuinæ iræ ultio fuit, & scelus ordinum, qui iudicijs præerant tum optimatum: dum alius alium spectante principe, ambitione, inuidia, ira, auaricia, odioq; trudit falsis iudicijs ad necem.

Apparet etiam pluribus obfuisse diuitias: quas ira Deũm partas esse constat, ac pluribus longè sceleribus quàm esset opum multitudo. Cumulos earum & scelerum compara: inuenies plura non solùm fuisse scelera, sed & maiora, maiores cumulos.

Sed iam uideamus, an reliqui qui inter Deos etiam relati sunt, mitiores fuerint Nerone, ut eum de sæuitia accusare saltem liceat: & si non de iniusticia, uel de scelere. Crudelis est, quisquis non solùm immeritis pœnas ingerit, sed grauiores aut exquisitas, uel gaudet adesse supplicijs. Horum nihil potes obijcere Neroni. omnibus permisit liberum moriendi genus: & cum gauderet spectaculis usque ad infamiam, nusquam interfuisse legitur uel damnatorum supplicijs, neque etiam gladiatorum, nec ferarum quæ cum hominibus dimicarent, cum constet omnes imperatores interfuisse spectaculis huiusmodi: quinimo & Claudium Tiburi à mane ad uesperam perseuerasse, ut carnificem ex urbe accitum expectaret, deligatis ad palum noxijs, quos more antiquo puniri iusserant magistratus: Pœnas parricidarum & tormenta etiam quæstionum coram se exigebat & repræsentabat: quocunque munere gladiatorio prolapsos iugulari iubebat, maximè retiarios, ut expirantium faciem uideret. Cum par quoddam gladiatorum mutuis ictibus concidisset, cultellos sibi paruulos ex utroque ferro fieri in usum sine mora iußit. Bestijs meridianisq; adeò delectabatur, ut etiam prima luce ad spectaculum descenderet, & meridie dimisso ad prandium populo præsideret: præterq; destinatos, etiam leui subitaq; de causa quosdam committeret, de fabrorum quoque ac ministrorum atque id genus numero, si aut ἀντίμαχον

» uel pegma uel tale aliquid parum ceßisset: induxit unum ex nomenclatoribus ſuis, ſicut erat togatus. Quid tale in Nerone quis uidit, audiuit aut legit unquam? & tamen hic Claudius, Diuus appellatur, & in diuorum numerum relatus eſt. Forſan quia mitior fuit in iudicijs, quanquam ſæuior in ſpectaculis. Audi quid dicat Suetonius: Apium Syllanum conſocium ſuũ, Liuiaſque, alteram Druſi, alteram Germanici filiam, crimine incerto, nec defenſione ulla data, occidit. Item, Cn. Pompeium, maioris filiæ uirum, & L. Syllanum minoris ſponſum. Ex quibus, Pompeius in concubitu dilecti adoleſcentuli cõfoſſus eſt: Syllanus abdicare ſe prætura ante quartũ Kal. Ianuarias, moriq; initio anni coactus. Die ipſo Claudij Agrippinæ nuptiarũ, in quinq; & triginta Senatores, trecẽtosq; amplius equites animaduertit. Demiror amentiam hominum, furoremq; ac fortunam Neronis, qui ſine cæde crudelis, ſine ſupplicijs exquiſitis ſæuus appellatus eſt: cæteri cum peßima quæq; perpetrarent, inter diuos relati ſunt. Dices forſan, Claudium fuiſſe crudeliorem beneficio Agrippinæ inter deos relatum, ut inuidiã parricidij hoc commento leniret. Sed Nero conſenſit, Nero in cultu perſeuerauit: Neroni ergo laus iam pietatis debetur. Sed id ſapiẽter factum, non piè. Faxo, ſi ſapiens Nero, etiam bonus: ſi bonus, ſapiens. Nemo bonus, niſi ſapiens: nullus ſapiẽs, qui bonus nõ ſit. Defuit ergo Neroni bonus ſucceſſor, non ipſe malus fuit. Quis Galbas, Othones, Vitelliosq; Neroni comparare uelit, auſit'ue, non uideo: quorum breuiſſimo principatu plus ſcelerum & flagitiorum admiſſum eſt, plus ſanguinis ciuium effuſum eſt, quàm quatuordecim totis annis Neronis. adeò ut hoc bene inter tot mala Otho præſtiterit, ut ſatietas eum tenuerit ciuilem effundendi ſanguinem: cæteris nunquam defutura uoluntas, modò licuiſſet. Pergamus ergo ad illas humani generis delicias, Titũ: Neroniq; cõparemus. qui uno ſpectaculo aliquot millia Iudæorum, in quibus pueri & mulieres, feris dilaniãda expoſuit. autor, illius amicus Ioſephus: ne quicquã ex fide decedere credas. Erant Iudæi, erant rebelles, erant contumaces: ſed

Quid meruêre boues, animal ſine fraude, dolis'ue?

Quid cum pueris & mulieribus? Decet ſtirpem impiorum excindere, inſontes occidere non licet. Licuit in bello, inter iram, uindictam & arma: non in pace, pacatis animis. Licuit occidere, non crudeliter occidere. licuit per homines occidere, non feris exponere. nihil tale fecit Nero. At feciſſet. Incertum eſt. Si feciſſet, non deterior futurus erat Tito: at nunc meliorem fuiſſe neceſſe eſt. Regnauit parum Titus, & multa tamen feritatis indicia reliquit. Aulum Cæcinnam penè inter ſacra menſæ imperatoriæ occidi iußit. nihil adhuc tale feciſſe Neronem

nem obijciunt. Arguitur de Vestino, non quòd inuitauerit ad mensam, nec quòd confodi iusserit(hæc latronum sunt imperia) sed mortis liberum genus permisit. & tamen nihil deterius feciſſe Neronem dico: quamuis in indignatione ſumma id egerit, cum pro tot beneficijs in Rempub. in ſingulos, illum occidere decreuiſſent. Nero circum repleuit aurigis, cantoribus, citharistis, histrionibus: Titus gladiatoribus, feris dilaniantibus nudos captiuos, qui pro deo patrio, pro penatibus, pro ſacris, pro ſuorum ſi nō libertate, ſaltem ne tot iniurias paterentur, depugnarunt. mitißimum ſpectaculum ſub Tito fuit, armatos iuſtis armis aduerſus feras depugnare. Dic quæſo uter fuerit ſæuior, aut crudelior? Quot Titus, ſubmißis accuſatoribus, tanquam ſontes, ſolo rumore occidi iußit? adeò ut referat Suetonius, neminem magis inuitis omnibus ob ſæuitiæ de illo opinionem ad principatum tranſiſſe. Sed uide illius beneuolentiam. Populum in primis uniuerſum (inquit Suetonius) tanta per omnes occaſiones comitate tractauit, ut propoſito gladiatorio munere non ad ſuum, ſed ad ſpectantium arbitrium editurum ſe profeſſus ſit. Ita laudabo carnificem humanitatis, qui non ut rogat qui ſupplicio afficitur, ſed qui ſpectatoribus morem gerit. Ita & anthropophagos eos beneuolentes, qui carnes uiuentis aſſent in ueru, quòd futuræ ſint ſapidiores. O monſtra, ô iudicia hominum dira. Hæc pro iuuenalibus Circenſibus ſcenicisq; ludis, & in quibus togatam Afranij edidit, ubi ſparſit miſſilia omnis generis, aues cuiuſq; generis, teſſeras frumentarias, ueſtes, aurum, argentum, gemmas, margaritas, tabulas pictas, mancipia, iumenta, feras manſuefactas: nouißimè etiam naues, domos, agros, apparatumq; omnem ſcenæ diripiendum plebi dedit. Hic uerè popularis fuit. munus gladiatorium ſemel tantum dediſſe legitur, & ſub imperij initio, cum adhuc arbitrio Agrippinæ regeretur. Cæterum in poſterum non ſolùm auertit mutatione facta in alios ludos mites, ſed etiam edicto cohibuit. Hunc igitur ſincerè popularem dicimus, non Titum: qui ut popularis uideretur, dum lauaretur in thermis ſuis, plebem admiſit, & cum poculo cauillabatur. Quæ quis non uidet eſſe cauti, non mitis: auari, non beneuolentis principis ſigna? Plebs non gaudet hac comitate uel bonis uerbis, ſed frumenti uili precio, pecunia, iuſticia contra potentiores. Nemo omnia dat, nec in omnibus largus eſſe poteſt. qui dat uerba, non dat res. Sed uideamus alia illius acta. Duos (inquit Suetonius) patricij generis, conuictos de affectatione imperij, nihil amplius quàm ut deſiſterent monuit, dicens, Principatum fato dari: ſi quid præterea deſiderarent, promittens ſe tributurum. Et confeſtim ad alterius matrem, quæ procul aberat, curſores ſuos miſit, qui anxiæ de filio, eum ſaluū eſſe nunciarent. Cæterum ipſos non ſolùm familiari cœnæ adhibuit, ſed & in ſe-

quenti die gladiatorum spectaculo circa se ex industria collocatis, oblata sibi ornamenta pugnantium porrexit. Hic non temerè progrediendum, multa hic laude digna continentur: idq; solùm non laude dignum est, propter quòd ille hæc scripsit, scilicet quòd ignouerit. neq; enim solùm iniusticiæ pars est, cum causa ignoscere delinquentibus: sed etiam non ignoscere his qui sine causa delinquunt. Quòd ignouerit, malum fuit, maliq; exempli res: reliqua omnia mira laude digna. atq; in primis, quòd nullum timorem, nullam suspicionem metus præ se tulit, ut non solùm illis, sed omnibus spem insidiarum sustulerit. Contrà alij, dum timorem suum dissimulare non possunt, dum crudelitate tutos se fore sperant, periculum bifariam adaugent: & numerum insidiatorum, ob offensas & audaciam, ob metum suum. At Titus patris artibus instructus, Fato dixit imperia deberi: genesi scire quid immineret. Ita nemo audet contra Deos, Fata, Astra. Porrò & illud adiecit, ut humanitatem fictam coram populo ostentaret. Illud non fictum, & sapienter & pie numis faciũ, de matre, ut non plebs & imperiti, sed sapientes animaduerterent quàm prudens, quàm humanus esset, qui maiorem in parentibus dolorem, & immeritò ex filiorum periculo, quàm in ipsis filijs esse non ignorarent: nec tam peperciisse illis dignis supplicio, quàm non uoluisse immeritam matrem affligere. Plusq; potuisse innocentiam matris ad seruandum nocentem filium, quàm scelus filij ad perdendum insontem matrem: cuius laudis, ut dixi, nec expers fuit Nero, in Montano. At non sic ille Diuus Augustus. qui patrem & filium pro uita supplicantes iussit aut sortiri, uter superesse deberet: aut dimicare. ac spectasse utrumq; morientem: cum patre occiso, qui se ultrò obtulerat, filius quoq; uoluntaria occubuisset nece. Quid huic simile ex uniuersa Neronis uita conferes? Sed uide aliud. Gallus Prætor in salutationis officio duplices tabellas sub ueste tenebat: suspicatus Augustus gladium occulere: nec quærens quid esset, ne aliud inueniretur: paulo pòst per centuriones raptum è tribunali seruilem in modum torsit: ac fatentem nihil, iussit occidi, prius oculis sua manu effossis. Quid rursus habes, quod huic seu temeritati seu crudelitati obijcias ex Nerone? Omitto nũc proscriptionem illam nefariam, et Perusinã crudelitatẽ, totq; imperatas priuatim cædes, & consulum necem, de qua arguitur, Pansæ & Hirtij. Sufficiat unum ex Seneca apposuisse exemplum. Volesius sub Augusto, inquit, Asiæ proconsul, trecentos prouinciales una die securi percussit: inambulansq; per cadauera medius, Græcè exclamauit, ô rem regiam? Quis rex hoc fecisset? Vide rursus, quid huic solo facto ex Nerone conferes, etsi quotquot occidit tota uita simul adnumeres? Tantum deinde sanguinis ciuilis, tantum Italici, tantum prouincialium sociorumq;

rumq;, in suos atq; inimicos ex æquo sæuus, minax ac truculentus. Tot inde ciuitates, tot prouinciæ direptæ, fameq; & necessitate, tum iniurijs militum quicquid imbellis sexus aut ætatis ad mortem adactum crudelitate comparabis Neronis qui in prouinciales insons, in socios & Italicos innoxius: paucos Senatores & optimates flagitiosissimos, & omni supplicio dignos, iudicio etiam ipsius Senatus, cuius nunquam pœnam auxit, persæpe minuit, nonnunquam ex toto sustulit, morte aut exilio damnauerit. plebi, miseris, probis, eruditis semper utilis. Reliquum damnationis totum ad ambitionem, ad suorum optimatium potentiam contorsit, ut mitis ac iustus eo modo quo de Nerua et Traiano diximus, haberetur. Caligulam & Domitianum non commemorabo: nemo enim est tam impudens, qui eos non sæuiores Nerone fateatur. unde etiam illud Domitiani uulgatum:

Sed perijt, postquam cerdonibus esse timendus
Cœperat: hoc nocuit lanarum cæde madenti.

Cum enim calceus eum læderet, intellexit corium ab his qui calceos conficiunt, dentibus trahi. unde omnibus calceorum artificibus dentes anteriores detrahi iussit. Caligula uerò filios occidebat, inde patres ad epulas inuitabat, cogebatq; iocis & hilaritati operam dare. Arcam habuit ueneni, quo infecta sunt maria. ille suis manibus discruciabat, quos uellet, fidiculis per noctem, & occluso etiam ore, ne fortè aliquid audiret quòd fortiter dolor exprimeret. cogebat animam exire per uulnera. Ille idem quandoq; misericors factus, occisis filijs eadem nocte (ne luctu conficerentur puto) insontes patres per milites domi inuentos occidi iubebat. Sed redeamus ad sanctissimos, C. Cæsarem, Vespasianum, Antoninos. libet tamen de Tiberio paucula dicere, non quòd comparandus sit ulla ex parte Neroni, sed ut quanto sæuior fuerit intelligatur. Fuit immane monstrum, atq; horrendum: non crudele, sed crudelitas ipsa. Omitto iniurias in matrem, & odium ingratissimum & necem nepotum nurus, ac duriciem in filios, non sine suspicione, ueneficij Germani, quibus in parricidijs mortaleis omneis superauit. Videamus in reliquos omnes qualem se exhibuerit.

Nota est fabula de piscatore, qui mulam ei grandem inopinanter secretò agenti obtulerat: inde in pœna immerita gratulanti, quòd non locustam itidem grandem attulisset. Consulente Prætore, an iudicia maiestatis cogi iuberet? respondit, Exercendas esse leges: & atrocissimè etiam exercuit. Statuæ quidam Augusti caput dempserat, ut alterius posteà imponeret: acta res in Senatu. & quia ambigebatur, per tormenta quæsita est.

„ quæsita est. Damnato reo, confestim hoc genus calumniæ eò processit, ut hæc
„ quoq; capitalia essent, circa Augusti simulachrum seruum cæcidisse, uestem
„ mutasse, nummo uel annulo effigiem impressam latrinæ uel lupanari intulisse:
„ dictum ullum, factum'ue eius existimatione aliqua læsisse. Perijt deniq; & is,
„ qui honores in colonia sua eodem die sibi decerni passus est, quo decreti &
„ Augusto olim fuerant. Scurram quoq;, qui prætereunte funere, mortuo man
„ dauerat, ut nunciaret Augusto, nondum reddi legata quæ plebi reliquisset:
„ attractum ad se, recipere debitum, duciq; ad supplicium imperauit, & patri
„ suo uerum referri. Alia multa, imò pene infinita in hoc genere perpetrauit,
per quæ omnem cogitationem excessit. Omitto grammaticos conuictores, quos minimis etiam causis perdidit: ex uinginti quos à Repub. adiutores administrationis sibi depoposcerat, uix duos aut tres incolumes reliquit. Sæuum illius ingenium etiam à pueritia deprehensum est à Theodoro Gadareo, rhethoricæ præceptore, qui illum lutũ sanguine maceratum appellabat. Infinitum esset, si huius monstri crudelia facta recitare uelim. Sed sufficiat ex immenso
„ numero hæc paucula subiecisse. Inquit enim Suetonius: Mox in omne genus
„ crudelitatis erupit, nunquam deficiente materia: cum primo matris, deinde
„ nepotum & nurus, postremò Seiani familiares, atq; etiam notos persequere-
„ tur: post cuius interitum uel sæuissimus extitit. quo maximè apparuit, non tam
„ ipsum à Seiano concitari solitum, quàm Seianum quærenti occasiones submi
„ nistrasse. Etsi commentario quem de uita sua summatim breuiterq; cõposuit,
„ ausus est scribere, Seianum se punisse, quòd comperisset furere aduersus Ger-
manici liberos, filij sui: quorum ipse alterum suspecto iam, alterum oppresso demum Seiano interemit. Singulatim crudeliter facta eius exequi longum est: genera uelut exemplaria sæuitiæ enumerare sat erit. Nullus à pœna hominum cessauit dies: ne religiosus quidem ac sacer. Animaduersum in quosdam ineunte anno nouo: accusati damnatiq; multi cum liberis, atq; etiam uxoribus suis. Interdictum, ne capite damnatos propinqui lugerent: decreta accusatoribus præcipua præmia, nonnunquam & testibus. Nemini delatorum fides abrogata. Omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simpliciumq; uerborum. obiectum est poetæ, quòd in tragœdia Agamemnonem probris lacessisset: obiectum & historico, quòd Brutum Cassiumq; ultimos Romanorum dixisset: animaduersum statim in autores, scriptaq; abolita, quamuis probarentur aliquot antè annos, etiam Augusto audiente recitata. Quibusdam custodiæ traditis, non modò studendi solatium ademptum, sed etiam sermonis et colloquij usus. Citati ad causam dicendam, partim se domi uulnerauerunt, certi damnationis, sed ad uexationem ignominiamq; uitandam: partim in media

curia

curia uenenum hauserunt: & tamen colligatis uulneribus ac semianimes, palpitantesq; in carcerem rapti. Nemo punitorum non & in Gemonias abiectus, uncoq; tractus. Viginti uno die abiecti, tractiq; inter eos pueri & sœminæ. Immaturæ puellæ, quia more tradito nefas esset uirgines strangulari, uitiatæ prius à carnifice, dein strangulatæ. Mori uolentibus uis adhibita uiuendi. nam mortem adeò leue supplicium putabat, ut cũ audisset unum ex reis Carnulium nomine anticipasse eam, exclamauerit: Carnulius me euasit. Et in recognoscendis custodijs, precanti cuidam pœnæ maturitatem, respondit: Nondum tecum in gratiam redij. Annalibus suis uir consularis inseruit: frequenti quodam conuiuio, cui & ipse affuerit, interrogatum eum subitò & clarè à quodam nano astante mensæ inter Capreas, Cur Paconius maiestatis reus, tam diu uiueret? statim quidem petulantiam linguæ obiurgasse: cæterùm post paucos dies scripsisse Senatui, ut de pœna Paconij quamprimùm statueret. Auxit intenditq; sæuitiam, exacerbatus iudicio de morte filij sui Drusi: quem cum morbo & intemperantia perijsse existimaret, ut tandem ueneno interemptum fraude Liuillæ uxoris atq; Seiani cognouit, neq; tormentis neq; supplicio cuiusquam pepercit: soli huic cognitioni adeò per totos dies deditus & intentus, ut Rhodiensem hospitem, quem familiaribus literis Romam euocarat, adueniisse sibi nunciatum, torqueri sine mora iusserit, quasi aliquis ex necessarijs quæstioni adesset: deinde errore detecto, & occidi, ne uulgaret iniuriam. Carnificinæ eius ostenditur locus Capreis, unde damnatos post longa & exquisita tormenta, præcipitari coram se in mare iubebat: excipiente classiariorum manu, & contis atq; remis elidente cadauera, ne cui residui spiritus quicquam inesset. Excogitauerat autem inter genera cruciatus etiam, ut larga meri potione per fallaciã oneratos, repentè ueretris deligatis, fidicularũ simul urinæq; tormento distenderet. Quod etiã, nisi cum mors præueniisset, & Thrasyllus consultò (ut aiunt) differre quædam spe longioris uitæ compulisset, plures aliquanto necaturus, ac ne reliquis quidem nepotibus parsurus creditur: cum & Caium suspectum haberet, & Tiberium ut ex adulterio conceptum aspernaretur. Nec abhorret à uero: namq; identidem felicem Priamum uocabat, quòd superstes omniũ suorum extitisset. Quàm uerò inter hæc non modò inuisus ac detestabilis, sed prætrepidus quoq; atq; etiã contumelijs obnoxius uixerit, multa indicia sunt. Aruspices secretò ac sine testibus cõsuli uetuit: uicina uerò urbi oracula etiam disijcere conatus est. Sed in maiestate Prænestinarum sortium territus destitit: cum obsignatas, deuectasq; Romam non reperisset in arca, nisi relatas rursus ad templum. Vnum & alterum consulares, oblatis prouincijs, non ausus à se dimittere: usque adeò detinuit,

donec successores post aliquot annos præsentibus daret: cum interim manente officij titulo, etiam delegaret plurima, assidueq; illi per legatos & adiutores suos exequenda curarent. Natum ac nepotes nunquam aliter post damnationem quàm catenatos, obsutaq; lectica loco mouit: prohibitis per militem obuijs ac uiatoribus respicere usquam, uel consistere. Seianum res nouas molientem, quamuis iam & natalem eius publicè celebrari, & imagines aureas edi passim uideret: uix tandem & æstu magis, ac dolo, quàm principali autoritate subuertit. Nam primo ut à se per speciem honoris dimitteret, collegam sibi assumpsit in quinto consulatu, quem longo interuallo absens ob id ipsum susceperat. Deinde spe affinitatis ac Tribunitiæ potestatis deceptum, inopinantem criminatus est pudenda miserandaq; oratione: cum inter alia P.C. precaretur, mitterent alterum è consulibus, qui senem se & solum in conspectum eorum cum aliquo militari præsidio perduceret. Sic quoq; diffidens, tum ultumq; metuens, Drusum nepotem, quem uinculis adhuc Romæ continebat, solui, si res posceret, ducemq; constitui præceperat. Aptatis etiam manibus ad quascunq; legiones, meditabatur fugam, speculabundus ex altissima rupe identidem: signaq;, ne nuncij morarentur, tolli procul, ut quidq; foret factum, mandauerat. Verùm & oppressa coniuratione Seiani, nihilo securior, aut constantior, per nouem proximos menses non egressus est uilla quæ uocatur Iouis. Vrebant insuper anxiã mentẽ uaria undiq; conuicia, nullo non damnatorum omne probri genus coràm, uel per libellos, in orchestra positos ingerente. Quibus quidem diuersissimè afficiebatur: modò ut præ pudore ignota & celata cuncta cuperet: nonnunquam eadem contemneret, & proferret ultro, atq; uulgaret. Quin & Arthabani Parthorum regis lacerati eſt literis, paricidia & cædes & ignauiam & luxuriam obijcientis, monentisq; ut uoluntaria morte, maximo iustissimoq; ciuium odio quamprimùm satisfaceret. Postremò semetipse pertæsus, talis epistolæ principio tantum non summam malorũ suorum professus est. Quid scribam uobis P.C? aut quomodo scribam? aut quid omnino non scribam, hoc tempore? Dij me Deæq; peius perdant, quem quotidie perire sentio, si scio. ob hæc bis carminibus in publicum euulgatis notatus esto:

Asper & immitis, breuiter uis omnia dicam?
Dispeream, si te mater amare potest.
Non es eques. quare? non sunt tibi millia centum:
Omnia si quæras, & Rhodos exilium est.
Aurea mutasti Saturni secula, Cæsar:
Incolumi nam te ferrea semper erunt.

Fastidit

Fastidit uinum, quia iam sitit iste cruorem:
Tam bibit hunc auidè, quàm bibit ante merum.
Aspice felicem sibi, non tibi, Romule, Syllam:
Et Marium, si uis, aspice, sed reducem.
Nec non Antoni ciuilia bella mouentis,
Nec semel infectas aspice cæde manus.
Et dic, Roma perit: regnabit sanguine multo,
Ad regnum quisquis uenit ab exilio.

Itaq; reor hoc Adagium, Nerone crudelior, proculdubio non de Domitio Nerone, de quo principalis sermo institutus est: sed de Tiberio hoc, qui crudelitate omnes mortales superauit: uel si omnino hoc nolis, factum commune tribus Neronibus, Tiberio, Claudio, & Domitio. namq; Claudius, licet Tiberius Claudius Drusus uocatus sit, pater tamen eius Nero Drusus uocabatur: ut intelligeremus, Tiberij descendentes, dico Tiberij, patris Tiberij ac Drusi, qui Tiberius Nero uocabatur (qui fuere, Tiberius, Claudius ac Domitius) omnes fuisse sæuos. Sed alia ratione singulos, Tiberium ob improbitatem & iniusticiam, Claudium ob stulticiam, Domitium ob seueritatem. Sed iam his omissis, quæ nos non fatigant, conferamus illum melioribus, ac diuis ipsis: C. scilicet Iulio primùm, qui etsi non aliud paricidium exercuisset, illud maximum fuit, Rempublicam prodidisse, & in seruitutem redegisse. Quod ad crudelitatem attinet, trecenta millia Germanorum præter ius & fas cum in fœdere essent, occidit. Vnde Catonis sententia erat, ad expiandum tantum scelus, liberandamq; Rempublicam à flagitio & dedecore, dedendum illum esse affinibus eorum quos per iniuriam cæcidisset. Quæ sententia ut non obtinuit, quod esset suspecta ob inimicitias Cæsaris cum Catone, & ob Pompeij ac Crassi conspirationem, tum etiam Romanorum auariciam: ita, si obtinuisset, salutaris fuisset Reipub. admodum. An trecenta millia Germanorum insontiũ occidisse sine summa crudelitate licuit? ciuitates quæ sponte ei se dedebant, recipere noluit, ut posset diripere. An cura sola Deo erat de Romanis? & ille, ut Romani, in nullo numero gentes cæteras habuit? At constat, cum Drusus solita feritate & ambitione Germanos persequeretur, astitisse mulierem humana forma angustiorem, quæ illum latinè monuit ne ultra pergeret: atq; sic cessauit. Paulo etiam pòst mortuus est.

Quid de bellis ciuilibus, quantum hic latro Romani sanguinis effudit? quantum sociorum, & Italicorum? Refert Plinius, in præfatione C. Cæsarem, exceptis etiam ciuilibus bellis, undecies centena & nonaginta

duo millia hominũ occidisse. Adde quod in bellis ciuilib. quòd extra bella (quod maius est) effudit: infinitum propemodum erit. Hunc uirum conferto Neroni, quo nemo forsan plus sparsit humani sanguinis: atq; id ob solam ambitionem, auariciam, & crudelitatem: ut deterior sit causa immanitate sceleris. Hunc uirum cum Sylla potius & cum Mario conferes, non cum Nerone: quos tamen crudelitate superauit. atq; is est, qui clementissimi nomen adeptus est. Vides iudicia? uides errores hominum, atq; stulticiam? At dicunt, In pace pepercit inimicis? Sed uide primùm, quibus inimicis? Inimicos appellauit, qui in ciuitate libera restiterunt, illi ne seruirent. Pepercit, cum ob potentiam nihil ab eis metuere posset. Pepercit, ut cõmodius eos in seruitutem redigeret: ut deterior fuerit hæc clementia & uenia, crudelitate & bellis ipsis. namq; cum illi nõ magna esset coniunctio cum optimatibus (fuit enim in comparatione temporum & conditionis tum ciuium Romanorum, humilis sortis) si in pace persequi ciues perseuerasset, necesse erat ut ab illis opprimeretur, aut perpetuò esset in castris. itaq; hac fraudulenta clementia sperauit eos in uoluntariã seruitutem adigere, quos ui continebat. apertum enim erat, quamdiu ciues armis opprimeret, ui esse dominum: ideoq; tanquam ab hostibus, sic à subditis metuendum. Itaq; constat, Neronem principem fuisse, non tyrannum, clementemq;: contrà, C. Cæsarem tyrannum sæuissimum, non principẽ: cũ tamen eò amentiæ homines processissent, ut ubi nullum esset crimen, crimẽ struerent: ubi esset tam ingẽs ut etiam à Plinio improbetur, dissimularẽt. id aũt totũ contigit metu & acerbitate succedentiũ Iulio principũ, qui eorũ qui uera retulissent, nõ satis habebant scripta damnare atq; exurere, ut proximo exemplo docui: sed ipsos autores ultimo supplicio afficiebãt, bonis etiã ab hæredibus sublatis: capitaleq; erat, & læsæ maiestatis crimen, si uel ioco quis D. Iulij & D. Augusti quicquã non sine summa adulatione ac diuini præfatione attigisset. Neroni autẽ cum externi principes successerint, & extra familiam omnino Iuliorum, quicquid odij, maleuolentiæ, opinionis prauæ conceptum in totam dominationem Iuliorũ fuerat, ingratè et iniustè falsoq; in illũ, quòd præsens fuisset, illumq; solum uidissent, reiectum est. Et nisi immania fuissent omnino & supra fidem facta maiorum, in perpetuum latuissent, sæuitia sæuitiã tegente. Nunc tandẽ ueritas, tẽporis filia, me duce, ut etiã in pleriſq; alijs, post tot secula in lucem prodijt, Neronem tuens, alios pro meritis principes dãnans. Sed ad D. Vespasianũ ueniamus, de quo uidetur cõsensus omniũ, quòd optimus fuerit princeps & mitis. nec eũ falsa posteritas ignorantia tuetur, cũ breue in illius familia imperiũ extiterit, scilicet annorũ tantũ uiginti et octo, cum Iuliorum familia regnasset annis centum quatuordecim: ut omnis memoria

moria maiorum extincta esset sub Vespasiano, scripta uerò (ut dixi) sæuissimis edictis & crudelitate imperantium abolita. Fuit enim Iulia gens, fax ingens, ab inferis suscitata iussu diuinæ iusticiæ, cum non aliter tot mala impij populi Romani puniri possent. huius facis extremum fuit Nero Cæsar: ut in omnibus quæ ad finem perueniunt, non solùm remissum, sed languidum ac mite: ut qui iam expleta diuina ultione, ad iusticiam & clementiam uerteretur. Sed quia militaria scelera ac flagitia imperio per successionem delato inulta manebant, quatuor continuos principes diuersos Deus substituit, quorum ira ac ambitione exercitus ipsi mutuis uulneribus concidèrent, eisdemq; armis, & quod ad Persas, Parthos, Indos atq; Germanos (quæ quatuor gentes magnæ adhuc inexpertæ Romanum iugum supererant) subigendos satis superq; fuisset, intestina seditione ac bellis plus quàm (ut ille aiebat) ciuilibus absumptum est. Ergo ut ad Vespasianum redeam, qui non optimus fuit, sed prudentissimus, cuius facinora malignè Suetonius, nescio qua causa multum illi fauens, suppressit: constat tamen, bellis ciuilibus, dum imperium per uim & ad ipsum minimè pertinens occupat, & multum effudisse sanguinis ciuilis, & crudeliter multa, sed per suos potius quàm seipsum, imò etiam filium: sed per Antonium & Mutianum longè plura. At diuinus princeps (ita enim credi se uoluit) quid admittere impium poterat? legati uiolati tamen à militibus Petilij Cerialis: occisus A. Vitellius, frater Imperatoris: & Calpurnius, C. Pisonis filius. Sed uide quid Plutarchus dicat: Interfecit uerò Epponinam Vespa- «
sianus, cædisq; eius iniquissimæ pœnas non multo pòst dedit omni genere ex- «
tincto. Cum autem multa atrocia facinora tunc facta sint, nihil tam triste tu- «
lit principatus ille: uerisimileq; est, nullum magis facinus deos immortales a- «
uersatos esse, quamuis cum supplicium de eo sumeretur, spectantium ex animo «
omnem sustulerit misericordiam fortitudo ipsius ac libertas. quo magis etiam «
incendit Cæsarem. Postquam enim ueniam desperauit, rogauit, ut citò infra «
terram mitteret: uixisse enim se iucũdius sub terra ac tenebricosis locis, quàm regnante illo in luce ac siderum aspectu. Itaq; constat sæuum & sanguinarium fuisse principem, sed cultum & celatum. Quod uerò maius testimonium petis hoc ipso? cum regnare cœpisset, in spem erectus est senatus, ulciscendi mortem atq; iniurias acceptas sub prioribus principibus. uocabanturq; in discrimen inter cæteros Eprius Marcellus & Vibius Crispus, non unam meriti necem, sed mille supplicia. hi falsi accusatores, periuri testes, iniusti iudices, nullo flagitij genere carebant. Hos prohibuit Vespasianus: non melior Nerone, sed deterior. nam Nero offensus damnari permiserat accusatos, & à falsis forsan testibus opprimi: Vespasianus de testibus & accusatoribus quæ-

ri uetuit: Vter deterior? Sic etiam. Pisonem interfici curauit, Africæ proconsulem: ministros etiam habuit pessimos, inter quos Bebium Massam. Occidit & Germanicum, Vitellij filium, insontem: & Heluidium Priscum, solum ob uerba quædam: uirũ adeò sanctum, ut Nero ob sanctitatem, quamuis Thraseæ generum & suspectum maiestatis læsæ, cum demiserit.

Verùm quid opus est in re clara disputationibus: nonne extant epistolæ duæ Apollonij Thianæi, philosophi sanctissimi, in quibus Neronem ei præfert, cum etiam ad illum ipsum scriberet? inquit enim: Existimas te Xerxe opulentiorem, quòd Græcos, quos Nero ludendo liberos effecit, tu seriò in seruitutem redegeris: cum tamen ille ditior uoluntario esset obsequio, quàm tu uiolenta seruitute.

Sed ueniamus ad Antoninos, de quibus uulgatũ est illud: Sis Antonino sanctior, Traiano melior, felicior Augusto. in quibus error ille communis fuit, quòd Senatoribus & optimatibus fauebãt, tanquam inopes & cæteri qui miseri essent, homines non essent: cum tamen celebres uiri magis ex hoc quàm ex illo ordine fuerint, seu uirtute seu eruditione clari euaserint. Cauit uterque, ne Senator ullus occideretur: adeò ut etiam Cassio desciscenti, & aduersus Marcum bella mouenti, ignoscere uellet. Quo tamen factum est, ut Marcomani & Germani in prouinciam non redigerentur. quæ causa fuit tandem euersionis imperij Romani. Alter Pius, parricidam senatorem occidere noluit: quo exemplo, qua stultitia? in tanto facinore, deportasse in insulam scilicet, ut diripere occidereq; impunè liceret. Quin etiam repetundarum damnatis, bona restituebant filijs eorum, modò prouincialibus satisfacerent. Quid hoc erat, quàm eos securos reddere rapinarum? quandoquidem non conuictis relinquebantur, conuictis transibant ad filios. nec quid deterius contingere poterat, quàm reddere. At quanta subterfugere necesse erat, aut ob uerecundiam non repetentibus: uel quia sponte data uiderentur, uel quia non magna: uel quia deesset testis, aut quia perijsset testis, uel etiam qui dedisset: uel quoniam in confessione, muneris confessio etiam criminis esset?

Quæ ergo hæc clementia, improbos tueri ut insontes spoliarent? At fortassis crudele non est, spoliare pauperes pecunia? Quasi nulla sit mors sæua, nisi securi quenquam occidere. Deterius est longè enecare fame, frigore, laboribus: quandoquidem cruciatus maior, & diuturnior exitus, idem clades generalior. Quocirca hi sunt qui clementes uocant principes, quòd facinorosis, quoniam potentes sunt, ignoscunt: tributis & uectigalibus

ita exhauriunt populos, ut ipsi ac filij fame, frigore, laboribus ac desperatione conficiantur. In quo uos Antonini meliores estis mendico quouis? an plura uobis membra sunt, aut formosiora: aut animus uester solum immortalis in uobis ac senatu, plebis animi & prouincialium caduci, & (ut Turcæ nugantur de fœmineo sexu) bellumi? Vis uidere fictam fuisse hanc humanitatem? non'ne Pius sumptum statuit gladiatorio muneri, tanquam non homines (quorum plerique inuiti, & bello capti, dum libertatem suam tueri uolunt: alij seruorum filij, emptiad hoc munus: nec simpliciter cadere licuit his, sed à lanista docebantur, exercebantur: cogebantur etiam ferrum ultro condere, quod iam receperant in intima, pròh hominum fidem, ut placerent spectatoribus) sed pecudes aut feræ iugularentur: & Neroni, qui horum loco scenicos ludos exhibebat, audent exprobrare crudelitatem? Marcus uerò de Sepulchris asperrimas leges tulit, maiorem mortuorum quàm uiuorum curam gerens. Fratrem autem Verum Antoninum tulit, hominem crudelem, & callidæ crudelitatis, qui in commessationibus gladiatoria munera edebat: quasi non idem esset, id facere, ac permittere. Et cum legiones cæsæ essent in Syria, & legatus occisus, in Apulia ipse Verus uenabatur. Quòd si nihil mali omnino egisset, Commodum cum genuerit, monstrum illud horrendum, & cuius mores cum iam agnosceret, reliquerit imperij hæredem, satis execrandus esset hoc solo facto. Itaque palàm est, Antoninos prudentes quidem fuisse, & egregios dissimulatores: cæterum Nerone ipso longè crudeliores. si crudelitas est, pauperes premere, miseros in manibus potentiorum cruciandos & uexandos dimittere, facinorosos magistratus impunitos relinquere. Quisque rem cogitet æqua lance, animo haud addicto factioni: statim intelliget, quæ à me proferuntur, uera esse. Quanto melior sanè Alexander Seuerus (hic siquidem solus Deorum cultor uerè bonus fuit, inter omnes Imperatores qui à Iulio Cæsare usque ad nostra tempora regnarunt: nec huic Neronem præponere ausim) qui fures omnes odio internecino prosequebatur: magistratus autem, qui quippiam iniustum patrarent, seu Senatores seu alios, acerrimè, ut decuit, puniebat. Adeò uerò rapaces iudices horrebat, ut ad nominis eorum mentionem aliquando bilem euomeret. In probos mitis, clemens, liberalis: ut non hominem, sed Deum quempiam, humanam carnem susceptisse diceres: quemadmodum & Homerus & Plato quandoque contingere aiunt. Nec tam infector sæuitiam, ut Neronem tuear, quàm quòd in illo non fuerit. Neque enim me latet

sæuitia

ſæuitia Aureliani Imperatoris factum, ut cum antea innumeri tyranni occuparent Rempub. & Galieni tempore triginta ſimul: hic effecit, ut non eſſet qui recipere uellet imperium, manſitq; Romana Reſpub. ſine imperatore per ſex menſes. Itaq; ut crudelitas præpoſtera execrabilis eſt, ita opportuna nulla melior ad continendum regna. Ea autem eſt opportuna, in qua ſcelerati puniuntur. Scelerati uerò propriè ſunt auari, & ambitioſi: horum enim inſatiabilis eſt cupiditas, qua omnia euertunt. Crudeles enim, iracundi, ſegnes, libidini dediti, aut gulæ, aut inconſtantes, ſcelerati uerè dici haud merentur.

Iniquam ſæuitiam appellabo Septimij Seueri, quem tamen inter diuos retulerunt: qui ſexaginta Senatores non ob illorum flagitia, ſed ob priuatum odium occidit indicta cauſa, et iudicio nullo. quòd Nero non niſi in Veſtino detecta coniuratione, & iam priuatis odijs effecit, flagranti periculo: Septimius ſedato. Sed de Septimio nemo dubitat, quòd crudeliſſimus mortalium non fuerit. Nunc oſtendamus, quantum à crudelitate abfuerit Nero. Epicharis libertina fuit illius ætate, quæ conſcia Piſonianæ coniurationis, Voluſio Proculo nauarcho Neronis fidiſſimo rem detegit, ſperans eum in ſententiã adduci poſſe, q; in illũ pro meritis Nero ingratus fuiſſe uideretur: nihilo ſecius, ut prudẽs, neq; autores, neq; conſcios, neq; tẽpus aut modũ detegit. Voluſius rem detulit Neroni. mittit ad eam, uenit. interrogatur: negat. componitur cum indice: conſtanter pernegat, quicquam tale dixiſſe. Hic primùm conſidera, quis tam mitis princeps ſit, & uix regulus, qui ab amico monitus, ubi de uitæ periculo agitur, ſatis habeat mittere ad illam, non iubere comprehendi? Quis poſtmodum pernegantem non adhibuiſſet tormentis? At Neroni ſatis fuit, nulla amplius quæſtione habita, illam detinere ſine noxa in carcere.

At timuit. quam? mulierem. At ueritus eſt nobilitatem. cuius? libertinæ. Sed uide reliqua, ne forſan omnino quòd iudicium contempſerit, factum putes. Detegitur coniuratio. quid obijciunt? quòd coniurati triplicibus cathenis cauſam dixere: hoc timoris fuit, non crudelitatis. cæterùm conuictos & faſſos nec tormentis cruciauit, nec opprobrijs fœdauit, ſed ſimplici morte dãnauit: cum Lucano & alijs conſcijs liberum mortis genus permiſiſſet. Et tamen nonnulli ex his coràm (non ſatis habentes uoluiſſe occidere, alium creare imperatorem: quòd indicium eſt, non culpa eius initam coniurationem, ſed ambitione dominationis. quorſum enim, ſi ob malefacta Neronis in eum cõſpirauerant, quærere antequam occideretur illi ſucceſſorem?) conuicijs eum affecerunt: inter quos Subrius Flauius tribunus militum eum appellauit parricidam matris & uxoris, aurigam, hiſtrionem & incendiarium: Sulpitius autem Aſper centurio dixit, non aliter potuiſſe ſuccurri tot illius flagitijs. His

tamen

tamen omnibus satis habuit, eos pœna capitis multare. Sed audi maiora. Cum quotidie multi & multi proderentur (fuere enim innumeri in ea coniuratione) nec posset sciri an aliqui superessent (inauditam rem profero) neminem sustinuit tormentis ad generationem adhibere, præter libertam illam quam odio, ut par erat, prosequebatur non leui, quod tam diu uoluisset parricidium cælare. Sed hæc cum neminem prodiderit, fascia qua alligata erat spiritum elisit. Ita Neroni nil magis profuit indignatione. Cum enim conspirati exigerent pœnas ab alijs, ipsi uerò nondum essent proditi ab his quos urgebant acriter, ut innoxij uiderentur ob iram detegebantur.

Audi etiam longè maiora. Pluribus conuictis & confeßis omnino ignouit: inter quos Antonio Natali, Ceruario Proculo, Granio Syluano, Statio Proximo, tum multis alijs etiam: inter quos Acilia fuit, ut dixi, Lucani mater, & Marcellus Cornelius, & Vulcatius Tullinus, dirarum & deuotionum in principem rei. Quin etiam Tenio Rufo coniurationis principi, & Præfecto prætorij, uiro omnium erga Neronem mortalium ingratißimo, conuicto, & confesso, indulsit ius Testamenti, nec ademit bona.

Hic iam liceat exclamare: ô Christiani principes ac magistratus, si Nero cum his crudelis meretur appellari, quales uos eritis? certè nullum nomen nec Latinè nec Græcè uobis iam congruere poterit. θηριώδους, φαλαρισμοὺς uos uocabo, aut si quid aliud deterius est? At non estis: neque enim in cœlum os ponere uolo. Sat sit ergo, indignè admodum crudelem appellari Neronem: qui non nisi maximis ex causis ac iustis homines occidit, non nisi iudicio Senatus. nam huius coniurationis indicia in libros collata, & confeßiones damnatorum & Senatui ostendit, & populo per edictum: qui neminem exquisito mortis genere condemnauit, qui maluit multa in obscuro, quæ ad illum pertinebant, & dubia relinquere, quàm tormentis ueritatem emere: qui tot conuictis de insidijs præsentibus, & etiam sine iniuria accepta paratis ignouit: qui neminem in Gemonias proijci passus est: qui nullum coram se interfici curauit, nec quenquam inauditum condemnauit, nisi Vestinum consulem (ut diximus) quem si odisset, creari passus non esset consulem.

Cogitate ultionem principum huius ætatis in proditores, quos non satis habuerunt in carcere tormentis exquisitimis discruciare, extra candenti igne adurere, pedibus suspendere, in frusta lacerare, urere, spargere cineres: quid ultra iam? an sperabant etiam Hylen delere, atque animum immortalem tollere, ne fuisset? ne dicam, memoriam illius extinguere? Sa-

pientius meo iudicio Cæsar, non solum mitius, cum morte ipsa omnia claudi intelligeret. Cætera sunt magis spectacula efferatæ naturæ, aut impatientis iræ, quàm supplicia homini debita. Sed obijcies forsan illud Suetonij: » Damnatorum liberi urbe pulsi, enectiq; ueneno aut fame. Constat quosdam » cum pædagogis & capsarijs uno prandio pariter necatos: alios diur- » num uictum prohibitos quærere. Nullus posthac adhibitus delectus aut mo- » dus interimendi quoscunque libuisset, quacunque de causa.

Cui uidentur consentire uerba Taciti, sub persona Curtij Montani: An » Neronem extremum dominorum putatis? Idem crediderant, qui Tiberio, » qui Caio superstites fuerunt: cum interim intestabilior & sæuior exor- » tus est. Quem testimonijs damnare non potuerunt, in eum aculeos eloquen- tiæ exercuere. Sed conficiuntur suis uerbis: ac ipsis testibus deprehenditur, plus uoluisse satis dicere, quàm dicere potuerint. Quis prohibuisset, si cru- delis fuisset Nero, ne filios damnatorum occidisset, aut saltem damnasset in uinculis (quod lege facere adhuc licet) cum eorum parentes in personam principis coniurassent?

Infantem è cunis illiserunt muro hæredes Galeazij Sfortiæ, filium Ioan. Andreæ Lampugnani, quod Galeazium occidisset pater. Idem cura- runt, uti insons frater medicus, Venetijs tamen degens, occideretur. Pul- sus est pater Olgiati ex eadem causa: frater aufugit, mortem subiturus, quanquam extra omnem suspicionem, si captus fuisset. Nero patrum nulli, aut fratri infestus fuit, filios satis habuit urbe pellere: quid mitius? At ueneno necati sunt, ac fame: in tanto odio principis multi expleuere odia sua. priuata hæc fuit iniuria, non publica: nam & maior pars euasit. Ille iudex minus sæuijt in filios damnatorum, cum esset idololatra: quàm magistra- tus nostri qui CHRISTVM ore profitentur, in patres aut fratres nulla lege fulti fecerunt, facerent ue. Itaque quod ad Neronis calumniam quæsi- tum est, solum rubor est nostræ ætatis. Taciti uerò oratio, seu Montani, plena irarum, plena ambitionis senatoriæ, ut dixi, cum esset diuersarum par- tium, & contra illum qui ius & æquum factui & potentiæ prætulit, quam fidem facere nobis debet?

Sed iam ad alia crimina transeamus. nam Neronem mitem fuisse con- stat: si mitem esse, est tueri iusticiam, eleuare miseros. at si partiri ius pro potentia & opibus hominum, id mitis uiri est: non negauerim Neronem cru- delem dici debere, imò crudelissimum, ut cuius institutum semper ab hu- iusmodi procerum uoto abhorruerit. Quamobrem eadem ratione etiam iu-

stum

stum fuisse liquet: cum iusticiæ optima pars sit, ut pœnæ criminibus non magis ullis alijs debeantur.

Agamus ergo primùm de sumptibus, quos illi ut inutiles obijciunt Neroni: quos in alijs pro laude imperatoribus celebrant. Quòd urbem restauraverit, quis crimini ei det? Quòd thermas ædificauerit, quæ adhuc Diocletani temporibus nomen Neronianarum retinebant, quis uitio det? Excelsæ, magnificæ, utiles populo, uir ad omnia pauperum commoda natus.

Quòd domum præclarissimam, & inter miracula orbis numerandam erexerit, quis illum uituperet? Si Traiano, si Adriano, qui duo maximè in ædificando profusi & magnificentissimi fuere inter Romanos Imperatores, hoc in maximum decus cessit, cur non Neroni?

Cogita deinceps, quot uiros pauperes hac specie aluerit. Alij cædebant ligna, uehebant alij: alij dolabant, alij operi applicabant, trahebant sursum, quidam clauos affigebant. Quid de lapidibus, lateribus, arena, sabulo, calce, marmore, cementis, ferreis uinculis, picturis, statuis, cellis subterraneis fodiendis, fornicibus construendis, lacu, piscibus tam peregrinis quàm etiam Italicis, ductu deinde aquarum in quibus admirabilem se patientia & liberalitate ostendit? Delusus enim à Seuero & Celere architectis, quibus non satis erat lucrum ex operibus ingens captare, nisi etiam ex irritis profusionibus: nec illos occidit, qui auaricia contemptum effecissent: nec coegit restituere, quæ eorum dolis amiserat. Verba Taciti ea in re ascribere lubet hic: Magistris & machinatoribus Seuero & Celere, quibus ingenium etaudacia erat etiam quæ natura denegauisset per artem tentare, & uiribus principis illudere. Nanque ab lacu Auerno nauigabilem fossam usq; ad ostia Tiberina depressuros promiserant squalenti littore, aut per montes aduersos. neque enim aliud humidum gignendis aquis occurrit, quàm Pomptinæ paludes: cætera abrupta, aut arentia: ac si abrumpi possent, intolerandus labor: nec satis causæ. Nero tamen, ut erat incredibilium cupitor, effodere proxima Auerno iuga connixus est: manentq; uestigia irritæ spei.

Hic si sæuus fuisset, quàm pulchram habuit experiendi materiam? quando etiam iure eos punire debuit. Turcarum Rex, cum Venetus quidam architectus pollicitus esset fossam à mari rubro ducere in Nilum (magno sanè cõmodo, si successisset) quicquid petijt obtulit, præfecitq; operi, sed architecto custodes adhibuit. fallẽte uoto, hominẽ occidit, & meritò: neq; enim lucri causa debemus ludos facere principibus: & præter iacturã sumptuũ, eos exponere inuidorũ maledicentiæ. Simili patiẽtia & mansuetudine Ceselio Basso Pœno,

(qui ei illuserat somnio inani de thesauris reconditis Didonis, adeò turpiter, ut oratores iam Cæsari de hoc gratularentur, tanquam inuentis iam quæ ille leuitate pollicitus fuerat) nihil mali fecit: quanquam ipse, seu pudore seu metu, sibi manus intulerit. Quartum opus colossus fuit, cui caput suum imposuit, mansitq; usque ad tempora Commodi per decem Imperatores, & annis plusquam centum uiginti: solus Commodus caput Neronis detraxit, ut suum imponeret, cuculo fœdo haud absimilis. Excelluit ergo uel omnium consensu, etiam obtrectatorum, magnificentia operum.

Sed dices, ut illi obijciunt: Grauis fuit his impensis Reipub. & rapinas ob id exercuit. De rapinis suo loco dicam: de uexatione, nemo minus grauis. nam dum uituperare student, laudant. Audi Suetonium: Quorum operum perficiendorum gratia, quod ubiq; esset custodiæ, in Italiam deportari: etiam scelere cõuictos, non nisi ad opus dãnari præceperat. Quid hic obijcis? quòd morti addictos seruauerit? quòd neminem huius causa uexauerit? aut quid aliud magis? an melius fuerat damnare insontes ad opus? aut totum ærarium publicum exhaurire? Sed mittamus hæc: ad accusationem rapinarũ deueniamus. Rapuit Nero, rapuit Vespasianus: Nero improbus appellatur, Vespasianus diuus. quæ causa est? an quia Nero iam deterior est Vespasiano? sed hoc non est: & si esset, aggrauare benefacta illius id non debet. An quia rapuerit, & non dederit? neque hoc uel ipsi obtrectatores obijciunt: quandoquidem constat omnium testimonio, neminem fuisse liberaliorem. At Vespasianus etiam in dando auarus fuit. An quia plus Nero rapuit? certè non. Audi Suetonium, quàm sordida, uiolenta & intoleranda fuerit Vespasiani auaricia: Sola est, in qua meritò Vespasianus culpetur, auaricia. non enim contentus, omissa sub Galba uectigalia reuocasse, noua & grauia addidisse, & auxisse tributa prouincijs nonnullis, & duplicasse: negotiationes quoque, uel priuato pudendas, propalàm exercuit, coemendo quædam, tantum ut pluris postea distraheret. Nec candidatis quidem honores, reis'ue tam innoxijs quàm nocentibus absolutiones uenditare cunctatus est. Creditur etiam procuratorum rapacissimum quenq; ad ampliora officia ex industria solitus promouere, quo locupletiores mox condemnaret: quibus quidem uulgo pro spongijs dicebatur uti, quod quasi & siccos madefaceret, & exprimeret humentes.

At dices: Forsan hic solus auarior fuit. Ne detraxeris rogo Cæsarem, dictatorem primum: non Tiberium, non Caligulam, non Galbam, Vitellium, Othonem, Domitianum. Fateris de omnibus, excepto Dictatore. Audi Suetonium, de illo etiam: Abstinentiam neque in imperijs

neq;

neq; in magistratibus præstitit. ut enim quidã monumentis suis testati sunt, in
Hispania à Proconsule & à socijs pecunias accepit, emendicatas in auxilium
æris alieni: & Lusitanorum quædam oppida, quanquàm nec imperata detre-
ctarent, & aduenienti portas patefacerent, diripuit hostiliter. in Gallia fana
templaq; Deûm donis referta expilauit, urbes diruit, sæpius ob prædam quàm
ob delictum. unde factum, ut auro abundaret, ternisq; millibus nummûm in li-
bras promercale per Italiam prouincias q; diuẽderet. In primo consulatu tria
millia pondo auri furatus è Capitolio, tantundem inaurati æris reposuit. So-
cietates ac regna precio dedit, ut qui uni Ptolemæo propè sex millia talento-
rum suo Pompeijq; nomine abstulerit. Postea uerò euidentissimis rapinis ac
sacrilegijs, & onera bellorum ciuilium, & triumphorum ac munerum susti-
nuit impendia. Ex impensarum etiam magnitudine rapinæ dignosci possunt.
erant enim supra fidem, unde illud: Donec attonitis iam omnibus, & quorsũ
illa tenderent reputantibus, M. Claudius Marcellus Cos. edicto præfatus de
summa se Reipub. acturum, retulit ad Senatũ, ut ei succederetur ante tempus.
Itaq; exigua sunt quæ Nero accepit, si ad huiusmodi helluones conferantur.
Neq; Claudium excipiam: uerùm cum esset amens, fuit præmium libertorũ,
non Cæsaris. Quẽ ergo præferes Neroni? Augustum, qui Imperium rapuit?
aut Titum, qui qualis esset, ob breuitatem uitæ dignosci nõ potuit? Verùm
fortasse id in causa est, quòd Nero à diuitibus, cæteri à plebe per tributa extor-
serunt. Iniquum esse dicunt, ut onera inæqualiter imponantur, uoluntq; ut
per capita diuidantur. Sic mihi aliquando contigit: nec erubescebant, tandem
sponte ditiores aliquid plus impenderunt. Fateor Neronem rapacem dici de-
bere, si iustius est diuidi tributa per capita quàm per patrimonia. Non eru-
bescis impie, cum sis dines, excutere pondus duorum aureorum, ut imponas
miseræ illi uiduæ aut gerulo, qui solis oneribus aut pendula tela uitã quatuor
aut quinq; filiorum sustinent? O Christiani, satis ac multo crudeliores Nero-
ne. Rapuit, dicitis? at beati illi Antonini, ab optimatibus tam laudati, quot
miseros credis oppresserint uectigalibus? Dicitis: Mutum est pecus plebs: ne-
mo ulciscitur, nemo contra huiusmodi tyrannos scribit. sed si optimates pre-
mat, illis metuendum est: armantur, coeunt, ultionem quærunt: si non possint,
scriptores urgent. Qui rapit à diuite, si rapit, malè agit, sed tamen solas au-
fert opes: quas etiam iustius, si moderatè auferat, eripit. at qui à paupere, eri-
pit quod non habet: ideoq; iniustius, & cum pecunia uitam illius aut filiorũ.
Non ergo rapax fuit Nero, si tueri uultis uestros Traianos, Vespasianos, An-
toninos. Venio ad reliqua crimina, atq; in primis illud, quod quoniam cri-
men non est, nomen non habet: scilicet quòd auriga uerit, cecinerit, publicè

pulsauerit, histrionicã exercuerit, adeò ut personatus in publicum prodierit. Hæc crimina, cum crimina dici debeant, nec legi nec uidi, nec scio. Placuit his autoribus crimina hæc appellare, qui eruditionem, qui philosophiam, qui pingendi munus in Adriano probant, citharam in Alexandro: in Nerone nihil, ut uideo, probatur. At dicunt: Intra domum debuit hæc exercere, aut per alios, non publicè & per scipsum. indecorum turpeq; est, moderatorem orbis infamium uirorum, præsertim publicè, exercere ministeria. Si peccauit Nero, postquam crimen non fuit, aut stulticia aut opinione, aut nimio æstu animi peccauit. Stulticia quidem non peccasse, suo loco demonstrabitur: si æstu animi, non crimen fuit, sed intemperies. at de hoc non accusatur, quòd ediderit, quòd spectauerit. sed quòd se illis immiscuerit. Verùm id Neronis uotum fuit, ut populus Romanus à tam sæuis spectaculis gladiatorum, & hominum à feris laniandorum cum pueris & mulieribus, aut depugnantium cum belluis, ad hæc mitiora declinaret. Exhorruit & Cicero, sed non quantum & qualiter debuit, huiusmodi ludos, cum in quadam epistola dicat: Sed quæ potest esse homini politico delectatio, cum homo imbecillus à ualentißima bestia laniatur, aut præclara bestia uenabulo transuerberatur? Excusant se hi prodigiosi uiri, quòd Nero hoc agẽdo populum eneruaret. Atq; ob hanc causam etiam pulsos philosophos Roma, quòd iuuentutem corrumperent, ait Seneca. O sapientes Respuplicas. sic Athenienses Socratem peremerunt, quòd iuuentutem & ipsum corrumpere dicerent. Socrates corrupit iuuentutem? Philosophi corrumpunt iuuentutem? quid ergo est quòd illam æquè ornat? an oratorum peruersa facundia? an lenonum consuetudo? an efferata rabies abominandorum spectaculorum? At dices: His efferantur ad pugnam. tanquam non acrius pugnarent Athenienses, Lacedæmonij, Macedones & Numatini, qui paucißimi numero, adeò ingentes Romanorum copias fuderunt. At cur non ergo hi obtinuerunt orbis imperium, ut Romani? Non hoc ex fortitudine pendebat, sed quoniam tribus rebus Romani consuluerunt: quas dum neglexere hi, tandem dolo magis ac pertinacia quàm prælijs uicti succubuere. ea tria fuerunt: multitudo ciuium, unde sumeretur miles: robur corporis ex uictu, lardo enim & caseo placentis q; absq; fermento & posca uescebantur perpetuò in castris. unde tertium, ut ferrent tot arma, ut equus uix ferre queat.

Audi hac in causa Ciceronem in Tusculanis: Inde qui labor, quantus agminis? ferre plus dimidiati mensis cibaria? ferre si quid ad usum uelint? ferre uallum? nam scutum, gladium, galeam, in onere nostri milites non plus numerant,

merant, quàm humeros & lacertos, manus. arma enim militis membra esse « dicunt: quæ quidem ita geruntur aptè, ut si usus foret, abiectis oneribus, ex- « peditis armis pugnare possint. Quid exercitatio legionum? quid ille cursus, « clamor quanti laboris est? Ex hoc ille animus in prælijs paratus ad uulnera. « Adduc pari animo inexercitatum militē: mulier uidebitur. cur? tantū interest « inter nouum et ueterem exercitum, quantū experti sumus. ætas tyronum ple- « rumq; melior: sed ferre laborem, contemnere uulnus, cōsuetudo docet. Quin « etiam uidemus ex acie efferri sæpe saucios: & quidem rudem illum & in- « exercitatu, quamuis leui ictu, ploratus turpissimos edere. at uerò ille exercita- « tus & uetus, ob eamq; rem fortior, medicum modò requirere, à quo uulnus « obligaretur. Itaq; non spectacula sed exercitatio & robur quod ex ratione uictus proficiscitur, & experientia armorum, fortem & robustum reddunt militem: & multitudo hominum, qua præter fidem tot bellis perpetuis sufficiebant, uictricem reddidere rempublicam. Nam de fortitudine sola si agas, tria millia Græcorum, Lacedæmoniorum aut Bœotiorum, aut Achæorum uel Acarnanum, aut Aetolorum, pugnare poterant cum sex millibus Romanorum, tametsi Romani Græcis essent longè robustiores. Ostendit hoc Philopœmen Argiuus dux, & Corinthiorum Timoleon, qui eosdem hostes quos Romani multis annis uix superauerunt, ipsi breui tempore subegerunt. Sed non constabat fides. Quid si bella cum Xerse & Artaxerse consideres? adeò paucis copijs innumeros barbaros fuderunt, ut fabula uideatur. Vnus commemoratur Lucullus, qui decem millibus hominum maximas copias fudit barbarorum: sed non tamen uictricia arma, sed uicta depulit: nec Persas, sed imbelles Cappadoces & Medos & Armenos, aliasq; gentes Persis subditas: neq; eodē numero, at uix quinta parte: nec armis eisdem instructos, non falcatis curribus, neq; elephantis. Sed quid plura? uisum est quantis laboribus Ctesiphontem Romani imperatores, non legiones tantum, sed totum penè orbem trahentes secum, superare potuerunt: pauciq; ex illis, adeò ut fatale flumen Romanis dicerent. at quam breui unus Alexander totam Persidem, tum florentem imperio totius Asiæ, obtinuit? Sed nō solus Alexander hoc potuit, uerùm et Agesilaus Lacedæmoniorum Rex, iam obtinere cœperat, ni Græcorum inuidia à patria reuocatus fuisset.

Sed reuertamur ad institutum. Non spectacula illa fortes efficere poterant, sed crudeles. Quinimò pauor mulierum, puerorū imbellium, præsens tā acerbū exitium, quot fletus, gemitus, lamentabiles uoces, quot eiulatus, exanimationes repræsentare solebat? ut uix unum fortitudinis exemplum inter innume-

innumerabilia timoris & pauoris, sæuitiæ & efferationis omnia certè uideres. Quare non est ut excuses Romanam feritatem his nugis, et longè plus philosophia ad fortitudinem facit, quàm sæua illa spectacula. Quantum emolumenti affert ad fortiter occurrendum morti, opinio de Animi immortalitate? non crudelia theatra: quæ cum toties Cicero & Cato spectassent, alter cum mori destinasset, non illa mente reuoluebat, sed Platonis Phædonem: alter sibi commentus est sermones Tusculanarum quæstionum, de Animi immortalitate. Prodest philosophia, docens nos, mortem, etsi à bonis paucis nos abstrahat, à longè tamen pluribus malis nos securos reddere: atq; inter cætera, à metu, morbo & iniuria, quæ sunt summa mala mortalium, & quæ nulla animi uirtute effugere licet. Docet etiam, nos non debere mortem horrere, quã necessario et breui quisq; subiturus est, etiãsi annos Nestoreos uiuat. Ergo nõ spectaculis, sed philosophia opus est ad fortitudinem. Spectacula ad allicienduum cruentum populum, & magnificentiam ostendendam excogitata sunt. Iratus itaq; Nero his causis populo, atq; illis qui aduersum utilitatem communem uoces spargebant in publicum, leges illas sæuas spectaculorum promulgauit, in quibus nec excedere è theatro fas erat: obseruariq; iussit singulorum uultum, quomodo ferrent spectaculum: & si ægrè, punirent: non alia causa quàm indignatione, quòd cædes hominum & ludibria humani generis libenter spectarent, uera spectacula & liberalium artium experimenta odissent. Nec tamen adeò probem illius optimum uotum ac prudens consilium emendãdi uitia populi, quàm damnauerim uiolentã iram, qua id consequi cupiuit. Etenim nonnunquam contingit, ut dum nimis quod iustum est uolumus, acerbius instando deteriorem causam apud maleuolos et obtrectatores facere uideamur. Superest modò, ut de illo tam uulgato uitio disseram, libidine scilicet & luxuria, in qua solum eum defendi non posse obtrectatores credunt: tamen ob immanitatem sceleris, tum quòd publicè hæc flagitia admitteret: & primum quod inconstans fuerit in uxoribus retinendis. Sed si ad hoc respicimus, nullus ex familia Augusti pauciores habuit. C. Cæsar Dictator tres, Corneliam Cinnæ, Pompeiam Pompeij, Calpurniam Pisonis: sed & Cleopatram penè loco uxoris habuit. Augustus ipse quatuor, P. Seruilij F. Claudiam, priuignam Antonij ex Fuluia, Scriboniã, & Liuiam Drusillam. Tiberius duas tantum duxit, Agrippinam & Iuliam: sed non tam continentia, quàm odio fœminei sexus. Caligula Liuiam Horestillam, & Lolliam Paulinam, & Cæsoniam. Claudius sex. Sed de Nerone agamus: tres duxit, Octauiam, Poppæam, et Statiliam Messalinam, Tauri bis consulis abneptẽ, cum priores morte amisisset. At alij superinduxerunt, repudiarunt, tam turpiter, ut uisus repentè in con-

in conuiuio, aut ex sola commemoratione pulchritudinis, statim abduxerint.

Sed ueniamus ad uxorum iniurias, quas Cæsar dictator Augustus & Caligula illis intulerunt. Augusto Liuia cogebatur puellas conquirere, cum quibus concũberet: præter uxores ciuium, quas constuprabat. Vnde illud amarulentum iurgium Antonij, ex Suetonio: Tu solam Drusillam inis? ita ualeas, uti tamen hanc epistolam cum leges, non inieris Tertullam, aut Terentillam, aut Rusillam, aut Saluiam Citisceniam, aut omnes. Caius uerò uxoribus sorores superinducebat in conuiuio. Itaq; de re uxoria nihil est quòd Neroni posit obijci, ut qui constanter his hæserit: nec se miscuerit propinquis, ut Caligula, qui cum omnibus uxoribus (erant autem tres) stuprum commisit. Veniamus iam sensim ad singula. obijcitur Neroni, quòd fratrem Britannicum constuprarit. Quæro, quo teste? Nero non dixit, qui omnia fatebatur, & cui id obijciunt maximè quòd nihil cælare sciret. Britannicus non dixit: puer enim erat, quem puduisset talia fateri. tertius testis non affuit. Nec Suetonius illius hostis acerrimus, huius meminit. nec ipse Tacitus satis constanter, cum dixit, Ferunt. ut ex odio potius sit hoc aggestũ, quàm ex historia & facti ueritate. Deinde si factum est, Britannicus consensit tum maximè, quod Tacitus dicat crebris diebus Neronem illusisse Britannici pueritiæ. nec tam igitur damnent Neronem, quàm Britannicum: tum maximè, quòd turpius existimetur pati nefanda, quàm agere. hoc enim uirile est, licet prauum multisq; claris uiris ac generosis commune uitium: illud effœminati uiri, & omnino indigni, alienumq; à generositate. Quòd si ætas excusare potuit Britannicum, scilicet quòd puer esset: quanto magis Neronem, adolescentia ad omnem libidinem prona? At dictatorem Cæsarem cum Octauio nepote sororis concũbentem, quis defendere poterit? uir senex, cum nepote certo concubit: tãquam desint pueri domino orbis terrarũ, nisi in proprium sanguinẽ tantum dedecus reijciat. O rem indignam C. Cæsare, & homine tot uictorijs inclyto, ac Augusto. Huius tamen rei testis locuples est Cicero, qui ut rem tamen omnib. notum scribit. Compara modò senem adolescenti, patruũ ei qui quod ad sanguinem attinet (licet lege frater appellaretur) uix in numero esset cõsanguineorũ. Sed ueniamus ad reliqua. Obijcitur, quòd Doryphoro liberto nupserit. Tacitus habet, Pythagoræ: nã hoc ueri similius est (ne effugiã, quòd facilè effugere liceret, cũ de persona nõ cõstet) quòd Isidis sacra celebraret, ubi constuprari & constuprare ita licebat, ut in sacris Vestæ castimoniam agere. Itaq; noctu constat hæc peracta esse, nec continuata, sed per adulatores persuasum Neroni pro sacrificio flagitium. At Cæsar dictator, qui pudicitiam Nicomedi prostrauit, unde illa carmina celebrata à militibus in triumpho:

» Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem.
» Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias:
» Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem.

Et rursus, ne adolescentiæ lapsus iniuriosè (quanquam tum Nero esset adolescens) persequi uideamur, quid illud est, aut quibus sacris peracta sunt quæ à Catullo narrantur?

» Pulchrè conuenit improbis cinædis,
» Mamurræ, Pathicoq;, Cæsariq;.
» Nec mirum, maculæ pares utrisq;. Inde subiungit:
» Morbosi pariter, gemelli utriq;:
» Vno in lectulo erudituli ambo. Et alibi:
» Quis hoc potest uidere? quis potest pati,
» Nisi impudicus & uorax, & aleo?
» Mamurram habere, quod comata Gallia
» Habebat, & cuncta ultima Britannia.
» Cinæde Romule hoc uidebis, & feres?
» Es impudicus, & uorax, & aleo. Inde subiungit:
» Eo'ne nomine imperator unice
» Fuisti in ultima Occidentis insula,
» Vt ista uestra diffutata mentula
» Ducenties comesset, aut trecenties?
» Quid est? an hæc sinistra liberalitas
» Parum expatrauit? Et alibi rursus:
» Nil nimium studeo Cæsar tibi uelle placere,
» Nec scire utrum sis albus an ater homo.
» Mentula mœchatur, mœchatur mentula certè:
» Hoc est quod dicunt, ipsa olera olla legit.

Fuit hic Mamurra præfectus fabrûm Cæsaris in Gallia, cuius etiã meminit » Cicero in epistolis ad Atticũ, his uerbis: Et Labieni diuitiæ, & Mamurræ placent, & Balbi horti, et Tusculanum. ditauit enim eum Cæsar mirũ in modum. hic fuit, qui primus uoluit incrustari parietes marmore: autor Plinius est. Et » Suetonius: Valerium Catullum, à quo sibi uersiculis de Mamurra perpetua » stigmata imposita non dissimulauerat, satisfacientem eadẽ die adhibuit cœnæ. Itaq; non uideo cur non magis damnandus sit Cæsar, qui in scelere perseuerauit, qui nullis sacris hoc egit, qui tantum ex hac causa donauit etiam priuatus ut infamis redderetur, quàm Nero. Et Octauium, qui se patruo supposuit. Nota est fabula de Caligula & Pisone: sed omitto illum qui Deus non fuit. Nero

his diuis

bis diuis ijsdis comparetur: uidebis minus peccasse. Odio tamen potentiorum hic damnatur, quòd sine successore mortuus est: illi metu relati in Deos, Iulius ab Octauio, Octauius à Tiberio, Claudius à Nerone. Succedit Sporus, efformatus in puellæ modum. unus fuit Sporus Neroni, & damnatur: at quot pueri fuere Traiano, quot fuere Adriano? inter quos duo: Antinous, templis sacris astro dicatus inter Deos, quem profana ob sacra fertur occidisse: alter, cui imperium relinquere destinauerat, Cæsaremq; iam creauerat, sed præuentus morte non successit in imperio. Sunt etiam qui credant, Adrianum ea causa, quamuis coniunctum Traiano, adeptum imperium. eo factum est, ut uterq; horum odiosus ob hæc crimina esset uxori: quod Neroni nunquam euenit. Sed redeamus ad Diuos alios, priores omittendo. Domitiani Earinum nomine C. Cæsar dictator trium legionum, quas Alexandriæ relinquebat, curam & imperium Ruscioni liberti sui filio exoleto demandauit? Quid tale Nero in Sporo effecit? Porrò adulteria & stupra reginarum & matronarũ Romanarum ac prouincialium Cæsaris si quis numerare uelit, nõ historiam, sed fabulam recitare uidebitur. Adeò uerò insaniuit in amore Cleopatræ, ut conuiuia in primã lucem sæpe traxerit: & eadem naue Thalamego Aegyptũ penetrando, Aethiopia tenus uectus fuisset, nisi recusassent exercitus. Huic etiam Aegypti regnum, quòd Romani in prouinciam reducere nolebãt, quòd ipsis formidabile solum ob potentiam uideretur, dono dedit. Vxorem Bugodis Mauritaniæ regis sic adamauit, ut coniugi illius plurima & immensa dona tribuerit. Seruiliam M. Catonis sororem, M. Bruti matrẽ corrupit, donoq; dedit margaritam sexagies sestertio emptam. Tertiam quoq; illius filiam adulterauit, cui ex auctione amplissima prædia minimo addixit precio. unde uulgati illi uersus in triumpho:

Vrbani seruate uxores, mœchum Caluum adducimus: «
Auro in Gallia stuprum emisti, hic sumpsisti mutuum. «

Quid dicam de Augusto, qui Apollinem cœnabat inter sex catamitos, totidemq; puellas. Vulgata sunt ob id carmina illa:

Cum primùm istorum conduxit mensa choragum, «
Sexq; deos uidit, Mallia sexq; deas: «
Impia dum Phœbi Cæsar mendacia ludit, «
Dum noua diuorum cœnat adulteria: «
Omnia se à terris tunc numina declinarunt, «
Fugit & auratos Iuppiter ipse thronos. «

Omittam nunc Tiberium, inusitatæ et horrendæ libidinis autorem: cui Nero non solùm, sed mortalium nullus potest comparari. Sellariã, Elephantidis

ATENEO VENETO VENEZIA

libros, Spintrias puerulos natantes, Parrhasij tabulam in qua Atalanta ore Meleagro morigeratur, Fratres tibicines, irrumatas fœminas: & morti addictam Malloniam, quòd non posset hoc diutius ferre: antra & cauas rupes Panisorum habitu, ac nympharum pubem & impubem gregem: & triplici uinculo colligata corpora teneræ ætatis. illud potius quæram, cur clarissimorum uirorum pleriq; adeò turpibus flagitijs conflagrarunt? Quin etiam sanctissimi & moderati alioqui, hac in parte omnes infamia aspersi sunt. Socrates, si negemus peccasse, ipse tamen fatetur quàm pronus fuerit ad libidinem, in cæteris continentissimus, uini, ciborum, iræ, laborum patiens, abstinens, & ab auaricia omni alienus. Plato cum sua sanctitate, Aristotelesq; adeò fœdè uixerunt, ut homines fuisse neges. Sequuntur Semiramis, Philippus Alexãdri pater, & ipse Alexander, Agesilaus, Traianus, Adrianus, Cicero etiã de crimine filiæ notatus: nam de Tyrone haud puduit fateri. Quid ergo causæ est, ut Neroni pro crimine ascribamus, quod nulli alij crimini datum est? aut si crimen est, quod uerè crimen est: non minus uenia dignus est adolescens imperator, quàm senes hi in priuata uita. An forsan ei obijcies Tiberij ebrietatem, conuiuia triduana, exquisitas cupedias, aut aleam Caij et Claudij? Quod obijcis, ita commune est omnibus bonis, ut uitium possit dici uirtutis refulgentis, non flagitium. At dicis: fellator fuit, & inguina fugebat uirorum deligatorum ad stipem? Non laudabo, non defendam hac in parte Neronem, nõ tuebor quòd Tiberius deteriora fecerit. fuere impatientis libidinis. hæc irritamenta fuere priuati uiri, & ætatis lasciuientis delicta: in quibus non malus princeps dignoscitur, sed salax natura, & corporis uitium uelut scabies. Quæ delinquit princeps in sæuitia, in rapinis, in iudicijs, non tuendo fines imperij, populũ premendo fame, hæc principis sunt uitia. at si immodicè se uino dedat, aut crapulæ, aut libidini, aut aleæ, aut delicatiori uitæ: hæc nõ malũ principẽ efficiunt. Cato & Traianus optimi censentur, uterq; uinosus fuit. Alexander Seuerus, quo nemo melior, uorax & ambitiosus: Aleæ Augustus, uitæ delicatioris fuere Gordiani, qui optimi principes habiti sunt. Vitia corporis repellere, arduũ est: atq; aliud est illa nõ posse euincere, aliud animũ habere, malũ. Inconsulta iuuenta maiora habet mala quàm fellare: adolescentes nihil putes omittere flagitij, dũ æstuant insana libidine: in aues, in canes sæuiunt, in murorum foramina. Quid enim, quòd manibus toties peccant? sed nemo tam stolidus est, ut hæc sciri uelit, nedum ut referat ea. Quo fit, ut malignè hæc scripta sint, & etiam in historiam traducta, quæ debuerant perpetuò silentio obliterari. An hoc multum referre putem, quod Plato, cum adolescentulus esset, se mastrubaret. quæ insania est huiusmodi, quære? & maior

quàm

quàm Tiberij percunctatio, Quæ mater Hecubæ? quod Achilli nomen inter uirgines? Quo fit, ut sæpe existimauerim longè melius esse, non scribi historias: earumq; lectionem plus afferre mali, quàm utilitatis mortalium generi. Quid enim ad bonos mores refert, seu legas leuitatem Atheniensium, perfidiam Carthaginiensium, crudelitatem tyrannorum? Quid boni ex Agathoclis uita ac gestis, aut Phalaridis uel Dionysiorum? Sed neq; Marij, Syllæ, C. Cæsaris gesta utile aliquod exemplum continent. nil nisi doli, rapinæ, insidiæ, fracta fides, sæuitia, mortes egregiorum uirorum, bonorum oppressiones, depopulationes agrorum, excidia urbium, cædes promiscuæ, miserorum graues seruitutes, calumniæ in insontes, omniaq; infinita cum infelici exitu: ut neque uoluptatem capias, nec utilitatem ex eiusmodi lectione consequaris. Itaque & Taciti & Metonij, & Diodori Siculi, & Appiani Alexandrini & Thucydidis historiæ, tum Macchiauelli, philosophiæ sacræ studijs aduersantur. Sed longè deteriores his sunt Herodoti, & nostrorum temporum, quæ præter uitia communia plenæ sunt mendacijs & adulationibus, falsisq; criminationibus. Quis nescit, quanta fuerit uirtus Antonij Leuæ Hispani ducis, ut solus dici, aut cum paucis Imperator appellari nostri tẽporis posßit: & tamen nequißimus historicus, seu potius fabulator, quod pecunias non dedisset, maluit totam corrumpere historiam, tresq; libros qui illi debebantur intermittere, ne (ut aiebat) ingratum insereret historiæ. Cogita in cæteris qualem se exhibuerit. Cum aliquando Cæsar noster legeret uictoriam quam de Gallis habuerat, dixit: Profectò non meam, sed Gallorum regis uictoriam hic scripsit. indicãs, ex pecunijs acceptis à rege, quãta mendacia inseruisset historiæ. Sed et plerunq; uita eorũ congruit sentẽtijs. Thucydides enim exul ob furta publica, Herodotus infamis, Salustius Numidiæ præfectus totam diripuit prouinciam, adulter, & omni scelere coinquinatus. Diodorus, dum fœda, turpia, flagitiosaq; enarrat, ita omnia attingit, ut uideatur uoluptate potius quàm necessitate adductus ea conscribere. Hic noster historicus, admirandus profectò magis alijs, qui tametsi senex, parum abfuit quin pepererit. Sed & id detestabilius, quod cum esset etiam antistes, gaudebat numerari pro cos adolescentulos. Vah, quis credat ab huiusmodi uita conducibile aliquid mortalium moribus aut uitæ emanare posse? Omitto quòd, ut alias dixi, hæ historiæ omnes anima carent. Non uituperabo Xenophontis de Cyro confictam historiam: sed hæc non historia est, uerùm philosophica institutio. Et Philippi quidem regis & Alexandri gesta narrantem libenter audio: sed nulla pulchrior quàm Aelij Lampridij de Alexandro Seuero, digna certè quæ ab omnibus legatur, maximè principibus. Sed lubet scire ea omnia: &

quomodocunq; aucta, qualiter aut parta sint imperia? Non nego, nõ uetо: narratio uera tota esse debet. Optimè consultum esset rebus humanis, si principes & magistratus & historici omnes philosophiæ operã dedissent. Nõ cuiusuis est historiã scribere. Tria sunt uitiorum genera. quædam quæ omnino inutilia sunt, etiam si nullus Deus nobis præsit, animiq; mortales sint: uelut stulticia, ira, segnitia. in his uagari nõ decet historicũ: sed ubi attigerit damna quæ subsecuta sunt, attingere cætera exẽpla: quæ non prosunt, relinquere. in eo genere etiã iniuria, cũ nulli usui est. Quæ uerò nõ nisi Deũ uerentibus obsunt, ut dolus & auaricia, quæ utilia uitia dicũtur: & appetitus gloriæ, & honorũ ambitio, sic debent narrari, ut emolumenta non solùm doceas, sed diligentiam et solertiam omnem adhibitam adijcias. Atq; hac in parte præter tres illos aliàs à nobis descriptos, Xenophontem, Salustiũ & Philippũ Argentonẽ, Diodorum & Plutarchũ de uita uirorũ illustriũ adnumerabis. In tertio aũt uitiorũ genere, uelut ultione, sæuitia & inuidia, quod quãdoq; utile est, quandoq; nõ, licet uerbũ attingere solum, & breuiter pertransire: nisi ingens aliquod malũ aut bonum subsecutum fuerit: tũc enim, ut in secundo, omnia minutim ac diligentißimè describenda sunt. maximè autem docenda sunt, ut aliàs dixi, arcana colloquiorum, epistolarum & actionum: ut non sit æqua partium descriptio, sed ut poeta ait:

Semper ad euentum festinat, & in medias res
Non secus ac notas auditorem rapit: & quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit.

Sic etiam in picturis quædam obscurè solum significantur, ac breuiter: quæ pulchra sunt, & notatu digna, lõga serie ac multis imaginibus referuntur. Volutari autem in fœdorum uitiorum enarratione, & maximè cum uitia priuata sunt, qui admittit princeps cum res nullius sit exempli, aut ad morum institutionem utilis, eius est qui uel animi mores, aut odium uel amorem in principem prodere uelit: Comiciq; aut Tragœdi hoc est, non grauis historici. Nam Tacitum uirum fuisse ambitiosißimum, & optimatium factioni addictum, nemo est qui addubitet. Sed ad accusationem Neronis reuertor. Obijciunt id, cur palàm hæc fecit? ignoscimus ætati, ignoscimus temporum moribus, naturæ irritamentis, licentiæ regiæ, tot adulatoribus, occasionibus, exemplis perditorum: quid coegit ut palàm faceret, quæ in priuato fœda, quæ occulta uix defendi possunt? Hoc est, in quo excusari non posse illum putant. Sic & illud culpant: Scis quid mihi opus sit ad magistratus: quasi illos ad rapinas non solum hortaretur, sed impelleret. Verùm, ut idem Suetonius autor est, impudicitiam professis cætera delicta ignouit. non existimauit

existimauit crimen esse, quod non cælabatur. Fuit simplicitatis amator, dissimulatorũ hostis. Si reprehendis in Nerone, cur tueris in Epicureis? unde illud Ciceronis: δυσωνυμίαν turpissimæ intemperantiæ Epicureorum testem timui. Hi enim publicè profitebantur, se id morbi genus formidare. At communis tamen labes, ut Iuuenalis:

Inter Socraticos notissima fama cinædos.

Nero autem hos horruit, qui cum mali essent, boni uideri uolebant. ut idem poeta rursus ait:

Qui Curios simulant, & bacchanalia uiuunt.

Veram integritatẽ non aspernatus, ut Cynici Demetrij, cuius suprà meminimus. quanquam et illum Plinius Secundus, in defensione eius philosophi qui Soranum pecunia inductus accusauit, iure dãnet. Ex quo tamẽ apparet, Sorani damnationem iustam fuisse. neq; enim emptus fuisset philosophus ad accusationem falsam, cum alij multi falsi testes inuenti essent. nec damnatur philosophus ut falsus testis (facile enim potuisset redargui) sed quòd unica actione & philosophiæ autoritatem, & amicitiæ iura uiolauerit. Existimauit ergo Nero scelera esse eo deteriora, quo magis occulta. Ludos tamen ille putauit, nec eo modo in publicum processura: nocte enim et in lucis, ut refert Tacitus, hæc acta sunt. Et forsan fama & inuidia plus addidit. Quòd uerò magistratibus imperauerit rapinas, stultè dicunt, cum ex uerbis suis conuincantur. nam quæ rapiebant, non in Neronis, sed proprium illorum commodum perueniebant. Ergo hoc ipso dicto iussit, ne quæ ad fiscum pertimerent, in suos usus conuerterent simulatione compositionis atq; remissionis. Quod malum adeò sæuit nostris temporibus, ut dum sontium bona in magistratuum commoda transeunt, ditatis paucis cogãtur principes granioribus uectigalibus depauperare insontes. quorum utrum melius sit, cogitandum tibi relinquo.

Extremũ illud quod obijcitur, est stultitiæ & imprudentiæ uitium: cui euentus subscripsisse uidetur, amisso dum uiueret imperio: quod seu stultitia, seu iniurijs crebris in subditos, seu segnitia acciderit, par uidetur esse infamia ac peccatum. At mihi reliqui Cæsares stultiores fuisse Nerone uidentur. Omitto modò Claudium, qui non stultus iam, sed ipsa mera fuit stultitia. satq; unum fuerit retulisse exemplum. Omittendo, quòd crimimante uxore fidos custodes ademerit à pupillo filio, quòd priuignum adoptauerit, infinitaq; alia: cum duo litigarent, unus ex his monuit Claudium, se uidisse quendam, descripsit'que illius habitum, formam, qui secum litigabat, qui manum inferret Claudio. Paulo pòst superueniente altero litigatore, & libellum offerente, cum forma & uestes congruerent, raptum statim & damnatum,

natum, nec auditum, duci iußit. Simili amentia perdidit Appium Syllanum conſocerum ſuum cum Meſſalina & Narciſſus ſomniaſſe ſe ex compoſito affirmaſſent, quòd à Syllano trucidaretur: illumq; interim adeſſe tanquam à Claudio uocaretur iußiſſent. cuius aduentu exiſtimans ſomnio fidem factam, iußit ſtatim eum interfici. Nec erubuit cauſam reddere necis in Senatu, & gratias liberto reddere. Sed comparemus Neronem ei imperatori, qui ſapientiſſimus ab omnibus iudicatus eſt: ſcilicet Auguſto. comparemus & Ciceroni: dico Neronem utroq; ſapientiorem fuiſſe. Primumq; id ſupponamus quod ueriſſimum eſt, ſcilicet ſapientiam maximè conſiſtere in electione eorum quæ in noſtra ſunt poteſtate. nam in cæteris felicem eſſe fortunæ eſt, non prudentiæ. uulgatum enim eſt apud nos prouerbium, Stultos ſæpe collimare. Ergo ſi ita eſt, quis dementior fuit Auguſto, qui per innumeros labores, infinita pericula, inaudita flagitia, maximos æſtus animi, grauiſſimam infamiam, ſæuitiam ferinam, ſummam ἀχαριστίαν, infelicitatem patriæ, ac ruinam, ſuorum mortes, ad tyrannidem peruenit, ut ſuis poſtmodum teſtamento priuatis, eos relinqueret hæredes, quorum maiores ut hoſtes maximos ad mortem compulit neceſſariam, filios fratresq; occidit. Non deerant ex proprio ſanguine elegantiſſimi iuuenes: maluit ſenem ex alieno hæredem relinquere, non ſine manifeſta pernicie omnium ſuorum. Nec reliquit ſucceſſorem orbum: erat ei filius iuuenis & incolumis, & ex filio nepos. Quid ſtultius excogitari potuit? non'ne hoc quod ſæpius dixi, tanquam teſtimonium ingentium ſcelerum illius fuit? ut Deus oſtenderet ſapientibus, quàm facile ſit ei ulciſci peßimos homines. Non hoc Agathocles aut Dionyſius aut Hiero, uel alius quiſpiam tyrannus effecit: ut conſtet Auguſto dementiorem fuiſſe neminem, qui immortalitatis ſpem, ut qui ſeipſos excidũt ſponte, præcidit. Poterat Druſus eſſe filius: de Tiberio nemo dubitat. Quorſum ergo tanta inſania, quorſum tot atrocia facta? mãdare ut infans pronepos exponeretur? natura nepos, lege filius, in inſulam deportaretur, inde occideretur? Herodes Iudæorum tyrannus multos filios occidit, ſed ut filios relinqueret hæredes. nemo adeò deſipuit, ut filios & nepotes occideret, ut alienis regnum relinqueret. Miramur de illo qui filios præterijt, ut fratrem regem efficeret: & Auguſtus, ut ferum Tiberium, qui ſuam deleret ſtirpem. quod etſi non omnino contigit, & parum tamen admodum abfuit: & cauſam dedit hic error ut tandem ſub Commodo prorſus tam fœminea quàm maſculina, quæ in abnepotibus deſierat, extingueretur. Sed multo antea peritura erat, iam occiſo à Tiberio per centurionem Agrippa, Germanico ueneno ſublato, effoſſo oculo Agrippinæ per centurionẽ, uerberata relegata in Pandacariam inſulam, ut mori præoptaureit: Druſo fame abſumpto, Nerone per carnifi-

carnificem ad uoluntariam mortem adacto: nisi Seianum ueneno sustulisse Drusum Tiberij nepotem compertũ fuisset. hoc saluti fuit reliquis, qui superfuerunt. At si omnia latere potuerunt Augustum, an illud nescire potuit quod dici solet:

— Regnum non capit duos?

Nec tyrannũ stirpi regiæ parcere? Omitto reliqua. Nihil tale meditatus erat: amisit imperium, proditus à suis: quot alijs hoc optimis imperatoribus accidit? Pertinaci, Alexandro Seuero, Aureliano, qui adeò terribilis fuerat. At hos non uniuersi deseruere. Sed neq; Neronem. nam & legiones Orientis & Germanicæ non desciuere ab illo: & Prætorianos fatetur Tacitus potius deceptos, quàm quòd uoluntate desciuerint. Errauit, si modò errauit, Nero in his quæ fortunæ casibus subiacebant: Augustus in his quæ prudentiæ ac sapiẽtiæ. Dic uter stultior? ob id Suetonius Augustus conatur excusare: sed fœdior est excusatio accusatione. Quòd scilicet Liuiæ uxoris precib. id egerit, seu ut successoris improbitate melior uideretur: quorum utrunq; stultißimum est, perdere suã prolem, pro qua belluæ etiam pugnant, & in qua sola uiget spes immortalitatis, ut alienam serues: aut inani gloriolæ, quæ paucis annis finitur, satisfacias. Sed ueniamus ad aliud sapientiæ exemplum, Ciceronem ipsum: qui cum mortuo C. Cæsare, cuius cædi non interfuisse dolet, Octauium lege filium, sanguine sororis nepotẽ, testamẽto hæredem ex dodrãte (quæ pars à toto parũ abest) euexit, extulit, armauit cõtra Rempub. dum eam tueri nititur, quanquã toties monitus à Bruto, unde ille grauiter & iustè apud Atticum & apud Ciceronẽ conqueritur. Sed mittamus siccarios, quibus non adeò dignum credi fas est. uideamus quomodo ab Attico ipso monitus sit: Quanquam enim posset in præsentia bellè iste puer pertundere Antonium, tamen exitum expectare debemus. Et ipsemet Cicero hoc uidit, & tamẽ errauit. in epistola enim ad Atticum quadã inquit: Missa est mihi concio Octauiani. at quæ concio? Iurat, ita sibi parentis honores consequi liceat, & simul dextram intendit ad statuam: μὴ δῆτα σωθείην, εἰ τοῦτο τοιοῦτο. id est, Ne saluus quidem sim, si quid tale unquam. Et antea: Si multum posßit Octauianus, multo firmius acta tyranni comprobatum iri, quàm in Telluris, idq; contra Brutum fore.

Quapropter postmodum suam stulticiam apertè deflet in epistola ad eundem Octauium: O me nunquam sapientem, & aliquando id quod non erat frustra existimatum. Quantum te Populo Romane de me fefellit opinio? O meum calamitosam & præcipitẽ senectutẽ: ò turpem exacta dementiq; ætate caniciem? Ego patres conscriptos ad parricidium induxi: ego Rempub. fefelli: Ego ipse senatum sibi manus afferre coegi: cum te Iunonium puerum, & matris

» tris tuæ partum aureum esse dixi. At te fata patriæ Paridem futurum prædica-
» bant. Nec hoc errore contentus quòd euexisset, quòd ambitione consulatus ut consul fieret fuisset garrula illa lingua, qua tot sontes in pernitiē Reipub. defenderat, ut scommate sapiens uideretur, ornandum tollendumq; puerum (ita enim appellabat eum à quo ut puer habitus est) iactabat. Quod etiam non parum obfuit Ciceroni, cum Octauius non solum decipi (hoc enim iampridem intelligens dißimulabat) sed irrideri se ob beneficium optimatibus & Senatui præstitum cognosceret. iam enim Mutinæ uicerat Antonium.

At errauit in hoc unò? certè is maximus fuit. Romanum enim populum euertit, & in eo diutius perstitit: scilicet toto biennio, ac etiam amplius.

Sed mitte hunc errorem, uide alium non minorem. Clodius accusatur de incestu cum Pompeia Cæsaris uxore. negat Cæsar scire quicquam. Cicero cum nullam à Clodio iniuriam passus esset, testimonium dicit in Clodium: nec sufficit testem se exhibuisse, urget iudicium apud Senatum. quo facto, non solùm Clodium, sed Cæsarem, cuius Pompeia uxor erat, & Pompeium puellæ patrem offendit. unde absoluto Clodio à iudicibus, ex consensu Cæsaris & Pompeij eiectus est in exilium, publicatis bonis. & non solùm euersus Cicero hoc facto, sed suscitata seditio illa, quæ ruina fuit ciuitatis Romanæ. Hæc stulticia adhuc maior est priore, quoniam omnis si/ne causa fuit: & non fluctuante iam Republica, sed quieta prorsus contigit. Postmodum, si omnia illius dicta factaq; que consideres, nec aliud quæras testimonium quàm eius epistolas, præsertim ad Atticum, planè stultum fateberis hominem. non semel, centies ue, sed in omnibus penè epistolis, orationibus, factum illud suum prædicat, quasi in angulo acta res esset. Deinde uult omnes ciues nil aliud cogitare, quàm de seipso, etiam cum rueret Respublica armis Cæsaris & Pompeij. Quàm deflet pueriliter exilium illud suum? quàm impudenter petit triumphum, cum in acie non fuisset? cumq; omnia sibi licere putaret, iustè etiam à supplicatione repulsus est. Quo demiror Romanos tam amentes fuisse, ut huic seni iam deliranti tantum detulerint, ut reiecto Antonio, cum quo Rempublicam stare necesse erat, ob æmulationem Octauij qui hæres erat tyrannidis, Octauium ipsum cui nihil repugnabat, ad tyrannidem occupandam extulerint. Deniq; quòd, cum omnia flagrarent armis Antonij & Octauij, iam succumbente Republica, ipse cogitaret de sacello filiæ erigendo, tanquam deæ: quam etiam ferunt (ut dixi) incestatam ab ipso patre: ut meritò ira deorum, qualescunque etiam essent, factū sit, ut uiderit fratrē fratrisq; filium occisum ob suam amen

tiam:

tiam: filium in exilio, nec satis tuto ipse siccarios spectaret, postulantes ut caput extra lecticam exporrigeret, amissis omnibus bonis: ut cogeretur obliuisci nefariorum sacrificiorum.

Forsan excusabis hominem ex Romanorum moribus, aut quòd deorum cultum irrideret. Sed antea nulli Romano diuinitas collata est. Inuentum fuit Antonij et Octauij, ut homo nefarius & omni scelere coinquinatus, inter Deos numeraretur. Ciceroni autem hæc non licuerunt, qui licet suos meritò potuit contemnere Deos: aliter tamen contemnere iure non potuit, nisi quia Deum uerum omnium autorem cognouerit. At si ita est, quomodo mulieri, quod Deo debebatur, tantum honorem tribuere ausus est? Sed iam in tam absurdo proposito illius uerba subscribamus pro teste: Profectò illam consecrabo omni genere monimentorum, ab omnium ingenijs scriptorum, & Græcorum & Latinorum. Hoc tolerabile. illud rursus: Cogito interdum trans Tyberim hortos aliquos parare, & quidem ob hanc causam maximè, nihil enim uideo quod tam celebre esse possit: sed quos, corã uidebimus. ita tamen, ut hac æstate fanum absolutum sit.

Et iterum: Expectabam autem maximè de fano. Quæsiuit enixè hortos emere Silij trans Tyberim, aut Drusi. Ideo rursus: Quo plus in monimentum insumptum esset, quàm nescio quid, quod lege conceditur, tantundem populo dandum esse. quod non magnopere moueret, nisi nescio quo modo (ἀλόγως fortasse) nollem illud ullo nomine nisi fani appellari. quod si uolumus, uereor ne assequi non possimus, nisi mutato loco.

Atq; item: Fanum fieri uolo, neque hoc mihi erui potest. Sepulchri similitudinem effugere non tam propter pœnam legis studeo, quàm ut maximè assequar ἀποθεωσιν. quod poteram, si in ipsa uilla facerem: sed, ut sæpe locuti sumus, commutationes dominorum reformido. In agro ubicunq; fecero, mihi uedeor assequi posse ut posteritas habeat religionem. hæc meæ tibi ineptiæ (fatebor enim) ferendæ sunt. Et paulo pòst: Quod me à mœsticia auocas, multum perficies, si locum fano dederis: multa mihi εἰς ἀποθεωσιν in mentem ueniunt: sed loco ualde opus est.

Et alibi: Sed tamen auidè sum affectus de Fano. quod nisi non dico effectum fuerit, sed fieri uidero.

Ac iterum, ne quid desit: De hortis ex tuis litteris cognoui, & Chrysippo. in uilla cuius insulsitatem bene noram, uideo nihil aut pauca mutata. balnearia tamen laudat: maiora de minoribus ait hyberna effici posse. tecta igitur ambulatiuncula addenda est: quam ut tantam faciamus, quantam in Tusculano fecimus, propè dimidio minoris constabit

» in isto loco. ad id autem quod uolumus ἀρίδηλον nihil aptius uidetur quàm lu-
» cus, quem ego noram: sed celebritatem nullam tum habebat, nunc ut audio ma
» ximam, nihil est quod ego malim in hoc τὸν τόφον μου πρὸς θεῶν προσφέρεσθαι.

At saltem exemplo C. Cæsaris ductus esset: sed adhuc uiuebat Cæsar, dum Cicero insaniret, licet tyrannidem occupasset. quod ex epistola il/
» la libri tertij decimi manifestißimum est, cuius initium est: Hortos quo-
» niam hodie.

Egregius igitur hic orator inuexit ἀποθέωσιν, id est Deificationem seu consecrationem. Quid mirum est ergo, Imperatores ipsos eò deuenisse demen tiæ: postquam priuatus uir, senex, augur, philosophus, hoc inchoare ausus est? Quo fit, ut me non parua subeat admiratio, quid sit quòd hi qui sa/pientiam profitentur, adeò ad impietatem proni sint, alij etiam stultißi-ma admittant. nam Cicero præter id quod non assequebatur, sed ementi/retur consecrationem filiæ, quæ ad Pontifices spectabat, nec fanum, sed ridiculosè finxerit, non ne intelligebat, si nihil à morte supereſt, talia omnia inania, uana & puerilia esse? cum nil ad eam pertinerent. sin autem supereſſet, distorqueri, si quis illi relictus esset sensus & ob amen/tiam patris, & quod illum summum autorem læderet ad quem specta-ret benefacere ipsi Tulliolæ, aut malefacere. Itaque non alia causa est tot errorum, nisi quod hi quos existimamus sapientes, non sunt uerè sa-pientes, sed stulti.

Quo magis demiror de Aristotelis grauitate, qui hoc idem in concubi-na sua facere ausus est, & sacra Cereris irridere impio exemplo. unde me-ritò Athenienſibus pœnas exilij dedit: maiores daturus, si fuga se non subtra-xisset. Ergo causa omnium horum est, existimare sapientes eos qui non sunt.

Quid ergo miramur Neronem non fuisse sapientem: quem tamen con-stat Augusto ac Cicerone longè fuisse sapientiorem, tametsi illi ualde senes & rerum experientia edocti, pro sapientißimis habiti sint? Neque enim quicquam harum nugarum tentauit, aut aggressus est, nec errores adeò magnos admisit. Dices: Fateor, nulla in causa Neronem conuictum esse: sed tamen si omnia simul conferas, impietatem, sæuitiam, luxum, li-bidines, scenicos ludos, profanatam maiestatem, rapinas, prodigen/tiam, stulticiam, ingrata facta, turpia, fœda, abominanda, euersio-nem Senatus, uexationem nobilium, popinas, monstrosos concubitus, nocturna uerbera, quibus grassabatur etiam uulneribus adiectis, turbam illam scenicorum, perpetuam inter flagitioſos consuetudinem, ueneno tot perem/ptos familiares, libertos: amicos, neglectam quoque administrationem

ob

ob hæc Reipub. & bellicæ rei, donatam Armeniam frustra Tyridati cum sumptibus illis immensis, urbis incendium, expilationes suorum in ciues, in prouincias, educatam & ditatam Locustam, datosq; ad scelus discipulos, societatem Tigillini pessimi omnium mortalium uiri cum suo Cossutiano, tantum datum suspicionibus ac falsis delatoribus, crudelitatem in ætatem imbellem, in sexum innoxium: sanè facile ex tam multis etiam minimis, magnum aceruum scelerum & flagitiorum conflabis. Verùm si Catoni Censorino obesse non potuit, quòd quadragies quater in Senatu sit accusatus, nec ob id deterior ulla in parte habitus est: cur obesse debet Neroni, quòd de multis accusetur criminibus, quorum partim inscius sit, partim crimina non sint: aut si sint naturà huiusmodi, ratio ipsa docet necessariò admissa, & iustè?

Iam tandem ostendimus Neronis uirtutes, atq; præstantiam, præclaraq; facta, & sapienter dicta, in quibus omni laude dignus habendus est. quod is solus uerè bonus, ac uerè sanctus, cum Seuero Alexandro iusticiam sine discrimine personarum coluerunt: tanto potentioribus inuisi magis, quo inusitatum administrationis genus soli sequuti uidentur. Et certè Nero turbulentioribus temporibus, minore philosophiæ studio (cuius causa in Seneca fuit) & lasciuia aliqua permista ob ætatis fluxæ uitium, & matris Agrippinæ persuasionem. Cæterùm quoniam bene dicta sinistrè aliquando interpretari solent, quasi optimatum factionem prosecutus hoc argumento sim: nec defuturos scio, qui etiam cum hoc (quòd exitus amborum illorum principum infelix fuerit) regni ruinam me docuisse, dicere audebunt, quandoquidem non nisi optimatium factioni fauendo regna sustineri queant: exemplo omnium illorum, præsertim Parthorum, Galliæ, Hispaniæ atq; Germaniæ, de quibus satis dictum est. Quib. nos breuiter respondemus, primũ nos nihil cõtra optimatũ, qui uere optimates sunt, id est, qui tam uirtute cæteros quàm potẽtia & opib. præcellunt, factionẽ dixisse. Sed neq; contra alios, nisi ut æquo iure censeantur, & à causa, non persona, iuris formula definiatur. Quòd si id docui, existimo etiam rectè fecisse, atq; utiliter consuluisse principibus. Primùm quòd rectè iudicando Deo placeant, à quo compensationem sint habituri, cui æqua lẽ regni diuturni commoda quantumuis magna præstare non possint. Deinde quòd regna nulla æterna esse possint, imò nec ualde diuturna: quod experimento perpetuo deprehenditur: & quãtũuis sit discriminis in diuturnitate, etiã si mille annorum sit, parum admodum referat: cum mille anni ad mundi perpetuitatem & uentura secula sint uelut punctum in amplissimo circulo, aut pra longa linea. Sed & hæc administrationis ratio, etiãsi ad præsentem securitatẽ diuturnitatem atq; magnitudinem imperij referatur, melior est: quoniam illud

idem contigit in ea quòd de iuuenibus & senibus dici solet: Iuuenes citò mori posse. sed senes diu uiuere non posse: ita cum alijs generibus administrationũ, cum factione optimatium diuturnum regnum esse non potest: cum populari ac iusta administratione (tametsi breue esse possit, potest etiam esse diuturnum, ac quantum humanæ patiuntur res perpetuum. Ergo in huiusmodi administratione, quando ea sola, & Turcta, perpetua esse possit: sed illam sæuitia plenam esse necesse est, ut quæ ab immitibus barbaris originem duxerit) quatuor obseruanda sunt. Primùm, ut ius æquum omnibus seruetur: sed in honoribus faueamus potentioribus, in re pecuniaria ac commodis, alijs pauperibus. Secundum, ut cum plebs ipsa facilè seducatur ac deserat defensores suos, tribunos creare oportet è corpore eius annuos, uiros acres & bonos: sic enim in officio continebuntur, & facilè congregabuntur. eorumq; utilitati consulere, & maximè annonæ abundantiæ. Tertium, tollere substitutiones omnes. Quartum, uocata feuda quæ si tollere durum est, non reficere oportet: tempore enim dissipantur. ut enim non conuenit euertere familias quæ bonis moribus perpetuitatem quandam sibi pepererunt: ita nec cogere iudicijs, ut persæpe malè partis familia in perpetuum gaudeat. Hæc si quis non agat, optimatium conspirationi non par à plebe auxilium habere poterit: si agat, securius uiuet, & minore labore quàm qui optimatibus addicti sunt. Non defuturos etiam esse puto qui me accusent, quòd in bonos omnes hac laudationis specie sim debacchatus: præsertim in Augustum, Ciceronem & Senecam. Sed pro Augusto ueniam non deprecabor: de Seneca quid dicam, non habeo, qui nihil rectè dicere nouit, aut facere. Barbariem intulit in scribendo: nouus declamator, ac nouus rhetor, philosophus perditissimus. Vide leuitatem & turpitudinem eius in poemate illo in Claudium, indignam grammatico etiam impuro: uide præcepta inter se pugnantia, uitam turpem & fœdam, in naturalibus rebus imperitiam. uir nequissimus, qui sustinuit ut insons uxor secum periret, quod ad se attinet, non ob aliud quàm ut Neronem grauaret inuidia. Constat illam misericordia hostis seruatam, quæ peribat coniugis crudelitate. nam si mori destinasset, non defuisset per tot annos quibus superuixit, uia ad mortem: ut nec Portiæ Bruti uxori, cuius exemplum sequi poterat. De Cicerone autem causa est non in me insectationis, sed in falsa hominum opinione admirationis de me. Cum enim populus existimet, eos qui compti sunt in sermone, corporis ornatu ac moribus, quosq; plures laudant atq; sequuntur, esse sapientes, ac etiam probos: ideo cum Cicero maximè hoc in genere excelluerit, si quis maledicat de illo, cum aut stultum aut improbum esse putant. At huiusmodi uiros minus cæteris sapientes esse constat, tum ex actionibus, &

fine eo-

fine eorum, tum ex coniunctione cum his quorum æstimatione sapientes & stulti existimari debent, & à quibus omnis nostra sapientia huc deriuatur & spirat, qui nobis superiores ac meliores sunt. Quòd si obijcias, principes hoc nostrum consilium administrandi non seruare, nil mirum. namq; difficilis est uia ad uirtutem: præponuntq; homines iucunda securis, & facilia diuturnis. Deniq; mortalium commune uitium est, nullis rebus tam inimicos esse quàm bonis proprijs. Quòd si quis per singula id consideret, inueniet sic esse.

DIXI.

HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI, ENCOmium Geometriæ, recitatum Anno 1535. in Academia Platina Mediolani.

On parum est, uiri Mediolanenses, eam laudare disciplinam quæ omnium aliarum non solùm præstantißima est. sed etiam origo ac fons. Atq; utinam quàm latè laudandi campus patet, undiquaq; occurrit gloria & decore insignis: tam facilè uel memoria comprehendere, uel ordine disponere, aut finem inuenire possem. Cũ enim ad studium & imitationem respicio, uideor certè aliquid sperare debere. at cum ad rei magnitudinem, ad artem, ad ingenium, ad negocia quibus etiam ea quanquam exigua quæ in me est uirtus distrahitur: nihil me omnino præstare posse intelligo. Fateor inquam, fateor imparẽ & oneri & causæ & labori me esse. seu enim tractando sustinere, seu pro rei dignitate uerba habens apud uos collaudare, sed ad finem rem tantam perducere enitar, longè plura prætermittendo ab eius dignitate detraham, quàm commemorando illi reddam. Nec ulla spe aut ui ad hanc prouinciam impelli potuissem, ni scirem hoc quantumcũq; futurum sit, aut quouis ordine recitetur, sufficere ad ostendendum, nullam aliam artem aut disciplinã uel utilitate, uel nobilitate illi posse cõparari. Sufficiat certè illud uobis, non quod aut pro illius dignitate aut uestra expectatione exigebatur: sed quod pro ingenij mei mediocritate, tenuiq; ac incondita eruditione præstare uteunq; potero, Sæpè illud mecum reuoluebam, uiri Mediolanenses, cur ho-

cur homines ad uituperandum tam prompti ac facundi facilè habeantur: in laudando inepti, incompositiq; nunc causam aperte uideo. Nam quæ laudari debent, non minus si honestissima sint, quàm si uilissima, negocium exhibent. Quæ enim memoriam non habent, sola inuentione indigent: at quæ locupletissimam sortiuntur, & ordinem, & prudentiam, & memoriam requirunt. Vix autem est inuenire, qui tot tantisq; rebus sufficiat. Itaq; & in sterili & copiosa materia par labor. at uerò in uituperando promptiores semper sumus: cum nihil tam integrum sit, quòd multis uitijs non deturpetur: nihil tam impurum, cuius certa non sit quædam uituperationis meta: quoniã quæ media sunt & ambigua (& ea innumera penè in singulis sunt) ad uituperationem omnia sunt accommodata: contrà natura uniuscuiusq; rei etsi laude digna non sit, nec tamen uituperationi apta est. Ob id igitur fit, ut cuncta uituperare quilibet sanè possit, laudare nemo nisi eruditissimus, exercitatissimus, ingeniosissimusq; sit. Laudauit Erasinus stulticiam, Synesius Cyrenaicus calui tium, muscam Lucianus, Dion comam: sed hi non alijs magis in rebus exercitati, fingere, inuenire, persuadereq; multa potuerunt, ut in his eloquentiæ laus emineret, & res ipsa quæ laudabatur, & digna hac laude & honesta existimari posset. Manifestum est horum argumentum, quòd cum disciplinas præclarosq; homines laudare aggressi sunt, plura iustæ laudis monumenta prætermiserunt, quàm in illis adinuenerint. Ita fit, ut difficilius sit in ampla segete omnia colligere, quàm in sterili solo stercorando felicem expectare prouentum. Vidimus Ciceronem, facundiæ omnis principem, os Romanum, eloquentiæ flumen, nullã ullius artis laudationem scribere uoluisse: non quòd omnino imparem huic negocio illum existimauerim, sed quoniam difficillimum sit cum natura cumq; Deo ipso certare uelle. Id facere uidentur, qui ornatissimas quasq; res orationis splendore æquare cupiunt. Gloriosa certè ac rara illis laus, si assequerentur: at non assequentibus, temeraria & turpis. Quantum uerò difficile sit assequi, non solùm ex aliorum inani labore ac diffidentia, sed etiam ex ipsa hominum laudatione conijcere licet: qui quanquam mortales, breuisq; uitæ ac umbratilis cuiusdam uirtutis speciem referant, à pauciss imis tamen, ac non nisi maximo cum labore dignas orationes ac egregiorum factorum mercedem assequi potuerunt. At mortali immensam diuinæ rei magnitudinem concipere, diuidere, distribuere, enarrare, extollere: nónne est mortalitatis ac humanarum uirium limites ipsos excedere, egrediq; ac simul in angustissimo ac fragili uase diuina humanaq; & numero & magnitudine penè infinita colligere? Nec uerò ulla ad hoc ratione impelli potuissem, ut qui arte minor et memoria, cæteris ingenio nõ superior,

exercita-

exercitatione haud comparandus: inter tot arduas difficultates, grauiaq; impedimenta, onus tam immensum & uiribus impar suscipere decreuerim: si non audaciam necessitas, orationē difficultas excusaret. atq; ut qualiscunque sit futura, non ex his quæ dicturus sum, sed quæ dici possent laudis & maiestatis argumentum sumi debet, per eamq; alius incitaretur qui & facundia & ingenio propius illi accederet. Ferunt enim quendam Musicum fuisse non satis elegantem olim, nomine Phrynim, qui quamuis artem parum illustrarit, Timotheum tamen illum celebrem uirum ad artis studia incitando, plurimùm ad Musicæ dignitatem contulerit. Hic ille fuit, qui Alexandrum regem è conuiuio exilire coegit, quibus fidem (potuisse Orpheū plantas ac feras lyra aduocare, Eurydicem ab inferis impetrare: Amphionem ac Zethum Bœotias Thebas Musica erigere, Arionem delphinos tibia placare, ob idq; ab illis aduectum) si naturæ non nimis repugnassent, facere debuerat. Maximæ sunt artes singulæ, atq; diuinæ, nec ex hominum excellentia ac gloria æstimandæ. sed cum illi ad summam mortalitatis perfectionem accesserint, diligenter considerandum quales esse illæ inter cœlestes uirtutes debent, quarū umbra quædam in mortali corpore tantum relucet. Omnium tamen artium illustriores sunt Mathematicæ, interq; has præcipua Geometria: ut cum de illa dicturus sim, nec ad multitudinem memoria, nec ad subtilitatem ingenio, nec ad magnitudinem eloquentia sufficere possim. Audietis ciues non solùm maxima, & recondita, sed & admirabilia: seu cum de summi opificis fabrica dixero, aut de totius mundi ordine, aut de illa quæ in nobis est (& eam tamen ignoratis) compositione: atq; quòd his etiā ipsis longè est admirabilius, animæ symmetria, quo nam pacto & illa, quamuis perennis sit atq; spiritus solus omni uacans materia, Geometrica atq; multiplici ratione constet. Audietis quibus modis maria transire, terrarum spacia intelligere, diuidereq; hac una consultrice ausit humana solertia: quid colonus in obseruatione temporū, quid ductor exercitus in collocatione castrorum, quid in tormentis excogitandis: quid Iurisperitus in finibus discernendis, quid Medicus in restauranda sanitate, quid rhetor in definiendis causis ab hac exposcat: quàm mutila sit unaquæq; harū artium, si auxilio Geometriæ destituatur: ut nec dimidiū illis supersit, illudq; nec sanè incorruptum. Non uulgata uobis dicam, atq; ut oratores consueuerunt, communibus ex locis deprompta: sed penetralia ipsarum disciplinarum excutiemus, singulaq; docebimus quantū in se Geometricæ rationis contineant. Rem arduam uerso, atq; pro uiribus certè imparem mihi: sed illa, cui totum hoc paruum quod in me est ingenium debeo suadet, & nostra humanitas hortatur, & reipsius dignitas me accendit. quid enim, cum intelligetis

Arithmeticã tanquam mortuam ſine hac eſſe? animumq; illius ſcientiæ Geometriam fore? quid cum Muſicam, cum Aſtronomiam, cum Opticam, quantum unaquæq; illius ope indigeat: imò ſine illa nulla ſit? quid cum de artibus cæteris? non ædificare ſine illa licet, non ueſtire. quinimo magis, ut uideo, hæ potius illius ſunt partes, quàm quòd illa indigeant: ſed cum illius ambitus tam magnus eſſet, neceſſe fuit diuerſis illius partibus diuerſa etiam nomina tribuere. Tacebo ne plaſticen, aut picturam, ſculpturam? cuius nam ſunt artis alterius munera, quàm iſtius? quid fabrilis ars, ſeu æri ſeu ferro aut ligno incumbat? quid horologiorum, machinarumq; ſtructura mirabilis? undè nam principia formamq; ſuam & arcana recipiunt? Neq; uerò paruum fuerit, abdita naturæ artificiorumq; recenſere, quibus Magiam ipſam perfici palàm eſt. etenim neq; ulla certè maior Magia excogitari, aut ſine hac eſſe poteſt.

Quid cum uibramus pondera? ex imo maris carinas eruimus? non ne de his omnibus explicanda cauſa fuit? huiusq; artis in ea laudem docere? At uerò quónam pacto pulchritudo & brutorum animalium & hominum, cæterarumq; rerum tota Geometrica ratione conſtet, non eſt etiam prætereundũ: quantum ẽtiam exemplorum, quantum gloriæ, quantum dignitatis in antiquorum monumentis repoſitum, quantumq; diuiniſſimorum hominum commendatione illuſtrata, tacere non debeo. At nec illud etiam omittendum, quod clariſſima ac certiſſima ſit: dignaq; ſola quæ in puris illis intellectibus, in diuinoq; ſinu iaceat: tum uerò quantum utilitatis præſtet ad animi ipſius uires augendas, ſeu memoriam, ſeu imaginandi uim, ſeu mentem aut conſilium reſpexeris, dicendum erit. Neq; uerò omnia hæc obiter, aut abſq; ordine. ſed prius inuentorum nomina explicanda ſunt: inde quinam in ea maximè excelluerint: pòſt partes illius breuiter enarrandæ, ſummaq; ipſius per ſe excellentia: tum uerò quid Deus illi tribuerit, quantum natura rationes illius fuerit imitata, quantum artifices ſinguli illam excoluerint: de maxima illius, ſummaq; perfectione, quàm paſsim uel in exemplis neceſſaria, uel in inueniendis rationibus opportuna à philoſophis omnibus cenſeatur, dicendum eſt. Vltimò, quantum ad excolenda ingenia, ad expoliendas diſciplinas, ad corporis ſalutem & beatam uitam ducendam conferat, edocebimus.

Nec uerò ullo in loco aut confidentius cum ad beneuolentiam, aut commodius cum ad ingenia noſtra reſpicio, dicturum me arbitror. Fuit enim hæc ciuitas ſemper ingenijs florida, ſtudijs decora, eruditione ornata: ut non tam uel ædificiorum pulchritudine, aut opum magnitudine, ſeu amplitudine loci, aut ſoli fertilitate, uel populi frequentia, uel artium excellentia (quibus

cunctis

cunctis penè Italiæ urbibus præstat) quàm ipsa animorum uirtute, doctrina, singulariq; ingenij claritate sit illustrißima, uincit omnibus fortunæ ornamentis alias ciuitates, ingeniorum & eruditionis magnitudine ipsa etiam fortunæ ornamenta. Ob idq; etiam gratior mihi humanitas nostra est, quæ ab omni animi deiectione aut simulatione seiuncta est: atq; eo magis, quòd fructum aliquem ex hac oratione percepturos uos sentio. Cum multi enim uel inania uerba effundant, seu quia inutiles res laudare aggrediuntur, seu quòd apud eos uerba habent qui eorum quæ dicuntur omnino sint ignari: ego utroq; hoc incõmodo apertè careo, cum splendidißimam scientiã apud excellentißima ingenia nostra laudare adoriar. Quid enim Geometria ipsa splendidius excogitari potest? quæ ratio est omnium magnitudinum. Sunt autem rationis partes duæ: alia absoluta, quam dicimus quantitatem: alia comparatione ad cæteras, dicta proportio. Harum autem partes tres, intelligentia uel actu uel potentia distinctæ. Explicandũ est autem prius unum quodq; genus, deinde ad nominis rationẽ ueniendum. Cũ enim singula quæq; quanta sint considerentur, magnitudinem in his intelligimus: atq; ob id cœlum amplum, magnosq; campos, non ullius ratione alterius, sed ipsorummet. at contrà agellum paruum, aut decem iugerum, sola sui æstimatione dicimus. at cum paruum hominem, ingens caput, illum quidem cæteris hominibus, hoc reliquis comparamus capitibus: & hæc ipsa proportio dici solet. Hæc autem aut intellectu solo constant, uelut uitarum uires, ac animi: quæ cum infinitæ non sint, certam inter se seruant rationem. alia uerò actu sensibusq; subiectã, uelut superficierum, linearum, corporũ, angulorum, & quæcunq; manifestam continent magnitudinem. alia uerò potentia, inter quas Statice, quæ de ponderibus: & Actice: quæ de potestate radiorum: & dynamice, quæ de uirtutib. tractat. Solemus enim Solem lunã, ignem terra potentiorem dicere. Iam uerò quòd omnia his rationib. constent (quanquam ab alijs abundè sit demonstratum) proprium tamen erit huius præsentis orationis institutũ ostendere. Quòd uerò de his omnibus Geometrica ratio pertractet, non solùm indicio est quòd nulla alia disciplina: sed his qui solùm uel mediocriter attentè Euclidem legerint, tam apertè patet, ut nulla prorsus confirmatione indigeat. itaq; cum tam uastus, tam ingens sit illius ambitus, à terra tamen nomen suum traxit: non quòd metiendæ terræ aut solùm, aut maximè seruiat: (quid enim hoc apertius mendacio?) sed quòd ob metiendam terram initio rerum ab hominibus inuenta sit. Seu enim unus atque primus homo fuerit, seu per aliquam calamitatem in eam paucitatem uentum sit, constat illos primos parentes nostros uicina Nilo Aegypti loca incoluisse:

quoniam ea terra citius siccitatem ob solis uehementiã traxerit, miraq; glebæ fertilitate, & Nili opportunitate, tum etiam uicinitate collium foueatur: inde Damasci ager primorum parentum habitatione insignis. Vel si ad philosophos te conuertas, & Plato & Aristoteles unà fatentur, Aegyptios Græcis longè antiquiores fuisse. Quinetiam Diodorus Siculus incredibilem numerũ annorum illis tribuit. Certe constat, nullos (ut Trogus Pompeius refert) præter Scythas, cum Aegyptijs de antiquitate contendisse. At Aegyptiorum causæ insignes ciuitates fauent, Memphis ac Thebæ: quæ & magnitudine olim, & incolarum numero, etiam ante habitatam Græciam floruerunt. Ab his igitur dum Nilus inundatione cuncta conturbaret, decrescentibus aquis inuenta Geometria, ut agri suis dominis restituerentur. Certè hoc longè antiquius Arithmetica & Astrologia, quarum inuentores fuere Phœnices, ut Strabo sextodecimo Geographiæ refert. Nam cum Sidonij, qui eam incolũt regionẽ, mercaturæ incumberent, ob nauigandi studium Astronomiam, ab tractandas merces Arithmeticam inuenere. Nec Græci, qui tam impudenter multa mentiuntur, Geometriæ inuentionem sibi ascribere ausi sunt: cum nimis constaret, etiam ante Phœnices ac alias gentes inuentam esse. nam à Phœnicibus Pœni ac Græci, à Græcis Itali defluxere: ab his quoq; barbaræ cæteræ nationes, cũ etiã appareat nuper in singulos dies habitationem ipsam hominum augeri. Hac igitur ratione Geometria nomen suum à terræ mensura suscepit: quòd quanquam antiquissimum, ac ob id etiam incerto autore, nulli tamen gloriæ hanc antiquitatem cedere illi uelim, cum potius antiquitas ea causa Geometriæ debeat, quàm Geometria antiquitati. Siquidem altissimi opus præcipuum quoddam Geometria est, seu cum ipsa orbis origine, ut creditur, natum: seu, ut dicunt, cum æterna ipsius administratione ingenitum sit: sanè antiquitatis laus eorum esse debet, quæ uel ab hominibus inuenta sunt, uel quarũ antiquitas laudum portio aliqua esse potest. Huic tantum gloriæ incorruptæ aliunde est, ut ex antiquitate ipsa ad cumulum eius nihil possit accedere. Quare frustra quis à me requirat, quando inuenta sit, uel à quibus. Vtilius certè quæremus, qui nam in ea floruerint: cum & in his gratia laboribus, & nobis non paruum commodum accedat, scientibus quorum maximè opera in ea proficere liceat. Primus itaq; uidetur Thales Milesius fuisse, qui artẽ ex Aegypto Athenas deuexit, ob idq; primus etiã habitus admirationi. Hunc aũt sequutus est Ameristus, poetæ Stesichori frater: cuius Hippias Helius meminit. Post quẽ Pythagoras Samius artem auxit, et celebrem reddidit. Ab hoc aũt Anaxagoras Clazomenius. inde uerò Chius Oenopides: atq; eò usq; ars usui tantum fuerat, et admirationi. Cũ post hũc Hippocrates Chius, nõ ille medicus, tãquã rudi ad

rudi adhuc seculo, in ordinem eam redegit: primusq; scripsit uetusta breuitate elementa Mathematica: quadrati etiam rationem ad circulum ex lunulis conatus est inuenire. docuit &, quod frequens erat antiquis problema, cubi duplicationem per duas intermedias lineas duabus, quarum sit ratio dupla, continua serie interpositas, inueniri debere. Interciderunt hæc temporum iniuria: & nisi Aristotelis reprehensio testaretur, in dubium hoc uocari posset. Hunc igitur Theodorus Cyrenæus sequutus est, & Plato: sed nihil proprium ad artem hic, ille nihil quod ad nos peruenerit reliquit. Sunt sanè plura Platonis in hac arte testimonia: ueruntamẽ nullo singulari opere eã prosecutus est. Fuit, ut in Phædone apparet, Platonis contemporaneus Euclides, cuius ut uetustissimi, clarissimi extant Elemẽtorum tredecim libri, tum Phænomena, Optici, Catoptrici. Ab hoc plurimi classici uiri defluxere: inter quos Theon, qui eius Elementa Phænomena & Optica interpretatur, & qui Data condidit. Interpretatur & elementorum primum Proclus Lycius, & quatuor libros qui etiam nunc cum Euclide græco impressi sunt: hic ex Platonis schola est. At Data Pappus, qui & Mechanica composuerat, exposuit. Verùm Catoptrica ex eodem Euclide sunt, ut idem fuerit interpres & autor: quemadmodum & in alijs feciſſe eum existimamus: sed obscurius forsan, ac breuius, quàm res ipsa exposceret. Extat & in Data, Marini Mathematici protheoria, simul cum uniuersis Euclidis monumentis, à Bartolomeo Zamberto Veneto latinitate donata. Sunt & Hypsiclis Antinoitani (quæ ciuitas est iuxta Alexandriam, ab Hadriani puero cognominata) libri duo, ex monumentis Apollonij Pergæi excerpti partim, ut creditur, partim ex Euclide ipso: qui inter Euclidis libros adnumerari meruerunt, tantum grauitatis habent. hos indiscretè Campanus Nouariensis, eiusdem Euclidis non ignauus interpres, Euclidis libris adiunxit: ut quindecim euaserint.

Sed ad antiquos reuertamur. post Euclidem & Platonem, Cleodamus Thasius, Theæteusq; Atheniensis, cui Plato librum de scientia inscripsit, Architasq; Tarentinus et Neoclides, Eudoxusq; Gnidius, qui quatuor linearum inuentionem per inflexas (prout credidit) lineas reliquerat, floruerunt. Hi omnes tempore Platonis fuerant. nam & Eudoxus comes nauigationis in Aegyptum, & Architas salutis apud tyrannum Dionysiũ Platoni causa fuerat: nullius tamen præter Eudoxi ex his monumenta supersunt. Scripsit & in Geometria Aristoteles Mechanicas quæstiones, quæ passim leguntur. De quantitate etiã, ac de Mathematicis: qui duo interierunt, ac simul cũ eis de Musica liber. Ab his Leon, qui et ipse quædam non contemnenda reliquit: & Amyclas Heracleotes, philosophus Platonicus: & Menechmus, Eudoxi auditor: &

Theudius Magnes, et Pizicinus Atheniẽsis, ac Hermotimus Colophonius, Philippus quoq; Menteus: et Aristarchus Samius, qui de siderũ & terræ magnitudine scripsit: & Porus ac Nicomedes, tum etiã Menelaus: omnes Græci, Græceq; scripserũt, sed quorũ tamẽ monumẽta interierint, aliorũq; tantũ testimonio uiuãt. Verùm oẽs hos uincit Archimedes Syracusius, cuius fermè omnia inuẽta habemus. uir summo ingenio, et qui circuli peripheriã proximius ostẽderit et solida demõstratione duabus lineis duas interponere cõtinua proportiõe docuerit: sed hoc perijt. Huius fuit amicus Conõ alter, et ipse Geometra. Extãt et Eutocij, Didymi & Heronis Alexãdrini de mensuris libri, nondũ tamen Latini. Scripsit & Heron de mechanicis librũ: Theodosius aũt Serenus de circulis libros tres, qui uulgo cũ sphæra habẽtur. Extant et Dioclis Pyriæ et Dionysodori quædã fragmẽta, et Eutocij Ascalõitæ, qui Archimedẽ imitatur, & Cleomedis opus de circulis, cũ Ioannis Gerasẽi explicatione: & Philoponi, et Eratosthenis, qui Ptolemæo regi de inuẽtione duarũ mediarũ linearum inter alias duas epistolã scripsit. tũ uerò & Nicomedis, qui Conchidica cõposuerat, monumẽta adhuc in Græco habẽtur. Fuit & Geminus Anatolius, Zenoq; philosophus, Diophanesq; Alexandrinus, et Maximus Planudes: quorũ omniũ etiã inclyta supersunt uolumina. Quid de Eudemo dicã, qui Architã retulit, per hemicylindros conatũ ostẽdere cubi duplicationẽ, adhuc opere illo superstite? Scripserũt, ut uidimus, et de eadẽ re, tũ etiã de alijs, Isidorus Milesius, Philoq; Byzãtius, Parmenioq; Apollonij Pergæi discipulus. Non'ne & Alchindus breuiter ac pulcherrimè proportiões docuit: & Mahomet Moisis filius, de mixta ratione quã Algebraticã uocãt: et Geber de triangulis, circulisq;. qui quãquã Arabica lingua scripserint, publicè tamẽ apud nos, Latiniq; habẽtur. Verùm oẽs hos superasse uidetur librorũ multitudine Ptolemæus, quanquã nõ in Geometria propriè scripserit: sed de Astrolabij cõpositione, de Catoptricis: de Musica diuinũ opus, quod et Porphyrius interpretatur: de Numeris: de Astris libros tredecim, quorũ undecim Theon Alexãdrinus exponit: Matheseos quatuor Geographicorũ octo: sed nullibi rẽ magis tractat ipsam, q̃ Geometricæ, ut potius Geometriã excolere disciplinis his, q̃ disciplinas ostẽdere Geometria uelle uideatur. Scripsit Græcè, quanq̃ Aegyptius: sed ex suis operib. solũ Arithmetica perijt. Sunt et Nicomachi nõ minus Geometrica quàm Arithmetica monumẽta, et Nilei de sectore. Fuit et nostra ætate Ioãnes Mõteregius, qui et ipse quædã de trigonis reliquit: sed ita, ut potius furtũ q̃ ingeniũ suũ ostẽderet: quippe quod in astronomicis præclarus admodũ, ac penè diuinus fuerit. At Nicolaus Cusa tã subtiliter disputauit, ut nihil acutius excogitari possit: uerũtamen adeò processit, ut nõ quod nitebatur, sed ingenij tantũ acumen

men ostenderet: in cõcludendo plerũq; falsus. Fuerũt & Leonardi Pisani, & Lucæ Pacioli, nõ ingrati hac in arte labores. Multorum etiã aliorum libri extant in hac facultate, atq; præcipuè de his quæ paululum ab ea declinare uidentur, uelut de optica insignes Damiani Larissei demõstrationes. Vt si ad autorũ seu multitudinem seu nobilitatẽ spectes, nulla prorsus disciplina huic poßit cõparari. Sed nos nec ab hac fortuna laudem aliquã consequi uolumus: uerùm potius ad nostram utilitatẽ, ac quasi mercedẽ quandam honesti laboris, illorum uirorum nomina tam multa hæc, simul cum monumẽtis recensuimus. Solebat enim Galenus dicere, hoc unum esse eorum qui rectè scripserint, pro suis laboribus præmium, ut eorum inuẽta admirẽtur & laudẽtur. Cæterùm nos rem ipsam prosequi proposuimus, quandoquidẽ etsi quid ad artis gloriã multitudinẽ scriptorum proficere arbitrarer, satis explicasse tamẽ putauerim, q̃ digna haberi debeat: atq; simul et illorum comendationi, & uestræ uoluntati ac cõmodo operam dedisse. Nunc igitur de illius partibus dicendum est. Nãq; quæ purißima est ac sincera, sub Elemẽtorum nomine tradita est: ut quæ permixta, nec tã pura est, si ad oculos referatur, quã Acticen diximus, diuidemus in Opticã, Catoptricã, Scenographicã. Opticã dicimus, quæ uidẽdi rationes, causas, miracula q̃; ostẽdit. Catoptricam, quæ radiorum fractiones, colluſiões, refractiones docet: uelut sunt è speculis imagines, irides ac pareliæ? Scenographica aũt, pingẽdi rationẽ, ut sub naturali forma figuræ uideãtur, nec illis aut profunditas aut altitudo uel distãtia obsit. Et quanq̃ perspectiuæ nomine hæc oĩa cõtineri uideãtur, placuit tamẽ antiquis, Opticã hoc solo nomine intelligere. Quæ uerò ad põdera pertinet, quãq̃; Staticẽ appellauimus, bifariã diuiditur. nam quæ solũ naturã ratiões q̃; rimatur, Statice propriè est: quæ autem tractare ea docet, Mechanica. At uerò Dynamice tam ampla est, ut si ex materia subiecta sit distinguẽda, infinitas penè illius species modos q̃; efficias. tam enim latè eius usus patet, ut etiam si uelis oĩa describere, haud poßis. sed suo loco explicanda reseruamus. Itaq; eius quæ pura ac candida est, adeò excellens laus fuit, ut cũ Archytas & Eudoxus, Menechmus q̃;, ad instrumenta mechanica solidi duplicationẽ reuocassent, à Platone grauiter sint reprehẽsi, quod Geometriæ dignitatẽ, quæ in substãtijs puris ac æternis residet, inter quas etiã Deus ipse est, ad sensum materiãq; reuocassent. nãq; et Deũ ipsum maximè esse Geometrã, Geometriæ q̃; intẽdere. Nemesinq; ac iusticiã et rerũ distributionẽ quibus orbis uniuersus gubernatur, nõ alia esse q̃ Geometricã ipsam rationẽ. Ob id etiã Lycurgũ, repulsa Arithmetica, quæ æqualiter diuidit bona malaq̃;, Geometriã amplexatũ. Philonẽ aũt dicere solitum, eã solã disciplinã idola ueritatis, uelut ex nitidißimo speculo nobis ostendere, atq; ea causa inhærentes

aggluti-

agglutinatosq; sensilibus animos auellere, ad summam æternamq; naturam reuocans. Ideoq; tanquam metropolis mathematicarum ab illo censetur.

Sufficiat hæc recitasse ex tam clarorum uirorum monumentis, quæ ad illius excellentiam pertinerent. Verùm quoniam admodum res ipsa obscura, ut uideo, uobis forsan uideri posset, altius & ex initio repetenda huiusmodi origo est. Cum uniuersi formam ac molem summus conditor constituere uellet, aptissimam, & ad continendum & ad motum illi figuram elegit. Porrò circularis utriq; proposito apta admodum uidebatur. namq; & in continendo omnium maximè est capax, & in motu neq; subsilit, nec premitur: quadrata enim angulis latera disrumperet, rursus laterib. ab angulis dehisceret. quamobrem circularem cœlo elegit, quæ nec concurraret, nec destitueret. aptissimã uerò ad omnem motum: namq; & ea quæ oui similitudinem refert, secundum unam lineam tantum motum admittit: circularis undiq; æqualis, nullum etiam ex motuum uarietate impedimentum præstat. Quinetiam quod et ad nos, rursusq; ad seipsam, tam æqualis est, ut nec à fine principium, nec ab angulis circulorum partes, nec à temporibus motus ipsi discrepent. statuit autem omnium unum idemq; medium, atq; tanta sapientia, ut nihilo uariatis cursus recursusq; cœlis fierent, ac modò tardè modò uelociter eadẽ astra ferrentur, idq; statis locis ac temporibus, ut & ratione eadem qua facta fuerant, Geometrica scilicet, comprehendant. Inde ad metam usq;, cum à Sole absunt, superiores maximè, tunc etiam maximè retrocedant: cum illi è directo superstant, uelocissimè moueantur, eoq; congressus ille sit diuturnior. At uerò etiam ex his necesse est, ut cum redeunt, quandam cum Sole affinitatem contraxisse uideantur. Sic & duo inferiores, cum Soli iunguntur, aut progrediuntur, aut retrocedunt uelocissimè, & eorum uis minimè dissipatur à Sole: tardè autem, cum uel utrinq; ab eo maximè absunt. Non'ne & Luna & uniuersæ stellæ Soli quadam motuum similitudine iunguntur? & tamen nihil dissimile magis utroque est, altero uix se mouente, altero raptim atq; in diuersas partes. Atque, ut uno uerbo dicam, hæc una est sapientia, ut semper quidem ijsdem motibus, nunquam autẽ eadem uia ferantur. An uerò in hoc uel Geometrica ratio desiderata, uel mediocriter expressa, aut alia potius potuit subtilitate effici? Sed & in his quæ Elementa uocamus, eandem rotunditatis rationem seruauit, ut nec corpus extra suam naturam, nec loci natura extra corpus esset. Adde uerò et magnitudinum & roboris naturam æthere, quod leuissimam substantiam haberet, locumq; supremum, statuit. at terra, quanto natura hebetior, eo substantia uiribusq; densior est: reliqua sic in utroq;, paribusq; distincta interuallis, in medio loco collocauit. Partitionem autem ad substantiam quidem æqualem

ut re-

ut repugnantia non solueretur: ad ambitum autem proportione respõdentem effecit. Neque enim uel cœlestes motus tandiu adeò similes cum ea uarietate, nec elementorum natura cum tanto discrimine ac contrarietate, si proportionibus ad libellam firmatis non continerentur, illæsa permansisset. Cum uerò omnium una natura orbicularis ac rotũda esset, alia quidem in alijs aptißimè collocata sunt. In cœlesti enim corpus duodecim planis ac pentagonis superficiebus circundatum constituitur: atq; ideo cum ad singulos solidos angulos tres concurrant, pentagoni erunt, et nouem trigoni in unoquoq; solido superficiales: atq; ideò centum & octoginta in uniuerso corpore. Ex his sexaginta quidem Isosceles: sed quorum, qui supra basim anguli sunt, singuli supremo dupli, basis autem laterum continentiũ portio maior: at centũ uiginti reliqui isosceles et ipsi, quorũ uiceuersa latera basis portiões sint maiores, et solida proportionis cõtinuitate conspicua, anguliq; supremi inferiorũ unicuiq; tripli. hac tanta æqualitate perpetua cœli constitutio, ac uicißim in se rediẽs euasit. quorum uerò singulorum distributio in orthogonios duos, numerũ efficit partiũ trecẽtarũ et sexaginta, in quas cœlũ ipsum diuidi solet. Atq; etiã his planis superficiebus duodecim signa obliqui circuli respondẽt, uniuerso orbe in ea diuiso, nec inæqualia nec dißimilia inter se, ut nec pẽtagoni in solido corpore.

At uerò cũ sphæricæ figuræ hoc ex omnibus maximè cõgruat, et ipsum et uniuersa reliqua cũ simul coissent, sphæricã, à qua ortum traxerãt, cõpleuerãt figurã. Sic æther ex pyramidibus (conos aliqui uocãt) isopleurisq; triãgulis fabricatus, & ipse tamẽ in rotundã euasit figurã. At aer ex corporibus octo superficierũ trigonarũ, cuius tamẽ anguli sex solũ solidi, aqua ex Icosaedris corpora hæc sunt uiginti superficiebus duodecimq; solidis cõclusa cõponũtur. atque ob id æther maximè acutus, aqua labilis & incõstans, aer quasi medius inter hos est. omniũ stabilißima est terra, cubis coagmentata. Hi octo quidẽ angulis solidis, sex aũt superficiebus constãt. ob idq; aeri cõtraria est terra, & igni aqua, quòd angulos extensos amplosq; habeãt: at cubi natura immobilis est, quod grauißima sit, nec summitate basim excedat. nã in pyramide leuitas ad soliditatẽ supremarũ partiũ obstat. In reliquis superiora extra basim sunt, atq; ideo ad motũ per se inclinata. Solus cubus, cũ talis sit, immobilem meritò fecit terrã: sicut & pyramis cũ sola superficiebus angulos æquauerit, similem omnino ætheris substantiã sibiipsi reddidit, cũ omnis supremus æther eadẽ natura substantiaq; existat. At uerò in duodecaedro cũ anguli et superficies multũ distarẽt, stellas & sidera errãtia in cœlo diuersitas hæc peperit. hæc aũt nõ obiter illi insita sunt: sed tãta cũ ratione ut (quemadmodũ narrat Aristoteles) si uel unũ amplius adderetur astrũ cœlo, his quæ nõ sunt, aut moueri omnino

non posset, aut tardius certè progrederetur. Si igitur hæc uniuersa tam diligenti ratione sunt cõstituta, cumq; omniũ corporum rationalium natura numerũ impleuerit (quinq; enim tantũ esse possunt) illud uerò quod hæc omnia continet figura æmulatus in omnib. est, cõstat summã Geometriæ rationẽ maximũ Opificẽ in mundi constitutiõe conseruasse: nihilq; magis illa in eius constructiõe, imò & solã illam spectari debere. Sed forsitã quis quærat, num ex hac ratione aperta septem erraticarũ ratio habeatur? Certè sic. Itaq; attentè animaduertite, q̃ & in hoc cõsummata fuerit ratio ipsa Geometrica. Si isosceles in circulo describatur, qui in duos alios, et ipsos isosceles diuidi possit, basis prioris necessariò heptagoni latus est. Manifestũ est aũt, triplicẽ hanc qualitatem et maximã esse, & perfectissimã atq; absolutam: quæ cum heptagono cõtineretur, effecit ut non alio numero erraticæ possent definiri, q̃ eo qui has omnes æqualitates amplecteretur. Rursus ea in figura ambiẽte quatuordecim latera, hanc imitatus est rationẽ. nec pluris, qui minimũ abesse potest, Mercurius distat in summo à Solis recessu, & Luna duplicato numero dierũ ad locũ suum redit, cõmunibus etiã iunctis terminis, ne quid ad perfectionẽ deesset. sic hæc ratio septenarij nobilissima facta est. Rursus si triũ quantitatũ, quarum primæ et tertiæ aggregatũ ad secundã ea ratio sit, quæ secundæ ad primã: tum uerò primæ et secundæ ratio ad tertiã, qualis tertiæ ad secũdam lineæ iungatur, circulusq; trigono circũscribatur, erit in hoc trigono tota heptagoni ratio absoluta. namq; prima, eademq; minor linea, heptagoni latus est: secunda ac media, quæ duobus heptagõi laterib. subijcitur: tertia, quæ trib. ex una parte, quatuor aũt ex alia heptagoni lateribus opponitur. Quamobrẽ cum nulla maior inter tres quantitates proportionũ similitudo esse possit q̃ geminata, constat heptagona figura omnia cœlestia, et quæcũq; meliora sunt inter mortalia, debere terminari. Quare cum homo non dubie uniuerso cœloq; respondeat, solus huic figuræ etiã respondet. Sed mittamus hæc, et ad propiora propositio nostro redeamus, cũ illud unum sit argumentũ excellentiæ artis, Nullum philosophũ, nullum principẽ hac scientia carere uoluisse. Oẽs tamẽ putãt mortales satis se ornatos esse, cũ de Geometricis seu rationib. seu machinis abundè disceptare nouerũt. O clarissima scientiarũ, generosissima disciplinarũ, subtilissima artiũ, nobilissima inuentorũ omnium humani generis: tot decora ornamẽta tecum affers, ut diuina prorsus dici merearis. Cuius argumẽto esse potest, quod cum reliquæ scientiæ cũ propositis præmijs professoribus non auctæ sint, uelut Medicina post Hippocratẽ, philosophia post Aristotelẽ: at Geometria ob sui pulchritudinem, homines inuenit claros, & sui studiosos, qui eam absq; præmijs ad apicem perfectionis deduxere. DIXI.

HIERO-

HIERONYMI CARDANI
MEDIOLANENSIS MEDICI,
DE VNO LIBELLUS.

VNum, bonum est: plura verò, malum. Si enim bonum perfectum est, nihil extra se relinquit: cum verò plura sunt, unum est non in alio, ideoq; illius non est bonitas absoluta. quoniam enim & ipsum unum est, bonum est. Indicio est, quòd omnia, dum ad unitatem rediguntur, perficiuntur: & quæcunque sunt, ad unum tendunt. Multitudo hæc hominum innumera, per seipsam mortalis est in singulis: cum ad hominem quasi unum redigitur, æterna fit. Quæcunque immortalia beata sunt, unum sunt: species rerum quatenus succedunt singula singulis, beata esse non possunt: ut verò perpetuò manent, unum sunt. Amici præterea, amasiæ & amantes, & quæcunque generant, eo beata fiunt, quòd in unum animo aut corpore aut utrisque coeunt: ut uita uiri cum uxore honesta. Quid est amor, nisi desiderium coniunctionis in unum? Quid discordia & odium, nisi immensa cupido diuisionis, & ad unitatem omnimoda repugnantia?

Vnum præterea multorum causa est, multa autem unius nunquam. nam Sol & Luna, animalium causæ sunt: animalia, cœli, aut Solis, aut Lunæ nunquam. Est autem unum, quod diminutione fit quasi mutilata multitudo: uelut unus homo, cum plures obierint. sic serpentes pauciores sunt, multis in generibus, hominibus & leonibus. nec tamen sunt perfectiores: sunt enim plures natura, quòd plures generent hominibus, & breuiori tempore, & celerius adolescant. Vtrum fiunt pauciores ob id, quòd imperfecta licet sint, pluribus tamen indigent ad conseruationem? Quæ verò paucis indigent, ut muscæ & formicæ, quæ sub quocunq; cœlo uiuunt, & pamphagæ sunt, & parum edunt, multitudine sua produnt imperfectionem suam: sunt tamen perfectiores his quæ casu pauca sunt, licet naturâ plura sint. Deus itaq; cum non solum bonus sit, sed etiam optimus, unus necessariò est. Et mentes & uitæ & substantiæ primæ, cum non ut homines ex pluribus partibus maximè dißimilibus constent, perfectiores sunt hominibus ipsis, qui anima & corpore constantur. Generatio quoque, cum sit coitio multorum in unum, bona est: corruptio verò, quia dissolutio unius in plura, mala. Vnus homo, & una musca,

bona sunt, multitudo autem non bona: plures autem homines & plures musicæ, plura sunt bona, non tamen melius aliquid quàm homo unus. sunt enim bona, ut singula, non quia multa, nisi ad unum referantur. Omnibus igitur hominibus homo melior est: inde plures homines, plura bona, inde singuli. quamobrem & gens & ciuitates & collegia meliora sunt non solùm uno homine, sed etiam hominum multitudine: quia ad unum referuntur: & quicunque ad huiusmodi continendas societates aut congregandas apti, meliores. Vnde etiam melior est rex & regnum, aristocratia: & aristocratia, republica. magis enim illa ad unum tendunt. Contra democratia pessima est, inde oligarchia, minus autem tyrannis: nisi in tyrannide uigeat oligarchia, aut popularis status: cum non solùm unus est qui iniustè regit, sed etiam per se ministris licet quicquid libet. tunc enim & dissolutio est in tyrannide illa, & iniusticia. Immortalia rursus bona sunt, quoniam unum sunt: quæ autem mortalia, cum desinant omnino esse, aut saltem unum, abrupta in medio quasi bona non sunt. omnia tamen bona sunt eatenus, quatenus unum sunt. Quapropter & quæ diuidi non possunt, ut cœlum, meliora sunt his quæ diuidi possunt, ut terra: & quæ nec imaginari possunt diuisa, ut mentes, meliora sunt quàm quæ diuisa possumus imaginari, ut cœlum & illius astra. Et quæ diuisa iam sunt, ut glebæ, his quæ diuidi possunt, non tamen diuisa sunt adhuc, ut terra. Et quæ diuidi possunt in infinitum, minus bona sunt, adeò ut ad potentiam solam redeant. Actus enim bonus est, potentia autem duplex: una, quæ secludit actum, ut materia prima, atque hæc extremè mala est: alia est pendenda ad hunc actum, & quatenus ad actum tendit bona est aliquantulum. infinitum igitur numero cum maximè unitati repugnet, malum est, & insociabile. ordo autem & fatum quia sunt unum, & sunt ad unum, ideo bona sunt. inordinata autem & fortuna, mala: non enim ad unum tendunt.

Rursus illud idem uidemus in sensilibus. Quæ consonant, bona sunt, & auditui grata, quia in unum coeunt: ut diapason. quæ omnino dissident, absona, & auditui ingrata. quæ autem aliquo modo coeunt, non perfectè grata, non tamen adeò suauia: ut diapente. quæ autem dissident, nec in unum coeunt nisi parum, parum etiam suauia, ut diatriton & diaecton.

Similiter in his quæ uidentur, columnæ paribus spacijs distinctæ, quia interuallum unum est, iucundum efficiunt spectaculum: & quæ ita collocata sunt ut unum efficere uideantur, ut ad imitationem collium, uel uepreti uel fontis. omnia iucunda sunt, quoniam ad unum referuntur. Quinetiam

unius

unius elaborata manu artificis, quanquam minus egregij, pulchriora uidentur quàm quæ plurium inuicem collata, tametsi egregiorum. Apparet igitur, & actum & pulchrum ad unum pertinere: ut turpe atq; potentiam actui contrariam, ad multa. unum enim quatenus per se consideratur, bonum est: ut sensui comparatum, pulchrum. nam & odores & sapores & consonantiæ pulchræ dici possunt, cum sensum delectant. Quòd si nomen non placet, iucundum appelletur. Similiter unum cum ad esse refertur, actus est. Erunt igitur unum, bonum, pulchrum, atq; actus, quasi idem: itemq; contrà, plura, mala, turpia, & quæ potentiæ solum sunt. Potentia autem maximè huiusmodi sunt præterita. ideò præterijsse bona, malum est: exuerunt enim actum suum, quo unum & bonum singula dicuntur.

Atq; hactenus de uno generaliter dictum sit: nunc autem propriè magis eius natura est inquirenda. Constat enim hominis partes, pedes ac manus, plures esse: ipsum autem hominem unum, non solùm ex tot diuersis partibus compositum, scilicet primo corporeis, deinde anima & corpore, rursus ex substantia & accidentibus, tum uerò facultatibus & functionibus: est tamẽ totus unus. Dicunt, est unus numero: id autem nihil est. etiam mille, unum mille sunt: aceruus unus frumenti & hordei. Vnum numero dico, quod dimidium est duorum. cumq; numerus res sit quam mens fingit, atq; illius principium unum, erit etiam unum numero res ab anima ficta. Ego autem quæro rationem, qua unum unum & dicitur, & est. Valeat igitur unum hoc quod est numeri principium. quædam uerò unum sunt ut aqua, in quo tamen partes diuersas fingere possumus. Et ideo natura hæc unius obscura ualde est, & à nemine declarata. Quæramus ergo, quot modis unum dicitur. Est autem omne unum indiuiduum, aut indiuisum, quatenus unum. continuum enim indiuiduum est, quatenus unum: quatenus continuum, non est indiuiduũ. Quæramus ergo quot sunt genera unius ex rebus ipsis: notior est enim ratio in re, quàm in se. Et proponamus, quòd Deus unus est, & ex nullis partibus constat: & orbis totus unus, sicut & homo. & paries alio modo unus: & albitudo in eo, & animal & homo ut species est, & cumulus etiam. Quæcunq; igitur eandem formam habent, unum dicuntur genere aut specie aut accidente: uelut animal, homo, albitudo. Differt autem albitudinis unitas ab hominis unitate: quoniam albitudo quantitatem habet diuiduam, homo autem non habet. Cumulus autem contiguas habet partes, paries autem etiam continuas, uterq; dissimiles. sed lac unum est, & partes similes habet. homo autem et orbis, præter continuitatem, aliud habent: quoniam anima non est continua, nec pars aut terminus continui. Constat autem experimento, hominem non mi-

nus esse unum, quàm parietem cumulum. imò etiam lac: nam lactis pars si afficiatur, totum nunquam ob id afficietur: at hominis pars si afficiatur, plerunq; totum affici necesse est. At orbem magis esse unum homine, credendum est: quatenus enim homo est, est & equus: at quatenus equus unum est, orbis magis unus est: est enim primùm Dei artificium, magis igitur orbis unus est quàm homo. inde sympathia, antipathia, aliaq; huiusmodi. Octo igitur modi sunt unius, adnumerato Deo. hic enim unus est nobiliore modo, quàm hæc omnia: neq; enim constat diuersis partibus ut cumulus, paries, lac: nec in diuersa distribuitur, ut genus, species ue: nec natura sola unum alteri adherens, ut albitudo: nec comparatione ad unum, ut homo, cum diuersa non contineat. igitur simpliciter unum dici debet. Dubitabis autem forsan, quoniam & lac & albitudo unum eodem modo dici poterunt, quia continua sunt hæc, & etiam naturâ una: sed non est ita. albitudo enim una cum sit, quasi infinitas sub se continet albitudines: lac autem non ita. albitudo etiam cogi potest, cum color extrahitur è lignis, substantia autem non. Deniq; id factum est, ut substantiæ & accidentis discrimen indicaretur.

Quoniam ergo unum est alicuius rei, & hoc ipsum erunt unum & aliquid, & res idem: iam uerò & bonum, & pulchrum, & actus. actus autem existit: existit autem ens, ideò omnia hæc fermè eadem sunt. Vnitatem uerò dilexisse naturam, exemplum alarum papilionum atq; piscium & auium docet: plerunq; enim depicta pariter in utraq; parte conspiciuntur, quòd eorum omnium unum sit principium.

Tentandum igitur dicere de homine et orbe, quomodo unum sint: sic enim & Ordo & Fatum dignoscentur. quanquam alia sit ratio Fati, alia hominis, alia etiam ordinis: cum ordo tempus non exigat, Fatum exigat. ita ut iam decem genera unitatis habeantur. Hominis igitur unitas, unitas est principij. nam homo idem unus ac indiuiduus est, qui intelligit, sentit, concoquit, ambulat, ut uerè unum sit. quocirca uidetur ipsius corporis structura: cum difficile sit immortalem animum tot in se complecti, & maximè uiliora naturæ munera, ut excrementa: & retinere, ut commoda: & propellere, ut grauitate sua molesta.

Verùm altera ex parte cum in indiuiduam substantiam hæc omnia referantur, uidetur immortale principium eadem ui, qua etiam utitur corpore, illud idem fabricasse. Imperat enim primò anima solidis, diffuso ex corde calore: inde spiritibus, per quos membra mouet. ui autem membrorum propria humores ducit, atq; excrementa, dum nondum coiere. cum uerò coierunt, per membra ipsa, non uim eorum: uelut cum uesica urinã exprimit. uidetur autem absurdum,

absurdum, nec esse posse, ut totum corpus omnia in unum conferat, nisi ex uno receperit: unum igitur illud principium est. & uelut limax non solùm est animal quòd continetur in cortice, sed & cortex, quamuis agatur & non agat: ita unum est homo ex anima & corpore, non sola anima, quamuis corpus ab ea agatur. Vnum igitur est continuitate, contiguitate, ordine & principio. nam principium unum est, quod omnia percipit. At cur nutriri nos non percipimus, aut concoquere, cũ principium sit unum? An forsan principium hoc, qua parte coniunctum est, non percipit: qua parte autem separatur, percipit? At si individuum est principium, quomodo partes habent? uidetur autem sentire, ac intelligere, & imaginari: atq; hæc omnia individua licet sint, plura tamen sunt. uerùm ut partibus corporis diuersis diuerso modo annectitur, diuersa est ratio actionum: ut Solis radiorum in speculis cauis, planis, aqua, luto, cera. Sic ergo anima nutricibus partibus innexa sensu caret, quòd illæ partes sensus instrumento ut decet non sunt connexæ. nam nec nerui, cum nutriuntur, sentiunt. Est autem animæ & mentis natura, ut una sit, nec ullibi sit. Eademratio in orbe est. Nos uerò et muscæ, ut ascarides, in humanis corporibus. Palàm ergo, quòd omnia unius gratia. alia uerò alterius gratia: uelut uentriculus ob iecur, iecur ob cor, gula ob uentriculum, os ob gulam, dentes ob os, labia ob dentes. Iam ergo rectè uides septem ordines, omnia autem propter hominem: quanto plura igitur, & quanto plures ordines in mundo ipso, omnia tamen unius gratia. inter se autem, non omnia ordinata. Vnde miramur muscas non propter nos factas esse, nec miramur manus factas non esse propter pedes, nec anum propter uesicã. Cũ igitur nõ omnia propter omnia, sed omnia propter unũ facta sint: uidendũ est quomodo unũ esse poßit, in quod plures ordines finiantur, ipsi inter se diuersi? Facilius aũt est, ut dixi, hoc in homine quàm in uniuerso cõtẽplari. Pedes propter ambulationẽ facti sunt, manꝰ propter tractationẽ. manus aũt nõ propter pedes, neq; pedes ob manus. indicãt hæc nõ esse animã diffusam per corpus. nã pedibus sentientib. si anima per corpus diffusa esset, manus sentirẽt: etenim anima tota sentiret. sentimus aũt manib. pedibus ue, nõ tamẽ pedes sentiũt manib. sentientibus. Quare anima principiũ est unum, nõ continuum, nõ contiguũ, sed per se, nec in loco, nec tẽpore. Si enim non est in manu, nec in pede, neq; in corde erit. absurdum. n. est existimare, etiãsi cor sit primũ quòd uitã recipit, animã esse in corde, quæ nullibi est. Vita aũt diffunditur, p quã operamur omnia quæ agimus, aut quæ patiẽdo nos pficiũt. Principiũ aũt nõ est uita. uita. n. est in corporis parte unaquaque, anima aũt nõ est. Si igitur multa in unũ tenderẽt, fortuitũ esset, et aliquãdo aberrarẽt, nõ ergo tẽdũt in unũ, sed ab uno procedũt: sic n. nõ possunt aberrare.

errare. ab anima igitur sunt omnia: sed anima si esset extensa, haberet aut partem in parte, & sic non totus homo sentiret aut uideret: aut partem in toto, quare una parte sentiente altera sentiret. Necesse est igitur aut animam nullibi esse, ut indiuiduam: aut cor esse animæ sedem, ipsamq; exiguam in eo esse. at si anima est in corde, dum homo ad mortem febricitat aut senescit, omnes operationes habebit ex æquo fermè imbecilles. at non habet: non est igitur anima in corde. Præterea est anima in nobis ut in mundo: at anima in mundo nullibi est, sed perpetua est & immortalis. talis igitur in nobis. Ergo consensus est omnium partium qualis in nobis, & sympathia & antipathia, ut dictum est. cumq; in nobis una anima sit, facultates autẽ plures, & functiones: neq; enim alia est anima in corde, alia in epate, una in manu, alia in pede: quare nec in mundo. Quomodo ergo aer ascendit, terra descendit? Interrogabo & ego te unum: quomodo iecur pellit urinas, renes trahunt? iecur trahit à uentriculo, & transmittit ad cor: num ob id plures sunt animæ? Anima una est, facultates autem trahendi, impellendi: utq; graue deorsum, sursum moueatur quod leue est. In his uerò quæ ordine constant, ut speciebus animalium, cum non sit necesse ut unum propter aliud sit semper, quoniam ad ordinem solum referuntur, non ad unum principium, non est necesse ut ex his unum fiat: quæcunq; uerò ad unum tendunt, unum etiam ad illud comparata efficiuntur. Cum ergo mentes & uitæ ad unum referantur, scilicet Deum, quoniam ordo perfectus est, ideoq; ad unum, unum efficiunt ordine. Itaque fieri potest ut equus & canis propter hominem sint. Et quæcunq; sunt, ueluti alimentum alijs. Ordo igitur unus est uerè, cum ad unũ tendit, aliter non. Quæcunq; igitur in mũdo sunt, unius mundi causa sunt, & operationũ illius: quemadmodum & in homine, præter ea quæ corrupta sunt. sunt enim ueluti ascarides in hominibus. at in mundo cum omnia contineat, nihil est alterius causa ut in homine. Nescimus autem hoc in mundo, quia operationes illius uniuersas non cognoscimus, & quemadmodum in unum ordinantur, uelut in homine, quî ergo principales mundi operationes & ordinem earum intelligeret, & uniuersas partes quorum causa factæ essent? palàm enim est, quòd in homine omnes intelliguntur, & propter quid. Quæ uerò Fato ordinata sunt, ut ad successionem tendunt, etiam unum sunt. At quoniam de hoc diffusè dictum est in libris de Fato, propterea de his satis. Reliquũ est, ut rursus altius rem ab initio repetentes, uideamus dubitationes quæ aduersus ea quæ dicta sunt, faciunt: primumq;, quoniam diximus unum bonum esse, plura uerò mala. nam si plura bona sint, erunt non plura mala, sed bona. plures enim principes mali ob id sunt, quoniam inter se non conueniunt. At de dijs primùm non est

id periculũ

id periculi: conuenient enim inter se, eruntq; meliores uno. Quin etiam lex nostra & philosophia plures eos faciunt: licet lex non plures esse deos uelit, quoniam in una conueniunt essentia, cum tamen priorem facit potestatem sapientia, & utranq; amore, non obscurè distinguit personas. at nos, ut diximus, in uotis conuenire uolumus: Philosophi uerò, qui non tam procul sensibus peruenerunt, tres deos constituunt. non igitur multitudo mala. Idem etiam in Repub. bene instituta, & aristocratia: quoniam melius sub illa populi reguntur, quia æqualem referunt regi iusticiam, & pauciores errores admittunt: multoq; pauciora subterfugiunt acta quæ non corrigantur, quàm in regno, ubi unus tot negocijs prospicere non potest, fallitq; magis necesse est, periculumq; est ne etiamsi rectè se gerat, ministri mali multa euertant. Quod tam sæpe contingit sub bonis principibus, ut nolim ita esse.

Quòd si dicas te cupere bonos etiam esse ministros: igitur bonum id non ex uno proficiscitur, sed pluribus, ac iuuatur multitudine. Præterea sidera stellati cœli, quæ splendidiora sunt multo errantibus, saltem Marte & Saturno, & maiora & candidiora, ac supremo ornamento propiora, meliora sunt quibusdam errantibus, ut dixi, & perse, & ad nos comparatione habita: & tamen plura sunt, & è pluribus. Ornamentum etiam, & pulchritudo, & decor, & iucunditas, non ex uno sunt, sed ex pluribus inuicem comparatis: uel si in uno sunt, multarum partium ratione illi conueniunt. uelut faciei ob oculos, frontem, nasum, os: & in harmonia, ob plures uoces: ut unum omnino nihil horum efficere possit. Præterea si unum per se adeò bonum est, quorsum tot facta sunt? quòd si necessariò facta sunt, necessitas illa à bono proficiscitur tanquam autore, & in bonum tendit uelut finem: multitudo ergo bona. Hyle etiam quæ una est, tamen mala est, si quid in naturalibus malum dici meretur.

Multitudo etiam hæc quid erit, si malum? bonum enim cum ente idem est: erit igitur multitudo nihil? Asini etiam & elephantes pauciores sunt hominibus, & pauciores etiam generant. rarius enim duos, & nunquam tres elephantes natos, aut asinos uidimus, aut audiuimus, legimusue: at homines sæpe geminos pariunt, tres nonnunquam: & ego tres uidi uiros simul uno partu natos, legiturq; de Horatijs ac Curiatijs qui inuicem pugnauerunt. In Aegypto etiam referunt nonnunquam nasci simul quinq; uitales. non tamen asini aut elephantes hominibus sunt perfectiores: ut si nihil aliud deest illis, ratio saltem ipsa deest. Quædam etiam genera serpentium, ut

pentum, ut reguli, rara sunt: & unus uix multis seculis generatur, quoniam multa adeò ad illius generationem sunt necessaria, ut non possint multi generari. uel igitur homine deteriora sunt. Quorsum ergo genita, ut homines se meliores occidant? atq; etiam unum multis melius non erit? Si autem meliora: erit rationis expers habente mentem melius? namque & quo ad orbem & simpliciter, melius nunc intelligi uolumus. Plures etiam habere filios, agros fœcundos, pecunias q;, melius est quàm filium, agrum, nummum unum. Hæc igitur atq; huiusmodi sunt, de quibus dicere nunc oportet. namq; & sine his decepti uidebimur, non persuasi: & cum his securius quæ tradita sunt credemus, & melius intelligemus. Quapropter initium facientes à primo, quòd etiam difficillimum est inter reliqua, demonstrabimus primùm cur non potuerint esse plura principia, neq; plura bona esse possint. Veræ autem demonstrationis proprium est, ut omnes dubitationes de re demonstrant, ex ea dissoluatur: ut recte inquit Auerroes. Igitur si plura potuissent esse bona, collata in unum perfectum aliquid effecissent. at præstat unum perfectum esse bonum, quàm plura imperfecta. plura igitur bona prima esse non poterant. Quòd si plura ac unum idem posse fingas, erunt illa bona frustra: cum idem possint. frustra enim fit per plura, quod per pauciora fieri potest. Rursus si unum tantum fuisset bonum, defuisset decor, pulchritudo, & boni species: est enim pulchritudo boni imago: fuissetq; bonum illud auarum, aut inuidum: multa igitur bona esse necesse fuit, imò quotquot esse possent quæ sibi inuicē non repugnarent. Plura ergo bona prima, aut non prima: sed inordinata esse non potuerunt plura, & ordinata: & quotquot esse potuerunt, esse necesse fuit. Quibus cognitis, dij hi seu personæ etsi plures sint, cum alter ex altero pendeat, in unum coeunt, & ordinati sunt. summæ autem artis primi opificis fuit, estq;, bona hæc procreare, & nihil imminui. nam si imminueretur, non esset nec infinitum, nec perfectum primum bonum. Nullum autem simile hic exemplum exactè habemus, innumera autem non exacta. nam & ignis qui propior exemplo ignem generat, & homo hominem, & artifex calceum facit, & nihil imminuitur, sed ex materia tamen permutando ea efficiūt: ut non tam effecisse dici possint quàm eduxisse, aut inuenisse, uel perfecisse. At nostrum hoc summum bonum omitto, quod in corporeis dici possit habuisse propositam sibi materiam in sapientia, in amore, in mentibus aut uitis generandis, quid habuisse ex quo facere potuerit dici potest? Et tamen non plus in illis quàm in corporeis gignendo ei deperit. Est igitur hoc boni primi singulare priuilegium. Quomodo autem id fiat, non est præsentis argumenti docere.

Igitur

Igitur ut ad propositum reuertar, plures non possunt esse, nisi ab uno per ordinem deriuentur. In Aristocratia licet plures plura uideant quàm unus rex; ille tamen plures habebit bonos, quia ipse bonus est: nec erunt plures, quoniam in unum tendunt, & ab uno pendent: erunt ergo eadem bona in regno, quæ in aristocratia. & præterea id plus quod in unum conuenient, nec adeò facile corrumpi poterunt.

Regis tamen optimi exemplum Deo similimum est, cum sui boni efficiuntur illius imitatione & amore, nec quicquam tamen ex illo deperit. Differt in hoc, quod ministri regiæ iam sunt, antequam boni efficiantur. sed efficere quicquam, potestatem non est imminuere, uerùm exercere. Ergo multitudo ordinata bona est, quia in unum tendit, & ab uno proficiscitur. Stellæ autem quæ in orbe stellato sunt, ordinem habent ad uniuersum, scilicet uitas, ut membra in homine ad facultates & functiones inter se habere non est necessarium. non autem multitudo illa similis est hominum multitudini, quæ ob necessitatem est. Sunt ergo uelut membra in animali. Ideò totum perfectius est erraticæ quouis cœlo, quamuis de Sole sit dubitatio: nam astrorum omnium cursus ad ipsam rationem habet. Eodem modo nil prohibet plures esse stellas erraticis nobiliores: quoniam, ut dixi, ordinatæ sunt: & non ordinatæ, quia multæ: sed multæ, quia ordinatæ. Multitudo non est decoris, ornamenti, nec pulchritudinis causa: sed ordo qui est unum in pluribus, sicut unum est, tale simpliciter.

At ordo non potest esse nisi inter plura. decor igitur & pulchritudo in pluribus contingit, quoniam in ordine consistit. Sic de harmonia. indicio est, ordinem esse causam, quòd uox una dulcis & suauis melior est pluribus in unisono. in Diapason autem & diapente, non ita. Quin etiam interpositæ diatessaron & diatriton & diaecton bene consonant. ordo igitur harmoniæ causæ est, non multitudo.

Plura autem esse necesse, cur dictum est prius? erat enim multitudo ordinata effigies diuinæ pietatis, bonitatis ac sapientiæ. Nónne præclarius aget architectus, qui speciosum aliquod construat ædificium, quàm si nullum? Hyle bonum est, sed bonorum ultimum: quia non una est, cum potentia sit. non enim substantiam habet, nec actum, quibus bona sunt. immista autem alijs bonitatem minuit, non quia mala, sed quia minus bona: ut tepida aqua feruenti atq; calidioribus mista.

Dices: Cur ergo facta, si non bona? aut si per se fuit, non est causa omnium Deus? Oportebat diuinum bonum, quo ad poterat, impartiri: sed iam singula perfecta erant.

Oportuit igitur etiam imperfecta fieri. at non poterant sine multitudine cõseruari. multitudine igitur opus fuit: at ut multitudo esset, materia facta fuit. Sed nec multitudo ipsa est ens, sed ab intellectu fingitur. ipsa autem multa bona sunt singula: signum tamen imbecillitatis ac defectus & mali. Itaq; & de elephantis & asinis, si natura multitudinem producit, ob periculum ne deficiat species: non enim uoluit unum hominem tantum gignere perfectum, scilicet sapientißimum, robustißimum, atq; lõgeuæ uitæ, uelut de Adam primo parente scriptura refert. Eorum animalium maiorem numerum procreauit, de quorum interitu maximum fuit periculum: quod bifariam magnum est in his quæ imbecillia sunt, & quæ maximè mundo sunt necessaria. homo igitur tametsi imbecillis non esset, erat tamen mundo maximè necessarius: non itidem elephas & asinus, qui cum robustum habeant uitæ principium, ideò plures homines generat natura quàm elephantos, asinos'ue. In serpentibus autem cum principium esset imbecille, non tamen periculum ne desinerent magnum erat: tum maximè, quòd eorum multitudo cæterorum meliorum animantium securitati obstabat: ob id pauci facti sunt serpentes. Et licet muscarum & cimicum, culicum, pulicum, pediculorum, formicarum, crabronum, scarabeorum multitudo non uideatur mundo tam necessaria, quorundam tamen aliorum causa necessaria est, aut saltem periculosa non est ut serpentum: cumq; imbecillis sit uita horum omniũ, natura de multitudine prouidit. Quæ ergo perpetua esse non poterant, frustra in unum omnem perfectionem illorum natura congeßisset. multa ergo procreare necesse fuit. Si ergo necessaria maximè ad perfectionem uniuersi futura erant, & imbecillia, nec ualde noxia, ut muscæ et papiliones, horum maximam multitudinem procreauit. Sin autem necessaria, sed noxia, licet imbecillia, pauca: ut exitialium serpentum, quorum etiam generationem in deserta relegauit. quæ utilia & firmo robore, non tamen adeò necessaria, & mediocriter, ut elephantorum asinorum ac apum. Quædam etiam humanæ curæ reliquiße uidetur, ut bombices: quanquam generatio illorum fœcunda sit, ut ex uno plusquàm centum generentur. De formicarũ multitudine, cum uiuaces esse ferantur, magna est quæstio. Porrò de filijs, agris, pecunijs, multitudo certè ab indigentia oritur. Nã unus ager omnia necessaria ferre nequit: unus filius, si pereat, stirps interit: uno nũmo cuncta emere non licet. Quòd si uno eadẽ fieri possent quæ plurib. pluribus opus nõ esset, sed his omnib. illud unum esset melius. Indicio est, quòd Deo unicus est filius, quoniam illum amittere non metuit, nec ut discedat: at nostri filij cum calamitatibus innumeris subijciantur, si multi sint, securiores degimus. Non ergo multitudo mala, sed mali argumentum est, atq;

iudicium

indicium certum, si ordinata non sit. sæpe etiam mala est, quatenus multitudo: sed quatenus non unum imperfectum, bona, ut in nummis & filijs. Est enim hoc unum numero, de quo (ut dixi) præsens non est institutus sermo.

His sic constitutis, in omnibus ad illud quod bonum est per se properandum est. est autem, ut dixi, ordo. Conandum est igitur, ut omnia ad ordinem ipsum redigantur, atque ad unum principium: uelut membra in homine, & partes ad ipsum hominem. Cumq; morimur, ad unum redigimur. ideo bene dixit Plotinus: Ad unum id quod est in me redigere conor. Sic & operationes omnes in suos fines, pluresq; fines in unum, qui est felicitas. Similiter, & quæ scimus, in unum omnia: sic enim omnia facile memoria continebimus. Idq; accedet commodi, ut cuncta uere sciamus, cum in unam causam redigere illa nouerimus. Sic in Republica & domo non rite agere licebit, nisi ut omnia suis ordinibus contineantur. neque bonum est ut omnes uni sine intermedio pareant: sed sint coniunctißimi, ut uxor, filij, fratres beneuolentißimi. sic enim domus, sic ciuitas optime regetur. Vni quoq; omnem gratiam referre decet, autori omnium. Ita uerò omnia tractanda, ut etiam supellectilem ad ordinem redigamus.

Porrò ordo, si unus sit, facilis est: cum uerò plures sunt, maximè si dispares non sint, difficile est persæpe eligere magis utilem. Oportet ergo ordines ipsos in unum ordinem transferre: ut uerò ordo simplex sit, curare, atque in numerum redigere. Sunt autem effectus trium generum. alij quidem arte, ut lectus: alij natura, ut animalis generatio: alij casu, ut ictus lapidis, & quæcunque ab animalium cupiditate oriuntur. Ortus autem hominis, et cuniculi, partim natura, partim casu contingit: quoniam principium casu est. Artium igitur initium est finis, & ordo à fine ipso: quoniam ille mouet uarias causas, non unius generis, quæ aliter ordinari nequeunt. Etenim non tanta est perfectio in artibus, ut quæ efficiunt aut materiæ per se ordinem constituant. neq; enim dolabra in fabro per se est causa efficiens, sed instrumentum: nec claui, lignum & cementum in unum ordinem redigi possunt.

Naturalium autem causæ duplices sunt, generales & propriæ. Generales sunt ab astris. astrorum autem principia alia quidem ratione finis, & efficientis, & materiæ per se ordinata, ac tradita à Ptolemæo: alia autem ut ad nos referuntur, quæ propriam quandam exigerent tractationem, imò duas: unam, enarratam in libris de Astrorum iudicijs: aliam uerò, in libris de Fato.

Causæ autem naturales, propriæ, efficientes ac materiæ, notiores sunt nobis fine: quoniam finis est notior opifici: opifex aũt naturæ dominus. hi enim propter finẽ omnia fiunt. finis semper opifici notior, alijs autem efficiens &

materia. Redigere autem oportet omnia in primas causas. cum uerò reducuntur, uidentur plures causſæ esſe unius effectus. non igitur reducẽtur ad unum, nec in primam causam, ut de fine, sed in plures. uerùm primum principium est unum in efficientibus, ut homo hominis, cuniculus cuniculi. non igitur anima aliquid est extra hominem. Propterea Auerroes dixit unã esſe animã in omnibus hominibus. Cæterùm ille non intellexit quid unum esſet. aliud enim unum est, aliud est conditiones unius habere: quales sunt, materia, quantitas, figura, locus, qualitates primæ & secundæ, tempus: incorporea enim singula unum per se sunt omnibus, tamẽ unius corporei conditionibus carẽt. Quocirca anima & mens singulis una est, quod in nobis deprehendimus: & quæcunq; patiuntur. nam foris multa ab uno illustrari nihil prohibet. Si igitur singulis una est anima, non omnium hominum una esſe potest. Similiter & uniuersale nullum est singulis commune. dico neq; hominem, neq; equum, neq; animal: sed unum, uelut & Socratem. uerùm carent omnia loco, motu, tẽpore, magnitudine, numero, diuisione. substantiæ quidẽ primæ, mentes ac incorporea, quia ante hæc omnia sunt: species autem & genera, quia nil aliud sunt quàm individua ipsa subiecta, & singulis eadem, sed ijsdem conditionibus à mente nostra, spoliata. Quàm igitur absurdè uniuersalia uocata sint ab his nostris philosophis, quæ nihil habent nisi maximè individuum & unum, & à multitudine remotum, facile est intelligere. Est & alius cognitionis modus, uelut cum mistum ex elementis generatur. Sed non contingit. neq; enim uermis aut musca ex elementis conflatur: sed ex uerme, aut musca, aut misto huiusmodi quod potestate tale est. quæ uerò fiunt ex pluribus, ut cœnum, & ex cœno herba, adhuc ad pauca redigũtur: quoniã hæc est naturalis mistorum generatio. Multa autem mista, elementa autem duo, terra & aqua, aut ad summum tria, aere addito. Elementa uerò, ut sidera, ad unum redigũntur. perfectione enim, non specie differũt. neq; enim sunt calida & frigida, ut nugãtur: essent enim plurima principia non ordinata. Demõstrauimus autem esſe non posſe, sed uelut in numeris omnia ordinata unius respectu: quapropter & uno in ordine contenta, qui ad primum principium terminatur: sic autem non essent. Quæ autem casu constant, ad fatum redigi debent. dictum autem est de eo aliàs. Quæ autem ad memoriam pertinent, ut libri, cum & ratione argumenti, & nominis, & prænominis disponi posſint, effugere decet ordinis uarietatẽ. melius est igitur unũ in alio includere. uelut diuidere per argumẽta, & argumẽta per prænomina: ea enim similitudinẽ magis pariunt prænominibus. Assuescendum est autem contra consuetudinem, ut seruemus hoc. Præponenda autem argumenta, iuxta doctrinæ ordinem, aut alphabeti.

Misti

Místi generis autem in uno ordine sunt collocandi, ut etiam alienæ linguæ: & iuxta nomina illa. hi autem iuxta argumenta sunt distribuendi.

Sympathia ergo & Antipathia ex his etiam originem ducunt. Quæcunq; enim eiusdem sunt naturæ, & ut imperfectum ad perfectum comparantur, & ad idem magis proprie, sympathiam primùm habent: ut homo ad equũ, ad hominẽ, ad puerũ, ad patruelẽ & filium. Et quæcunq; hostilia sunt, antipathiã: ut lupus & ouis. Et quæ in eadẽ specie corrupta ad integra, ut homo cũ cadauere. Et quæcunq; ad primum statum referuntur, ut Herculeus lapis ad situm naturalem, cuius uis est ad orientem, à borea distans quinq; partibus, cum alij dicant nouem. Cum enim quasi mascula terra sit, motum habet ad situm immobilem, id est terræ centrum & axem inter polos, ut sic planè quiescat. Cum uerò uni corpori duo motus conueniunt, alterum imperfectum esse necesse est. positus ergo in æquilibrio ad terræ centrum descendere nititur, & ad axem conuerti, ut cœli motum deuitet. at non assequitur hunc perfectum ab oriente ad meridiei circulum, ideò subsistit ab eadem parte aliqua circuli totius portione. Fabulosum autem est dicere, quod ad montes illos qui nullibi sub polo modò sunt, conuertatur. Sed demõstratione idẽ ostendatur. Proponatur meridiei linea a b c, sic ut punctus a in terra sit in una linea cum cẽtro eiusdem & polo cœli, et sit d mons ille lapidis herculei, & ponatur herculeus lapis in linea a d e, ut in e. erit ergo linea circuli meridiei et herculei lapidis una et in b demõstrant: ergo in tota linea b e uariabitur angulus a b d, qđ repugnat experimẽto. manet. n. idẽ ubiq;, saltẽ citra æquinoctialem. Dictũ aũt est satis de echeneide seu remora: at etiam de causis cur pulli miluum exhorreãt. habitus. n. est in descẽdentibus, cõtractus à parẽtibus atq; maioribus: quemadmodũ & de tonitru. pauorẽ. n. gignunt absonæ fórmæ, & cũ nõ in eadẽ specie, sed



in eodem genere. nimia enim propinquitas & distantia antipathiam tollunt. Quo enim propinquiora sunt, maiore sui parte sentiuntur, ideoq; magis mouent: quanquam & uocibus matris admoueantur. Sic inter braßicam & rutam antipathia est, & inter cucumim & oleum: quòd contraria natura sint. Est autem sensus ille potestatis licet non proprius, cõuenientis et noxij. Quid ergo mirum? nam extenuari possunt propinquitate, etiã si nõ sentiãt. At cucumim inflecti in contrariam partem affirmat Mathiolus Senensis: nec magis mirum, quàm si salix aut populus radices ad aquam exporrigat.

ubi

ubi enim conuenientis sensus, ibi & contrarij. Pari ratione terremur tonitru & tenebris: quoniam sensus & uis qua imaginamur, habet quod delectet & horreat, amplectatur & timeat.

In sonis magis mirum, nec unisonis tantum, sed etiam (ut refert Aristoteles) nete, quæ acutissima est, pulsata, hypate sola resonat, quæ est grauissima. Sonus quidem actionis propriæ principium esse non potest, sed tantum imaginis et speciei, uelut in sensibus (hoc autem modò quærere debuerant, & non ex communibus quibusdam) quid ergo est quod sonum efficit, & mouet fides? non sonus, sed aer. Cur ergo conuenientem magis quàm propinquam seu loco seu uis? uidetur autem distentio par, aut illi proportione respondens. Quare motus aer ab una quasi echo, reddit in consimilibus: est enim in echo absque dubio reflexio aeris secundum eandem figuram. aliter tam alienas quàm primam uocem reddere posset. At motus secundum eandem formam etiam agitat, ut primam ictam fidem. quamuis enim aliæ propiores sint, aliæ molliores: plus tamen facit contortus aer in prioris fidis consonantis figuram, quàm uis approbãte experimẽto nõ solum aeris, sed etiã manuũ. Vnde Fracastoreus recitat, fuisse imaginẽ cereã in ambitu tẽpli, quæ sonitu nolæ sola è multis tremeret. Quæ uerò attrahũtur ab adamãte et succino, causam manifestã habent, et longè diuersam ab Herculeo lapide. illa enim trahũt leuia, hoc graue. & certum genus & trahit & trahitur, atq; etiã propellit: quorũ nullũ est in adamãte uel electro. ea enim trahũt rarefacto aere intermedio uelociter: sicut cum aqua per canalem tracto embolo masculo ascẽdit, distento nimiũ aere, ut pars partem sequatur ob materiæ continuitatẽ. Diuerso autem modo trahũt adamas & electrum: electrũ enim per se calefacit & attenuat, sed magis si confricetur, proximũ aerẽ: adamas autẽ nisi cõfricetur, nõ calefacit. at herculeus lapis masculi uicẽ gerit, ferrum aũt fœminæ: seruaturq; herculeus lapis in ferri scobe. Quare fiẽt quatuor modi attrahẽdi, & quatuor propellendi. ex his primus trahentium est proprius. masculus enim & ualidior trahit fœminam imbecilliorem. Pòst secundus. cum enim masculus nõ potest trahere fœminam ad se, ut etiam in animalibus, accedit ad illam. Sed tertius etiam contingit, qđ nos uidimus, ualidiore imbecilliorem trahente. Quartus autem non, quoniã uterq; fœmina est. Ex secundo autẽ ordine sunt qui negant, magnetem propellere ferrum: sed propellit ferrum magnete tactum, tanquam masculum, ut syncerum ferrum trahat. Eádẽ ratione ferrũ ferrum propellet, ut trahat ferrũ magnete delibutum, ex secundo mo-

Trahit
Magnes ferrum
Ferrum magnetem
Magnes magnetem
Ferrum ferrum.

Propellit
Magnes ferrum
Ferrum magnetem
Magnes magnetem
Ferrum ferrum.

do primi

do primi ordinis fiet quartus secundi ordinis. Magnes quoq; propellet ferrũ, quoniam magnes ille cum ferreus sit, magis appetit ferrum magnete delibutum, quàm syncerum, ut in tertio modo primi ordinis. Relinquentur igitur duo modi inutiles, quartus primi ordinis, & secundus secundi. Quare ut aliàs dictum est, herculei lapidis pars una est uelut caput & purus magnes: altera ex aduerso, ut ferrum magneti mistum: utraq; pars ferrum delibutum à se trahit. sed si delibutum ex aduersa parte purum dum trahit ferrum libentius, delibutum ex aduersa parte repellit. Hoc idem nos de Austro & Borea diximus. Generalis autem causa omnium horum similitudo est, cum actus iã potentiæ iungitur. Nam herculeus lapis ut masculus, rapit ad se ferrum ut fœminam. Cõtrà uicißim si ferrum magnum sit, exiguum frustum lapidis, trahetur lapis à ferro: quod si ferrum sit imbutum altera parte, cum adsit similitudo, et potentia, trahetur ab eadem parte lapidis: ab aduersa autẽ repelletur, ut pars ferri syncera trahatur. Quod uerò affirmant ferrum ferrum trahere, falsum est, nisi imbutum herculeo lapide. Pars tamen herculei lapidis quæ ferri multum habet, magnetem trahit, ferrum non ita: & syncera ferrum uehementer, obscurè magnetem: ex æquo mista utrunq;. plurimum enim demonstrant quæ actu ac potentia, & quæ iuxta perfectum imperfectumq;. hæc enim mutuò se appetunt: at ut potentia simile, quoniam iam potentia ipsa demonstrãt. uelut magnes trahit ferrum, quod potentia est delibutum magnete tali, quali ipse est: specie autem contrarium, quia actus deesset, et potentia. Magnes ergo ferrum, & ferrum magnetem, & magnes perfectus ferrum, & ferrum sub magnetis specie magnetem trahit. Sed in delibutis simile à simili trahitur: quoniam ferrum loco potentiæ est. Sed magnes etiam argẽtum trahit, cum argento mistum fuerit ferrum, aut magnes argento. quare etiã ferrum argentum trahet. eiusdẽ autẽ ordinis sunt hæc omnia. Quoniam uerò eadẽ ad eadẽ antipathiã ostendunt, et sympathiam: ut puluis aquã nõ trahit, quia siccus: calx autẽ & pannus, quãuis sicca, trahũt: id ad naturales causas est referendum, nõ sympathiã aut antipathiã. quæ enim calci cum aqua sympathia? Sed quæ calida sunt, trahunt aquam: quæ autẽ non, respuunt: ut puluis, adiantum, & pluma indicio est sic esse: nã cinis admittit. Calx enim calidior est q̃ siccior, quia crassarum partium: contrà puluis. De leone & gallo primùm expediret scire, in his an ita sit. Sed si sit, cum nullum animal cristatum sit præter gallum, nisi ex serpentum genere, leo autẽ deserta incolat, nouitate ac similitudine terreri uerisimile est. De his uerò quæ percipiuntur sensibus, iam diximus, in cognitione esse pulchritudinem: cognitio autem est commensuratorum. Et quæ grata sunt, efficiunt etiam ut membra dilatentur & turgeant uoluptate.

Sed hæc, ut dixi, ad præsens argumentum non spectant. Sicut nec illud, cur uinum oleo magis aqua misceatur: ipsum autem aquæ adhuc lõgè magis? Constat naturale esse quæsitum: quoniam oleum densum est, aqua crassa, uinũ subtilius: ideo oleum penetrat, & aquam multo magis.

Porrò ut ad rem redeam, uidentur cuncta ad unum spectare, scilicet conseruationem. ea autem triplex est: nobilioris partis, & totius, & supijsius. Indicium habemus in pullis. eo enim metu abdunt se sub latibulis, fugiuntq; periculum: & remora torporem inducit, ut illa capiantur, ipsa uescatur. Quæ uerò ex consensu naturæ sunt, alia quidem similia, alia dißimilia. similia, ut mictio, oscitatio: dißimilia, ut stupor dentium, dum alius acerbos fructus comedit: ex serra secante horror dorsi, & risus et misericordia. Fit aũt risus ex admiratione et læticia: misericordia ex admiratione et tristicia. horum omniũ causa est, quod unum sumus substantiæ similitudine, & ad unum. Cur uerò mali, non carinæ nauium, à fulmine tanguntur, scriptum est in libro de Fulguribus Ioan. Baptistæ filij mei. Hæc igitur de Vno satis dicta sint.

HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI, IN THESSALICVM MEDICUM Actio secunda.



LAudo prudẽs consilium tuum, ô uir egregie, quòd nactus tam præclaram ditescendi occasionem, summosq; honores atq; existimationem, tum amicos parandi sine labore, sine uigilijs, aut sumptu ullo: neglectis uanis mortuorum expectationibus, & inferorum fabulosis terriculis, inanibusq; philosophorum argutiolis, postquam in ea arte uersaris in qua tutißimè peccare licet, atque absque ullo legum metu, quæ sola etiã fortes uiros terrere possunt: tu omni stulta formidine posthabita, eam tam bene sis amplexatus, tã strenueq; administraueris, ut nemo tibi iure præponi, imò ne comparari quidem poßit. Qui ueluti nouus quidam artis inuentor, per tot blãditias, per tot dolos, per tot negociationes, per innumera funera, sine arte, sine doctrina, sine iudicio ita oculos populi atq; principum præstigiator summe perstringere potuisti, ut ad culmen autoritatis & existimationis ascenderis, diuitiasq; non contemnendas tibi parauerís.

raueris. Eia age strenuè, & perdura in opere egregio: gloriam tibi sempiternam, familiæq; tuæ nomen maximum paraturus. Sed si aliqua est Adrastia Nemesis, si aliquis sensus superis, si tibi tot malefacta mentis aliquid reliquerunt, doce me quo nam pacto cum recordatione huius uitæ somnum capere possis. Non ne tot per insciti am & pertinaciam ambitionem q; interfectorum hominum agmina te exagitant? nónne conscientia tanti sceleris mentem excruciat? Sed existimo in initio hæc omnia tibi contigisse: ubi occalluisti, uelut iam uetulus carnifex, aut latro, non magis de hominum cæde quàm hœdorum aut pullorum solicitus es. Quinimo etiam iam securus ob usum, pauca quidem per te, longè plura uerò per tuos illos sceleris socios quotidie in plebem aduersus omnes bonos euulgas. Præsertim autem unum me impetis, seu ob artis successum, seu quòd studijs meis aut famæ (quæ quamuis mediocris sit, te tamen torquet) inuideas: seu potius, quòd natura ita comparatũ sit, ut maximè dissimiles moribus atq; institutis, maximo etiã odio prosequamur. Nam neq; omnino à me læsus es unquã: quis enim à me læsum se uel uerbo uel factis dicere potest? neq; adeò imperitus sum: cui enim talis uisus sum aliquando? nec tam infelix in artis operibus, propter quæ nobis inuides: & tamen tua illecebri impostura sic urbem impleuisti, ut plures damnẽt quem non cognoscunt, horreantq; eum à quo nil nisi utile consequi possunt. Adeo ne exteris tuis istis dolis, tua ista nefanda uersutia, qua plurimum uales (neq; enim te tua laude spoliare uolo, quẽ admodum tu mea me niteris) imponere te posse speras? Quid iam adhuc superest, quàm ut eruditos, ut ueritatem, ut Deum ipsum fallere hac tua mendaci, furtoq; ac malis artibus conquisita gloria posse confidas? An non tibi iam conscius es imperitiæ tuæ? an nescis quot nã ciues felici illa tua indulgentia ad orcũ miseris? an dissimulare potes, qua ambitione, quibus ue technis potentiã tibi ac tyranicã uim praueris, amicitiæq; principũ te insinuare conatus sis? Tu doctor eorũ qui illegitimè artẽ tractãt, tu exemplũ legũ nõ seruandarũ, tu ambitiõe ac minis bonos opprimere nõ cessas: tu blãdiri mulierculis in ægroriũ perniciẽ excogitasti, ut qđ imperitia et stulticia nõ poteras nomẽ retinere, his uersutijs etiã augeres. Nescio quónã encomio te magis dignũ esse censeam, q̃ eo quo q̃ fonte sacro infantulos aspergunt, cacodæmonẽ execrantur. Quid tibi prodesset regiæ opes et stipẽdia, etiãsi ampliora multo essẽt? qđ imperatoriæ dignitates, aut principũ familiaritas, oĩa p falsas adulatiões, p obsequia nefaria, deniq; p suppositicios laudatores acquisita? Nõ ego tuorũ sordidã parentũ conditionẽ, neq; aliud quicq̃ insectabor (hæc n. odiosa sunt, ætatis aut fortunæ uitia accusare) uerũ tu solus mihi (ita pessimè in arte uersatus es) sufficis, ut lõgiorem possim cõficere orationem dum fraudes uitiaq; ac malefacta quæ in

sanctissimã disciplinam, quæ in patriam & ciues, quæq; in reliquos artis professores, et maximè in meipsum exercuisti, recenseo: quàm sint Verrinæ illæ Ciceronianæ, aut Demosthenis Philippicæ. Itáne forsan debacchatus securè es, ut crederes defuturũ hominem qui tua flagitia agnosceret, aut in publicũ edere auderet? Publicè peccasti, et in perniciẽ ciuitatis nostræ solũ natus esse uideris, pestisq; una ciuiũ ac patriæ tuæ (si modò tã flagitiosus, tã patriæ ingratus, ciuis dici meritò potest.) Ob id publicã tantũ etiã ob iacturã, nõ ob priuatas aliquas inimicitias, tametsi tot tãtaq; in me patraueris, tua facta detego, teq; ut meritus es accuso. Feciſti mortaliũ peßime, ex erroribus tuis dogmata, et nouã medendi rationẽ ac pernicioſam aduerſus omniũ antiquorum præcepta in hãc urbẽ inuexiſti. Quid iã nũc proſunt Academiæ, gymnaſiaq; tãtis ſtipẽdijs ſuſtẽtata, tot libri, ſi imperitus unus medicus partim ignorãtia, partim ſcelere oĩa euertit et deſtruit? docetq;, quẽadmodũ egregius ille Paradoxorũ ſcriptor melius eſſe neſcire literas q ſcire? Atq; ita uidet eſſe, & experitur, poſtquã in ſola amẽtia ſua cõfidit, et felicitatẽ nõ in uirtute, nõ in artis operib. ſed in opibus & potẽtia dolo partis cõſtituit. Et uos uidetis et fertis, quoniã huius diſciplinæ eſtis ignari. Et dum puniendo errare timetis, nõ puniẽdo longè grauius peccatis. Quæritis forſan, cur ego ſolus inter tot præſtantiores deſcenderim ad accuſandũ? curq; hic impoſtor omnes alios in me accenderit? Hoc primũ dicam (cũ neutrũ obſcurũ ſit:) Nõ ſperabat me ſtante obtinere poſſe quod cõcupierat, imperitus apud nõ imperitũ, ignarus exercitationis apud exercitatiſſimũ, infelix in ope apud feliciſſimũ: deniq; ſolis dolis ac uerſutia præditus, cæterũ omniũ bonorũ inſcius, aduerſus eũ qui totã uitã in ſtudijs et experiẽtia rerũ cõſumpſerat: et quanq; calliditas eius omnẽ uirtutẽ ſuperare poſſet, ipſe tamẽ ſibi cõſcius, haud cõfidebat ſe quicquã agere poſſe, niſi me oppreſſo. Id etiã forſan cogitauit, ut inimicicijs mecũ ſuſceptis fieret celebrior. Audierat aliquãdo incognitos homines ob egregiorũ uirorũ inſectationẽ claros euaſiſſe. Sic Hippocrati Lycus et Iulianus, Platoni Moto, Ariſtoteli Eubulides, nomi
» nis cõquirendi cauſa aduerſati ſunt. Sed ut Romanus ille aiebat: Abſit ut hũc
» hominẽ tanq; amicũ recipiã, aut inimicũ reſpiciã, cũ eũ ſciam ſe ampliorẽ futu
» rũ ſperare, ſi ſe mihi inimicũ dictauerit. Itaq; ſi hũc homunculũ nũc nominarẽ, nec caſtigarẽ, maiore illũ honore q cõtumelia afficerẽ. Nãq; is cũ beatũ ſe eſſe alioqui putet ob diuitias, etiã inimicitias exercẽdo, poſtq aliter non licet, gloriã quærit. Sed quomodo te beatũ opes efficere poſſunt, aut glorioſum, cũ tãto magis egeas, quãto plus habes? Etenim niſi indigeres, nõ q̃reres: cũq; plura quæras, plurib. te indigere pſpicuũ eſt. Nec interim illis gaudes, nec frueris, nec retinere ſine magna cuſtodia potes, nec amittere ſine dolore. Nec tãta po

teſt

teſt eſſe uoluptas in parando, quanta eſt anteactæ uitæ pœnitentia. At parabis filijs ac nepotibus? utrũ illi ſuperfuturi ſint, Deus nouit. Sit uxor nunc pudica, ſit nurus, qua arte tandẽ efficies ne quandoq; in adulteri filiũ omnia deuoluantur? Certum eſt enim (quòd tu tamẽ uerũ eſſe non arbitraris) ſtatis tẽporum circuitibus opes neceſſariò ex una ſtirpe in aliam tranſire, ut qui diuites fuere, fiant mendici: & rurſus, pauperum proles in diuitum opes ſuccedat. Quòd cum multis modis eueniat, ſemper tamen euenit, in quibuſdam ante nepotum obitum: adeò ſæuit quandoq; Diuina ultio, quòd & Iuriſconſulti affirmant. Cui etiam principi peccatum uideri poterit, poſteros tam ſcelerati uiri ſpoliare fortunis, opesq; tam iniuſtè partas ſibi uindicare? Sed eueniat hoc quomodo & quando libet: conſcientia facti nunc tua eſt, laborq; uſus ac uoluptas in poſterum aliorum. Ergo ſolus ob id te accuſo palàm, ut ſcias reliquos omnes qui præſentes adſunt, uultu, geſtu, quanquam ſileant, hanc tuam impudentiam temeritatemq; damnare. Hoc ipſe Deus, hoc patria, hoc boni omnes una ſententia te condemnant: tu tamen tibi places, quoniam neq; tantũ ſenſus, tantũ uerecundiæ retines, ut dolere poſſis. Noli lætari uocibus tuorum atq; aliorum ſimplicium, qui te florere dicunt. non enim flores, ſed inualeſcis ac ſæuis, quibus uerbis calamitatum etiam reliquarum incrementa deſignare ſolemus. Inquies forſan: Quid egi? quid ſcis? conſcius enim mihi ſum, me clanculum peccaſſe. Quid ais? Tu hæc malefacta Deum ante ipſum latêre poſſe arbitraris? Cæterùm, quòd non reris, & urbi & toti orbi notiſſima per me fient. Sed undènam in tanta rerum tractandarum magnitudine ac multitudine incipiam, non ſat mihi occurrit. Debeóne ab ignorantiæ exẽplis, ac uitijs peccatisq; tuis, ac artis euerſione: an à dolis conſpirationibusq; cum pharmacopolis, cum tonſoribus, cum chirurgis, cum mulieribus: an ab aperta ui, qua ſimul cum coniuratis aduerſus nos uteris: an potius à maledicentia illa, qua omnem probum uirum infectatus es, initium ducere?

Sed ab imperitia tamen incipere decet, in qua illud ſanè mirabile eſt, quod qua parte maximè es imperitus, ea alios docere uis. Nónne tu primùm, ſapientiſſime uir, omnem prædictionem ab arte ſuſtuliſti? Nónne tu es ille qui doces, eos qui prædicunt, uatum & aſtrologorum, ac etiam circulatorum loco habendos? Eia uir egregie, unde primùm hoc didiciſti, ut tot libros Hippocratis, Galeni, Auicennæ, aliorumq; optimorum autorum damnares? Deinde ſi prædictio nulla eſt, quomodo inſtituemus uictus rationẽ ad ſtatũ uſq;? Nam ſi ab initio tenuem, ut tu facere ſoles, in diuturnioribus febrib. uictus rationẽ præcipiamus, homines enecabimus duplici ratione: & quod nimis imbecilles cuadent ægri, & quòd cogemur in ſtatu maximè cum à cibo abſti-

nendum est dare cibum. Sin autem ab initio crassiorem: quomodo non omnes quibus status proximè est, iugulas? Quánam igitur ratione medicina stare potest, absq; hac præcognitione? Quin tu etiam occidas quotquot in manus tuas ueniunt, & pessimo exemplo alios idem facere doceas? An hæc quæ dico falsa sunt? & à mente authorum, & à ratione atq; experientia aliena? An falsum est, te omnem sustulisse prædictionẽ? cum non solum abstineas ab illa, sed eò usq; tuum illud patrium uirus latè serpserit, ut ne unus quidem aut alter nũc prædicere audeat. Ita uir innocens, ne proderetur ignorantia tua, totã urbem euertisti: & non solum nunc, sed, nisi Deus aliquis prouideat, etiam in posterum. Hæc est gratia, quam patriæ tuæ reddidisti. Quid enim illa dicere posset? ego te genui, alui, educaui, tutata sum: tu, ut ditior aliquanto efficereris, pessime non solùm perdis, prodisq; amicos, sed unumquenq; bonum insectaris? exemploq; doces, occidere meos alumnos? Vndénam (nunc ego te interrogo) fama increbuit quòd insanirem? Verùm in hoc tibi ignoſco: nam cum duorum alterum necessarium esset, uel ut homines insanire me crederent, uel te omni supplicio dignum existimarent, ferendus es: etsi hanc infamiam, hoc periculum, quacunq; ratione à te conatus sis propulsare. Verùm ubi id non successit, uisumq; est nimis arduum hoc persuadere hominibus, pro Astrologo habendum prædicasti, adeò ut hic rumor usq; ad Cæsarem peruenerit. Ego quidem fateor me scripsisse aliqua in Astrologia: ubi etiam sycophantarum perfidia artem euersam esse cognoui.

Sed uide Elenchum librorum meorum, et quàm minima sit eorũ portio, id quod à me in Astrologia conscriptum est. Verùm ô præclare, ubi docebis me uix ter aut quater illam artem exercuisse, etiam maximis præmijs propositis? Artem uerò medicam perpetuò iam annis triginta & amplius exerceo.

At dicis: alijs in disciplinis scripsisti. O inauditam rem: quod alijs omnibus laudi tribuitur, tu pessime ut mihi probro sit obtinere uis? Et solùm in me dignum uituperatione inuenisti, quod iure meritò in omnibus laudari solet. Quanta Galenus, quanta Auicenna, quanta Aetius, extra artem scripsere, ac longè plura quàm in arte, & quàm ego? num ergo & illos repudias? & ut medicos imperitos aut minus exercitatos arguis? Sed hæc est labes seculi? non per Iouem, sed patriæ nostræ: nec patriæ, nisi tu dira & stygia pestis in perniciem non solùm honorum, sed etiam disciplinarum natus esses.

Verùm hæc mittamus, rem ipsam prosequamur. Quónam pacto, si statum morbi ignoras, audes tot nobilium corpora tractare? ni forsan diuino iudicio carnifex meritò euasisti. Nunquid purgare, secare uenam rectè licebit,

cebit ignoto morbi statu? Quid si sub statu horum alterum facias, uel utrunq;, nónne hominem occidisti? Suspenduntur latrones, lacerantur, excarnificantur, alibi etiam palis rotisq; inseruntur, quòd homines ignotos pecunijs spolient: tu amicos, tuæ fidei creditos fortunis, & uita priuas, præmiaq; necis ac sceleris accipis. O felicem sceleratí fortunam.

At dices: Nolens occido? Quî nolens, cum scias te rectè facere posse, nec facias: aliosq; facere uolentes prohibeas? Nónne illa medicamentorum intempestiua exhibitio in gratiam pharmacopolarum excogitata est? scilicet ut lucro allecti, te ad alios infirmos aduocent, & ut simul aliquid facere uidearis, morbumq; in longum producas? Quis cum tot commodis tuis errare te nolentẽ suspicetur: & maximè reclamantibus autoribus, tanquam infelici miserorum ægrotantium successu? Quid ergo est quòd tantum Astrologiam insectaris, quæ morbi euentum prænoscere docet? Non doleo quòd illi operam dederim: sed quòd à tuis malefactis impeditus, id nondum assequi potuerim quod uolebam: scilicet ut statum morbi ex astris prænoscere possem. Ita ut duplici coniecturæ quasi duplici cruri innixus, maximam humanæ salutis ansam possem deprehendere. Id solum generaliter assecutus, quòd tam Sol quàm Luna in signis uernalibus salubres & breues, in æstiuis breues & periculosos, in autumnalibus lethales, in hyemalibus longos efficere solent. Quodq; qui à Sole reguntur morbi diuturni, à Luna breues sunt. Et quòd cum luminare morbo dominans grauioribus planetis commiscetur, ac tardis, morbus natura & euentu longus erit. Sin autem grauibus planetis natura, ueloeibus autem motu, ut cum Saturnus aut Iupiter prope Solem sunt, morbus quidem natura diuturnus breuior efficietur. sicut contrà, si Mars, Venus aut Mercurius tardi fuerint, morbi natura breues protrahentur: sin ueloces, uelociter finientur morbi, natura etiam per se breues.

Quodq; beneficæ mites, maleficæ prauos suggerunt morbos: & orientales manifestos, occidentales occultos, sub Solis radijs latentes prorsus & incognitos. Quanquam planeta, ibi constitutus si præsit, solum signent uirtutis languorem, & humorum exustionem.

Verùm dices, hæc extra artem sunt. omitto iam. Quid si contendam, te & complices tuos urinarum cognitionem nullam tenere: sed omnia quæ circa morbos qui ex materia pendent, febres præcipuè, ex æquo tibi incognita esse? Dico sanè & morbum, & morbi tempora.

An hoc extra artem etiam? quod tamen tibi experientia ostendere paratus sum. Sed ad cætera transeo. Ex hoc errore in alium non minorẽ, imò deteriorẽ incidisti,

incidisti, cum nescires ubi & quando status morbi sit collocandus, ad septimũ in omnibus morbis illum constituisti, aliosq; ita facere doces. Vnde si quibusdã antea status euenerit (quod rarius accidit) illos superflua inedia maceras: deinde me arguis, quod ex quisitiore uictu in morbis utar. Cum ego pluribus cibum uberiorem concedam, quibus tu pernegares, pernegastiq; aliquando, si quando tantum periculum euadentes ad me laborantes transierunt. At quod maius est, ac generalius, ubi status ultra septimum diem extenditur, tunc illos certò enecas, si sæuus sit morbus: si mitissimus, etiam in difficillimam conditionem uitæ deducis, triplici errore: & quod primùm illum nimis ab initio, quando maximè nutrire oportuit, fame enecasti: & quod nunc quando minimè cibũ dare oportet, natura circa coctiones, præparationes, separationes, expulsiones, grauiaq; symptomata occupata, das copiosiorẽ: & quòd repentè ex summa inedia ad pleniorem uictum transeas, quod etiam in sanis Auicenna teste perniciosissimum est, nedum in extremo uitæ periculo constitutis.

Mitto hic autoritates, rationesq;. neq; enim adeò te imperitum existimo, ut hæc non noris: nec tam impudentem, ut quæ confessa sunt ab omnibus medicis, absq; ulla controuersia negare audeas. Sed existimas, ut dicis, quemadmodum in moribus, ita in medendo, consuetudinem legem efficere. Proh dij immortales, iugulare homines consuetudo efficere potest ut sit impunitum? Ita præciso capite efficiet consuetudo, ut homines non moriantur? Hoc est transire à stultis hominũ decretis, ad æternas & inconcussas naturæ leges. Ita fiet, ut aconito in usum hominum reuocato, unoquoq; pereunte tandem usus obtineat, ut fiat salubre medicamentum. O' inauditam temeritatem & impudentiã: quæ etiam inuenit ex artis studiosis & ciuibus, qui se prudentes existimant, & tamen his nugis aures præbent. Sed ad id in quo semper peccat transeamus, carnes & oua dando in putridis continuis febribus, in quo putat se ob id rectè agere, quòd (ut inquit) à nullo antiquorum prohibeatur. Cum tamen audiat Hippocratem dicentem: Non pura corpora quãto magis nutries, tanto magis lædes. Et rursus, in acutis nunquam ptisanam excedit, sed sæpius ac fermè semper infra substitit. Et Galenus Petrone uictus, qui ægros uino & carnibus nutriebat? At dicis: Non in acutis faciendum censeo, sed tantum in diuturnis morbis. Eia uir egregie: nónne scis nunc sermonem esse de febribus continuis, quæ diem centesimum uigesimum non excedunt, ex Hippocratis sententia, sicut acutæ quartumdecimum? Vbi ergo inuenies apud Hippocratẽ, in tot exemplis ægrorum, qui ultra quadragesimum etiam febre conflictati sunt, quòd uel unus carnibus uel uino aut ouis usus sit? Quinimo sorbitiones tantum ex ptisana, melicratumq;: Galenus uerò alicam, panemq; lotum etiã indulsit.

indulsit. quanquam ne huius quidem exempla habeam. Dicis uir acutus, tanquam nouam docturus medicinam nostro æuo, experimentum ostendere febres continuas ultra centesimum uigesimum diem extendi, atq; hæc tua præcepta in debilibus debere intelligi. O egregiam sapientiam: nónne scis hanc longitudinem non pendere ex morbi natura, sed esse testem errorum tuorum? Continua enim febris non ultra eum terminum extendi potest, seu lethalis sit, seu sanabilis, ac rectè curetur. Quod uerò de imbecillitate uiriũ obijcis: quis debilior his languentibus, qui iam propter febrem syncope laborant, seu ex humorum abundantia, seu offenso ore uentriculi, in quorum uno ne cibum quidem dat ullum, sed mulsa contentus est, in altero autem ptisanã solùm? non nunquam in alterutro panem uino infusum. Vbi carnes aut oua dantem inuenisti etiam in summo discrimine? quin etiam in ipso periculo, in ipsa syncope & lapsu uirium, per quamcunq; resolutionem facto, etiam si ex inedia uel hæmorrosagia contigerit, nunquam tamen carnes aut oua dat. ex principalibus enim & primis proprietatibus cibi, quas debet habere qui exhibetur febricitantibus (quæ sunt, ut facilè concoquantur, & difficulter corrumpantur) carni quidem utraq; deest: nam facilè corrumpitur, & difficillimè concoquitur: oua facillimè corrumpuntur, sed facilè concoquuntur: ut panis difficulter concoquitur, sed difficulter etiam corrumpitur. Ex alijs rursus proprietatibus non adeò necessarijs, scilicet ut sit frigidus, humidus, & pauci nutrimenti, nulla adhuc carni conuenit nisi colliquatæ. Quòd sit humida reliqua, ne arte quidem licet permutare. at oua etsi plurimum nutriunt, non tamen adeò calida sunt, sed temperamento proxima: ut panis, qui neq; adeò calidus est, & in aqua refrigeratus (lotum hunc uocant) temperatior est, & minus nutrit carne. Caro igitur peßima est febricitantibus: inde oua, panis lotus, uel in uino infusus, et uinum ipsum in syncopis periculo ob id admittuntur. Sed concedamus, ut omnia hæc etiam dari poßint quibusdam: postquam non dare tutißimum est. nec ullum inuenias autorem, qui quenquam periclitari horum abstinentia, aut sanari ex usu affirmet. Cur mauis in morbis continuis & ex humore pendentibus (nam de his nunc sermo est) periculosam, quàm omnino tutam medendi rationem amplecti? neq; enim apud aliquem autorem inuenies, quòd quisquam perierit ob id, quod uel carnibus, uel ouis, uel uino (etiam si per integrum annum) abstinuerit, modò ptisanæ aut panis loti, & cum iure parati quantum oportuit sumpserit. At eorum qui uel ob uinum, aut oua, aut carnes & olim perierint, & nunc etiam quotidie pereant, exempla non desunt.

Sed iam admittamus, carnes & oua conuenire: cur cum horum alterutro panem coctum aut ptisanam iungis? an non satis oneraſſe eorum altero ægrũ uideris? aut minus putas ex adiectioue poſſe nutriri? aut hanc miſtionem imparium ciborum ſine magno detrimento laborantis eſſe poſſe? Verùm deterius etiam his omnibus, quod iam excogitauit, inuenit, in uſumq; tam frequentem adduxit, ut fœminæ putent me inſanire, ſi contradico: uel oſcitanter medici officio defungi, ſi præteream. En illud medicamentum, ille nectarius potus, parum abeſt quin nomen inuentoris tam præclaræ potionis adiecerim. Et demiror ſanè quòd hanc occaſionem glorioſam prætermiſerit, ſcilicet ut nomine ſuo medicamentum antiquorum more non nuncupauerit. Sed ut uideo, hac in parte fuit præter ſolitum (nec cauſam noui) pudentiuſculus. Cõſtat hoc non exoticis, nec longius petitis medicamentis, quemadmodum talia pleraq; (ut Theriaca, aut Athanaſia) ſed mira arte ex facilè parabilib. quæq; ubiq; in promptu ſunt, compoſitum eſt: ſiquidem uitellis ouorum, uino & ſaccharo. O præclarum magiſtrum. Vinum, cum ſtatim nutriat, lutea ouorum ſecum rapit incocta: ita iecinoris meatus obſtruuntur, ſpiritus inflammatur, ſaccharum in bilem uertitur. Vt ſi hoc non apud medicos didiceris, ſaltem dum puer eſſes, à poetis intelligere potuiſti. Ita præclarum hoc medicamentum, parum à ueneno, & maximè in acutis morbis aut bilioſis corporibus abeſt: ſed quia plerunq; ſerius hoc malum ſe prodit, ideo illius noxam non intelligit, ſemper tamen aut ſtatim aut aliquanto pòſt nocet.

Verùm mittamus diura hæc, quæ in perniciem humani generis inuexit. nam ut nulla regula nulloq; ordine conſtant, ita propemodum ſunt infinita. Quin potius etiam audi, impudentius ex uictu tenuiq; ortam febrem, aut auctam inquit. Si te non mouet autoritas, experientia ſaltem doceat. Quid hoc eſt aliud, quàm ſi dicas: Ademptis lignis ignis auctus eſt, additis imminutus? O egregiam ſapientiam, & nouam medendi rationem.

Audiſtis errorem. inde ex eo, quaſi conſulto ad humani generis perniciem tenderet, alium non minorem inuexit. Cum enim inueniſſet Auicennæ ſententiam: Et cum uirtus debilis fuerit, ſparge cibum. eam ſic interpretatur: Hora puta decima iubet dari carnes contuſas, hora ſextadecima uitellos duos ouorum, hora uigeſima contuſum aut ferculum, hora ſecunda aut tertia noctis rurſus oua. O egregium uirum, medicum prouidum: modò alternet cibos, de cæteris nihil curat.

Dicetis, non fieri poſſe? Viſa refero, & ſæpius: imò & mos hic perniciosus iam in multos, & ferè omnes dimanauit. Non feret ſanus octo diebus hanc copiã ciborum, quin uehementer ægrotet, etiam ſi bene dormiat: nunc æger inſomnis,

somnis, febre uel doloribus uehementissimis oppressus, cum uirtute imbecilli hæc ferret? ita iugulati, imò strangulati pereunt omnes. Quòd ergo ille de diuisione suasit, hic de repetitione interpretatus est. Hic cum à me de tam manifestis homicidijs coargueretur, dixit, usum hoc obtinuisse. ita, ut dixi, putat hic nouus Thessalicus asinus, fieri posse ut uelut apud homines, ita apud naturam, uitia imperitorum in leges uertantur. Memini, cum quosdam Medicos è tua secta inuenissem, misero cuidam ægro carnes colliquatas exhibentes, seu contusas, inde post horas uix quinq; lutea duo ouorũ, rursus post totidem fermè ferculum cum contusis carnibus, ac rursus post horas sex ouorum lutea: parum abfuit quin exclamarem, Domine ignosce illis, quia nesciunt quid faciant. Verùm mecum reputans quòd fundos, redditus, torques, aurea & argentea uasa, gemmas, ac reliqua omnia quæ possident, gloriã quoq; ac amicitias, his tam sibi felicibus, alijs autem adeò funestis erroribus debent, consilio, non imperitia eos errare animaduerti. Velut & cum ingraueſcente morbo saluatellam (ita manus uocant uenam) incîdunt, & medicamenta exhibent. Quæ si expediunt, ab initio cur non facis? constat enim auxilia ualida omnia ab initio esse adhibenda, tutiusq; adhiberi: si non expediunt, cur facis? Sic &, cum nouandi studio auxilia quæ iuuant mutas, alia inexperta subrogas: quo quid malignius fieri posit non uideo.

Verùm diuino quid dicturus sis: id scilicet, quòd tamen plures uel sic seruantur: deinde, quòd plures et nobiles, imò principes, ad te confluãt. Sed audi uir egregie. quòd plures sanẽtur, id in causa est, quòd morbi maxima ex parte (Galeno teste) periculo uacant. Hos igitur qui sic laborant, omnes fermè ad extremum periculum deducis hac tua noua medendi ratione: & si moriantur aliqui, habes quod excuses, scilicet morbi magnitudinem, sed non spontaneã, uerùm quantum fecisti. imò & nouus etiam philosophus iam apud plebem fatum inuexisti. Adeóne es impudens, ut qui pereunt, fato perijsse audeas dicere: cum eos qui sanantur, tua opera seruatos glorieris? At non fato perire, sed medicorum tui similium culpa, ostenderunt tum inter cæteros, hi languentes, à me nuper sanati ex abscessibus, occultis tuis sectatoribus. Quamuis enim ad Orcũ fermè deducti essent, præter spem tamẽ adhibitis per me debitis auxilijs seruati sunt, cum sub illis perpetuò in deterius ruerent. Verùm in his qui leuissimis morbis detinentur, mirum te præbes artificem: iubes enim, prohibes, arguis, increpas, ut si seruentur à morbo quem tu magnum, non casus effecerat, triplici tibi sint emolumento: & quòd plures exprimas pecunias: & quòd plus tibi debere se existiment, ueluti seruati ab extremo exitio: & quòd fama illa diuagatur, te egregium esse Medicum.

Ita difficile est Deo ac ueritati atq; iustitiæ seruire, ac simul propriæ utilitati consulere: cui cum summa pernicie humani generis optimè prospexisti. Ita fit, ut ægri tui, tuorumq; sociorum, omnes ex magnis morbis euasisse uideantur. Cum tamen hac medendi noua methodo, ex magnis morbis omnes, ex mediocrib. pleriq;, ex minimis etiã aliquot pereant. Et cũ sic mederi, mederi non sit, sed latrocinari: hæc tamen tua est gloria. At contraria ratione, ex nostris nulli fermè ad magnum morbum perueniunt: qui tamen perueniunt, uix seruantur: nam non errore, sed natura morbi ac propria ui ad eam peruenerunt magnitudinem. Morbi enim qui sub eruditis medicis inualuerunt, uix spes ut est seruari possint. At de his qui sub imperitis, longè maiorem spem concipere possumus, ut Galenus ait.

Hactenus scio uos damnare tacitis uotis huius imperitiam, illiusq; errores execrari, adeò nostris ciuibus pernicioſos: sed tamen aliqua nos spes alit. Aliqui sunt, qui eum tueri uellent: multi etiam, qui non omnia eius facta improbent, quòd (ut dixi) non omnes eius ægri intereant. Sed audite maius his. Hoc uos terreat, hoc à uobis calculos omnes aduersus illum exprimat, hoc uocem damnationis extorqueat. Nemo fermè qui eius manus euaserit, duobus aut tribus annis supereſt. Memoria repetatis, quomodo licet è grauibus illis morbis euaserint, tamen breui quasi omnes perierint. Quid scalpitis caput? ita est: ciuium nostrorum qui sub isto ægrotauerint & euaserint, nomina recenseatis. Quid dubitatis? cum nemo sit prorsus qui hac obliqua medendi ratione mortem subterfugerit, nemo prorsus dico est qui uitam suam multis annis non decurtauerit. Etenim morbi longitudine & medicamentorum multitudine necesse est homines ualde citius senescere. Hoc ratio docet, experientia confirmat. Labant enim crura, corpora extenuantur, uentriculus non concoquit, uitalis calor absumitur, facies pallet, spiritus fit difficilis, pili canescunt: an non hæc omnia accelerantis senij indicia sunt? An non hoc dicit Auicenna: Medicina purgans, purgando efficit ut homo senescat? At hanc necessitatem medicamentorum parit copia cibi exhibiti, & consuetudo praua, cuius tu autor es.

Quòd uerò plures ac nobiles & principes cures, duas afferam rationes: et aliam, quæ tametsi medica non sit, multum tamen huic proposito congruit. Primùm quidem seruitute & assiduitate, deinde colluſione cum pharmacopolis, chirurgis, tonſoribus, obſtetricibus, paraſitis, cubicularijs, adulatoribus, cauponibus, omniq; hominum colluuie, hanc gloriam tibi inanem conciliasti. Id etiam plurimum tibi fauet, nobis obest, quòd uulgus diuersam à medicorum sententia & ueritate ipsa opinionẽ habet, scilicet q, melius sit multis auxilijs uti quàm

uti quàm paucis: quodq; maius periculũ sit necessaria amittere, quàm perperã non necessarijs uti. Quorum tu non ignarus, nihil prætermittis nisi quod conducere potest. Ob id igitur quis te imperitus artis non laudat? Quis te artis peritus non omnino ridet? Quanta flagitia, quot dolos, reputa tecum miser, perpetrasti, ut per tot calumnias, mendacia, sceleraq; eò peruenires? Adeò uerò tua hæc collusio cum pharmacopolis ac chirurgis mihi iure suspecta est, ut de morte (quod uidetis) securè pronunciem, quòd mors nullius dolis interuerti poßit: de uita securè nunquam. Tantum enim timere ne detegaris, tantum alienæ gloriæ inuidere te intelligo, ut nihil non ausurum putem, ne ex uoto mihi res succedant. Adde quòd persæpe res, quàm sit uotum tuum, in deterius cedit: & dum de me ludos facere cupies, morbi magnitudine iam per se in discrimen uitæ uocante ægrum, eum interficies. Quam etiam ob causam ne speretis me serò uocatum (quod quidam nimiò plus quàm decet de me polliciti expectant) ægros posse reuocare ad uitam: non solum quòd hic meritò moribus suis suspectum multorum societatem mihi reddiderit, sed multò magis ob id, quod (ut dixi) auxilia strenua nec tutò nec utiliter nisi in febrium principijs, ex autorum omniũ sententia, admoueri possunt. Cuius tamẽ contrarium pleriq; uestrûm existimãtes, miracula, non curas à me flagitatis. quæ si non perfecero, alij irrident: modestiores me in ordinem conantur redigere. quod perinde est, ac si quis architectum negligat, quòd fundamentis malè iactis, & ichnographia peius absoluta, neq; pulchrum, neq; firmum poßit constituere ædificium.

Existimant præterea in medicina principes strenuiq; uiri, ut in militari disciplina, plurimùm posse autoritatem. quod ut in militari fateor uerum esse, quoniam obedientia constat, quæ nec minis nec præmijs nec crudelitate tam bene quàm sola autoritate habetur: ita in medicina parum hæc autoritas, aut nihil omnino prodest, rem cum natura & legibus uniuersi nobis præhendentibus. Hoc itaq; errore illi omnia confundunt, existimantes se tantum ualere iudicio, quantum fortuna præstant: & ut ui pollent, ita de artibus atq; artificibus homines debere illorum sententiæ acquiescere.

Illud etiam homo solers, atq; ex generalibus causis proprias uenari solitus prouidè inuenisti, per quod tibi optimè consuleres: scilicet naturam ciuium nostrorum, & præcipuè diuitum ac mulierũ, quæ mollior est quàm ut exquisito uictu uti uelit. Vnde ex hoc inuento plus tibi emolumenti acceßit, quàm ex uniuersa Galeni artis Medicæ de temperamentis peritia. Vbi enim ciues nostri, & eo magis Principes, Medicum inuenerint suis cupiditatibus obsequentem, hunc laudant, extollunt, omnibus alijs præferunt: ille solus sapit,

ut dici solet, ac uiget: præcipuè si quosdam illorum qui perditissimè auaritiæ dediti sunt, gratis, aut exiguis munusculis contentus, curare non aspernetur: hic certè apud hos summis extollitur laudibus, in cæteros uarias calumnias effingunt. Sed ad priorẽ sermonẽ redeo. Memini cum aliquando cuipiã ex his uinũ, quod ex usu illi erat, concessissem, amplexatus ille manum, me miris laudibus extollebat. tũ ego ridens mecũ dicebã: Quid si uinum hoc te ad Orcũ ducturum esset? nihil minus me laudares, ut laudas nondum expertus rem. Hanc occasionem non prætermisit generosus uir Themison, plus lucri illi ferentem quàm Hippocratis præcepta. Ita nostri ciues Medicum sibi congruẽtem & ex opinione inuenerunt, & (ut dici solet) sua labra lactucas. Quid igitur mirum est si hunc colant, laudent, amplexentur, malintq; cũ eo mori (præsertim quod nec consuetudinis iam dictæ quorundam ignarus, paruo uendit operam, quæ illi paruo constat, minus que emptoribus ipsis utilem, quàm cum artis peritis uiuere? Diuina enim sententia est: Qui facit peccatum, seruus est peccati. Si tamen reuiuiscere mortuis liceret, non tam gloriareris: quererentur enim apud uulgum, se occisos. Nunc nescio an tu plures ac firmiores amicos occidendo, quàm ego seruando, concilies (etenim & hoc inter nostrorum nescio an dicam temporum an ciuium, egregias uirtutes est) nã neq; agnati & fratres hæredes nũc solum gaudent tuis erroribus, & mariti uxorum (hoc etenim etiam pertritum est) sed proh Deũm fidẽ, eò processit morũ improbitas, ut filij parentũ morte lætentur, dum hæreditatibus locupletibus inhiãt. Scio nuper quendam adscitũ pro familiari medico, à filijs, ob id solum quod parentẽ eorũ occidisset: quẽ ego totis uiribus seruatũ cupiebã. Nec nunc periculum medicis est, dum ægros iugulant, ut odio sint nullis nisi parentibus pro filijs, in quibus naturæ lex reluctatur ne interfectorem amare possit. At bene scis quot domus hac causa amiseris. Adeò ut si omnes diligerent suos necessarios, ut patres filios diligere solent, ne unus tibi ægrotus relictus esset. Verùm aduersus hæc incommoda uir strenuus alteram atq; secundam inuenit tuendi se rationem, scilicet potentiam, affines, amicos: adeò ut non iam eruditione, exercitatione, fœlicitateq; ac successibus artis pugnetur, sed ui, dolis, rapina. Diceretis esse bellicum certamen pulcherrimè instructum. Sunt uelites, iuuenes, sunt in insidijs auxiliares copiæ amici, est statarius miles ac ueteranus multis cædibus fortis, sunt duces autoritate potentes, sunt machinæ, opes & nummi bellorum nerui. Quid ad expugnandum Ducem tam instructæ aciei, ego solus inermis ualere possum? ne igitur admiremini, si Themison hic unumquenq; in suo genere peßimũ sibi adiungens, non solũ se tuetur, sed etiam nobis minitatur. Neq; tamen glorieris de hac sycophantia, tanquam

tuopte

tuopte ingenio tibi bene cædat. Labes est potius urbis nostræ, quæ nimis facilis est ad credendũ, ut pauci pluribus imponãt, laudẽtq; quæ nõ uiderint, uituperent quæ nõ sint experti. Vnde sapienter uir grauis Ambrosius, huius urbis Pontifex cauit, ne Hebræus quisquam plus triduo in ea cõmoraretur: satis intelligẽs talia esse ciuiũ ingenia, ut à quouis homine uafro facilè seduci & euerti possint. Itaq; ne speres, neq; glorieris, quod hic obtines, ullibi gentium aliàs posse impetrare. Tertia causa forsan, etsi absurdior uideri possit, nõ tamẽ minus est efficax. Nũc mũdus fœneratoribus, latronibus, iniustisq; uiris repletus est, si unquã aliàs. hi quomodo iustius plecti poterãt, q̃ si uita ante tẽpus priuẽtur? si pignorũ charissimorũ funera uideãt? si deniq; ipsi dimidiũ ætatis suæ inter fomẽta, clysteria, uenæ sectiões, & aquæ potũ, in formidine mortis consumãt? quodq; reliquũ est uitæ, etiã mãcipia medicorũ uitiãt, dũ ne digito quidẽ à iussis horũ imposterorũ discedere audẽt? Nã et hãc artẽ hic nouus Aesculapius docuit, ut illos loco perterrefaciat qui sibi fidũt, ut ægri pro prædio, sani pro seruis eius sint. Tũc enim illis etiã alijs in causis audacter & absq; uerecundia imperãt: at miseri parẽt, existimãtes eas minas cuiusdã raræ beneuolẽtiæ fructus esse. Ita illi alioqui in alijs rebus nimiũ uersuti. seu proprio scelere, seu uitæ immodica cupiditate, plusq̃ pueri hac in causa desipiũt. Nõ igitur hæc tuæ felicitatis causa tibi eueniũt, sed ultionis illorũ. nam & in te aut posteris tuis pari ultione Deus utetur: ut qui optimũ munus, sanctissimã artẽ, tui commodi tuæq; ambitionis et inexplebilis auaritiæ causa uitiaueris. Cur nã existimas ô inclyte uir, poetas de Aesculapio cõfixisse, quod cũ Hippolytũ & Androgeona ad uitã reuocasset, Iupiter fulmine illũ extinxerit? nisi ut intelligamus, hominũ potentiũ genus Ioui esse odiosum: nec uelle quenq̃ plus iusto prodesse sceleratis? Satis illis esse debere, si per scelus nefandis, nõ autem diuinis (quales sunt quæ arte medica parãtur) uoluptatibus frui liceat. Vnde et illud est de quo Plinius cõqueritur, sed causam non intelligebat: Romanorũ enim scelera tãta erãt, ut nõ aliter possent puniri, nec melius. Nõ hæc propter culpã euenire, mihi obijcere potes: scilicet ut negligẽtiæ, cuius me accusas, & studiorũ super uacaneorũ, ac acerbitatis naturæ, difficiliũq; morũ, ac factiosæ opinionis pœnas luã: uel quod aduersentur astra, cum plus semper negocij habeam q̃ uelim.

Verùm uices patriæ doleo, quodq; fermè illud Heliæ dicere possim. Sed ad rem redeo. Quónã pacto artẽ hãc exercere audes, eũ nullius morbi cognitionẽ teneas, in incerto, uagaris in tenebris erras? Si quis te interroget, quæ febris est hæc? si pauper sit, nomen quodcunq; quod in mentẽ uenerit prodis, seu sit, seu non sit: quoniam à nemine coargui times. Si diues & potens, plurima uerba in incertum effutis: demum nomine generali uteris, uelut quòd

sit

ATENEO VENETO VENEZIA

sit ex genere biliosarum, aut quòd sit febris continua, quæ omnia uel mulieres & imperiti artis dicere solent. ita eludis audientes, & medicos etiam. Vbi enim speciē morbi narrauerint, dicis: Et ego inquam dixerā febrē esse biliosam. Quasi idē sit, esse biliosam & hemitriteū primæ uel secundæ uel quartæ aut sextæ speciei, aut tertianam notham, uel extēsam, aut simplicē, aut ardentem, aut pestilentem. Omnes enim hæ febres tuo more sub hoc genere continentur.

Quid si sit lipyria, aut epiala, aut hemitriteus alius ex residuis duobus, aut alia febris? num omnes sub uno genere febris tuæ biliosæ comprehendentur? O insanum caput, & intolerabile malum.

Sed omitto iam imperitiam, qua solum tuis clientibus obesse potes. deteriora sunt: maledicentia illa, qua omnem bonum proscidisti: ambitio, qua docere tuam artem uanam & inanem aggressus es, ut omnes coinquinares hoc tuo uirulento dogmate: conspirationes illæ, quibus per uim & nefās obtines, quod neq; peritia artis, nec ratione consequi potes: doli, quibus plebem, mulieres, imperitosq; omnes seducis, medicos uerò longè te meliores superare uideris, et irridere. Vnde tibi, dic, & cur necessaria illa iracundia, ille uultus toruus? uerba furibunda, minæq;? an medicamenta et morbi his obsequētur? Et rhabarbarum abs te perterritum, nigram bilem pro flaua, cnicum uerò pro pituita bilem detrahet? Quid hoc ipso clarius ostendit tyrānidem tuam, dum quæ neque ratione neq; autoritate uel legibus ullis obtinere aut persuadere posse speras, ui extorques? Si doctrina, si ratio ulla tibi suppeteret, si honestum esset quod peteres, quod uelles, quid opus esset his minis? præcipuè apud nos, qui mitissimi sumus, & minimè contentiosi. Sed cum adeò illa quæ præcipis, quæ uis, quæ dicis, absurda sint, ut risu digna omnino apud artis peritos censeantur, ad uim te conuertis. Quid rogo dolis opus est in arte? an naturam decipere te posse confidis? Si ergo ad naturam hi prorsus sint inutiles, qua causa uteris erga homines, nisi ut illi decepti aberrent, illisq; imponas? Itaq; pro eruditione, ratione & experientia (quæ tria in arte maximè sunt necessaria) certamen de ambitione, dolis ac uiolentia inter nos inuexisti, cum totius ciuitatis pernicie: deinde irrides Medicos Hispanos, Gallos, Germanos, tanquam imperitos. Ego certè imperitos tuarum artium, quemadmodum & ego sum, magna ex parte illos fateor: nec quenquam tibi posse comparari: brauium obtinuisti: cedo, dignus es eo, omnes superasti: sed tamen si de doctrina, artis experientia, intelligentiaq; uerba habeantur, nemo eorum quos tu barbaros uocas, non te melior est. Quinimo apud hos, ut Fuchsium, Cornarium, & Vesalium, ac Farnelium, Syluiumq; præteream, totq; alios qui medicinam illustrarunt, Copum, Linacrum, Andernacū: innumeros uidi præstantissimos uiros

ros tum eruditione, tum artis exercitatione. Et si uera fateri uelim, longè plures apud unamquamq; nationem, sed præcipuè Gallicam, quòd ibi floreant studia, & ea gens mihi magis cognita sit quàm apud Italos. Ita enim hoc uirus malarum artium in Italia sæuit, ut desertis studijs, ad has sycophantias fermè omnes conuolent: plusque obsit praua consuetudo, quàm natura prodesse possit. Hæc cum ita sint, meq; in his scias haud mentiri, omniaq; quæ proposui esse tanquam axiomata cõmunesq; sententias ab omnibus medicinæ autoribus receptas: eò artem te deduxisse uides, ut hominibus præstet, sola uictus ratione ex pane loto, cocto, aquaq; è semine arantij sibi indicta, frictionibusq; ac clysteribus (si è re sint) uti, quàm tot periculis errorum, quos tu passim disseminasti, se subijcere. nam & dimidio pauciores peribũt: & qui sanabuntur, longè citius sanabuntur. Cum enim rectè medicinam tractanti è febribus uix unus aut alter pereat (quod mihi usu euenit, cum sõlus tempestiuè aduocor: ut ex fide magistratus publicæ sanitatis apertè deprehendi potest) quì fit, ut è tuis tuorumq; participum pars fermè tertia decedat, nisi illos uestris nouis institutis perimatis? aut fingatis (quod solum reliquum est) morituros ad uos, sanandos ad me, bona quadam fortuna conuolare?

Verùm tu, ô egregie, simile quippiam effeciſti his qui orbem terrarum pessimè describunt. paruo enim circulo delineato, figuram quamcunq;, modò in partes tres diuisa sit, ut Asiam Africam & Europam referat, inscribunt: uoluntq; haberi Cosmographi, cum neq; magnitudinem neque figuram, neque prouinciarum distinctionem ullam habeat hæc descriptio. Quod si hos pro Cosmographis non recipitis, quòd illorum pictura nulli sit usui, non ad intelligentiam situs orbis, non formæ illius, non ad cognitionem maris, montium, fluminum, ciuitatum, non nauigare nos doceat, non iter agere, non prouinciam aggredi ex ea liceat, sed sit exemplum paruum & inconditum, nullius q; usus: cur eum qui Medicinam eodem modo corrupit, pro Medico habebitis?

Itaque uidetis Principes, Patresq; conscripti, quorsum prorepat hoc tam malum exemplum, & quibus supplicijs dignus sit qui hæc in perniciem hominum docuit. Sed non possum Principibus, imò ne uobis quidem spero ista posse persuadere: scilicet quod homo simplex in arte medica longè melior sit homine uersuto, quod uideatis uos in his quæ tractatis regnis, atq; militia ac iustitia administranda, uersutum uirum & malum, & qui multa etiam furetur et interuertat, minus inutilem esse plerunq; Reipub. quàm simplicem, tametsi optimus uir sit atq; iustissimus. Idq; ita se habet.

Sed decipimini, ignoscite mihi ô uiri præstãtissimi, quoniã uobis negociũ perpetuò cum hominibus est, quibus cũ opus homine alio callido atq; prudẽti:

quanquã neq; in hoc utilis esse possit, si non sit probitas cũ prudentia et calliditate coniuncta. Verùm cum nostrum negociũ cum natura & diuinis legibus sit, cum quibus nullis dolis, nulla opus est uersutia & calliditate, uir quo simplicior, eo melior atq; in artis operibus felicior est. Possem ista multis sacræ Scripturæ Philosophorũq; ac Medicorũ testimonijs cõfirmare: sed quorsum Soli lucẽ addere? res adeò per se manifesta est, ut etiam tu ipse improbitatis autor, & cæterorum tui similium facilè Princeps, hæc non negare ausurus sis: sed si quis te interroget, negabis prorsus te callidum esse, aut uersutũ, imò hæc à me confingi liuoris & odij causa dices: re tamen te uersutum ostendis: & talem etiam haberi ab omnibus cupis: sed cum de negocio agitur, alia sentis, alia dicis, quod in omnibus actionibus tuis semper facis. Dices forsan, Versutus sum & callidus, nec tibi hac in parte inuideo, decet hominem talem esse: sed quid prohibet, hoc ne etiam eruditus sim ac peritus quantum es tu, uel etiam longè plus? Sed ô uir egregie, quid prodest hæc tua peritia & eruditio, etiamsi illam haberes, cum non utaris? At mentiris: nam ne minimum tibi eius relictum est. Scriptum est enim: In malitiosum animum nõ intrat sapientia, nec habitat in corpore peccatis obnoxio.

Verùm forsan hæc omnia tolerari, ac etiam ferri possent, cum nec latro unus urbem unam solus euertere queat: hocq; factum in tui commodum, quantumcunque malum excusare uelis: sed quod alios idem facere docueris, hoc non ne omnino est patriam prodere? nónne crimen læsæ maiestatis est, sic/carios congregare in perniciem publicam?

Tũ, Rex tuq; Senatus, si quis uel uiginti uiros armet aduersum uos, si quis ueneno ut proderet totidem ex intimis uestris familiaribus tentaret, quibus illum cruciatibus afficeretis? modò deteriora facientem atque molientem, non solùm permittitis impunitum, sed etiam amplexamini: ut quod uiribus suis ac per se ne tentare quidem auderet, uestra amicitia uestraq; familiaritate fretus efficere possit? Dicitis, Nescimus, nec credimus. Non est hæc digna excusatio. Si quæratis, facilè est sontes deprehendere uel ex ipsorum confessione. Scio tamen quàm difficile sit, tam inueteratum errorem ex animis uestris excutere quamq; arduum uos hortari, ut Medicos amicos, longa consuetudine uobis charos, è domo propellere uelitis: nedum ut in illos animaduertere sustineatis. Quanquam non minor sit hæc proditio, & longè maius malum, maiorq; pernicies primæ, maiusq; uobis periculum immineat, quàm à mi litibus ac seditione. nam multo plures horum scelere perierunt, Reges ac Senatores, quorum omnium tu doctor es ac Princeps, quàm uel ueneno uel ferro: nec quisquã medicis magis intimus aut familiaris esse potest, quorũ operã

effu-

effugere non licet. Quis nunc omittenda non facit? facienda non omittit? fri-ctiones adeò necessarias, adeò utiles non solùm morbo depellendo, sed etiam confirmandis uiribus, quotusquisq; facit? at fomenta, inunctiones, milléque alias nugas facere iubes ac doces, eo consilio, ut si faciant alij, & ipsi peccent, & tu princeps medicorum uidearis.

Sed quomodo diuinabimus nos, quod prorsus extra artis præcepta est? Si omittant tanquam necessaria permittentes & quæ tu iam in usum reuocaueris, pro imperitis habeantur. Simili modo et illud, puerperis statim uinũ, oua, carnes dare, tuum inuentum est: quo errore quarta pars earum perit: non minor in perpetuos & insanabiles morbos, licet mitiores, decidit: quæ si recta uictus ratione uterentur, uix ex centum duæ perirent, cum sit partus res naturalis, & ex quo uix aliud animal intereat. Quis etiam docuit perperam ubiq; chirurgum aduocare, nõ utilitatis ægri causa, sed ut lucri participes tuos errores celet, teq; tuaq; crimina defendat, aduocetq; uicißim ad alios ægros?

Verùm dices, Quid hoc obest ægro? Multum sanè: nam & chirurgi, ut aliquid facere uideantur, de membri salute disputant. Dumq; illi, ut in crisibus persæpè euenire solet, parti prospiciunt, totum hominem perdunt: atque ita duos nobiles uiros, atque inter ciuitatis primarios, hoc errore periisse uidi. Non'ne & illud in usum reuocasti, ut interrogantibus de faciendis circa ægros, statim medici respondeant? ita ut cum me hæsitare uideant, uel obliuiosum, uel alia cogitantem, uel stupidum esse existiment? cum tamen hoc errore, hac prompta respondendi consuetudine, in tota arte nihil poßit esse perniciosius. Impoßibile enim est, in tam ardua re, & inter tot difficultates, promptè beneq; consulere.

At error hic hominis uita persæpè pensatur. Quinetiam quasi contrarijs dogmatibus homo callidè in usum mulieribus blandiens deduxisti, ut patienter earum nugas & aliquot infirmorum mollium deliramenta audiremus: unde homini occupato necessarium esset, uel cum inimicitia eos reprehendere, uel ad rem non pertinentia audiendo necessaria omittere, quemadmodum & tu facis. nam neque quid dederis, nec quando cœperit morbus, nec quid inunxeris, memoria tenes. Sed etiam accessionis immemor, cibum in illius initio exhiberi mandas: & ei qui interuallo est metuens, frustra accessionis initium inediam imperas. & uenæ sectionem post sectionem, medicamenta post medicamenta, ut omnia fortuitò & facias & eueniant. Illud quoque reprehensione non leui in te dignum est, quod moram apud ægros non iuxta morborum magnitudinem ducis, & languentis necessitatem, sed iuxta potentiam hominum, pecuniæq; largitionem:

quasi, qui tenuiore re ac fortuna sunt, non sint homines. Ita omnia proprio commodo metiris, nulla æqui iustiq; ratione habita: nec plus fides apud te ualet, quàm apud Pœnos, cum fallere summa laus sit, & de fraudibus gloriemur. Quid uerò dicam de interrogatiunculis illis tuis, in quibus tempus illud quo apud ægrum manes, terere solitus es? quàm inanes, ineptæ, ridiculæ, & solũ auribus mulierum atq; artis inexpertium accommodatæ? Quid ediſtis? quid bibiſtis? uitellum'ne unum oui, an duos sumpſiſtis? aſſatos, an elixos? arantij'ne succum addidiſtis? ante uel poſt ferculum? Inde illud præclarum: Quàm suauis uobis cibus? quàm iucundus potus uiſus eſt? incaluiſtis'ne? O perditam hominum amentiam, & miseram ægrorum conditionem?

Dicis: Quid ergo interrogare debeo? An tantus natu adhuc ignoras? Verùm ex puerilibus his interrogationibus, ſi non omnino uecordes eſſent ciues noſtri, non'ne tuam ſapientiam introſpicerent? è quibus inter cætera omnia illud pulcherrimum eſt, quod antequam unius reſponſum audias, ad aliam tranſis interrogationem: quaſi memoriæ præceptiones has puerorũ & picarum more mandaueris, et interrogaſſe abſq; reſponſione ſufficiat. Cum tamen contrario modo res ſe habeat, ſcilicet ut reſponſione ſolum, non interrogatione opus habeamus, qua quidem ad proliciendam reſponſionem ſolum utimur. Verùm cum hæc ita ſe habeant: quæritis forſan, quomodo in inuidiam omnium medicorum, imò fermè totius ciuitatis, hic me traxerit? Audite admirabilem ſolertiam, induſtriamq; non uulgarem, & quomodo ſcelere ſuo omnibus me reddiderit odioſum. Corrupta enim medendi conſuetudine, cum fermè ubiq; aliquid contra præcepta artis admitteretur, conatus ſum eos ad ueram methodum reuocare. id illis ſiniſtrè interpretantibus, facilè perſuaſit me alios contemnere, omnia ſolum agere, meq; etiam unum credere ſapientem. Quis non meritò, ſi ita ſit, talem non odio habeat? Itaq; cum eas ipſe conſuetudines induxiſſet, quæ à nullo artis perito poſſent niſi omnibus diuinis humanisq; legibus contemptis admitti: quòd cum ſuis participibus non ſentiremus, in inuidiam nos uocat. O ingenium nerbis Chriſti dignum. Filij, inquit: huius mundi prudentiores ſunt filijs lucis. Dicis: Cur alij non queruntur? Quod me grauius premat hoc malum, quàm forſan reliquos. neq; enim niſi ſciens peccare poſſum, ac teipſum imitari: pleriſq; alijs non tam certè ſcire ſe derelinquere, leuiorem efficit culpam. Quòd etſi recta medendi uia innumeros ſeruem, qui ſub te eſſent perituri: illud tamen incommodi ſequitur, ut qui pereunt, quamuis fatali neceſſitate, & non ſine prædictione mea, tamen inſcitia periiſſe uulgus arbitretur, quòd conſuetam tuam normam, quàm illi nunc pro lege habent, non ſeruauerim. Ita fit, ut unius mors ne-

ceſſaria

ceßaria, tot aliorum ſaluti impedimento ſit. Quin etiam audite aliud technæ genus. Si ad deploratum aliquem **uocor**, omnia ſinit me facere, dum ſperat moriturum: ne conſanguinei eum inuidiſſe ſaluti infirmi querantur. Si fortè contingat reuiuiſcere, unus omnia agit, qui nihil antea agebat: totq; & tanta percipit, ut nihil mihi reſtet: plura etiam perperam, quibus æger denuò perſæpe relabitur: ita infamiæ expers, gloriæ ne ſocium quidem habere dignatur. Eaq; arte & tanquam me omnia agentem calumniatur, & ſui erroris culpam in me reijcit. Quinetiam cum duo ſimus rara quadam ſorte Medici eiuſdem nominis atq; prænominis, neq; hanc tam pulchram hic impoſtor prætermittit occaſionẽ: quicquid illi ſiniſtri contingit, ſuppreſſa differentia narrat, ut plures credant (& maximè quòd his qui me norunt talia refert) mihi contigiſſe. Ita fit, ut etiam alterius caſibus ſim obnoxius, propriæ felicitatis uix particeps. Auget præterea hæc, ornat, queritur de communi medicorum conditione: dolet quòd paucorum error ad multorum ignominiam transferatur. Ita nihil prætermittit, quod ad fallendum conducat, falſoq; calumniandum: idq; etiam ſequaces ſuos facere docuit. Hi quoq; adeò euiluerunt, ut ſæpe famam ſparſerint me abeſſe ab urbe, cum eſſem præſens: ægrotareq;, cum maximè ualerem, ut infirmos hac fallacia ſuffurarentur. Cuius rei tot ſunt teſtes, ut pudeat numerum referre. Sic in dies graſſatur hoc malũ ueſtra culpa, noſtraq; iactura, ô ciues. Nam quod ad me attinet, ſemper hoc exemplum uiguit aduerſum artis medicæ principes, (non quòd me talem exiſtimem alia cauſa: ſed cum uideo contra me imperitos omnes conſpiraße, adducor ut credam certè, etſi talis non ſim, illos me talem exiſtimare) ut nulli eorum defuerit ſuus Zoilus: Hippocrati, Gnidij medici: Galeno, Theſſalus quidã & Eraſiſtratij: ita ut ſemper optimus quiſq; in arte male audierit. Verũ quod ad te attinet, mõſtrũ horrendũ, age quantũuis dolis miniſq;: ſunt mihi ſpicula Hiſpanicis gladijs acutiora, et Gallicis machinis uehemẽtiora: oratio ſcilicet, uibrãteſq; ſentẽtiæ, quib. te pfodiã, nec ulla uis, nõ diuitiæ, nec fauor principũ, nõ uiolẽtia illa tua te mihi eripiet, quin ut urſa nup catulos enixa te totũ confodiã atq; dilacerẽ. Quòd ſi cõſiliũ nõ mutabis, pſeuerabiſq; in hac tua tam impudenti pertinacia, prodam & nomen: & tam acri ſtudio te, tuamq; uitam ac facta inſectabor, ut imbuta Archilochi tela putes rabie. Nam niſi obſtaret uecordia tua, cõtemptusq; honoris, confiderem te ad laqueum ſponteneum poſſe adigi, cum tua facta Lycambeis multo ſint deteriora & turpiora: neq; mihi, ſuppeditantibus Muſis, aduerſus tam atrocem latronem dicendi facultatem, quanta fuit eius genero, uereor defuturam.

DIXI.

HIERONYMI CARDANI
MEDIOLANENSIS MEDICI,
De secretis liber primus.

CAPVT PRIMVM.
Quid sit secretum.

MAxima pars eorum quæ scimus, minima est eorum quæ ignoramus: ut inquit philosophus. Quapropter, si tã multis quæ sciũtur libris scripta sunt, quot et quantis indigent quæ nesciũtur? Ob id, si secretorum nomine quæcunq; ignota sunt intelligerentur, haud dubiè infinitus numerus librorum ad tractanda ea quæ latent necessarius esset. Verùm cum secretorum nomine quæ sciri non possunt, haud intelligantur hic, nec etiam quæ confestim methodo & ratione scire licet, amputata magna parte ab his quæ nesciuntur, eorum quæ ad secretorum tractationẽ haud pertinent: nihilominus adhuc amplißima seges huius materiæ relinquitur. Vt multo plures libri sunt necessarij in unaquaq; arte ac disciplina, his quos conscriptos uidemus, ab uniuersis hominibus qui posterorum utilitati consulere uoluerunt. Quapropter nec defuturum nobis amplißimum argumentum scribendi uereri possum: sed tot tantaq; se offerũt, ut Mathusalem anni (uelut dicunt) haud essent sufficturi.

Quid ergo hac in ætate opus hoc aggredior, quod nec multi continuata serie absoluere poßint? Irritum hoc, & uanum. An potius methodum quandam generalem posteris relinquam, quæ desunt maxima ex parte inueniendi ac cõscribendi? Est autem ubi plurimum de potentia, de actu minimum: & ubi actus plurimus est, hi ad potentiam minus apti censentur. Quo fit, ut nos qui methodum alijs tradimus, parum inuentis utamur: qui uerò haud inuenire poterunt, inuentis ã nobis atq; alijs magis feliciter utantur. Est enim ut in inuentis, ita in secretorum inuentione duplex utilitas, et sciendi et usus. hanc magis optant imperiti, & uiles & pauperes: illa egregio uiro magis digna, ut quæ ad altiora & plura se extendat.

Præstiterit autem scire, primùm quid sit secretum, ne omnia eo nomine quæ tradita sunt comprehendantur. Ea ergo secreta dicimus, quæ non euidentem ob rationem inuenta sunt: atque ob id etiam paucißimis natura nota sunt. Velut machinarum ignearum constructio, tametsi pluribus nota sit: tamen cum abditam quandam rationem in se contineat, secreti nomine continetur. Habet autem hoc, quòd etsi nota sit pluribus, longè plura

plura tamen continet abdita in se, quæ nulli mortalium nota fuut. Idem dico de lapide Herculeo. Quòd enim ferrum trahat, illudq; ad Septentriones dirigat, omnibus fermè ex æquo notum est: at quia causa ignota est tot adhuc tantaq; in hoc arcano latent, ut quod notum est, præter usum eorum comparatione contemni possit.

Quapropter & Fracastoreus & Fortunius Affaitatus, & nos antea de his scripsimus, cum nondum Dialecticæ regulas abditas inuenissem, atq; in ordinem redegissem. Lusimus & operam ob id omnes, infinita inter pauca nota ignota relinquentes. Ea de causa hunc librum conscripsimus, ut patêret ratio inuestigandi quæcunq; abdita sunt. Eritq; forsan illud pro exemplo, ob uberem copiosamq; materiam ac miracula quamplurima quæ in ea continentur.

Alia utilitas erit, ut tres libros à me conscriptos in ordinem redigam. Neq; enim quicquam perperam ac (ut ita dicam) solitariè à me conscriptũ est, sed omnia necessitate quadam. Dicitur autem Secretum Græcè ἀπόρρητον uel ἀπόκρυφον: latinè seu occultum dicas, seu secretum, aut arcanum, uel abditum, aut ineffabile. Sed hoc aliquid maius est, nihil moror. nam non nomen, ut dixi de Subtilitate, quæritur, sed res ipsa quæritur. nec res una tam aptè expressa est à Latinis aut Græcis, ut proposito nostro ad unguem satisfaciat. Quapropter & ampliare & contrahere significata licet: modò admoniti sint lectores, ne propter uerbulum unum multa utilia & simul connexa pereant. Dicemus ergo secreta esse & cognita, quorum ratio non adeò perspicua est ut pluribus nota esse debeant: tametsi usus docuerit plurimos, & occulta, necdum inuenta, quorum extant seminaria quædam inueniendi: aut quoniam necesse sit casu detegi, ob rei in qua sita est illa uis copiam, & frequentem usum. Quæ uerò nunquam detegentur, & quæ manifestis innituntur rationibus, licet nondum inuenta, Secreta dici non merentur.

Caput II. De secretorum primis generibus.

Sunt ergo secretorum tria prima genera: Incognitum, quod tandem in lucem ueniet: Cognitum paucis, quod maximè in precio est: & multis, quod euidentem causam non habent, atq; ob id necesse est ut longè plura ea in re lateant quàm quæ cõperta sunt. Id necessarium aũt est in omnibus. Cum enim proprium aliquid inest, et abditas habet causas, necesse est est causas illas latêre, & ab occultis illis causis alios produci effectus, qui naturaliter occulti & ipsi erunt: quanquam & ipsi, ut primus casus, forsan detegentur.

Alia diuisio rursus elegans. Secretorũ quædã in cõtemplatione sola consistunt, ac

sistunt, ac sola scientia delectant, ut quæ de Deo & substantia cœlorũ abdita, aliquibus tamen comperta sunt. Quædam in contemplatione posita sunt, sed quæ ad opus deduci utile possunt: ut magnetis, lapidum & plantarum uires. Quædam uerò in ipso opere tantum constituta sunt: ut scientia separationis metallorum, distillationum, conficiendi colores, atq; huiusmodi.

Sunt & secreta magna, mediocria, & leuia. magna de nobilibus rebus, aut magnæ utilitatis, aut lucrosa: eadem ratione mediocria de mediocribus, aut cũ mediocri utilitate, aut lucro: & parua, eadem ratione. Secretum ergo ad curandum pestem, magnum erit: ad curandam quartanam, mediocre: ad delendas scabrities, leue erit. Sunt etiam secreta quædam perfecta, quæ semper effectum consequuntur: alia ut in pluribus, alia quæ rarò: ut quæ lapidem uesicæ comminuunt, propter multa impedimenta rarò quod pollicentur præstant. Sunt etiam quædam magni laboris atq; sumptus, alia mediocris, alia uerò propè nullius. ac prima quidem tametsi utilia, rarius in usum ueniunt cæteris, nisi omnino utilitas maxima sit: ut bellicarum machinarum, & imprimendi libros. Alia etiã sunt de rebus quæ passim inueniuntur, alia de rebus raris: quamobrem difficilè inueniuntur, & inuenta facilè abeunt in consuetudinem: cum propior facilius inueniantur, & inuenta diutius seruentur.

Sunt & secreta circa actiones, alia circa ea quæ fiunt, alia ad præstigias: imò ipsa præstigiatrix ars tota secreta esse uidetur, & admirabilis. Circa ea quæ fiunt, ut cementum, & strues æterna: circa actiones, ut pennis digitis inunctis pulsare: atq; ea quæ ad robur & agilitatem pertinent. Sunt rursus secreta quædam quæ causam nullam habent manifestam: alia, quorum principia sunt non per se manifesta: alia, à principijs adeò remota, ut sine maxima negociatione sciri non possint.

Caput tertium, de secretorum natura.

Vtrum uerò, quod secretum est, uerti possit in uulgatam rem, causa inuenta: & an causæ, cognitione oblita atq; amissa, uulgata in secreti naturam transire possint, considerandum. Assumo autem ultimam diuisionem secretorum, atq; illud: quod iam supposuimus secreta scilicet quædam nota esse, alia prorsus adhuc incognita: nec hanc differentiam secretorum naturam uariare. Quia ergo secreta, quorum causa ignota est, si sciri desinant, non facilè restitui possunt: & maximè cum de rebus inuentu difficilioribus fuerint: palàm est, illa nomine secreta esse, cum sciri desierint: cum sciuntur autem, uerè ita dici debere. Quorum uerò causæ ac principia non facilè primis cogitationibus occurrunt, ut quæ ab Archimede & ab Apollonio Pergeo tradita sunt (in-

sunt (innituntur enim principijs non per se notis) ea naturam suam retinent, nec inuenta nec oblita naturam mutant. Sed quæ procul absunt à principijs per se notis, ut quæ ab Euclide ultimis in libris demõstrãtur, & à nobis in primis quinq;, cum uerè secreta non sint, desinere non possunt, tametsi ab homine nullo cognoscantur. Sunt enim in causis suis & hominum labore reposita. Dicuntur autem secreta ob inuentionis difficultatem, & quoniam inuenta quandam retinent pulchritudinem, uel euidentem utilitatem. Et quamuis hæc proprie secreta non sint, sic tamen appellantur: quoniam de his etiã hic tractatio à nobis est instituta. Circa usum uerò, cum quæ à paucis cognoscuntur, diuulgantur (uelut machinarum bellicarum ignearum usus, & typographica) non tamen desinunt esse secreta: sed secreti usum, quod ad compendium lucri attinet, amittunt. Sed etiam neq; illud prorsus, cum (ut dictum est) non planè nota causa, aut omnino ignota, necesse sit multa latêre: quæ si in usum uenirent, lucrum non leue afferrent inuentoribus. Quod etiam indies accidit & in his dictis, & in ὑαλογραφίᾳ & μεταλλικοῖς, atq; alijs pluribus. In uniuersum ergo non uidetur mutatio naturæ hæc, nisi cum quæ nota erant, difficili quadam inuentione aut ratione ad facilem transeunt. tunc enim secreta esse desinunt. Et in artificiosis uel chrysocollæ faciendæ è terra ars secretum est, si ad quantitatem referatur: si simpliciter, cum cuiq; leui negocio pateat, secretum non est.

Caput quartum, de modis secretorum.

Secreta quidem alia, ut dixi, in cognitione consistunt: alia in cognitione quæ usui utilis est, atq; hæc indiuisa: Alia autem circa ea quæ fieri possunt, uel in operibus, uel actionibus aut repræsentationibus. horum trium, & maximè quæ circa opera uersantur, quæ etiam magis lucrosa sunt: quædam ex genere ipso Secreta appellantur: ut quæ circa Alchymicam, & Magiam, & colores. Scripsit autem de duobus primis Auicenna. an uerò extet chymica, incertum est. Necromantiam uidit Suessanus. an etiam alia sit à Magia, in propria tractatione, sed non à nobis definietur. In omnib. autem his, tum etiam rebus quæ secretæ non sunt, contingunt secretæ artes atq; inuentiones quadruplici modo: multitudine, perfectione seu decore, facilitate, breuitate temporis. Facilitas triplex: in paucorum assumptione, in paruo sumptu, & in operatione ipsa. Huius uerò rei causa unum subijciatur exemplum.

Caput quintum, de exemplo Herculei lapidis.

Assumamus notissimum & multiplex exemplum, in lapide Herculeo, quo

nil uulgatius, adeò ut etiam uili precio distrahi soleat: quanquam optimus etiam non adeò sit frequens. Optimus est, qui trahit ferri partem sextam, ponderis habita ratione. Hic ergo primùm trahit ferrum. Illito autem ferro, id ipsum ferrum trahit, atq; hæc duo tantũ nota fuere antiquis. Nisi uelis id pro tertio constituere, quod appensum ferrum rursus aliud trahit, atq; illud aliud: nam & hoc nouere quidam, tametsi non omnes ex antiquis. Quartum id proponatur, quod iam primùm antiquis ignotum fuit (appello antiquos nõ solùm Aristotelem & Galenum, sed etiam usq; ad Auicennæ, seu Hasen uerius & Auerrois tempora) quòd ferrum, si ferrum trahere debet, oportet ut ad eandem partem lapidis trahatur, dum affricatur. aliter, si in contrarium, irrita fit prior uis, ut nec trahat, nec dirigat. Dirigit enim hic lapis ferrum ad Boream, inflectens apicem quinq;, uel (ut Fracastoreus, qui diligenter rem hanc considerauit) partibus nouem, ad dextram, scilicet ad Orientem. Hoc palàm est haud nouisse antiquos, quòd classes non ita infaustè reges ob imperitiam huius amisissent. Hoc inter æstuantia maria, inter uentos & turbines sæuientibus tempestatibus concussa naui, seruatur illibatum. mirum certè liberalis naturæ donum. Quin etiam, quod sexto loco additur, delata ultra æquinoctij circulum, nihilo secius ad eundem boream, non ad Antarctum polum uertitur. Frustula quoq; magnetis trahuntur à magno ferri frusto: & eo magis, si inuicè fuerint affricata. Octauũ est, quòd is lapis altera parte ferrum ad boreã impellit, altera ad Austrum. non ergo semper ad boream, ut uulgus putat. Sunt autem partes illæ lapidis oppositæ, sed non ad unguem semper. Nonum, lapis qua parte ad boream dirigit ferrum, ab eadem parte contactum uehementius celerrimè trahit ad se: ferrum autem contractum à parte quæ ad Austrum dirigit, à se manifestè repellit, & cum impetu: ferrum autem intactum mediocriter trahit ad se. Sic pars quæ ad Austrum dirigit, trahit ferrum uehementer: quòd eam partem tetigit, repellit: quòd tetigit oppositam mediocriter, purum ad se trahit. Decimum, lapidi ad boreæ partem dirigenti, si ferrum utraq; cuspide contactum à lapide ad Austrum dirigente approximetur, pellit illud. Et ob id quibusdam usus est lapis hic abigere ferrum: sed opposita pars ferrum tactum similiter à contraria parte abigit, à simili seu eadem trahit. Vndecimum, magnes, magnetis frustula contacta ferro, aut si ipse ferro contactus sit, & ferrum trahit, & abigit, iuxta principia iam proposita. Ex hoc sequitur duodecimum, quòd magnes ab una parte trahit ferrum, & repellit magnetem: ab alia trahit magnetem, & repellit ferrum, & quandoq; trahit utrunq;. Tertiumdecimum est, quòd aliquis lapis ex his trahit argentum, & ferrum quod ui huius trahit

argentum

argentum est perfectissimum. Quartumdecimum est, quòd argentum aliquando argentum trahit, licet sit hoc rarum, tamen eandem habet causam. Quintumdecimum est, quòd magnes aliquis repellit ferrum, dum trahit partem oppositam, licet remotiorem, quia illam iam tetigit, & ab ea imbutum est ferrum. Sextumdecimum non est adeò firmum apud me, licet Fracastoreus referat: scilicet quod ultra æquinoctij circulum magnes dirigit ferrum ad læuam & ad occidentem, respectu poli borealis. Sed istud est necessarium, non quia ultra æquinoctij circulum, uerùm potius quia Antichthones nostri uel Antipodes sunt. Sit igitur circulus a b c, cuius polus b, & oriens habitatio in d linea magnetis. ergo erit d c. si igitur circumuertat ad oppositum, ut perueniat ad alterã partẽ sub pedib. nostris, linea d c perueniet ad d a. igitur erit à parte læua respectu poli, orientalior tamen & ipsa polo, sicut d c. Apparet igitur, hominem illum nec prima elementa attigisse mathematicarum, ut nesciam quantum illi tribuendum sit de Homocentricis tractanti, re supra humanum ingenium. Videtur enim mihi de ingenijs esse, ut de rebus naturalibus. in quibuscunq; enim longa ætas cernitur, in hisdem cernimus senescentia, iuuenilia, adulta, parua, & nuper nascentia: qualia in Archimede, Apollonio, Aristotele, Galeno, Auerroe atq; Auicenna.



Hic uidete hominem, qui ad summum mortalitatis fastigium, imò quasi supra ipsam peruenerit mortalitatem: nulla autem indicia uel mediocris, uel initij in eisdem artibus facit, ut credam ipsum in illis suis Homocentricis mera narrasse somnia. Sed mittamus uirum alioqui egregium, & in alijs minimè contemnendum: maximeq; in Poesi, & naturalium rerum scientia. Miremur de Aristotele & Galeno, totq; philosophis, & eorum ignauiam meritò accusemus, qui cum magnetis tantam copiam haberent, adeò negligentes fuerint in experiendo, quòd tam facile experiri poterant, ut tot illius uires ignorauerint. Si etenim uel minimum (diligentiæ non dicam) temporis impendissent, uel casu sæpius experientibus necessarium erat, ut in cognitionem singularum uirium deuenirent. Sed Aristotelem excusemus meritò, ob doctrinam de animalibus nobis traditam: Galenum ob peritiam medicinæ, & imperitiam philosophiæ. At Alexandrum, Themistium, Simplicium, Ammonium, Io. Grammaticum, Olympiodorum, Auerroem quis excusabit? inutilia carnis frusta. quibus nihil cordi fuit, præter nugas & contentiones. Theophrastus certè laude dignus habendus est, quoniam cum studijs laborẽ iunxit. hi uerò uidentur fuisse deceptores humani generis, tum ob summã ignauiã in

quærendo naturæ arcana, imò uel etiã trita: tũ quia cum diuersa senserint atq; pugnantia de ijsdem, ueritas autem una tantum esse possit, quantam perniciẽ attulere mortalibus? Gratias ergo agamus Hippocrati, Aristoteli, Theophrasto, Alberto, Dioscoridi, Auicennæ, Galeno & Plinio, atq; huiusmodi uiris, qui naturam excoluerunt quantum in illis fuit, aut artium saltem præcepta nobis tradidere: demum his, qui simplici sermone bonos autores explicarũt. At his qui per contentiones ambitionemq; ignauiæ parem magna sibi nomina uendicarunt, quorum lectiones nos à diuina contemplatione naturæ operum & mathematicarum & diuinarum uicarum & artium notitia auertit, ac simul falsis opinionibus implet, tantum abest ut aliquid debeamus, ut etiam odio maximo, ut uenefici inter medicos, falsi artifices inter ueros, digni sint. Neque enim ulli credas mortalium, qui solum generalia norit: cum ad singula deuenitur, socordia illius deprehenditur. Maximum autem indicium diligentiæ, iudicij, & amoris ueritatis est, peritia intima mathematicarum: quarum cognitio facilis est, scientia certissima, contemplatio iucundißima. Vt ergo qui eas non nouit, aut attingere non potuit, ut ingenio carere illum necesse sit, uel neglexit, quid ergo aliud excolere poterit, aut uolet? aut utilem scientiam non existimauit: itaq; iudicio careat oportet. Ergo quomodo Secreta discere liceat, aut inuenire, doceamus: Et quinam maximè ad hoc apti sint.

Caput sextum, De modis secreta inueniendi.

Primus quidem modus ratione constat efficaci. atq; ideò hæc inuentio eruditis maximè atq; exercitatis conuenit. Conuenit autem non solùm exercitatum esse in scientijs manifestis, sed in his quæ obscuris quibusdam ac profundis rationibus inuenta sunt. ob id plurimùm confert, tam inuentorũ rationes ad amußim perpendere, ut in secũdo libro diximus qui Dialectica inscribitur: Inuentis enim principijs quibusdam in singulis disciplinis, quæ non statim occurrũt, oportet ea in cõpendiũ redigere, constitueréq; qualẽ antea diximus dialecticã propriam illi ac consimili disciplinæ. Oportet autem cauere diligenter, ne in illis aberremus. minimus enim error, ut Aristotetes ait, in principio, maximus fit in fine. Est ergo exercitatio in inuentis & scientia & cognitione causarum, & usu ipso, perquàm utilis ac necessaria. Neq; enim chymista fies unquam, si furnos, uasa, metallaq; non tractaueris. Habet unaquæq; sapientia quendã usum necessarium: magis aũt, cũ ad exercitationẽ deuenire licet: multo magis, si exercitatio ipsa ad unũquodq; deuenit, ut Medicina et Musica. at etiã lõgè magis necessaria est, si mechanica sit, ut fabri atq; cerdonis. omniũ aũt ma-

aũt maximè, quæ circa secretas artes uersatur: ut chymica, magica. nã in huiusmodi uel minima negligentia euertit omnia, quoniam tota ars in subtilissimis rationib. reposita est. at hæc minima quis custodire poterit, qui nõ exercitatus etiã diu in eo negocio fuerit? quãdoquidẽ subtilitas hæc solius usus fructus sit.

Secundus modus habetur ex similium inuentione, & deductione ad similia: quemadmodum in magnete diximus. Tria enim cum sint tantum principia, scilicet herculeum lapidem uelut masculum ferrum appetere, ferrum ad libramentum lapide imbutum poli dextram partem quæ Orientalis est respicere, oppositamq; lapidis partem oppositum: oriuntur sexdecim illa secreta, atq; etiam usus pyxidis nauticæ & horologiorum multaq; alia excogitare licet. uelut etiam in Mathematicis, primo ex uno sensim & ordinatim plura: idemq; in artibus ipsis, uelut fabrili, fit malleus è malleo, incus ex utroq;: forceps, post stylus: inde lima, & uitis ferrea: pòst gladius, sera, clauis, rastrum, bidens, sarculus, totq; alia. & quæ post fiunt, emendant prima, ac corrigunt, & in melius mutant. Tertius est, ut docearis ab alijs. ideò multa habentur à parentibus, quædam ab amicis, quædam inueniuntur discunturq; peragrando terras. ideo studiosi secretorũ quærendorũ nil maius habent peregrinatione. Sic Hippocrates, Galenus, Dioscorides, Plato, Iamblicus. Quibus dã locupletior fortuna hos labores & hæc pericula deuitauit, ut per alios facere poßẽt, quod ipsi facere cogerẽtur: ut Aristoteles et Ptolemæus, ob diuitias. Sed tamen eundo etiã plura q̃ mittendo discũtur. Porrò multis modis secreta in alijs regionibus discũtur. Primùm, quod quæ publica ibi sunt, alijs in regionib. sunt secreta, ob exercitationis nõ adeò perfectæ defectũ. unaquæq; enim regio quasdam artes magis excolit: ut etiam inter Italiæ urbes uidere licet. Arma Mediolani optima fiunt, panni Venetijs, clypei Mutinæ, lintea tenuia Bononiæ: sic apud Turcas tapeta, apud Persas chalybs, apud Belgas speciosæ & parui sumptus picturæ. Secũdum, quòd multa sunt propria diuersis in regionibus, quorum inopia est apud alias. Et rursus earundem specie rerum tanta differentia, ut in eadem regione differentia specie uideas similiora: ut Creticum & Italicum origanum. Tertium est, ratio morum, legum, naturæq; hominum. quamobrem multa discere uolenti, nihil opportunius peragratione prouinciarum. At quot huic obstent, non arduum est intelligere: uelut pericula uiarum, pecuniarum defectus etiam in opulentis, cum deferre non tutum sit, non deferenti multa & maxima impedimenta adsunt: mutatio aeris, uictus, pecuniæ uarietas, ut nonnunquam uelut alter Midas, in summis opibus fame premaris: præterea tria illa maxima, suspicio principum, diuersitas religionum, atque linguarum. Ob id sapienter (quod & aliàs di-

ximus) Moses, non alio supplicio dixit Deum ultum esse immania audentes, quàm immissa linguarum uarietate. Vidi tamen, ut etiam dixi in Physicis, hominem pauperrimum, qui ex Græcia Turcarumq; regionibus, quatuor & quadraginta secreta attulerat, quæ publicabat: forsan & alia multo plura habuit. Quartus modus contingit ex reuelatione, maximè per somnia. Quidam etiam diuino afflantur numine: quo fit, ut quæ tradita sunt de Necromantia, aut fabulosa omnino sint, aut à dæmonibus docta & ostensa. neque enim experientia in inane uel casu cognosci potuerunt. Proferrem autem libere, omnes nugas esse, nisi Hasen & Conciliatoris, autoritates, non dubia illorum, tum patris mei, ancipitem me redderent. Sed hanc partem, & uenenorum, intactam relinquam, quas etiam nunquam quærere uolui: alteram, ut ineptam, & cui non fiderem: alteram homine, nedum probo uiro indignam. maleficos enim & iniustos proteret Deus: contra bonos quid deterius excogitari potest, quàm talia parare? At uerò alia multa à dijs ostensa & historiæ produnt, & clari autores commemorant.

Quintus modus, à fortuna & casu pendet. sæpe enim alia quærentibus, huiusmodi se offerunt. Colores enim & ὑαλουργίαν, & machinarum ignearum ratio, casu inuentæ sunt, dum chymica & metallica metamorphosis quæritur. Sed neque simpliciter hanc rationem inire oportet: uniuersam enim uitam antea consumere liceret. Sed tria maximè obseruare oportet, & quartũ si occurrat optimũ erit. Dicã autem primum omnia simul, inde singula seorsum explicabo. Obseruare igitur decet, ut plurima non ualde differenti ratione, sed quasi sub eadem maximè distantia experiaris. Velut, mihi in animo est hoc anno animalia multa herbasq; in fimo equino putrefacere, in uitreis uasis: uidereq; sub una ratione & tot diuersis materijs, si quid egregium exoriatur. Scio enim spõte ex singulis plantis à Sole singula procreari animalia. idem ergo de fimo existimandum erit.

Secundum est, ut sciamus quæ possunt proficere, & uidentur esse sex: Generatio, ut in terra fouendo: præparatio, ut in insitione: putrefactio, ut in fimo: separatio, ut per ignem: purgatio, ut per aues quæ deuorant: & opus manuum, quo expoliuntur, aptantur, iunguntúrq; res.

Tertium est, ut scias cui usui? ad medelam corporis, animi, ad speciem & ornatum: ad compendium, ut machinæ quibus immensa pondera deducuntur: & ad raritatem. Quod uerò præscire, si contingat, optimum est in huiusmodi negocio, est dignotio finis possibilis. Velut enim iter agentibus nihil tam utile esse potest, quàm scire quò dirigatur iter: ita nihil tam utile quærentibus talia, quàm scire ea quæ inueniri possunt. Si thesau-

ros

ros scias in domo latêre, omnino eos inuenies. Si scias posse spectra fingi, spectra finges tandem. Nihil tantum iuuat quærentem, quàm securitas, posse finem adipisci. incerto uagatur quisque, qui nescit an quod quærit, possit inueniri. In spes alit homines, sustentat inopiam, dulces efficit labores, iucundos errores: desperatio obruit & euertit omnia.

Caput septimum, De Materia omnium secretorum.

In his omnibus à notioribus & partibus est inchoandum: faciliora enim præcedere debent. Porrò materiæ notiores sunt actionum generibus. Secundum hoc ergo, prima materia huius artis Deus est, *& uitæ: ab his nihil præterquam supplicationibus impetrare licet. Inde cœlum: hoc ergo ad magiam & naturalia opera, ut sationem, uti licet. Pòst est lux, lumenq;: his uti possumus ad præstigias, naturaliaq; opera. Pòst est aer, quo ad machinas uti licet: quoniam aliter sensibus non subijcitur.*

Quintum genus sumitur ab aqua, ad machinas, ad irrigationem, ad deductiones. est autem materiæ quintum genus. Sextum est à terra, circa generationem. Septimum ab igne, coctio, separatio, exustio, & quæcunque alia. Octauum, *à metallicis.* Nonum, *à metallis.* Decimum, *à lapidibus.* Vndecimum, *à plantis.* Duodecimum, *ab insectis.* Tertiumdecimum, *ab animalibus alijs.* Quartumdecimum, *à medicamentis & uenenis.* Quintumdecimum, *ab hominis partibus corporeis.* Sextumdecimum, *à cogitatione.* Decimumseptimum, *à machinis.* Decimumoctauum *ab artibus.* Decimumnonum, *à somno & uigilia.* Vigesimum, *ab his quæ sunt extra nos, quasi è nobis sint.*

Caput octauum, de finibus & modis operationum.

Fines autem multiplices: generaliter ad sapientiam, ad utilitatem, & lucrum. Vnde secretorum etiam genus uerum, & ad decipiendum. huiusmodi nunquam aliàs tanta copia. inde lances ponderaq; falsa, & duplicia, scilicet leuiora & grauiora: & suppositæ personæ, multaq; huiusmodi. At de his probi uiri non est tractare, etiamsi nulla alia lucri spes esset. nunc in tanta copia secretorum utilium & laude dignorum, nefas esset de huiusmodi falsis secretis atque decipiendi modis sermonem habere.

Sed redeo ad ueras inuentiones, inter quas etiam præstigiæ numerari debent. neque enim ad decipiendum excogitatæ sunt: sed ut intelligeremus, mentem hominis sensibus esse superiorem, fallíq; persæpe illos. Igitur

finium

finium genera sunt octo: uiuere diu, bene ualere corpore, atq; mente potentem esse, diuitem, ornatum, cum uoluptate, & filijs. Omnia ergo secreta ad unũ horum generum deduci ac tendere debent. Modi autem tres: aut melius quid facere, seu nouum, (id enim melius est) aut facilius, aut sensus perstringere. Cum ergo tria in octo, & productum in uiginti duxerimus, fient ducentæ octuaginta secretorum differentiæ. at quoniam quædam in unum conueniunt, alia diuiduntur, placet libros necessarios huic arti enumerare.

Caput nonum, in quo enumerantur omnes libri Secretorum.

Primus igitur liber, qui & solus edetur à me de Secretis, est hic præsens, in quo de totius artis principijs tractatur: ut reliqui omnes possint hac ratione à diuersis confici.

Secundus autem, est de specialibus modis huiusmodi libros conficiendi: & ita de propria cuiusq; disciplinæ logica. cõfectus est hic à me, & uocatur Dialectica. Extat.

Tertius liber, est de cognitione Dei, & uocatur Hymnus: cuius pars à me conscripta est, docetq; secreta illa superiorum: nec edetur forsan, ne prophanentur diuina. Extat.

Quartus liber esset de Precationib. & supplicationib. quẽ nõ scripsi, propter multa. bono. n. uiro nõ expedit: mali nõ sunt docendi, sed ut ueniã quærãt.

Quintus, est de cœlo: cuius portionem seligere licet ex libris de Subtilitate & Rerum uarietate. Eum tamen non scripsi: sed alium quendam loco huius, et omnium sequentium uelut farraginem: qui extat, nec edetur.

Sextus, est de luce & lumine. de his autem, in libris eisdem, scilicet nuper dictis, sermonem habui: sed nullo peculiari libro tractationẽ hãc tradidi. Verùm multa illis secretiora latent, & magis utilia humanæ uitæ.

Septimus liber, est de natura aeris. continet autem infinita, ut ita dicam, secreta: quorum uix duo aut tria ego tradidi. Ignota enim fuit illius natura, tum miracula, ad hanc diem usque, quæ sunt omni admiratione maiora.

Octauus, est de uiribus aeris: continetq; instrumenta supra quinquaginta, quæ aeris ui agitantur atq; mouentur.

Nonus, est de imaginibus ex aere: cuius nondum principia inuenta sunt. & est Facticiarum præstigiarum.

Decimus, est de Natura aquæ, Septimo proportione respondens.

Vndecimus octauo, & est breuis: quoniam ad machinas, cum comparantur, multa habent similia. attamen continet.

Duode-

Duodecimus nono: & est materia pulcherrima, de imaginibus in aqua.

Tertiusdecimus, est de ratione machinarum pondera trahentium, impellentiumq;.

Quartusdecimus, de æquilibrijs.

Quintusdecimus, de natura terræ, montium, arenæ, terræ fertilis, salsæ, & huiusmodi.

Sextusdecimus, de natura & uiribus ac substantia ignis, & materia illius.

Decimusseptimus, de machinis igneis, & miraculis.

Decimusoctauus, de his quæ in sublimi.

Decimusnonus, de loco, inani, tempore, indiuiduo, materia prima, forma, motu, & corporum repugnantia. Cuius pars in Primo libro De subtilitate à nobis tractata est: ut reliquorum omnium, in reliquis libris eius Operis, tum de Varietate rerum.

Vigesimus, de Inuisis: seu per dæmonas, seu mortuos, seu alio modo fiant.

Vigesimusprimus, de coloribus.

Vigesimussecundus, de ratione uidendi, seu optica.

Vigesimustertius, de præstigijs.

Vigesimusquartus, de admirandis operibus: uelut qui capillis eleuabat lapidem immensi ponderis: alius frangebat funes manibus: alius trabem ex humero in humerum alium transferebat, sine manuum auxilio, inde mento superponebat: alius gladio præacuto incumbebat, alius ensem acuta acie per uultum totum deducebat. Ascanius Neapolitanus tria oua in nauicula prælonga, arctáque, ut cauo baculo circumducēs, motibus diuersis simul eos agebat etiam tertio quiescente. unum quoq; ruere conuersis capitibus præcipitē coegit. Idem, cum ocreis, sexaginta ouis in certa distantia collocatis, nouē saltibus circumuolutus super ea, nullum frāgebat. Alius paleas super uētrem scindebat gladio. Quidam lauant manus plumbo liquefacto, & lardum ardens distillant super manus nulla noxa.

Vigesimusquintus, de Oris præstigijs, atq; alijs huiusmodi.

Vigesimussextus, de nodis. Extat.

Vigesimusseptimus, de soni arcanis. Extat.

Vigesimusoctauus, de odorum secretis.

Vigesimusnonus, de Saporibus.

Trigesimus, de Tactus miraculis.

Trigesimusprimus, de Mistione ac mistis.

Trigesimussecundus, de lapidum uiribus. nam in hoc agitur de magnete. Extat.

Trigesimus tertius, de herbarum natura & uiribus.

Trigesimus quartus, de arborum uiribus ac natura.

Trigesimus quintus, de piscibus fluminũ & stagnorum ac lacuum.

Trigesimus sextus, de piscibus marinis.

Trigesimus septimus, de quisquilijs ac reiectamentis.

Trigesimus octauus, de auibus.

Trigesimus nonus, de animalibus quæ ex putri materia generantur.

Quadragesimus, de quadrupedibus quæ ex ouis generantur.

Quadragesimus primus, de serpentibus.

Quadragesimus secundus, de animalibus quadrupedibus.

Quadragesimus tertius, de somno & uigilia.

Quadragesimus quartus, de cogitatione & ui imaginandi, tum memoria.

Quadragesimus quintus, de præsagijs ex his, Ectasi etiam, & habitu in corpore. Extat, & est pars libri Secretorum qui Quartus inscribitur.

Quadragesimus sextus, de medicamentis ac potionibus. Extat.

Quadragesimus septimus, de emplastris, unctionibus, & his quæ exterius applicantur. Extat.

Quadragesimus octauus, de destillationibus.

Quadragesimus nonus, de Chymica.

Quinquagesimus, de arte uitri, & similibus.

Quinquagesimus primus, de metallis, ac uiribus eorum.

Quinquagesimus secundus, & est prolixus ualde, de Metallorum separatione, perfectione, ornatu seu politura, compositione, & deductione ad opera.

Quinquagesimus tertius, de metallorum transmutationibus in lapides, terram, olea, nouisq; mistis.

Quinquagesimus quartus, de Geometricis secretis. Extat.

Quinquagesimus quintus, de secretis Arithmeticis. Extat.

Quinquagesimus sextus, de secretis Astrologicis. Extat, sed imperfectus.

Quinquagesimus septimus, de secretis persuadendi, & Rhetoricis.

Quinquagesimus octauus, de secretis mutandi mores & mentem alicuius. Extat imperfectus.

Quinquagesimus nonus, de secretis soluendi fascinationes.

Sexagesimus, de secretis uenereorum.

Sexagesimus primus, de secretis generationis.

Sexagesimus secundus, de secretis memoriæ, & similibus.

Sexage-

Sexagesimus tertius, de armorum secretis.

Sexagesimus quartus, de secretis ad ornatum & fucos pertinentibus, ubi de tonstrina agitur.

Sexagesimus quintus, de secretis ad uitæ diuturnitatem.

Sexagesimus sextus, de secretis ad incolumitatem.

Sexagesimus septimus, de secretis ad prudentiam.

Sexagesimus octauus, de secretis ad diuinationem ex Physiognomia, Metoposcopia, Chiromantia, naturalibus coniecturis.

Sexagesimus nonus, de secretis dignoscendi mores hominum.

Septuagesimus, de secretis custodiæ familiæ.

Septuagesimus primus, de secretis compendij rei familiaris. Extat pars.

Septuagesimus secundus, de secretis conseruandi res:

Septuagesimus tertius, de delicijs.

Septuagesimus quartus, de arte quam Notoriã uocant, & ascensu ad superiorem naturam, atq; illius coniunctionem.

Septuagesimus quintus, de secretis educandi filios. Extat.

Septuagesimus sextus, de secretis inuentionis thesaurorũ, & absconditorũ.

Septuagesimus septimus, de secretis Architecturæ.

Septuagesimus octauus, de secretis artis nauigandi.

Septuagesimus nonus, de secretis artis militaris, ubi etiam iter agentium.

Octuagesimus, de secretis artis textoriæ.

Octuagesimus primus, de secretis artis fabrilis.

Octuagesimus secundus, de secretis artis statuariæ & picturæ.

Octuagesimus tertius, de secretis artis plastices.

Octuagesimus quartus, de secretis artis figulinæ.

Octuagesimus quintus, de secretis artis sutoriæ.

Octuagesimus sextus, de secretis artis ueterinariæ.

Octuagesimus septimus, de secretis artis uenatoriæ, aucupij, & piscandi.

Octuagesimus octauus, de secretis artis lignariæ, & tornandi.

Octuagesimus nonus, de secretis ludendi. Extat pars.

Nonagesimus, de cognitione terrarũ, et quid contineãt: & est magni lucri.

Nonagesimus primus, de Fato, & finibus mortalium omnium rerum. Extat.

Nonagesimus secundus, de secretis ciuilis conuersationis.

Nonagesimus tertius, de secretis aulicæ uitæ.

Nonagesimus quartus, de secretis aduersus publicas calamitates.

Nonagesimus quintus, de secretis ad commoda uitæ.

Nonagesimusſextus, de Secretis agriculturæ proprijs & admirandis.

Nonagesimusſeptimus, de secretis præparandi lanam, goſsipium, linum, ſericum, pilosq;.

Nonagesimusoctauus, eſt de secretis uarijs & incerti generis.

Nonagesimusnonus, de secretis impoßibilium, quomodo initium habeant: & aliquando uideantur, ſed inchoata tantum.

Centeſimus, De Secretis quorum genera adhuc ignota ſunt.

Plures quoq; longè libros his cõſtruere in hac materia liceret. Sed his pro exemplo contenti fuimus. Manifeſtum eſt autem, multa ex his à nobis tractata eſſe: ſed non generaliter, nec perfectè. quæ autem latent, multo utiliora ſunt, & ſine numero. quorum ſingula ſufficienter hominem quidem alere poſſunt: plura uerò ex his etiam ditare egregiè. Dicemus autem de his ſuo loco.

Caput decimum, De comparatione ſecretorum in facilitate, nobilitate, & utilitate.

Diuitibus nobilia, pauperibus utilia, occupatis & impotentibus facilia magis conueniunt. neq; enim (ut multi faciunt) diuiſiones diuiſionibus conuenire neceſſariò debent: ut ſi in finibus actiorum ſit utile honeſtum et iucundum, utile uerò utili conueniat, neceſſe ut honeſtum nobili & iucundum facili congruat. nam & nobilia ſecreta, ut honeſta quandoq; ſunt, & non ſemper, ut uenenorũ præparatio, ita à iucũditate abſunt. Itaq; his inutilibus comparationibus relictis, de facilibus, nobilibus atq; utilibus agamus. Sed et hoc utile multis modis dicitur, uel quod ad ualetudinẽ, uel ad opes, uel ad potentiam confert. Nobile aũt & facile ſimpliciter quaſi dicũtur, & inuicẽ pugnant. Nobilia igitur ſecreta & à re & à fine deducuntur. Impetrare poſſe ſupplicationibus à Deo aliquid, etiamſi exiguum ſit quod impetratur, ſemper nobile eſt: ut etiam diuturnitati uitæ conſulere, quomodocũq; id eueniat, & per qualecunq; fiat auxilium. Manifeſtum eſt autem, quod uitarum omne genus & ſubſtantiarum ſeparatarum nobiliſsimum eſt, quoniam ab ipſo primo ente primò profluunt. Corpora uerò uiliſsima, in medio ſunt ſeparata, quæ ad corpus referuntur, ut mens, anima, ſenſus. uiliora corporibus ſunt accidentia, & magis corporea, & quæ minus manent: ut ſonus luce. Facilia, quæ in rebus quarum copia maxima inuenitur breui negociatione, & quæ non exactam menſuram requirunt. Vtilia, quæ ad multos uſus, aut maximè neceſſarios, ob id ad uitam & ſapientiam. Hæc enim maximè neceſſaria, uel ad lucrum: hoc enim omnes uſus continere uidetur: quandoquidem munus omnia ſit in potentia. Quædam uerò nobilia ſunt, non utilia: ut ſcientia de natura cœlorum. quædam utilia, non nobilia: ut ex ſimo equino lucrari multum. quædam utilia, & nobilia:

lia: ut magia, quæ uincere bellum docet. Seruatis libris in arca ænea, quamuis essent etiam publicati, ob metum sacerdotum, quod malè sensisset de dijs Aristoteles, nec falsus existimatione (perierunt enim qui publicati erant) hãc tantam famam de se peperit.

Caput XI. Vera secreta in dijs esse, proficiscíq; ex intima rerum cognitione, qua nos caremus.

Porrò uera cognitio secretorum ex causis rerum proficiscitur, eaq; sola est in dijs. Hi enim solum intima rerum intelligunt: nos autem exteriora tantum, & procul etiam. ob id naturalia secreta pauca nouimus ex innumerabilibus: atq; illa pauca, ex Mechanica potius, atq; experimento, quàm contemplatione atq; scientia. In quibusdam autem, uelut mathematicis, quoniam ibi per causam scimus, etiam secreta plura nouimus. Et si plura haberemus principia, multo plura etiam sciremus. Mathematicæ enim magis cognitæ sunt hominibus, quàm naturales. quæcunq; igitur ad mathematicam rationem perduci possunt, notiora sunt nobis: uelut machinarum ratio, & uasorum, per quæ aer & aqua diffluunt. in eiusmodi enim homines ad magnam cognitionẽ deuenerunt, plurimaq; secreta inuenere. Claruit autem, præter reliquos, in his Hero, post Archimedem. Omnia autem huiusmodi ex ratione mathematica pendent, naturalibus principijs iuncta. At in naturalibus puris pauca, ob causas enarratas, secreta patuerunt: & quæ innotuerunt, casu & usu inuenta sunt. uidetur aũt conuersa uia procedendi in naturalibus puris, ex experimento ad rationes progredientibus in machinis, ex ratione ad experimentũ. Ignorantur autem pleraq; in mathematicis, ob paucitatem cognitorum principiorum. Duobus enim aut tribus inuentis principijs, una tota ars constituitur: quod feciſſe uidemus pluries Archimedem. Quæ igitur in naturalibus inuenta sunt, quasi uulgata & minus nobilia sunt: quoniam casu quodam & experientia inuenta sunt. uidetur autem nostra natura ob id parum Dijs chara, quòd nihil huiusmodi à Dijs coguitum accepimus. An forsan non expedit, quoniam huiusmodi parum curantur. Sed hæc alterius considerationis sunt.

Caput XII. Quòd homines ex huiusmodi noticia inter cæteros eminent.

Ob id igitur homines, cum ad huiusmodi noticiam perueniunt, inter reliquos adeò eminent, ut pro dijs habeantur: cum tamen minimum sit quod norunt, & confusum & imperfectum. Contrà dij multa & perfectè & purè norunt, & alio'prorsus modo, atq; nobiliore quàm nos. Illud tamen exiguum

homines beat, & maximè si pluriũ & nobilium aut utilium rerum scientia sit, ut etiam leges uelint posse à principe peti, damnatum ad bestias ob singularem aliquam cognitionem. Sed leges quidem rectè forsan: qui legibus utuntur, perperam interpretantur, etiam de solo capitali crimine, ad quod nemo huiusmodi qui sit damnari posit. Sed principum clementia maior est, togatorum autem crudelitas ab ambitione proficiscitur. Omnes igitur qui huiusmodi cognitione præditi fuere, inclyti euaserunt. alij quidem maximas opes congregando, aliqui summos sunt consecuti honores: at alij utrunq;. Sed si homines tam rudi sapientia præditos admiramur, quid de dijs, & quantum honoris exhibere debemus?

Caput XIII. Quòd quæ in uno secreta sunt, in alio non erunt aliquando.

Porrò cum, ut diximus, secreta pleraq; scientia & usu constent, & quòd raritatis causam secreta continere necesse sit: raritas autem non solùm in re uel affectu, sed etiam in magnitudine, pulchritudine, perfectione atq; facilitate constat: liquet idem apud diuersos & Secretum esse, & non esse. ut etiam in his qui aleam pro arbitrio iaciunt, secretum est agilitas illa manuum, cum tamen omnes aleam iaciant: atq; in curatione exustæ partis, cum cicatrix nulla apparet secretum est, cura autem uulgaris. Igitur in cunctis rebus secreta inuenire licet: nam uulgata & communia sunt res & affectiones. etenim generare uermem ex saliua, electrum conficere, res est: affectio autem, suluum reddere aurum, & splendens terebrare ferrum: at multum ferrum cito optimè terebrare, secreta res est, cognitio atq; usus.

Caput XIIII. Secreta si euulgentur, nobilitatem & decorem amittunt.

Si igitur secreta euulgentur, cum communia fiunt, decorem & nobilitatẽ amittunt. nobiliora enim existimantur, quæ docent affectiones: nobilissima, quæ res. Porrò magnitudinem, perfectionem, pulchritudinem, facilitatem docere, minus est. Facilitas & multitudo utiliora sunt perfectione & pulchritudine: hæc autem nobiliora. Licet ergo scientiam horum apud se retinere, ut precioſior habeatur, cuius nulla pars communis est. Quæ enim in uno solo sunt, perfectiora sunt: quoniam unum melius est quàm multa, ut aliàs docuimus. Primùm igitur quærendæ sunt res, uelut metalla, lapides: pòst, affectiones: at pòst hæc, si ad utilitatem respicimus, multitudo & facilitas: quemadmodum qui chrysocollam. sin uerò ad uoluptatem & præstantiam, perfectio & pulchritudo. Est enim pulchritudo uoluptatis, præstantia nobilitatis fundamentum.

Porrò

Porrò res aliæ fiunt, aliæ corrumpuntur. & in hoc magnus est usus: ut lapidem frangere in uesica, & nebulam ex oculo detrahere. quæ autem extra hominem, urbis muros diruere. Oportet autem in difficilibus, quæ magnam habent utilitatem, eligere: ne, ut in prouerbio, piscemur hamo aureo. Medici autem antiqui suas compositiones occultabant, ut pro secretis haberentur. pulcherrima etiam nomina addentes. At non occultando secretum fit: sed secretum occultari meretur.

Quærendum est igitur, occultata compositione, quæ uires aliquas egregias habeat, an pro secreto habenda sit, cum similes alias habuerit, licet non eodem pondere. Dicimusq;, quòd non nisi magna sit exuperantia unius aut duorum medicamentorum, in ea in comparatione ad alias. quæ si adsit, pro secreto haberi potest, suffragante opere. Cæterum si discrimen non adsit magnum, discrimen operationis ex electione simplicium medicamentorum contingit. Quare diligenter huiusmodi medicamenta paranda sunt. aliàs ne existimes, ex minimis magna oriri: sed magna solùm ex magnis fiunt, & uarietates magnæ magnis etiam ex discriminibus. Quædam uerò addita scrupulosè, eorum medicorum improbitatem declarant: ut si theriacem ligno salicis agitandam doceant. Excusant, quòd opinio ægri plurimùm facit ad sanationem. Verùm illas addere siliquas, curiosi hominis est, & sophistæ potius quàm sapientis.

Caput XV. Quomodo ex uniuersalib. ad propria in inquisitione deueniendum.

Operarij porrò & imperiti ob id non solum superfluam hanc curiositatem contemnere, sed etiam generales rationes: putant secreta sola experientia & usu constare, rationem superfluam esse: obijciuntq; (quòd uecordia, ut dixi, priorum philosophorum accidit) nullum horum supercilioſorum ne uel oboli rem arcanam quidem unquam inuenisse. quòd & uerum est, & fatemur: sed causam eandem turpitudinis docuimus. Ostendere tamen oportet, horũ ob accusationem generalia præcepta & esse, et utilia esse. nam quemadmodum Galenus in libris primis quinq; de simplicibus medicamentis, quæ solùm experientia imperfectè nota erant, ad trutinam deducit, & generaliter & perfectè & cum ratione deduxit: ita etiam in obscuris facere utile est.

At dicent hi: Vtile certè erit, si fieri possit: sed negamus fieri posse, ubi abditæ, non ut in secundis ac tertijs qualitatibus quæ ex primis pendent, causæ notæ fuerint. Nos uerò causam in quibuscunq; esse non dubitamus. Sciri etiam posse proximas, si non primas, haud dubium est: propter quod etiam de magnete exemplum inuentionis causarum docebimus.

Primùm

Primùm ergo ex uniuersalibus ad propria descendemus: erunt autem propria, tanquam prima quædam principia. Seligemus autem principia ex experimentis & rebus generalibus, sed non generalissimis. Velut in mathematicis non assumimus in coni, cylindri ac sphæræ comparatione principia illa, Omne totum maius est sua parte, & Quæ uni æquantur quantitati inuicem sunt æqualia: nam hæc iam Euclides assumpsit, & sunt generalissima omnibus quantitatibus. Sed neq; propria conis sphære & cylindro tantum: hæc enim principia esse non possunt, quia omni quantitati non conueniunt, essentq; demonstranda: sed est quoddam medium, scilicet ut omnibus quantitatibus certam rationem seruantibus congruant. ea autem ratio conuenit conis atq; sphæræ, & per illa etiam cylindris. Itaq; ex generalibus omnis doctrina procedit, imò generalissimis: sed huiusmodi quædam sunt, quæ certam rationem exigunt: dicíq; possunt principia partium, seu propria illius disciplinæ. In naturalibus uerò, cum rara quæramus, etiam raras quasdam materias assumere oportet: & ut in mathematicis circa partes quasdam tentamus inuenire demonstrationes, quòd hæc sint principia sciendi in illis: ita in philosophis tentabimus inuenire experimenta. quomodo autem, nunc dicemus.

Caput XVI. de translationibus, aliisq; propriis modis secreta inueniendi.

Ergo à translationibus inchoandum est: uelut à mentis affectibus ad humores, à lapide herculeo ad alios lapides, ut argentum aut æs trahant: & cur hoc, non illud: discrimen inter ipsum herculeum lapidem & succinum, quod omnia trahit: sympathia, antipathia: simile, dissimile: alimentum, exitium. Alimentum quidem trahere omnia, omnes intelligunt: cur, nulli (pro pudor) nam calida & sicca, & frigida & humida, & contraria & similia trahuntur: & tamen una ratione, unus finis: una ergo forma, unum agens, una agendi ratio: & est ut sit humidum, calidum, simile. Principia enim mortalium rerum hæc duo, calidum atq; humidum, esse docuimus. Simile autem, non eiusdem speciei: nam cum potentia idem sit, si simile sic esset, non mutaretur, aut si mutaretur, ex eodem in idem, & ita non mutaretur. Quatuor igitur cum unum esse necesse sit, uel ut nulla fiat mutatio, uel ut ex uno in aliud, numero tantum diuersum fiat: aut ut mutetur, idemq; maneat: uel ut diuersum specie sit, tribus primis quæ esse non possunt sublatis, quartum solum superesse necesse est. Quæ igitur sic similia sunt, trahuntur: quæ exitio sunt, fugiunt, quòd sensus quidam in his insit conuenientis atq; contrarij. uentriculus bouis herbam concoquit, non carnem: lupi carnem, non herbã: unumquodq; igitur ob similitudinem, non mollitiem. Est hæc sympathia in

rebus,

rebus, & ad sonos usq; progreditur. Quæramus ergo, quis finis? Mutatio certè: nam ante eadem nobis sunt. Quærimus ergo mutationem. Hæc à similibus aut contrarijs progreditur. Sed est simile istud, aut contrarium, persæpe ignotum. Qui lapidem habet in uesica, quærit sanè ut exteratur, non ut augeatur. id fit à contrarijs, non à similibus. contraria sunt, quæ molliunt, quæ incîdunt, & quæ proprietate quadam id agunt. Incîdunt autem acida, & amara, & acria, & motus: molliunt humida. Quæ autem frangunt proprietate quadam, alia quidem genere conueniunt, alia autẽ dißident: sed operatione similia sunt. Ratio nos ducit, experimentum autem docet. Similia sunt lapides, & mista terrea, quæ & metallica dicuntur. potestate autem, quæcunq; ex ipsis lapidibus nascuntur: ut parietaria, petroselinum, iuncus marinus, caprificus, scolopendra, saxifragia. Hæc igitur si calore animalis attenuentur, magis agunt. calidißimum animal est columbus. Destillata rursus diuidunt, & comminuunt: indicio est aqua ex alumine & sale nitro detracta, quæ argentum colliquat. Si addatur ærugo, adhuc acrior est: sed alia est ratio metallorum & humidorum, alia siccorum & lapidum, quos terere oportet.

Conuenit igitur, ut lapides qui hoc possunt, qualis Iudaicus fœmina, & stercus columbi, depasti his quæ lapidem comminuere possunt, & uitrum, & oppositæ extremitates integumenti cochlearum, & radix herbaq; parietaria in carbones redacta, & lapides astacorum fluuialium in aquam redigantur. nam si sic ut sunt exhibeantur, uix permeare poterunt, sed per aluum secernentur: quoniam ob antipathiam à iecore non trahentur. & si trahantur, non poterunt comminuere adeò, ob crassitiem: & periculum est ne lapidi agglutinentur, augeantq; illum. Ea aqua limunij fructus succo mista, quòd is rex sit dissecantium, & saccharo ob sympathiam iecoris mista, & epota in balneo, uacua iam uesica, uel per catheterem immissa, hoc efficere poterit. Laudant in hoc scorpionum etiam cinerem, quem ob difficultatem habendi prætermiseram. Manifestum est igitur, cur omnia, & quomodo ad sympathiam & antipathiam, præter instrumenta, reducantur: & quomodo mutatio est quod quærimus, mutatio autem ad finem. Idem quoq; alio exemplo, in his quæ sunt extra nos, declarabitur.

Caput XVII. De exemplo inuentionis causarum in lapide herculeo.

Quæret forsitan aliquis iam in his quæ extra nos sunt, hoc exemplum. Diximus enim, secreta uersari aut circa mutationem animi, aut corporis, aut

uitæ producendæ rationem, & cætera quæ superius commemorauimus, quorum principia sunt quatuor: sympathia & antipathia, instrumenta, commotio mentis, & manuum agilitas. Principia enim aut sunt res, ut Deus, cœlum, & mista: hæcq; simile per sympathiam, & contrarium per antipathiã operantur. aut artificia, & instrumenta. aut homo secundum animam, cuius operatio est cogitatio: aut per corpus, & est manuum agilitas, ex qua pendent præstigiæ. Mathematica autem in sola contemplatione uersantur. ut in uniuersum sint principiorum quinq; genera. Quòd si diuinum illud, quod magis à cæteris distat quàm omnia reliqua, inter se seorsum constituatur, imò primum (quandoquidem quomodo assistat precantibus incertũ sit) erunt omnino sex principiorum genera. De sympathia igitur atq; antipathia herculei lapidis dicamus, uniuersa recolligentes quæ superius à nobis dicta sunt. Supponamus ergo, quòd lapis hic ferrum trahit: & quòd parte una ad boreã illũ, altera uersus austrum, à latere tamen, dirigit. tertium, quòd simile simile trahit, contrarium autem abigit. Hoc autem axioma est generale: nec huic lapidi solùm, sed omnibus (ut dixi) naturalibus rebus conuenit. Quartum etiam naturale axioma est: Quæ trahunt, si trahere non possint, accedere ad ea quæ conueniunt. Quintum etiam generale est axioma: Quæ coniuncta sunt, trahi necessariò, dum ea quibus coniunguntur, trahi contigerit.

Ergo ex duobus tantum suppositis, experientia ipsa comprobatis, & tribus axiomatibus generalibus, uniuersa quæ in hoc lapide uidentur, causam notam habent. Siquidem quòd ferrum trahat etiã procul, sequitur ut eo magis continuato contactu. At uerò affricatus ferro, uim & partes tenuiores illud imbuit, quo ferrũ trahat. Verùm statim hic occurres: si sympathiæ uel nutritionis causa ferrũ trahit lapis ille, ubi iam in ferreo corpore resederit, ut elementa finem adepta, amplius trahere non debet. At non est idem de loco et attractione. uis enim illa nunquam expletur, nec desiderium ferrũ trahendi. Et tantũ est propinquitas naturæ, tã mutuus ille cõsensus, ut combibita illa ui ferrũ in magnetem transeat: indicio est, quòd trahit pro ferri magnitudine. gladius enim, nõ acus lapidi affricata, clauum exiguũ trahit. Cum uerò lapis contrarias uires habeat, si contrarijs motibus ferro affricetur utrãq; illi uim impertiat q; ita cum contrariæ sint, abigit & trahit: quare perinde est ac si nõ traheret. Delatus ergo etiam ultra æquinoctij circulũ, easdem uires seruat ad unguem. neq; enim lapidis natura mutatur, nec situs, sed locus. Qua ratione, ut dixi, ad Antichthones si feratur, sinistram poli partem, non dextram respiciet, ut demonstratum est. Vbi ergo lapis ferrum ob magnitudinem trahere non potest, quasi uinculo annexus, ubi distenditur, illo se retrahente, lapis, si exiguus ad-

guus admodum sit, à ferro trahitur. Sit lapis a, b ferrum: a b uinculum sit breuissimum quia b trahitur ab a. cum ergo ob pondus trahi non possit, nec separari ab extremis in medio contrahitur. quare a ad b trahitur, & tandē ad ipsum peruenit.



Cum ergo lapis ferrum cupiat ad boream dirigere quod oppositā parte contactum est, ut neptum huic negocio, respuitur, atq; repellitur. Quòd si ab utraq; parte tactum fuerit, totum ut inutile repellitur: sin ab una tantum, dum oppositam ad se trahit, illam abigere uidetur. Cum uerò magnes ferrum trahat, & in ipso quædam ferreæ nonnunquam partes sint, nonnunquam etiam magnes magnetis frustula rapit, & maximè ferro imbuta. trahit ergo magnetem eiusdem partis ferro imbutum, & ferrum repellit contrariè magneti parti affricatum: & econtra etiam contrarijs ex causis. atq; ita utrunq; repellere uel trahere potest: uel unum trahere, aliud repellere.

Porrò de argenti attractione alia est quæstio. Sed fieri potest ut alia sit eius species. numi enim ære potius quàm ferro & argento constant. Verisimile enim est, & simile quippiam in herculeo lapide latêre, quod perfectione argento respondeat. Aut forsan imbutus lapis argenti ui, argentum trahere potest. Idq;, si sit argentum lapide imbutum, trahet argentum aliud. Atq; ita multiplices ille uires ex hoc uno pendent, quòd lapis altera parte ad boream, altera ad austrum ferrum dirigat, cum tribus illis naturalib. axiomatibus.

Iam omnia propemodum manifesta sunt, præterquàm quod difficillimum est: ut uidear morem omnium philosophorum & medicorum sequi, qui clarissima nimis multis explicant, difficilia ita prætermittunt, ut in eorum codice quis defuisse omnino credat. Est ergo illud difficillimum, cum non ad polum, sed ad orientem partibus seu quinq; seu nouem spectet. Dices: Et tu quod leue est experiri neglexisti? ob id sanè potui, quia una eademq; ratio est amborum: nec existimo eandem seruari in omnibus distantiam, sed ualidiores lapides longius dirigere. Ergo cum stella quæ polo proximior est, quinq; partibus ab ipso polo, uel propè distet, ad ortus sui punctum ferrum dirigit lapis, quòd is punctus maximam retineat uim. Indicio erit, quòd cum stella illa declinationē atq; distantiā à polo euariet, uariabit & distantia. Dices: Nō oritur nobis? Respicit punctum ortus sui in sphæra recta, loci in quo inuenitur. uelut cum est Papiæ, ea distat ab occidente partib. XXXI. sub æquinoctij circulo, respiciet locum ortus stellæ in finitore Arualies montis Mauritaniæ, qui fermè est sub circulo æquinoctij: & à Fortunatis, partibus XXXI distat. Ex quo patet, quòd in diuersis regionibus diuersa cœli puncta acus respicit: sed semper in æquali à polo distantia.

Rursus, ut dixi, aliqua est differẽtia inter lapidẽ et lapidẽ, quã prudentẽ nauclerum dignoscere expedit, atq; omnia ad meridiei lineam referre, quæ immobilis est, & in pyxide à linea eiusdem lapidis semper æqualiter distat. aliter aliquis error necessariò continget. Tertiò necesse est, ut hæc stella locum uariet, atq; distantiam. nunc enim est ualde proxima polo, cũ sit in XXI. parte geminorum. cum autem erit in fine sagittarij, distabit à polo partibus XLVII. Et si contendas, non esse hanc stellam propter distantiam à polo, quæ non concordat, & uelis esse aliam ex octauo orbe uisam & cognitam, aut altiorem quàm ut uideri possit, non contendo: modò scias, respicere magnetẽ punctũ finitoris recti loci eregionẽ in quo est, ubi sidus illud exoritur.

Ex quo patet, aberrare illos, qui generales rationes secreta perquirendi putant esse inutiles: non minus his qui totam artem ad generalia & rationem traducunt. Sed necesse est rationibus experimenta excolere, distinguere, declarare: aut rationibus inuenta, experimentis confirmare. Sed hoc omisisse, maior est error, homines q; ridiculos facit. Neq; enim quisquam fateretur, pilam ferream ponderis centum librarum, ferri tanto impetu per quinq; milliat sed diceret, puluerem illum non arsurum, aut non simul: aut ignem cogi posse facilius, quàm tantum pondus erupturum: aut erupturum quidem, sed statim impetum illum cessaturum. aut, quod uerisimilius esset, machinam etiã multo crassiorem disrumpendam. ut omnia facilius euentura credamus, quàm quod uidemus quotidie: & tam inuiolatum seruari. Contrà ratio multa docet his uerisimiliora, quæ experimentum docuit esse inania.

Caput XVIII. Quinam apti ad secreta inuenienda.

Non ignoro aliquos dicturos, id esse non posse, quod scripsi: deceptum meq; esse, cũ cuspis illa finitoris pũctũ obliqui, ubi lapis est, respiciat, non aũt recti, quod uerũ est: sed id tamen anguli illius seruata ratione contingit. Ob id secretorũ inuentores iuxta naturã principiorũ solertes esse oportet: in physicis quidẽ, iudicio atq; experientia pollere: in mathematicis aũt, ingenio, atq; earum peritia: in artificijs, quæ mistione constant, sensu & ratione coquendi, ac experientia: in præstigijs falsis, manuum agilitate, atq; sagacitate instrumentorũ: in his autem quæ à mente proueniunt, imaginandi ui præclara. ea enim est adeò potens, ut in nobis multa posit. Somnia facit, humores ac temperaturam mutat, dirigit, aberrare facit, multaq; alia præstat.

Forsan & in leuiores animas, ut puerorum & mulierum prægnantium, aliquid imprimit. In his enim quæ à Deo, ut iusticiam colamus: ea enim proprie, ac penè sola nos ei conciliat. omnes insuper studiosos,

studiosos, diligentes, ueritatis amatores, graues, ingeniosos, & qui multa uidean/t, perlegant, audiant, animaduertant: Dialecticam autem, atque librum hunc, scilicet primum & secundum librum de secretis, non semel, nec perfunctorie, sed diligentißimè ac uicies perlegant atq; considerent. Plura enim longè in eis continentur, quàm quæ prima fronte uideantur. Aspiret & diuinus fauor, sine quo omnia nostra irrita sunt. Quo fit ut adducar, postquam (ut dixi) non uideam qui diuinitus uel à dæmonibus de huiusmodi monitus sit, præterquam Alexandrum, Romanamq; mulierem: aduersus serpentum illum, hãc canis rabidi morsum: nec postea in usum talia prodierint, nec constans fuisse secretum (fallente plerumq; experimento) uideatur, admonitionem hanc à dijs nobis lumine rationis insinuari, ut ad meritos dona diuina perueniant.

Sed dices: Si diuûm numine ista inuenimus, cur machinæ bellicæ non nisi in cædes & meliorum iacturam inuentæ sunt: tum uenena, atq; huiusmodi? Ita que rationis lumen omnibus à Deo datum est, & locuples quidem ad bonum. Forsan uerò & dæmonum malorum commercio huiusmodi inuenta sunt. mali enim dæmonis profectò est, huiusmodi quæsisse. aut forsan liberum est hoc nostrum. Fauor autem numinis est, copia mentis, & bonorum desiderium: nõ lucri, aut ambitionis, uel uindictæ. Cui aquiesco.

Caput decimumnonum. Quę secreta olim nota, nunc ignota: & nunc nota, ignota olim.

Quæ nuper innotuerint, olim ignota fuerint, difficile est ob multitudinem numerare. Stapedes (ut dicunt) in ephippijs: uitrum uarium, & lineis interstinctum, tum quod crystallinum uocatur ob splendorem & perspicuitatẽ: specula uitrea omnia, sed rotunda paulo sunt antiquiora: olim è chalybe omnia conficiebantur. Horologia cum mola, & cum ponderibus: sed hæc paulo antiquiora. Purpura nostra, & colos ille quem à splendore uulgus chermesinũ uocat. Sericiars antiqua est: amissa paulo pòst, nunc ob copiam noua dici potest. Nolæ, pyxis nautica, typographica: sed hæc apud Indos iampridem in usu fuit. machinæ igneæ, uitrea organa. Sed ex omnibus utilißima tria: pyxis nautica, typographica, igneæ machinæ ad summam admirationem: tum detecta horum auxilio reliqua orbis pars, omnibus incognita antiquis, quæ maior est longè illorum noticia. Nam numero pares fermè sunt amissa purpura uera, et quinqueremium constructio: quanquam à Fausto maximis laboribus duæ aut tres fabricatæ apud Venetos. Hydraulica organa, & horologia inæqualium horarum, & electrum metallicum tam naturale quàm fictitium. Arietes ac testudines: sed hæc non tam amissa, quàm contempta, ut inutilia. Gemmarum

adulterinarum alterius generis compositio. Et si fides Plinio habenda, ducti / le uitrum. nam nostrum calidũ tantum duci potest. Ex simplicib. amissa plura nobilia: Balsamum, cinamomũ, amomũ, malobathrũ, aspalathum, narcaph / tum: & inter thymiamata, cyphi cõpositio. At contrà, plura & meliora omnia inuenta, uno excepto balsamo. Moschus, ex animali Zibethum: ambra, santhali, si ab aspalatho differunt. Manna, etsi nomine Galeno nota, casia nigra, mixa, myrobalani, rhabarbarum, tamarindi, garyophili nux Indica, nux myristica, macis: quamuis macerem quoquo modo Galenus agnouisse uisus sit. Multa alia nostra ætas inuenit, ut cælare ferrum. in quibusdam superatur, ut in numis quos medaglias uocat uulgus, cudentis cuneo: nam nostro tempore liquato metallo fabricantur. qui typis cuduntur, longè sunt inferiores.

Caput uigesimum. In uerbis scriptis, aut figuris, nullam esse uim magicam.

Porrò multi de imaginibus & præcãtationibus, uerbisq; maximè incognitis & inconditis dubitarunt, an his aliqua inesset uis? Quòd si dæmones essent qui hæc intelligerent, ex pacto quodam (ut aiunt) cieri possent. At nondum compertum est uerè, an sint dæmones: & si sint, an huiusmodi intelligãt, quæ non ex natura, sed hominum consensu orta sunt. non enim quòd sint excellentioris ingenij, sequitur confestim ut nostras nugas & commenta intelligant. homines enim formicarum consensum, ordinem, partitiones non intelligunt: nec tamen sequitur, eos formicis ingenio esse inferiores. Aliàs docuimus, mentes superiores non nostra uerba, sed mentẽ intelligere: ob id uno modo oẽs intelligunt linguas, & respondent unicuique propria lingua, quia in animo principium uerborum illorum, id est cogitationem fingunt, quæ illis ad uerba sua lingua prolata referuntur. Et si intelligant, non necesse est illos commoueri ut agant quod petimus. Sufficietq; petitio clara & ornata, si quid argumenta possunt, ut apud iudices rhetor aut orator. Sed non uidemus quenquã quicquam impetrasse. Cæterùm semotis his, palàm est uerbis & imaginibus nullas prorsus inesse uires, cum sint qualitates ab omni actione semotæ. operantur autem apud illos à quibus intelliguntur, significatorum ratione, aut repræsentatione. ut illud:

Multa gemens, largoq; humectat flumine uultum:
Dum muraretur Aeneas casus Troiæ depictos.

Itaq; in his secreta quærere superuacaneum est. Verùm in aliquibus ob firmam cogitationem & spem magna operantur: sed alia eorum loco, si scribas.

Caput

Caput uigesimumprimum. De fine eligendo.

Oportet ergo finem primum, si possumus, eligere: quandoquidem, ut dixi, à fine omnia dirigũtur. In morbis ergo nõ oportet breues eligere: quoniã antequã te inuenerint, occasio dilabitur. putãt etiã se fortuna sanatos. Neq; qui facile sanãtur: nã tuta uia in his præferri solet. Neq; lethales: nam morituris nullum prorsus auxiliũ confert. Sed uel pestilẽtes, quamuis breues. uel eos qui etsi curari possint, cura tamen inuisa est, ob periculi & noxæ magnitudinem: ut hernia, in qua curanda castrantur: uesicæ lapis, nebula in oculo confirmata, surditas, comitialis, podagra confirmata, sideratio, sterilitas, hydrops, elephãtiasis, carcinoma, ulcera chironia, carneæ moles: gulæ hernia, quam Bozium uocant: melancholia, tabes qualiscunq;, uarices: urigo urinæ, uel impedimentum: impetigo, contractio membri, uertigo, tinnitus, impotentia ad uenerem, morbus Indus. Sed ex his præstantissima, quæ curant morbos pernicioſos, assiduos, & dolorem afferentes: ut uesicæ lapidem, & carcinoma, hydropemq;: post herniam, oculi nebulam, melancholiam & comitialem: post sideratos, contractos, tabidos: inde reliquos.

De uitæ diuturnitate illud nobis solum utile est. nam antequam hominẽ ex sexagesimo anno ad centesimum ducas, tu si trigesimum annũ agas, ad septuagesimum antea peruenies: quo fit, ut antequam fides tibi habeatur, senescendum sit: & forsan aliquo casu tu ipse, uel ille in quem experimentum feceris, subtrahetur. Itaq; uel nunquam fructum ex hoc tuo secreto consequêris, aut ualde serò: & si tam serò, forsan præstat non percipere. occasio enim intempestiua gaudiorum & uoluptatis potius diſcruciat hominem, quàm delectet. Sed quæ occasio potest hominem septuagenarium, etiamsi bene ualeat, oblectare? Quid uoluptatis lucrum aut gloria afferre potest? imò potius dolorem, cũ partis uti nequit: & alijs, à quibus occultè odio habetur, parare cogitur. Poterit tamen si à patre qui experimẽtum dederit, id acceperit, autoritate patria gaudere: tum quibusdam uotis præoccupare. ut cum senex melius concoquit, uidet, audit, ad uenerem promptior est. Audiui equidem à patre meo, huiusmodi secretum septem millibus aureorum coronatorum uenditum Ludouico Sfortiæ, Mediolanensium principi, homini generosi, sed inconsulti animi. Cæterum de his quæ ad diuitias, nunc dicemus. in his enim & potentia & ornatus intelliguntur.

Caput uigesimumsecundum. De utili secreto, quot conditiones habere debeat.

Cæterũ id docere non tã facile est, ut quidam arbitrãtur. imò è nostris quidam id obiecit, quod cum alios docuerim, non inuenerim hucusq; tantus uiru.

Sed

Sed inuenisse innumera secreta me, planum est. Vnum uerò, quale expediret studioso & maximè senescenti inuenire, haud pronum est. nam plura requiruntur, ut tale sit. Primum, ut non sit fallax: multa enim ad morbos diuersos circunferuntur, quæ sanant: ut pestem, lapidem uesicæ persæpe frangi solius urticæ usus, et magis seminis Augusto mense collecti. alia circũferuntur aliter quàm sint. Persici arbos, exenterata medulla, non sine osse (ut ferunt) sed sine nucleo, fructus producit.

Oportet etiam lucrosa esse: unde præstigiarum secreta ad propositum nostrum parum conducunt. Tertiò, oportet esse utilia humano generi: unde non uenena, non machinæ docendæ. Quid enim (rectè inquit Christus) prodest homini, si uniuersum mundum lucretur, animæ uerò suæ iacturam apud inferos patiatur? Oportet præterea esse lucri magni: nam exilia lucra, dum hominem retrahunt à negocijs consuetis, plus afferunt damni quàm utilitatis. Quintum, ut sint rei uenalis: nam qui gemmarum folia, & smaltum (ut uocant) facere norunt, tametsi maximo cum lucro (quia parua quantitas prouinciam replet) fermè esuriunt.

Oportet etiam, ut non sint diuturnæ expectationis: ut qui myrrhina uasa sepeliunt, aut balsamum, aut adamantinos lapides: quorum usus frequens, lucrum ingens, sed uel ad nepotes fructus peruenit, aut saltem ad senectam usq;, ubi omnia ingrata sunt. Septimò, ne magni negocij opus sit: nam nondum expertis, & multis ministris, seu negligentia, seu imperitia aut dolo aliquid perierit, lucrum non solum, sed sors etiam decidit.

Nec si in sordida re collocetur, decet hominem iam nobilem in illo uersari, ubi diligentia turpis est, negligentia damnosa. Et si non succedat, fabula uulgi fies. Demum, quod maximum est, tale esse oportet, ut cælari possit. hoc in magna negociatione uix fieri potest. sic detecta specula, typographica, machinæ, folia gemmarum. Si lucrum magnum esse debet, magna merce opus est: multitudinem hanc non nisi multa materia efficere licet. sunt speculatores undique ministri, & pecunia corrupti, ubi lucrum ingens prospicitur: ut latère non possit. His tot causis difficillimum est secretum inuenire præstans, multa ignobilia facile est.

Caput uigesimumtertium, Quæ secreta inueniri nequeant.

Ob hæc multi multa mentiti sunt: gemmas, aurum, argentum facere pollicити, & inuisum hominem: quæ potius ridicula sunt nasutis, quàm admiranda imperitis. Species rerum non possunt transmutari. ut non ex oue bos, ita nec ex ære aurum. Quæ affinia sunt, ut æs & ferrum, transmutantur: quoniam differentiæ

rentiæ quibus distinguuntur, magnitudine sola differunt: ut color, durities, põdus, & perseuerãtia apud ignem. In gemmis ad speciem, ex durioribus ad molliores, est transmutatio, non contrà. Ad perfectionem ducere, naturæ solius opus est: secare, tundere, polire, molle reddere, artis. utitur autem homo persæpe natura tanquam ministra: quod si fiat aptè, plurimum utilitatis affert. Propterea ad perfectionem ardua uia, ad corruptionẽ prona et facilis. Volare quidam cupierunt, nonnulli etiam tentarunt: ad machinas hoc pertinet.

Caput uigesimum quartum, coniectura pro secretis inueniendis.

Ob id ergo coniectura assequi decet, quæ facile possint inueniri. Atq; primùm in singulis generibus quæcunq; iam inuenta sunt, facile ad perfectionem deducuntur: uelut metallorum separatio, illustratio, cæteraq; huiusmodi: & in quibus iam apparet miraculi species, ut in herculeo lapide: & quæ iam raritate sua conspicua sunt, & admiratione digna, uelut cephos & crocuta inter quadrupedia, Nereis & Triton inter pisces, muscaria & solanum maniacum inter herbas, inter lapides opalus & eumeces. Aut quæ forma sunt admirabili: ut napellus, cuius flos concluſus capitis mortui imaginem refert, cum herba præsens sit uenenum: & scorpioides aduersus scorpionum ictus, & orix ac rhinoceros. uel ortus ratione: ut iuncus, qui ex lapidibus ipsis in mari Britannico nascitur: & caprificus, sed hic inter lapides: & filicis semen (de quo ita Hieronymus Tragius: Tametsi nanque omnes qui de herbis scripsere, filicem neque florem, neque semen proferre asserant, tamen rem aliter se habere non semel ipse comperi, quod hoc loco in gratiam studiosorum herbariæ rei commemorandum duxi. Nam cum quaternis annis ex ordine in uigilia, ut uocant, festi Ioannis Bapistæ noctu id semen indagare constituissem, inueni summo mane, antequam illucesceret, nigrum, exiguũ, papaueriq; haud absimile semen, quod ut colligi posset, expanderam prius sub filicib. pannos, & uerbasci folia. Multæ aũt filices nullum semen reddebant, cum sub alijs uicissim singulis centena liceret semina legere. Cæterũ ad id negocij nullis characteribus, nullis coniurationibus, nullis periculis, nulla deniq; superstitione usus sum: sed citra huiusmodi Magicas uanitates semen hoc, duobus aut tribus comitibus stipatus, igne per uiciniã eã incenso, totaq; nocte flagrante quæsiui, quæsitumq; nonnunquã inueni, aliquando non inueni: nũc multum, nunc parũ colligẽs. Quare uerò hæc diuersitas contingat, aut quid sibi in ea re natura uelit, mihi sanè nõ constat. Sic & uirgilias & aglaiphotidẽ obseruabis, et quæcunq; peculiarẽ cũ sideribus coniunctionem habent. Quibusdam ex proprietate, ut lynx. Sed lynceum falso ceruariũ lupũ Galliæ familiarẽ, chaum

Plinij esse credũt, cum sit Aethiopiæ bellua: nec tam diuersis cœli partibus eadem oriri potest. Tametsi Virgilius in Eclogis, lynces Arcadiæ donet. Hac fera nihil oculatius, ut nil chameleonte timidius. Aut ex consensu & inimicitia, & operationibus: ut ex equæ semine, ac colluuie canis, dum in uenerem efferantur ac turgẽt. Itaq; singula rara rimari oportet: uulgata autem, si quid sit admiratione dignum, dum se produnt, uiam facilem ad alia secreta inueniẽda promptè pandunt ac docent. Tum uerò & animalium medelas, aut hirundinũ effossis pullorum oculis, & huiusmodi. Generaliter autem omnia uenenata uiuentia magnas uires habent. Et ideo si quis bufonis uires æstimet, magnam pariet apud illum admirationem. Sed ut magica, ita periculosa sunt auxilia. Quædam à forma figuraq;, ueluti galiopsis radix altera hæmorrhoidas solo contactu sanat, altera strummas: sed epota etiam, & insuper emplastri instar apposita. astacorum caro & cortex fluuialium ad diabeten, & canis rabidi morsum. cui etiam in aquæ metu cynorhodi radix auxiliatur. Nescio an nomen ex hoc sumpserit frutex, an antea prius haberet. uerisimilius tamen est antea habuisse, postquam experimentum apud Romanos dictio Græca est. Similiter in his quæ extra hominis naturam sunt, ex proximis deducendi ratio est. Scire autem principia decet, uelut quod omnia metalla mista efficiuntur magis cruda, & minus flexilia. indicio est cuprum ex plumbo & ære, similiter et aurichalcum ex ijsdem ac terra quadam crocea. sic & quod Peltrũ uocamus, ex utroq; plumbo mistum: sed quæ adduntur, non ad lentorem tollendum, sed duritiem augendam imponi solent. Constat æs fieri posse quod argento pulchrius sit, atq; precios ius: meminit huius Procopius, factumq; affirmat à Iustiniano, auri splendorem & colorem cum haberet. Constat fuisse orichalci genus.

In primo De ædificijs Iustiniani.

Caput uigesimumquintum. De modo tradendi secreta, ut autoritatem suam retineant.

Cæterùm illud pulcherrimum erit, cuius imaginem iam sæpius expressimus, scilicet hic, & in libello de Aethere, & in quarto huius: scribere secreta sic, ut secreta esse non desinant. His autem regulis constat hæc ratio, quæ toties repetenda est, quoties fuerit opportunum: scilicet ut tradamus rem per regulas plures generales, quæ necessariò unum ipsum concludunt: Deum imitantes, qui quæ uoluit abdidit. & tamen necessaria esse perspicuum est, & ad singula determinata. Ille motus astrorum certis rationibus mensurisq; metitus est, ut singula quæq; suo euenirent tempore. & certè effecit: nec tamen hominum quisquam ad hanc usq; diem rationem illam potuit intelligere Videmus

in

in nodis, qui ex duobus filis constant: in tribus uerò uix quisquam se explicare ualet, in quatuor prorsus nullus. Ergo duplici exemplo edocemur, scribere uerissima & exactè & ordinatè, quæ tamen his aut illis secreta erunt, alijs & pluribus longè omnino ignota.

Quòd si obijcias, non posse unquam illa intelligi: uel si intelligantur, declarata ab illo effectura ut prima contemnantur. Respondemus: primùm metiri oportere ingenium humanum. quæ enim traduntur, moderatè sunt, non ex toto obscuranda. Quòd si in lucem uenerint, aut per hominẽ mediocris aut paulo plusquam mediocris ingenij, atq; sic cum multa illum præteriturum sit necessarium ad rem pertinentis, etiam euulgata: alius superueniens deprehendet primi expositoris defectum, atq; sic negocium ad fontem & autorem redibit. Quòd si uel per se primò, uel per successionem expositorum res tota explanata uideatur, hominibus mirantibus artificium inuentoris, multis de causis charus liber Secretorum erit: primùm, ob reliqua quæ ibi scripta erunt: secundùm, ob autoris excellentem industriam, quæ imitabilis erit & iucunda intellectu: tertium, quòd aliquid etiam nondum deprehensum, in eo quod explicatum est, esse suspicabuntur: quartum, ob autoris autoritatem, ad quam omnes inuenta libentius referunt: uelut ad Aristotelem potius quàm Simplicium uel Auerroim. Porrò multiplex utilitas ex huiusmodi traditione habebitur. Prima quidem, quòd res inuenta non pereat: secunda, ad inuentoris gloriam, nomenq;: tertia, ut ingenia inquirendo exerceantur, inueniendo admirentur: quarta, ut plura paucis, etiam cum causis suis explicentur, & quòd arcana in uulgus non profanentur. Vulgus enim bene inuenta & utilia præcepta, dum imperfectè intelligit, & utilitatem solum curat, ad malos usus conuertere solet. Multa etiam alia sunt quæ consultò prætermitto. Cum uerò unicuiq; medicamento suum opponatur deleterium, & in unaquaq; arte sunt uitia: maximum flagitium est, tali modo quæ uera non sunt posteris tradere. Cuiusmodi scriptis atq; ambagibus pleni sunt libri Chymistarum, necromantiæ, & agyrtarum.

HIERONYMI CARDANI
MEDIOLANENSIS MEDICI,
DE GEMMIS ET COLORIBUS, Liber unus.



Emmarum differentiæ plures sunt, aliæ quidem, quæ earum naturam sequuntur, & differentiæ causa sunt: aliæ uerò solum casu contingunt. Cuiusmodi paruitas, magnitudo, color plenus, exilis, puritas, maculæ, fractura, uenulæ quædam. Quæ uerò ad speciem referuntur, duorum sunt generum: color, ac nitor. nam durities ad nitorem reducitur, uelut illius causam. Quæcunque enim gemmæ sunt duræ, nitent plurimum, & nitor earum constans est: quæ uerò molles, parum nitent, & facilè quod habent nitoris amittunt. Per gemmas intelligo, quæ adeò duræ sunt, ut à lima non comminuantur. Et quanquam in hoc omnes conueniant gemmæ, ut à lima non tangantur: duriores tamen multo sunt aliæ alijs. nam quædam à plumbo albo poliuntur, quædam ære indigent, aliæ smiride non tanguntur: estq; insignis distantia duritiei adamantis & crystalli (si quidem crystallus gemmarum molliſsima ac tenerrima est, & ab illa ordo gemmarum incipit, ut & amethysti. nam ex eadem materia ambæ hæ, & in eisdem locis fiunt) & longè maior quàm crystalli à latere, uel marmore. Nullas ex hoc ordine eximere licet. adijcere tamen licet tres, ob decorem, precium & pulchritudinem, quæ tamen gemmæ non sunt: margaritam, eranon, & topatium. nam nulla harum à lima non tangitur, quamuis ad gemmarum pulchritudinem & precium accedant. Sunt ergo differentiæ gemmarum omnium à nitore & colore.

Nitoris quinq; differentiæ: rutilans, ut adamas: nitens, ut sapphirus: languida, ut carneolus & sarda: inæqualis, ut iaspides: obscura, ut lapidis fulminei, quem lima non tangit. Obscuritas certè aliena plerunq; est à natura gemmarum. His differentijs magis quàm ullis alijs uariantur naturæ gemmarum, & magis quàm coloribus ipsis.

Colorum differentiæ principales septem sunt: albus, flauus, ruber, uiridis, cœruleus, uinosus, & niger. Niger in achatis specie quadam spectatur: uinosus, in amethysto: cœruleus, in sapphiro: uiridis, in smaragdo: ruber, in carbunculo: flauus, in chrysolitho: albus, in crystallo.

Omnes

Omnes autem colores ad hos deducuntur. uelut albi species est candidus, in adamante purissimo, nec scio an in ulla alia perspicua gemma: albus autem cum perspicuitate, non est in margaritis, & quadam specie carneoli: & aqueus, ut crystalli: & eburneus, ut in quibusdam achatis generibus: pallidus, ut in onyche (habet enim pallor quiddam nigri undiq; admistum, ut cinereus distinctis partibus) cinereus, ut in eumece & astrite: sed eumeces, ut dicemus, silicei proprie magis quàm cinerei est coloris. Sub aqueo rursus aliquæ continentur differentiæ, uelut aqueus purus, de quo dicemus: & crystallinus, qui candorem habet admistum: & uitreus, qui fusci plus continet quàm aqueus. Sic sub flauo continentur, flauus proprie dictus: & puniceus, qui est initium rubri: & croceus, & ferrugineus, & luteus, & fuluus. Sub rubro, purpureus, roseus, sanguineus, flammeus. Sub uiridi, citreus, uirens, herbosus, æruginosus, & prasinus. Sub cæruleo, proprie quatuor sunt colores: purus, ut in erano: proprius, ut in cœlo sereno, & sapphiro: fuscus, ut in cyaneo: & glasteus.

Nigri quatuor sunt species: ater, niger, fuscus, & liuidus. Vinosi duæ tantum, amethystinus & uinosus, qui ad rubrum tendit. In uniuersum igitur, species simplices triginta tres. Compositorum autem colorum ex duobus, cum sint simplices septem, erunt uiginti & una. ac rursus ex pluribus coloribus una, maculosorum una, & stellatorum una: ut sint omnes compositæ uigintiquatuor, & cum simplicibus quinquagintaseptem. Sed sub ultimis tribus uariæ, imò innumeræ (ut clarum est) species continentur. Primæ igitur differentiæ gemmarum, quia obscuræ, uix possunt esse gemmæ, erunt ducentæ & uigintiocto: ductis scilicet quinquagintaseptem per quatuor.

Verùm non omnes colorum differentiæ uariant gemmarum speciem. nam adamantes & albi, & flaui, & rubri, ut ego nunc habeo, sed tamen languido colore, inueniuntur. Et achates & iaspides, omne genus coloris recipiunt. Iaspides tamen appellamus, cum natura magis terrei sunt, molliores, obscuriores, ac magis opaci. Achates, cum magis nitent, & perspicuitatem quandam retinent. Dices: achates, qui nigri alba fascia distinguuntur, non sunt prorsus perspicui? imò sunt, si in tenues ac latas laminas diuidantur. tunc enim in opaco perspicuitas uidetur: ut contrà in iaspide, in perspicuitate inæqualitas & turbulentia, atq; obscuritas, adeò ut constet utrumq; lapidē fieri ex diuersis congestis materijs, atq; exhalationibus: sed achatem ex tenuibus, iaspidem ex terreis, crassis atq; impuris: quocirca etiam errores & uitia maiora sunt & frequentiora in iaspide, quàm in achate.

Sunt uerò & lapides ſpectatæ nobilitatis, præter gemmas (de quibus etiam dicemus) numero quinq; : Coralius, Herculeus, Aſtrites mollis, Aſtroites & Elaphios. Sunt rurſus differentiæ aliæ, quæ quoq; ſpeciem gemmarum uariant, quãdoq; ſolùm nobilitatem: duæ autem ſunt præcipuè, i forma & perſpicuitate. Perſpicuitatis ſunt quinq; modi: Serena, pinguis, nubiloſa, miſta, & opaca. A forma, quoniam quædam ſunt quadratæ, aliæ figura pyramidis, aliæ aũt hexagona ut cryſtallus. At quoties forma hæc aut maculæ in omnib. conſtant, ſeparatum ab aliis atq; diſtinctum genus gemmarum efficiunt, atq; efficax plerunq;. ut enim alia eſt forma abſinthij, alia aloes, præter colorem: ita nihil tam diſtinguit genera lapidum, quàm forma. At genus unumquodq; ſuæ uires proculdubio comitantur. At plantæ, ſi edantur, ſuas repentè explicant uires, ſed citò deſituras: gemmæ autem non repentè, nec comeſtæ, niſi paucæ illarum. uerùm geſtatæ in digitis, aut collo appenſæ, aut certæ parti alligatæ, opus ſuum perficiunt, & in multa ſecula extendunt. Quare haud tutum eſt lapides gerere incognitos, & aſſiduè ſecum ferre: non ſecus enim, ac de dæmonib. malis fertur, homines præcipites agunt. gignunt enim in animis noſtris uarios affectus, contumaciæ, timoris, auariciæ, odij, inuidiæ, petulantiæ, triſticiæ, iræ, quorum medio homines euertuntur. Siquidem uita hominis maxima ex parte, tum illius fortuna, moribus & affectibus conſtat. Si hoc ſolùm quis cogitet, quòd unum tantum eſt inter tot: ſcilicet quod Mundo parere & obſecundare, maxima mala uitare facit, & felicitatem non mediocrẽ affert: contrà, uelle (quamuis tu ſis probus, ſapiens, rectéq; uiuens, ac de humano commodo ſentiens) conari Mundum in tuam trahere ſententiam, ſemper in contentionem te trahet, plerumq; etiam maximis calamitatibus oppreſſus miſerè peribis: facilè intelliges, uitæ noſtræ curſum fortunamq; fermè totam ex moribus noſtris & affectibus pendere: quare etiã magnum afferre poſſe detrimentum aut auxilium geſtamen lapidum atq; gemmarum. Et niſi eſſet in eiuſdem ſpeciei gemmarum uiribus maximum diſcrimen (quale etiã in herculei lapidis fruſtis cernitur, ut aliqua, cum magna ſint, uix acum moueant: alia autem multo minora & exigua, ut aliquando uidi, trahant clauum: atq; hæc rariſſima, illa frequentiſſima) ita omnes ad hanc diem intelleXiſſent, quantum ualeat, gemmam felicem aut infelicem geſtare. Qua de cauſa cõtingit, ut quidam maximè iuuentur, alij lædantur, plures autem ab eiuſdem generis lapidibus nihil momenti ad felicitatem aut calamitatem percipiant. Vnde qui prudentes ſunt, felicium gemmas tanquam experimento comprobatas, ſecum deferre ſtudent.

Nemo igitur dubitet, egregias uires ineſſe gemmis: ſed ſtatuat etiam, in his quæ

his quæ plurimum possunt generibus, paucas esse insignium uirium. quòd si in has incidere contigerit, maximas in uita (uelut etiam ex usu ciborum circa corpus) mutationes afferunt.

Quædam etiam forsan aliquid plus possunt, occulta ratione ipsa hominis fortunam mutando. Sed quoniam de his nihil habeo quod in medium afferã, & prima ratio sufficit ad seruanda ea quæ uidentur, illa una modò contentus ero. Similiter ne (quod uitio uerti potest Galeno atq; alijs, in medicamentis, cum omnia ad Methodum quandam deducere conati sunt, sed falsam postmodum, nec generaliter omnibus satisfacientem experimentis) id ego in lapidum enarratione obseruare conabor. Præstiterit forsan Galenum imitari ex parte, & illius propositum moderari, scilicet ut rationem quandam pluribus experimentis ac uiribus congruentem inuenire coner: reliqua ex experimentis ipsis tum meis, tum etiam aliorum, sed rectè examinatis, colligam atque adijciam.

Porrò cum in alijs operibus sæpius de huiusmodi materia sermonem habuerim, nec expediat repetere quæ dicta sunt alibi (id enim frustra fiet) hac in tractatione sufficiet tria attigisse. Primùm, ut colorum naturam distinguamus, ac nomina: quod iam præstitimus. Secundum, ut causas ipsorum colorum demonstremus: neq; enim satis uel Aristoteles, seu Theophrastus ipse, hac in parte magistro suo diligentior, hoc negocium prorsus absoluerunt. Tertium, ut unicuiq; colori gemmas suas subijciamus: non obliti trium aliarum differentiarum, scilicet nitoris, perspicuitatis, atq; figuræ.

Primùm igitur proponamus colorum ipsorum nomina atq; differentiam, ex ordine dicto prius: atq; id examinemus, primùm an liber de coloribus qui inter Aristotelis libros connumeratur, illius sit, an potius Theophrasti, at forsan neutrius eorum. multum enim refert quo duce nauigemus, & dictis pondus autoritas magni uiri afferre solet. Ludouicus Viues, morem temporum secutus, eorum Operum quæ omnibus nota sunt censuram proposuit, inter tot expositores egregios qui nunc extant, Alexandrum, Ammonium, Themistium, Simplicium, Philoponum, Auerroem, Thomam, parum uerecundè: cum aliorum, de quibus dubitatur, ne uerbum quidem habuerit. è quorum numero hic est, qui de Coloribus inscribitur. quem ego Aristotelis non esse existimo, ob initium quòd assumit, Elementa scilicet esse colorata. atq; eo magis, quòd aerem & aquã alba esse dicat, & terram etiam: Solem autem & ignem, flauum. at nec talia sunt quæ dicuntur, nec uidentur. Cum uerò ad inuẽtionis et disputationis artẽ respicio, nec deses, nec ignauus uidetur autor,

nec à

nec à Peripateticorum schola alienus. Itaq; uel Aristotelis, sed iunioris: uel Theophrasti esse crediderim. Sed utcunq; statuatur, initium faciemus nostro more, ab his in quibus omnia consentiunt experimenta. ea enim planè sunt manifestißima uere, non quæ primò occurrunt, uelut plerisq; falso putant.

Constans igitur maximè est, Album fieri, collecta plurima luce: ut nigrũ, nulla. namq; & nox & tenebræ omnes nigræ esse uidentur: & umbræ, quo magis opacæ, eo nigriores. Et quæ alba sunt, obscurißima in nocte alborem remittunt: Et quæ alba in nocte uidentur, locum circumiacentem splendore illuminant. Porrò & illud manifestißimum est, lumen ab aliquibus remitti: ut à speculis, aqua, crystallo, uitro. eaq; quatenus remittunt, omnis coloris expertia esse, tum quia non colligatur lumen, tum quia reditu suo coloris comprehensionem impediat: eaq; nitida uocantur. Alia sunt in quibus lumen trãsit, atq; ea dicuntur perspicua, & nullum habent colorem: quia recipiunt, & non retinent: qualia, ut dixi, uitrum, crystallus & aqua. Oportet autem recipere & continere lumen, aut omnino non recipere, ut color efficiatur. Quæcunq; igitur lumen non recipiunt, nigra sunt: ut carbo. quæ uerò recipiunt, nec retinent, sed transmittunt, sine colore sunt, & perspicua uocantur. Quæ uerò recipiunt, ac retinent, alba sunt: quæ remittunt, seu recipiant, seu non, nitida & specularia. Eo fit, ut nullum prorsus album possit esse perspicuum: quia ut album sit, necesse est ut contineat lumen: at ut perspicuum sit, ut remittat. Fieri autem non potest ut simul contineat lumen, atq; transmittat. neq; igitur ullum perfectè album, perspicuum esse potest. Sed neq; nigrum ullum, perspicuum: si enim non recipit, quomodo transmittere potest? Reliqui colores cum perspicuitate esse possunt. nam medij sunt, ideò partim retinent, partimq; transmittunt: uel si nõ transmiserint quicquã, opacæ fiunt. Causa autem cur hæ transmittunt, hæ non, est, quòd cum sint duo elementa grauia & solida, aqua perspicua est, & lucis capax: terra aũt non. nam si lumen exciperet atq; transmitteret, esset in perpetuo motu: ut elementum aeris & aquæ. quæ ergo aquea sunt, perspicua sunt, & lumini peruia: quæ terrea, non. At nitida sunt, in quibus lumen colligitur. colligitur autem solùm in læui, seu cauo, seu conuexo, seu plano: in aspero autem non potest colligi, ob partium inæqualitatem. quod facilè demonstrari Geometrica ratione potest. Igitur nitida, quæ læuia: & læuia, quæ dura. alia enim talia manere diu non possunt. quæ igitur dura, nitida sunt. At quæ lumen excipiunt, sunt, quæ porosa, ut ita dicam: quæ autem densa, non excipiunt: unde oleagina lumen non excipiunt, cum exusta fuerint. Densum, humidum, ex imo euocatum, prohibet lumen ingredi. unde carbones, & fumus, & amurca,

amurca, nigra sunt: sunt enim densa humido terrestri. ut enim terrestre (ut dixi) lumini peruium non est: ut densum, non recipit: itaq; nigrum efficitur. quòd si etiam molle sit, non remittit: ideoq; nec nitet. Carbo igitur nec nitet, nec est perspicuum, nigrumq; est: Singulaq; demonstrantem habent causam ac rationem. neq; enim perspicuum est, quia terreum: neq; nitet, quoniam molle: & nigrum est, quia densum ac terreum. Itaq; terrea substantia efficit ipsum & opacum simul, & nigrum. quo fit, ut pauca nigra perspicua sint: nam exactè nigrum nullum perspicuum esse potest. Non sunt autem nigra omnia ob calorem, neq; ustionem. catuli enim & boues nigri nascuntur, ac magis quàm in ætatis processu, cum tamen calidiores euadant. Quæ uerò non exactè nigra, uel non exactè alba, & quæcunq; imperfecta sunt in uno genere, huiusmodi qualitatibus participare possunt. Sed neq; ferrea rubigo nitet, ob molliciem: nec perspicua est, quoniam terrea: & tamen non nigra est, quia luminis est particeps. Sufficit ergo ut densa sit, & parum luminis excipiat, ut non sit perspicua. Lac autem album est, nec nitet: quoniam durum non est. quæcunq; autem alba uehementer sunt, necesse est esse nitida. cum enim alba uehementer plurimum colligant lumen, nec perspicua sint (non enim essent perfectè alba) necesse ut idem ex parte remittant, quare nitida erunt.

Quæ ergo nocte lucent, alba esse necesse est, ac nitida: quoniam & remittere oportet lucem, & plurimam partem etiam secum retinere. At cum in medio nigro uideantur, ut dictum est, scilicet in tenebris, ubi nullum lumen est: necesse est ut sub colore ignis uideantur. nam ignis color ex nigro alboq; quasi æqualiter permistus est. Quocirca omnis ignis etiam rubet: quoniam, ut dixi, in humido exusto est, atq; ideo in materia nigra: ipse uerò candidus. ex albo autem & nigro ea ratione, ne dicendis obstem, ruber color efficitur. cumq; flamma sit fumus ardens, pruna autem carbo: tanto candidior est flamma ipsa pruna, quanto fumus carbone minus niger est. unde ex flamma materiam, quæ ardet, conijcere licet. nam metallica quod plurimum terrei contineant, flammam cœruleam puram mittere solent. In columborum autem collo illud idem perdiscere licet. nam cum nigræ sint pennæ, & ob plumæ tenuitatem lumen facilè ingrediatur, & maximè illucescente Sole: necesse est collũ columbæ uideri uarijs depictum coloribus, quos assiduè mutat ob facilitatem motus pennarum, quæ quàm minimum permutatæ maximam colorum differentiam pariunt in partibus colli. Iccirco uiridem & cœruleum, rubrũq; maximè spectare licet: quoniam hi colores nigro proximi sunt. Quòd si color pennarum dilutior nigro sit, & ipsa auis in Solis radijs etiam puniceus spectatur, multoq; maior multitudo colorum quàm si in umbra delitescat.

nec à Peripateticorum schola alienus. Itaq; uel Aristotelis, sed iunioris: uel Theophrasti esse crediderim. Sed utcunq; statuatur, initium faciemus nostro more, ab his in quibus omnia consentiunt experimenta. ea enim planè sunt manifestissima uere, non quæ primò occurrunt, uelut pleriq; falso putant.

Constans igitur maximè est, Album fieri, collecta plurima luce: ut nigrũ, nulla. namq; & nox & tenebræ omnes nigræ esse uidentur: & umbræ, quo magis opacæ, eo nigriores. Et quæ alba sunt, obscurissima in nocte alborem remittunt: Et quæ alba in nocte uidentur, locum circumiacentem splendore illuminant. Porrò & illud manifestissimum est, lumen ab aliquibus remitti: ut à speculis, aqua, crystallo, uitro. eaq; quatenus remittunt, omnis coloris expertia esse, tum quia non colligatur lumen, tum quia reditu suo coloris comprehensionem impediat: eaq; nitida uocantur. Alia sunt in quibus lumen trãsit, atq; ea dicuntur perspicua, & nullum habent colorem: quia recipiunt, & non retinent: qualia, ut dixi, uitrum, crystallus & aqua. Oportet autem recipere & continere lumen, aut omnino non recipere, ut color efficiatur. Quæcunq; igitur lumen non recipiunt, nigra sunt: ut carbo. quæ uerò recipiunt, nec retinent, sed transmittunt, sine colore sunt, & perspicua uocantur. Quæ uerò recipiunt, ac retinent, alba sunt: quæ remittunt, seu recipiant, seu non, nitida & specularia. Eo fit, ut nullum prorsus album possit esse perspicuum: quia ut album sit, necesse est ut contineat lumen: at ut perspicuum sit, ut remittat. Fieri autem non potest ut simul contineat lumen, atq; transmittat. neq; igitur ullum perfectè album, perspicuum esse potest. Sed neq; nigrum ullum, perspicuum: si enim non recipit, quomodo transmittere potest? Reliqui colores cum perspicuitate esse possunt. nam medij sunt, ideò partim retinent, partimq; transmittunt: uel si nõ transmiserint quicquã, opacæ fiunt. Causa autem cur hæ transmittunt, hæ non, est, quòd cum sint duo elementa grauia & solida, aqua perspicua est, & lucis capax: terra aũt non. nam si lumen exciperet atq; transmitteret, esset in perpetuo motu: ut elementum aeris & aquæ. quæ ergo aquea sunt, perspicua sunt, & lumini peruia: quæ terrea, non. At nitida sunt, in quibus lumen colligitur. colligitur autem solùm in læui, seu cauo, seu conuexo, seu plano: in aspero autem non potest colligi, ob partium inæqualitatem. quod facilè demonstrari Geometrica ratione potest. Igitur nitida, quæ læuia: & læuia, quæ dura. alia enim talia manere diu non possunt. quæ igitur dura, nitida sunt. At quæ lumen excipiunt, sunt, quæ porosa, ut ita dicam: quæ autem densa, non excipiunt: unde oleagina lumen non excipiunt, cum exusta fuerint. Densum, humidum, ex imo euocatum, prohibet lumen ingredi. unde carbones, & fumus,

& amurca,

amurca, nigra sunt: sunt enim densa humido terrestri. ut enim terrestre (ut dixi) lumini peruium non est: ut densum, non recipit: itaq; nigrum efficitur. quòd si etiam molle sit, non remittit: ideoq; nec nitet. Carbo igitur nec nitet, nec est perspicuum, nigrumq; est: Singulaq; demonstrantem habent causam ac rationem. neq; enim perspicuum est, quia terreum: neq; nitet, quoniam molle: & nigrum est, quia densum ac terreum. Itaq; terrea substantia efficit ipsum & opacum simul, & nigrum. quo fit, ut pauca nigra perspicua sint: nam exactè nigrum nullum perspicuum esse potest. Non sunt autem nigra omnia ob calorem, neq; ustionem. catuli enim & boues nigri nascuntur, ac magis quàm in ætatis processu, cum tamen calidiores euadant. Quæ uerò non exactè nigra, uel non exactè alba, & quæcunq; imperfecta sunt in uno genere, huiusmodi qualitatibus participare possunt. Sed neq; ferrea rubigo nitet, ob molliciem: nec perspicua est, quoniam terrea: & tamen non nigra est, quia luminis est particeps. Sufficit ergo ut densa sit, & parum luminis excipiat, ut non sit perspicua. Lac autem album est, nec nitet: quoniam durum non est. quæcunq; autem alba uehementer sunt, necesse est esse nitida. cum enim alba uehementer plurimum colligant lumen, nec perspicua sint (non enim essent perfectè alba) necesse ut idem ex parte remittant, quare nitida erunt.

Quæ ergo nocte lucent, alba esse necesse est, ac nitida: quoniam & remittere oportet lucem, & plurimam partem etiam secum retinere. At cum in medio nigro uideantur, ut dictum est, scilicet in tenebris, ubi nullum lumen est: necesse est ut sub colore ignis uideantur. nam ignis color ex nigro alboq; quasi æqualiter permistus est. Quocirca omnis ignis etiam rubet: quoniam, ut dixi, in humido exusto est, atq; ideo in materia nigra: ipse uerò candidus. ex albo autem & nigro ea ratione, ne dicendis obstem, ruber color efficitur. cumq; flamma sit fumus ardens, pruna autem carbo: tanto candidior est flamma ipsa pruna, quanto fumus carbone minus niger est. unde ex flamma materiam, quæ ardet, conijcere licet. nam metallica quod plurimum terrei contineant, flammam cœruleam puram mittere solent. In columborum autem collo illud idem perdiscere licet. nam cum nigræ sint pennæ, & ob plumæ tenuitatem lumen facilè ingrediatur, & maximè illucescente Sole: necesse est collũ columbæ uideri uarijs depictum coloribus, quos assiduè mutat ob facilitatem motus pennarum, quæ quàm minimum permutatæ maximam colorum differentiam pariunt in partibus colli. Iccirco uiridem & cœruleum, rubrũq; maximè spectare licet: quoniam hi colores nigro proximi sunt. Quòd si color pennarum dilutior nigro sit, & ipsa auis in Solis radijs etiam puniceus spectatur, multoq; maior multitudo colorum quàm si in umbra delitescat.

Verùm cum satis hæc sint iam explorata, quærere satius ducimus, Cur, si colores fiunt ex multitudine aut paucitate luminis recepti, quædam etiam in ipsa nocte alba uideantur: & modò uideantur, semper alba manent. Etenim cum minus recipiant lucis in nocte, quàm rubra & uiridia in die, nunquam tamen uiridia uel rubra uidentur, quantumcunq; obscura nocte, sed semper alba. Necesse est ergo iam aliud principium non parum utile inuenire, atq; inuentis adijcere: scilicet, Quibusdam rebus inter splendorem ac lucem, nec omnem exterius aduenire. Ob id nix etiam noctu alba est, quoniam in ea aer lucidus continetur. An forsan dicemus, quod uerius est, in quibuscunq; aer continetur purus, talia omnia etiam per tenebrosam noctem alba uideri: quòd exiguum lumen in eo sparsum, speciem præbeat multi luminis? atq; sic non solùm niuem uideri, sed etiam causam esse ut reliqua uideri possint. Vbi tamen omnino lux desit, uelut cum in conclaui tenebroso nix est, tunc non uideri, sed nigram esse, ut reliqua omnia: quia aer ille omnino luminis sit expers. hoc autem ueri similius uidetur.

Propterea eorum quæ alba sunt, quædam nocte nigrescunt facilius, ut lac: quòd cum densum sit, aeris minus habeat: calx autem recens, & multo minus nix, non nigrescunt nisi in extremis tenebris. Quæ ergo aerem in se continent iuxta quantitatem suam, quoniam in tenebris absolutis nigrescunt, cum lumine uidentur iuxta quantitatem luminis recepti, atq; ideò aeris certum sibi determinant colorem, qui iuxta quantitatem luminis dilui aut obscurari potest. Ideò purpura semper rubra, & folia semper uiridia, licet modò magis modò minus uidebuntur. Et quandocunq; dilutiora, tunc etiam splendidiora: ut cum obscuriora, etiam magis colore pressa. At in quibus nullus certus continetur aer, ut in superficie ubi umbræ apparent, et in collo columbæ, ubi prorsus uariatur quantitas aeris ad singula momenta, uariatur etiam color. Ideo non ob uarietatem lucis, ut dicit autor ille (nam lux eadem est) sed nec luminis, sed aeris, excepti inter plummam & plumam, colores uariantur. Itaq; colorum quidam stabiles sunt in rebus, in quibusdam rebus mutantur: & cur, & in quibus, iam dictum est.

Sequitur ut uideamus, cur quidam colores parum retineant luminis atq; nitoris, ut cinereus, & magis ferrugineus: quidam uerò multum, ut uiridis, puniceus, & omnium maximè candidus, pòst etiam purpureus: &, quòd magis mirum est, cœruleus, cum tamen nigro proximior ferrugineo sit, & multo magis cinereo. Vnde quæstio ista perdifficilis omnino uidetur, atq; sola quasi principijs propositis repugnans. Videtur autem sic esse. nam auium paucis, his coloribus plummæ tinguntur, scilicet cinereo & ferrugineo:

gineo: quòd,ut dixi,plummæ cum ob tenuitatem aerem contineant, non solũ inter plummam & plumam (ut in columbarum collo, ubi plummæ sunt tenuissimæ)sed etiam inter eiusdem plummæ partes.aliter nõ esset ullus,ut dixi, auibus certus plummarum color.& cinerei quidem coloris sunt ardeolæ, & anatum ac anserum quædam: at ferruginei nullam propè dixerim. & si qua est,necesse est plummis ad modum pilorum ualde crassis esse. at contrà pili animalium nec uirides sunt, nec punicei,nec cœrulei aut purpurei:& tamen albi inueniuntur maximè, ut leporum Sarmaticorum,& cuniculorum etiam apud nos. Quare etiam illud repugnare his quæ diximus uidetur.Si enim pili non sunt cærulei aut uirides, quia hi colores sint cum multo lumine continet multo minus erunt albi,quòd uerùm non est. aut album nonplus luminis in se coloribus dictis, quòd antea tamen conclusum est.

Propterea sciendum, idem lumen dealbare magis aut minus, iuxta alias conditiones. quæ enim nitent, aut sunt perspicua, plus uidentur habere luminis, tametsi non habeant, his quæ nec perspicua sunt, neq; nitent. In quibus enim colligitur, illa magis alba uidentur, non tamen nitent,si mollia sint. In pilis ergo, quòd læues non possint esse, nullus splendidus color inesse potest,sed albi tamen esse possunt.ferruginei autem sæpe sunt, non quia non nitent: sed non nitent,quia molles,ideoq; inæquales.mollia aũt plurima,& non humida,colorem illum rubiginosum habent: quòd ille color pullo proximus sit,atq; ideo terræ puriori conueniens. At quid ferrugini deesse potest,ut terra sit,cum sit ferri excrementum terreum,quòd natura etiã terreum est? At in leonibus, exusta tenuiore parte, terreum transit in pilos. idem & in equis: quòd halitus illi calidiores sint,& ex crassiore materia.Sed cur puniceus & purpureus plerunq; nitent? uelut & uiridis, adeò ut rarò sit obscurus? Colores illustres hi sunt,neq; in pilis(ut dixi) animaliũ inueniũtur. Causam enim duplicem intelligere licet. cũ enim humidiora sint quadrupedia auib. uaporq; cõtinuò ex illis redũdet,siccari pfectè, ideoq; nitescere nõ possunt.Et rursus,quòd sint crassioris substãtiæ,ut inæquales etiã necessariò sint. quòd aũt nitet,æquale est.si enim inter pili partes & meatus magnum sit interuallũ,pilus splẽdere,nec lumen reflectere poterit. Oportet ergo primũ intelligere,colores bifariã gigni:aut ex transitu maioris lucis ad minorẽ, ut ex albo in nigrũ:& rursus.contrà ex nigro in album, dum lux seu lumẽ augetur. neq; uerũ est, quòd niger sit aliquis color.nam si essent,& reliqui colores essent. at non sunt nisi ex admistione lucis. Præterea si niger color esset,& albus,essent colores ex permistione,nec unum.at nõ minus purpureus color est quàm niger: non est ergo niger color aliud quàm coloris et luminis priuatio.

lumen resilire posit. Vbi uerò resilit, partem & illuminat, diluitq; lux ipsa colorem. atq; ita hæc se habent.

Quamuis ergo puniceus medius sit albi atq; nigri, & herbaceus nigri ac glauci, non tamen inter puniceum & album tot sunt colores, uel inter herbaceum glaucumq;, quot inter puniceum uel herbaceum ac nigrum. quoniam in maioribus quantitatibus interualla maiora sunt eiusdem proportionis. Fingamus album habere luminis centum partes, puniceum quinquaginta, nigrum nullam: & statuantur ad sexquiquartam in flauo partes septuaginta octo, in uiridi autem sexaginta duæ: erunt igitur in eadem proportione herbaceus quadraginta, rubiginosus triginta duo, cœruleus uigintiquinque, fuscus uiginti: multiq; alij supererunt termini.

Aliud est ergo loqui de medio mistionis, quod æqualiter utroque termino constat: aliud de medio proportionis. herbaceus enim erit huiusmodi, quo fit, ut is color adeò oculos exhilaret: qui est etiam ultimus nitidorum in transitu ex albo in nigrum: purpureus uerò inter uiridem nigrumq;. Fit autem, cum puniceus densatur & nigrior redditur, uerùm lux uberior efficitur. Autor tamen ille in huius generatione multa miscet, quoniam ueris principijs caruit.

Oriente Sole & occidente (quoniam placet exemplum) is color apparet. Cætcrum aureus color ex flauo fit, cum in materia densa et polita, ut in auro, fuerit. atq; hoc nescio quo pacto autor ille rectè diuinauit. Elementa uerò liquida, ut aer & aqua (ut dixi) quoniam perspicua sunt, nullum habent colorem: aqua autem maris colorem habet ceruleum, id est ceræ: quoniam ob salem nõ transmittitur lumen: sed & ob substãtiæ craßitiẽ lumen in omni aqua hebetescit. aer uerò cum multum recipiat luminis, ubi densatus fuerit, & in perspicua materia candorem efficit. ob id nix candida est: non quod aer sit candidus, sed quòd illi soleat multum luminis admisceri. At finis uisus, quod cœlum appellamus, cœrulei seu cyanei coloris est, quod uisus deficiens in nigrum desinat. at quia totum quod cernitur perspicuum, cœruleus color redditur, sub purpureo hic continetur: sed si lumen, ut dixi, resiliret, amethystinus esset.

Porrò dubitabit aliquis, cur radices, caulisq;, qui proximus est admodum terræ, albus sit, cum herbacei coloris sit pars superior? Et rursus, quomodo colores transferantur tum per uitreas fenestras, tum ex plantarum foliis in solum ipsum? quamuis aliàs de his locuti fuerimus secundum aliorum opinionem. Ergo ut ad primum dicam, causa est, quòd umbra defertur in solum: sed cum imperfecta sit, seu lumen per uitrum coloratum transeat,

seat, seu per frondes arborum, tantum luminis defertur pro ratione umbræ, quantum est quod frondibus aut uitro miscetur. Si igitur lumen in uitro, quod (gratia exempli) quarta pars sit totius luminis quod album efficere posset, facit: uiride illud etiam pro quarta parte umbræ immistum, uiridem umbram efficiet. At dices: Si luminis quantitas colorem ostendit, quid opus erit tinctura? uidemus enim omnia non humidi tantum maiore uel minore additione colorari, sed proprijs coloribus, & maximè herbarum, lignorum atque terrarum. Mirum autem uidetur, quod idem genus terræ semper eandem quantitatem luminis recipiat, & maximè crudum, coctum, siccum, & cum humore dissolutum. Sed non est ita: nam humidum nigrius est: postquam siccatum fuerit, imbuta superficies eo quantitatem luminis solitam excipit. neque enim raritatem partium oculis ad excipiendum lumen attendere oportet: sed substantiæ ipsius quæ in quacunque parte constituta est quantumuis minima: parumq; ob id mutatur, maximè in terrea substantia. imò ob id accidit, quòd uel præparatione, uel infusione pannorum, uel ablutione, uel dum siccantur minima ex quacunque uarietate, non parum color mutatur: quia uerè nihil est aliud quàm certa densitas aut raritas, pro quantitate luminis excipienda, simul cum perspicuitate certa illi debita, ac portione sua nitoris, quam fullones alumine communi augere nituntur, ut splendidiores ideóque, uenustiores reddantur.

Cur uerò plantarum pars quæ sub terra latet, candidior sit, suprà autem uiridis, Autor ille causas affert satis inconditas, & compositas (ut ita dicam) è multis. Constat autem, ut dixi, omnium horum unum esse principium, ad quod hæc referre oportet. Consideremus igitur tria, præter id. primum, quòd trunci arborum maiorum non uirides iam, sed glauci coloris, & ferruginei sunt: teneriorum autem & herbarum, uirides. Deinde, quòd pars exterior radicis plerunq; alterius est coloris ab interiore, nec alba semper (ut ille ait) sed nigra, rubiginosa, rubra. Tertium, quòd interior pars in plerisq; alba est, paucis admodum alterius coloris. Horum si rationem reddiderimus, præterquam quòd certam causam & congruentem quæsiti inueniemus, multorum quæ proponuntur problematum rationem intelligemus.

Ergo cortices magnarum arborum cum crassi sint, & perpetuò siccentur, ex uiridi herbaceo in glaucum (ut docui) necessariò redeunt. at interiorcum humidior sit, nec durus, in ferrugineum colorem tendit. Pars autem superior plantarum teneriorum à terra, seu arborum paruarum, seu herbarum, uiridis quidem efficitur, herbacèque coloris, quòd

quòd Sol multum humidi aquei trahat, nec concoquere posit: sed perpetuò suggerẽte humidum radice, herbacei coloris speciem in cortice retinet. Quod uerò intus est, & in ligno, & in radice, album est: quia nec humidum superabundat, cum ad corticem trahatur: nec aduritur, prohibente cortice: ideo candida plerunq; est. nisi planta adeò calida sit, ut alimentum terreat. propterea centaurij maioris & gentianæ radix, etiam intus ferruginei fermè coloris est. Tales autem sunt uehementer calidæ: & sicciores etiam facultate, non succo, quàm calidæ. Pars autem extima ipsius radicis persæpe nigra, aut alterius coloris euadit: quòd Sol etiam infra terram radijs suis, quod exustũ est, exterius trahat. Porrò parum succi in radice relinqui potest, cum Sol perpetuò ad supremam partem plantæ, quod tenuius est, trahat. Quæ ergo plantæ corticem radicis habent nigrum, calidiores sunt, & sicciores, & tenuiorum partium: atq; ideo nonullæ ex his odoratæ, uelut banamunda, quæ odorem garyophyli refert. Si ergo pars radicis detegatur pastino, uiridis fit ob eam causam: ut si truncus tegatur terra, uiridis contrà esse desinat.

At dices: Si radix intus alba est, uel semper alba est, atq; sic non ex admistione luminis fit albitudo. Sin, cum detegitur, excoriatur: tũc primum lumen recipiet. uidemus autem quòd, etsi dum detegitur, uitro includatur, ut aerem nullum excipere posit, albam esse. Verùm, ut dixi, aerem in se continet dum gignitur, aptum luci excipiendæ: nec tamen alba est radix, uel ullius coloris, quoniam lumine destituitur. sublato cortice, alba statim efficitur. Sunt ergo colores potestate in mistis: quia actu continent & aerem & substantiam, quæ capax est certæ mensuræ luminis. Quod ergo Aristoteles ait tribus constare colorem, luce seu lumine proprio, colore rei, & medio: sic intelligendũ est, ut dicitur de luce ac lumine. De medio autem, non quòd medium colorem præbeat, quia habeat, sed quia temperat multitudinem radiorum. Indicio sunt crystallina prismata, quæ non cuncta, imò nihil ostendunt colore crystalli: sed purpurea, amethystina, punicea, candida, cœrulea. Oportebat ergo ostendere crystallini coloris aut aquei, ea quæ ipsa prismata inspiciuntur. Indicio etiam est lumen efficere colores solum, quòd dum Sol obtenebratur in deliquio, omnia crocea uidentur quæ à Sole illuminantur: quia rarior radius, nec lucidiorem (ut album) colorem efficere potest, nec nitidiorem, ut uiriditem aut puniceum: sed croceum dilutum, atq; languidum.

At dices: Quæ per uitrum uidentur coloratum, etiam eiusmodi colore delibuta, quale uitrum est, uidentur. Vera refers: sed non quia color ille ad rem transeat subiectam, sed quia uel solus uidetur (quod contingit, cum uitrum crassius extiterit) uel quoniam radiorum multitudo, ut dixi, ad mensuram ei colori

lori debitam(ut dixi)redigitur. Quod uerò de colore ſubito dicitur, ita intel ligendum eſt, ut aerem & ſubſtantiam quantitati luminis excipiendæ aptam, non colorem ullum intelligas. nam citra lumen color non eſt actu. Quod ſi eſſet, præter reliqua quæ adducta ſunt, bis quidem color efficeretur: primùm ſine lumine, deinde cum eo.

Rurſus color albus cum fiat ex collectione luminis, ut dixi, nec in perſpicuis, nec ualde nitentibus inueniri poterit: duplex tamen eſt. alius, ut in niue ſplendens: alius non ſplendidus, ut in ceruſa & lacte. Qui ſplendidus fit, collecto lumine in aere, & nitida ex ſuperficie generatur: qui uerò non ſplendet, ob materiam fit, qui tenues habet partes admiſtas craſſioribus, ſed ſpumoſis. indicio eſt ſpuma lactis adeò candida, quæ aquæ admiſcetur. In calce quoq; copia adeſt aeris, ideo calx ipſa ſplendida eſt: in ceruſſa minus, nam & ipſa grauior eſt. Indicio etiam eſt, ab aere dealbari cuncta, quòd huiuſmodi omnia immodicè ſicca ſint. Quæcunque etiam alba nitent, candidiora uidentur, maximè in nocte. Quod ſi lumen colligatur, nocte lucent. atque alia quidem per ſe, ut lapis quem Amatus apud Epidauricenſem uidit. uerba illius adijcere libet: Erat lapillus hic aſpectu mirus, magnitudine uitelli oui gallinæ primiparæ, qui (ut dixi) albiſſimus erat, in tenebris ex ſe lucem emittens, non adeò tamen ingentem ut cataphracti homines trecenti coram eo illuminari poſſent, ut rudes putant. Crediderim ego Seleniten eſſe candidum, pellucidum, minimè ponderoſum, in Arabia naſcentem. Erat quoque ei lapillus alter albus, unguis humani magnitudine, qui ex ſe igneas quaſdam flammas emittebat, in tenebris quoque lucens: quem ille Orphanum nominabat, ut carbunculum alium: nam carbunculum non rubrum, ſed album, etiam Marbodeus eſſe dicit. Sed ad rem redeo.

Vbi ergo herbaceus color in fructibus proceſſerit, uel retroceſſerit, colores omnes referre poteſt. nigrum quidem, cum ſuccus uinoſi extiterit coloris: ut in uuis, moris, prunis ſylueſtribus. Cœruleus autem color ex nigro atque puniceo conſiſtit, ut medius ſit inter illos. namq; amurca ex albo tranſit in puniceum, ex puniceo ſuperueniente nigro cœrulea efficitur. Frumentũ autem ex uiridi fit flauum, ac penè glaucum, dum retrocedit: quoniam cortex tenuis eſt, & humidum illius prius euaneſcit quàm concoquatur, ut in ſolijs. ille de ariſtis, ac longè magis: glaucæ enim ſunt. Voco glaucum colorem, qualis arundinibus ſiccis ineſt.

Sed cur betæ ſolia ex uiridi rubræ, non glaucæ, ut aliarum plantarũ, fiunt? Quoniam pinguius humidum eſt: ideo dum ſiccantur, concoquuntur: minus tamen quàm cætera. ideo, ut ex nigro amethyſtina, ita ex herbaceo rubra cum

modico splendore efficiuntur, ob causam dictam: scilicet quod parum concoquantur, ob caloris imbecillitatem: & quod herbaceus admistam habeat nigritiem. Atq; hæc de coloribus. Nunc reuertamur ad gemmas.

¶ Harũ igitur differentiæ ex coloribus sunt. Cum uerò nitor non possit esse eximius in eo in quo radij pertranseũt, sequitur ut nullum perspicuum niteat. & similiter cum in opaco lumen non colligatur, neq; opacũ poterit plurimũ nitere: relinquitur, ut nitor sit in superficie durissimæ gemmæ perspicuæ, cuius imum opacum sit, uelut in adamãte cum in eius imo nigra tinctura obtendi tur. quamobrem & talis candidissimus esse potest, cuiusmodi est sidus maioris canis. Dubitabit autem aliquis, quo nam pacto extremum sideris opacum esse possit? At certè id contingit ob luminis copiam, & sideris magnitudinem: unde fit, ut ex tot partibus profunditatis collectum lumen, uicem habeat perspicui, in cuius imo opacum sit, nihil autem tale apud nos. Sic ergo incipiemus.

1 Adamas candidus, nitissimus & perspicuus, maximam etiam habet duritiem, & luminis copiam. unde efficacissimus est, quacunq; uirtute præditus sit. Confricatus paleas trahit, ualenterq; pro magnitudine. coercet noctur nos timores: quare necesse est ut melancholiam & atram bilem sistat, animámque confirmet. Est ex eo uitiosus ruber, & rarus: citrei uerò coloris frequens, ac durus, qui animum non adeò reddit purum. uerisimile autem est hoc agere, mutando uitalem spiritum. nam terrores in corde fiunt: indicio est cordis palpitatio in timore. Inuenitur quandoque in Scotia ut referunt, pulcherrimi tamen ex oriente aduehuntur. inuentus est nostris temporibus iunctus cum carbunculo magnitudine fabæ, & purus: quòd mirum est. frangitur malleis etiam paruis faciliter, sed non tangitur nisi sua scobe, qua etiam expoliri solet. Eius autem fragmenta ob duritiem gemmas omnes incidunt. unde qui gemmas cælant, illis utuntur, postquam ære ac smiride craßiore Minerua figuram effinxerint. Infelicem creditur efficere gestantem. sic enim ad animum se habet, ut Sol ad oculum: ille enim potius obfuscat, quàm illustret uisum. Facit etiam intrepidum. At nihil est quod nos magis securos reddat, prudentia & timore. ideò timidis melior. Sed neque his conuenit, cum ea parte qua non oportet quandoq; audaces faciat, qua opus est timorem non adimat. hoc enim discrimen est affectuum naturalium, & ex philosophia aquisitorum, & ui externa: ueluti lapidum gestatione. Ignibus per aliquot dies resistit.

2 Selenites, qualiscunq; sit lapis, de quo dictum est suprà, candidus, leuis, splendens,

dens, noctu non solum lucet, sed loca proxima illustrat, eo quòd lumẽ colligit, non transmittit adeò ut adamas. quare nitet exterius, & non est tam perspicuus. Somnia ostendere uaria uerisimile est, & ad prædicendum iuuare: inquietum reddit animum, & hominem (ut existimo) infelicem. lux enim nimia agitat mentem. Rarus est ualde inuentu, ideo perdifficile est scire quid propriè agat.

Selenites alius frequentior, qui apud me est, lineam candidam præmonstrat, tendentem ad locum luciditorem. ideo si Sol est in a, uel luna, uel astrum, aut candela, linea ostenditur b c tendens ad dextrã paululum, & eo tenuiorẽ, quo culmen lapidis uersus lumẽ tendit: tanto uerò candidiorẽ, quãto tenuiorẽ: ita ut cũ fuerit tenuissima nitẽdore ipso superet. color totus similis est ad unguem chrysolitho, id est aureus uiridis. duritie est carneoli, rarò accedit ad auellanæ magnitudinem, totus perspicuus. Siccat, & somnum minuit, & curas auget: pulcher aspectu. ob raritatem non potui deprehendere proprias illius uires. facit mutabilem: credoq; esse infelicem, satis grauis est. 3



Carbunculus granatus dictus est, quòd fulgeat, similisq; sit grano mali punici, quod uulgari nomine granatum uocant. Duæ species mihi notæ: Hispanus & Orientalis. Hispanus dilutioris est coloris: attamen si magnus sit, & egregius, flammam coruscantem æmulatur. Sine dubio collo suspensus, & ebibitus, etiam tristiciæ multum resistit, si quid aliud. Sed somnum ualde minuit, ut nil sit ex quaq; parte beatum. Est enim terreæ igneæq; substantiæ. Cor confirmat, & tantundem cerebro nocet. Facit hominem iracundũ, & sanguinem exagitat. Quæ uerò in Aethiopia inuenitur, Sorianamq; uocant gemmarij, longè pulchrior est: quoniam densiorem habet substantiam, ad hyacinthiq; colorem accedit, adeò ut ab illo uix distinguatur. uerùm non coruscat, ut prima. ideo neq; ad iram, neq; ad uigilias ita hominem pronum efficit, ut prima species. Sed nec exhilarare tantum potest. Existimant Occidentales, ignibus diu resistere, nec deturpari. 4

Hyacinthorum rursus duæ species: rubra, quæ nobilior est: & carbunculo similis, quæ ab igne illicò mutatur. uixq; qui lentem magnitudine excedat inuenitur. Sed gemmarij sæpe Granatum Aethiopicum pro eo ostendunt. Pro cõstanti creditur, hominem tutum reddere à fulminibus, pesteq;: & si peste quis laboret, nitorem amittere, coloremq; dilutiorem ac lãguidiorem induere. Cor etiam confirmat, ebibitum & gestatum: somnum cõciliat, & honores auget, cũ diuitias atq; prudentiam: quæ omnia etiam facit, qui colorẽ habet florum garyophili Turcici, id est luteum, quasi lutei oui, sed splendidum & perspicuum. 5

Venustus est, ac non facile uitiatur: est enim carneolo aliquantulum durior. nõ est tamen adeò efficax, ut ille.

6 Achates nullum colorem respuit, propterea plura genera lapidum ad eum reducuntur: ut contra achates uidentur esse sub diuerso genere, atq; sic decipere solent emptores. Est autem discrimen, quòd figuræ quæ in eodem genere lapidis & colores apparent, sunt uno & eodẽ modo, & inter se similes, & nõ referũt quicquã præcipuũ, prout nec hominẽ nec equũ: & habent eundẽ nitorẽ, uel propè. sed aliæ figuræ nõ sunt similes, nec concordant cum coloribus, nec duricie: & hæ carent omnino uiribus, & illæ omnes sunt uiribus prædi/tæ. Et cum tot modis uarientur figuræ & colores in achate, necesse est ut om/nes figuræ animalium & plantarum & instrumentorum inueniri poßint in eo. uelut caput equi, delphin, sylua excisa. Et hoc idem accidit in iaspide, & magis in catapasto, qui gẽma non est. in hoc enim uidi uarias figuras, & ad amußim fabricatas ac depictas.

Achatis omne genus facit sobrium, continentem & cautum, ac solicitum: ideò ad diuitias utiles omnes. Ferunt Indos maximè uarios esse, & in his ap/parent miræ effigies. Famosus est achates Pyrrhi regis, cum nouem Musis, A/polline citharam in medio pulsante. Vidisse refert Camillus Leonardus Pisaurien sis achatem cum septem arboribus in una planicie pictis, rem pulcherrimam, & uisui gratam. Ego habeo cum capite, ut dixi, Galbæ, colore ferrugineo diluto lineis nigris, figuram eam referentibus: qui mœroris causas affert, & somnum conciliat. Alium habeo cum multis oculis albis, ac quasi pupilla in medio ferruginea. Hunc credo ad prudentiam plurimum conferre, si appendatur collo. Sed forsan gemma est sui generis. Alium habeo cum effigie ignis ardentis, & fumi cœrulei: inde aeris circumambientis liui/di, quem quasi cœlum rubrum circundat, ut uespere cum Sol sereno occidit. Colores in achate rubri acuere uisum creduntur. Certè uirides generaliter ocu/lis in quibuscunq; lapidibus sunt utiliores. Habeo frusta duo huius lapidis, cũ herbis intus atq; alijs corporibus colluce scentibus: rem uisui gratam, quæq; me exhilarat. est enim perspicuus.

7 Iaspis achati similis est. sed ex molliore materia, & crassiore. ideo minus nitet. colorem omnem combibit, non tamen album aut nigrum adeò frequenter & bene ut achates. Optimus est, qui ex Oriente aduehitur. probatur maximè uiridis, cum sanguineis maculis. Sunt etiam qui lineis distinguuntur familiaris color ei est, in uario ferrugineus. Sanguinẽ undequaq; fluentem collo appensus cohibet, & uentriculũ confirmat: & in his duobus effectibus euidentes habet uires. Propter hæc tanquam ex primis uirtutibus secundæ profluunt, ut

conse-

confert asciti, bifariam: nam multi ex fluxu sanguinis in illam incidunt, & concoctionem adiuuando. Sed & libidinem minuit, & uim concipiendi hebetat: refrigerat, astringitq; sanguinem. Confert uisui: quoniam uiridis omnis color illi utilis est. Quòd uerò uictorem reddat gestantem, id contingit, quoniam timidi uincunt sæpius, quòd à dubia pugna quantum possunt abstinent. Facit & gratum: nam mansueti tales sunt. Pellit inanes cogitationes, non omnes, sed eas quæ ex sanguinis impetu procedunt. Qui optimus est, & uiridis est, & perspicuus, si non admodum crassus, & nitens, & aspersus rubentibus (quasi sanguinis imperfluentis stillis) maculis. & hic collo suspensus, suspiria facit. Sunt qui hoc genus appellent Heliotropium, nescio qua ratione.

Myexis lapis est, qui in capite bufonis inuenitur, magnitudinis miræ. est 8
enim (ut Brasauolus autor est) craneum illius animalis. color est ferrugineus, in uiridi gemma non est: nitet tamen. pars exterior plana: est enim ipsum os. Interior autem uerè lapis est, seu potius lapidea terra, quasi concreta diu rotundus est plerumq;, & magnitudine latitudinis fabæ. Ego autem habeo longiorem faba multo, & crassiorem: nec scio quomodo craneo bufonis conuenire possit, propter formam, cum tamen sit genuinus. Mentiuntur gemmarij, qui lapidea intus partem detracta appingunt bufonis formã, ut extrà reluceat. inde cera terræ rubræ mista partem cauã implent, ut imponant tẽtporib. cum nihil tale naturale sit. uires eius expertæ sunt, quòd gestatus tollit renũ dolores, etiã antiquos, & lapidis prohibet generationem. Sed lotio illius etiã plurimum confert, & præsenti est auxilio. Ventriculi etiam affectibus & fẽbrib. eadem confert: sed, ut existimo, non omnibus. Venenatis etiam ictibus, sed non magnum, affert auxilium.

Porrò lapides omnes teneriores diluto suo conferunt plus etiam persæpe, quàm epoti: quòd tenuiorem partem per meatus procedentem, in aqua seu uino relinquunt. Referunt tamen, illius substantiam ebibitam sanare omnem noxam ueneni assumpti, quòd, dum perambulat corpus, proprietate sua quicquid est ueneni secum educit, si frigidum sit, aut putrefaciens: hebetat aurem, si sit calidum & erodens.

Pezar ego uidi: quæ sit origo, nondum noui. Amatus Lusitanus dicit, uidis- 9
se oui magnitudine: & quòd extrahitur ex corde uel uentriculo capræ. De corde esse non potest: de uentriculo quòd non sit, suspicor. quomodo enim in lapidem adeò tenuium partium & purum concrescere posset in tanta cauitate, & inter tot sordes? Aliud esse uult à cerui lachryma, quam dicit se habere, quæ mellei est coloris: parum autem splendet. Sed qui ex India aduehitur, læuis & ipse est, sed mollis, & minimè ad naturã gemmæ accedens. nitet satis,

& formam est ossis dactyli, accedens ad oliuæ effigiem. Color, qualis putrescentium oliuarum: uerùm splendidus, scilicet ferrugineus ex uiridi. uiresci plus myoxi, & magis nitet. facilè frangitur & teritur. uis maxima, tribus granis hordei pondere æquato, aduersus uenena, quæ per uomitum potenter expellit: sed & per alias uias. hoc tamen de sudore quod fertur, non sum expertus. Si non assumenti uenenum detur, uomitum non concitat. Alius etiam aduersus uenena plurimum ualet.

10 Catapastus mollior est multo iaspide, ex quo fiũt manubria ensiũ. propriũ genus habet. nec maculosus est obiter, sed certa ratione, instar fermè operis quod Damaschini. colores maximè in eo duo, quibus has fingit figuras: buxeus & ferrugineus. Frequens Lutetiæ. Magnas uires habere non potest, quoniam magnus non est. collocat enim natura uires iuxta magnitudinem summam illius speciei: unde neq; in silice neq; marmore uis ulla insignis est.

Si quis obijciat de herculeo lapide, qui magnus cum sit, insignes tamen habet: Respondeo, quòd non habet ualidas uires. magna enim qualitas lapidis modicum ferri mouet. Sed uires sunt insignes ratione finis, & est usus pyxidis.

11 Magnetem toties attigimus, ut pudeat de eo loqui: propterea uide in primo de Secretis.

12 Phrygius lapis est, non splendidus, sed mollis. pallidus est, cum quibusdam lineis albis, sed inæqualiter distinctus. In officinis, R. Constantino, ex Iacobo Dalecchampio, uocatur lyncurius. optimũ fit ex eo medicamentũ ad oculos, pro quo uide Galenũ in quarto De cõpositione medicamẽtorũ secũdũ locos.

13 Ophites duo habet significata: lapidem nigrum cum imagine serpentis, ad quem dicit Albertus congregatam magnam multitudinem serpentum. hunc oportet gigni uiribus stellarum. quæ in cœlo serpentem effingunt: nam & Augusto in pectore maculas fuisse traditur serpentis effigiem referentes. Prudentem & inuictum, gestantem, ac magni nominis efficit.

14 Secundi generis est, lapis qui ad magnitudinem immensam crescit, uiridibus ac uigis plerumq; aut alterius coloris maculis alternantibus. Gestatus, ut dixi, magnas uires habere non potest. Creditur tamen capitis dolores collo appensum leuare. uisu recreat oculos, & animam cum quadam modestia exhilarat. Aduersusq; serpentum uenena & ictus ualet. Proponitur & tertium genus, quod dicunt è capite draconis extrahi, alioq; nomine propriè uocatur. sed ego nil habeo quod de eo dicam. è tribus generibus, si hoc admittatur, nullus est gemma: sed omnes lima tanguntur.

15 Eumetris gemma est maculis exiguis distincta. ex quo apparet non esse è genere Iaspidum, aut maioris cuiuspiam lapidis: nam parua frusta magnas nihilominus

nihilominus maculas retinerent. Somnia læta facit, in argenteo annulo gestatus. Creditur moderatum hominem ex ui nominis efficere. Dicitur etiam, sub cerui cali positus futura per somnum ostendere. Habeo magnitudine phaselli. Distinguitur ex nigro & cinereo, similis ad unguem fermè silici. propter hos colores parum splendet, etsi duricie sit fermè achatis.

Coralius frutex est in imo maris nascens, paruus & ramosus. coloris in- 16
uenitur candidi, qui curiosus plerunq; est: ruber, & niger, qui rarissimus est. Antipathen esse non crediderim, sed uitium quasi, aut mutationem rubri: nam & ipse niger splendet. Precium est in magnitudine, puritate, nitore, cuiuscũq; sit coloris. Ruber uiribus præstat, reliqui raritate. sed nigrum, ut dixi, rarissimum. Purum est, quòd carie nulla prorsus uitiatum est: quòd in hoc genere uix est reperire. Purum etiam dico, quòd nigrũ nigerrimum sit, candidum candidissimum, rubrum flammam æmuletur. Gemma, ut dixi, antea non est. Camillus Leonardus affirmat, eius puluerem ab initio datũ infanti pondere granorum decem, illum à comitiali tutum reddere. Gestatus imminentes morbos præmonstrat, & statum præsentẽ. In morbosis impallescit, & nitor eius minuitur. Qui ut flamma ardet, & solidus ac æqualis est, cor & uentriculum & iecur confirmat. Sanguinem enim æquat: unde hilarem efficit, & minimè suspicioſum: albus simplicem & letum, niger prudentem. Cætera quæ ei tribuuntur, quatenus absolutè proferuntur, fabulosa sunt, & fortuita. Epotus certè auxiliatur renum calculosis affectibus: sanguinem sistit, & gingiuarum atq; dentium medicamen præstans est.

Carneolus est coralius perspicuus, ut coralius carneolus opacus: uterq; 17
enim cum perfectus fuerit, sanguinem refert. atq; ideo carneolus iras sedat. Crescit & carneolus in molem magnam, & candidus primùm euadit. inde tingitur, quòd etiã coralio accidit. nec minoris precij est coralius apud Persas & Indos, quàm apud nos balasius uel sapphirus, & fermè margarita. Est enim coralius Occidẽtis lapis. Cæterùm carneolus cum ex albo in rubrum transit, nec color totam substãtiam obtinuit, paleæ colorem aut corticis citri induit. In precio ergo est ruber, sanguinis colorem ac substantiam, sed perspicuam referens, ut sit purus: perspicuus, sanguineo tamen colore, ac fulgens, rarus est inuentu. gemma tamen est durior iaspide, mollior achate. Habeo insigne in figura muris ad unguem uelut depicta, sed pedes desunt. Reperiũtur & in Istro. Sanguinem undequaq; fluentem compescit. Ad sigilla aptus, quia minimè ceram rapit. Carneolum nigrum nondum uidi. Coralius colorem citri non induit, quia perspicuus non est.

Præsius

18 Praßius uiridis eſt, & rarò ſine punctis atris inuenitur. domus eſt ſmaragdi, ut iaſpis praßij, et iaſpidis marmor. hæc enim obſeruaui. Tãto mollior ob id eſt praßius iaſpide, quanto ſmaragdo durior. Inuenitur et in Germania orientali pulchrior, ut etiam chryſolithus: ſed molliores, qui uenuſtatem temporè amittunt. ob id non ſunt in precio. Vires habet ſmaragdi, ſed omnes, ut par eſt, minores: tum eo magis, quòd in molem augetur. acerbi ut dilutiorem habent colorem, ita & puncta rubra ſeu alba. Qui uerò praßij, alba linea diſtinguuntur. ſi puncta habent, praßij ſunt, & minoris precij: at ſi puri ſunt, & plurimum nitent, ex genere ſunt achatum. qualem uidi apud antiſtitem Mediolanenſem primarium, Philippum Archintum Sunt qui uelint eſſe Garamanticum, propriumq; gemmæ genus.

19 Smaragdus gemmarum omnium precioſiſſima, & fermè tenerrima. Scythicos præferri omnib. creditum eſt, inde Britannicos: tũ alij ſubſequũtur primi generis. Secundi ũt ſunt ex Peru, duriores, alacriores, ſed non adeò preßi coloris, atq; herbacei, ſed ſolùm uirides, ideoq; magis perſpicui. Tertium genus uile & abiectum, occidentalis etiam Indiæ: primis durius ſed uix perſpicui, & hebetes. luce propria gaudent: ideò nocte pulchriores. An omnibus ſimiles uires, & an ſmaragdorum è genere ſint, ſatis mihi dubium eſt. Praßiũ aliquando habui ſmaragdo proximiorẽ, ſmaragdis Peru & S. Marthæ. Qui ex Peru ſunt, uix unus eſt ſine macula aut uitio. pleriq; etiam dilutum nimis habent colorem: alij paululum nigricant, quòd omnem decorem aufert. Nullæ gemmæ tutius feruntur ſmaragdo, ſapphiro & hyacintho. Sed ſmaragdus facillimè frangitur, cum tamen precium ſit ingens. Quoniam uerò nulla gemma colorem aliquem ſuſcipit in regreſſu, ut in fructibus & alijs uilioribus rebus accidit, neceſſe eſt ut frigida ſit, & exuſtionis omnis expers: ideoq; uenerem cohibet. Ferunt etiam, in uirginum defloratione egregias ſmaragdos frangi. Hæ ſunt quæ puræ ſunt, & preßi coloris herbacei, cum tanto fulgore ut aerem ipſum circumſtantem, ac proximas res colore inficiant. quòd experimentum licet euidens, rarum ſit, frequens tamen eſt ſubobſcurè, propter coloris ipſius robur innatum.

Aliud experimentum: annulo incluſa gemma, iuxta pratum uirens dum inſpicitur, illius aſpectum uincit. illud enim amplitudine ſua, hæc fulgore ac quaſi multas amplectente uiriditates colore preſſo certat. Comitiales & uertigines ſanat, & memoriam confirmat. Sedat affectus animi, & ad diuinandum utilis eſt. Viſui perquàm utilis, & cordis affectibus facundiam & amorem erga ſtudia adauget. Elephanticis utilis geſtatus: ſed magis ebibitus. & omnibus uenenis aduerſatur: tum etiam dyſentericis plurimùm prodeſt.

Inanes

Inanes terrores discutit, quos dæmonum uocat uulgus illusiones. bonos mores ob id præstat: nam improbitas nil aliud est quàm insciti, atq; stulticia, iraq;. Seruare opes facit, atq; ideo augere diuitias creditur: sed ad hoc parum confert. atq; hæc non solùm ab alijs experta accepi, sed sum ipse etiã expertus.

Sapphirus gemmarum omnium pulcherrima est, cœli colorem refert mi- 20
ro splendore, & perspicuitate summa: non tamen margaritas, carbunculos, adamantes, neq; smaragdos precio uincit. omnium durissima, præter adamantem. Omnib. in morbis cutis gestando utilis est, ut ego expertus sum: anthraces enim nasci uetat pestifero tempore, & scabiem semper minuit. castum & pudicum etiam ob id reddit, & sudores eadem ratione comprimit. Et ex secundis quasi uiribus corpus confirmat, & colorem bonum facit. terrores uanos tollit: atræ bili aduersatur, cohibet, & iuxtà etiam pellit. Mores in melius mutat, tamq; ex tertijs uiribus: unde pios facit, & tranquillos. oculos si tangat sæpius, à uariolis præseruat: & anthraces eodem modo impositus mitigat et sedat. Creditur necromantiæ auxiliari: sed prius constituere oportet quomodo sit, an naturalis scilicet. idq; difficile uidetur: nam animam ab errore liberat. hæc autem constat uiolata mentis & sensuum acie, uel à diuino numine. non par aũt est, lapidi tantũ tribuere. Malim tamẽ in dubijs experimento cedere. Ob duriciem, qui acerbus est, si per tres horas in auro excoquatur, in speciẽ transit adamantis, candidissimusq; euadit, ac splendidus. unde patet, exhalatione terrea tingi. antea enim non adeò perspicuus est: propterea etiam tincturam recipit nigram, cum reliquæ omnes gemmæ quæ adamantem referunt, tincturam non tangant, ne obscurentur, sed solum ab ea circumdentur. In manibus habui acerbum, qui in angulo solum sapphirus uidebatur, reliqua parte adamas. pulcherrimus ob id erat. ueruntamen non erat adamas: & quia auro incluſus, nitorem illum non seruabat, ut cogeretur auium pedibus includi, non emi.

Margarita, candidorum monilium pulcherrima & precioſissima, neq; ta- 21
men gemma est, neq; perspicua. Orientales præcellunt eas quæ in Britannico mari gignuntur: sunt enim magis fuscæ, & remissæ. Exhilarant hominem aspectu, & castum reddere creduntur. Celerrimè senescunt, ut quæ lapides nõ sint, sed in conchis ostreorum quorundam, quorum pars interior splendida est, gignuntur: annexæ persæpe, plerumq; etiam separatæ, durant tamen aliquot seculis. Epotæ astringunt, & cor confirmant. sanant praua & humida ulcera, uocemq; clariorem reddunt. maximum & innoxium oculorum medicamentum. nitescunt datæ columbis: inde pòst sex horas extractæ, unciæ pondus excedere uix creditum est.

22 Carbunculus gemma est, quæ ignibus diu resistit: cuius tres sunt species propriæ, omisso Granato, Balaßioq;, tanquam sui generis. Gemma est rubri coloris, ac micantis, ut ignis: uiolaceus color in eo etsi gratiam addat, uicium tamen est, & precium minuit. Eius tria sunt genera: orientalis, rubith, id est spinela (ut dicunt) & Germanicus, durus, sed nigricans, ideò parui admodum precij, etsi gemma uera sit: sed neque ad latitudinem pisi perueniunt hi unquam. cum uerò tenues sint, Gemmarij etiam tenuiores reddunt, ut melius lumen excipiant, nec obfuscentur adeò. Spinela clarior est, & iucundior aspectu, sed tenera: precium ob id uilius, duricies tamen in eis diuersa est. tenerrimæ quædam enim sunt, aliæ prope duriciem ueri carbunculi, quæ paulo inferior est sapphiri duricie. Omnis autem gemma durior teneriorem secat, adeò ut etiam crystallus durior uitrum secet, si præacutus sit. Sed ex his manifestũ, uitrum ab omnibus cælari gemmis, facillimè tamen ab adamante, pòst autem sapphiro. Adulterantur carbunculi sandaraci, id est auripigmento rubro excocto, atque ita uenenum datur pro alexipharmaco. Porrò de gemmarum adulterinarum arte alibi scripsimus, tum maximè in quarto libro de Secretis.

Dignoscuntur quæ adulterinæ sunt, interposito colore: ut si albus carbunculus interposito minio aut cinnabari, crystallo supponatur ex angulis, ut aliàs docui: quoniam colorem recipere non possunt transuerse inspiciendo.

Cæterum omnes gemmæ, perspicuæ saltem, ab initio candidæ sunt: uelut omnes fructus uirides. itaq; & omnes candidæ gemmæ crudæ sunt, & crassioris substantiæ, uelut acerbi etiam fructus. Emere licuit mihi duobus coronatis carbunculum unguis magnitudine, purum atque perpulchrum, sed candidum, ex quo per seplasiam fingi poterat interposita cinnabari carbunculus in effigiem ueri, precij aureorum plusquam quingentorum: ad lucrum fraus, ad usum res iucunda: sed ab igne, ab exercitatione ut corpus incalescat, & ab aqua cauere oportet. In omnibus autem, ab equitatione, & tractandis rebus grauibus ac ponderosis. Orientalis carbunculi præterea duæ sunt species. nam qui ardens omnino est, ut superfusa noctu aqua splendeat ut ignis, propriè carbunculus dici meretur, Græceq; pyropus. alij autem instar fœminæ sunt. Sed ego in lapidibus, quanquam uiuere eos affirmem, non tamen qui in animalibus inueniuntur (quales limacius, coruina, cinædius, margarita) sexum in ijs unquam deprehendi. licet cum natura, ut & nos, miraculis delectetur, in aliquo genere tales esse possint, ut quasi sexu distinguantur. quod in plantis manifestè deprehenditur: id'que exemplo inferius ostendam.

Vires carbunculi sunt, libidinem coercere, pestilentiæ resistere: idq; maxi-

mè

mè epoti: incolume corpus seruare, malas auferre cogitationes: nam hæc omnia hoc ipso constant, quod uitalem spiritum confirmet. Ex secundis uiribus est, ut promptum & alacrem faciat hominem, atque ideo bene fortunatum.

Armenus lapis coloris est inter uiridem nigrumq; ad cœruleũ tendens, fra- 23
gilis: ex Armenia olim, nunc ex Germania aduehitur. eiusdem esse generis, color & substantia atq; operatio docent. nutrit pilos palpebrarũ: melancholiã purgat innoxiè & ualidè: sed tamẽ uomitum excitat. cuius causa plerunq; est puluis admistus, ideo lauari sæpius pura aqua debet.

Cyaneus, quẽ uocãt Lazuli, cœrulei coloris est: seq; habet ad sapphirũ, ut co- 24
ralius ad carniolũ. Pulcherrimus est in eo genere, licet opacus. Inuenitur, q stellis aureis sparsis, figuras diuersas refert: atq; hic in precio est. In igne diu illæsus manet. teritur, q minus est insignis, pro picturis æternis. nã nec imbribus, nec sole aut uentis, quæ tres sunt picturarũ calamitates, superatur. Vidiq; picturã ego in muro, cuius colorẽ emere uoluerũt auri maiore põdere pictores, cũ iam annis centũ pictura antiquior esset. Detrahere enim atq; purgare cyaneũ uolebãt, quod pictura uilior esset materia, tum uetustate muri corrupta.

Purgat & hic melancholiã egregiè, sed magis turbat armeno lapide. Gestatus cõfert uisui cõmuni ratione, & similiter exhilarat hominẽ. Duo enim colores recreant uisum, et exhilarant, non solũ in gemmis, sed etiã picturis atq; tincturis, uiridis et cœruleus, cuius causam superius docuimus: ubi dictũ est, quod hi etiã plurimũ continent lucis. Peculiariter aũt, ut dixi, præcipuè stellatus efficit hominem comem, bene fortunatum & diuitem: Gemma non est.

Stibium inter lapides metallicum liquescit, inter metalla lapis, quoniam e- 25
tiam teritur. miscetur cupro, ut resonent melius nolæ. Sanguinem sistit: nec ulceribus, illius oleo & aqua salubrius medicamentum. Præparatum etiã purgat mirum in modum, & exiguo pondere, immensam quantitatem humorum crassiorum crudorumq;: unde morbis longis & difficillimis ualde salutare est, ut etiam in Indica lue. pro quo Matthiolum in suis commentarijs super Dioscoridem ultimò editis consule. Hæc sunt tria præcipua medicamenta purgantia, quæ ex lapidibus sumuntur: Sicut ad cor confirmandum ex gemmis preciosioribus, adamante excepto, fieri solent, debentq;, scilicet Smaragdo, Carbunculo, Sapphiro, Hyacintho primi generis, Granato, Carbunculo Hispanico, & Margaritis. Qui alias addunt gemmas, sophistæ sunt, nisi Chrysolithum iungere uelint. At uerò quoniam, ut dixi, quæ albæ sunt, aut diluti coloris, crudæ sunt, & immaturæ gemmæ, coloratas accipere debemus. at quæ bene coloratæ sunt, si puræ sint ac magnæ, magni sunt precij. Per exiguas autem, & puras & bene coloratas accipere oportet.

Quòd si tales desint, adsint autem magnæ & bene coloratæ, sed quasi exustæ aut opacæ, tunc purgare eas oportet, frangendo illos, non terendo, et lauando aqua purissima. Quicquid uerò opacum est, aut exustum, abijcere oportet. dilutiora etiam frusta opacis aut exustis minus mala sunt. tum uerò si celeritate opus est, in pollinem redigenda. Margaritæ & chrysolithus subiguntur à calore naturali, tum etiam smaragdus: reliqua uix. Sunt tamen qui delectentur offulis ex saccharo, intermicantibus gemmis. at ego uererer, ne sic exhibitæ, uel calculos transeundo gignerent: uel non transeundo, ineffaces redderent.

26 Indus lapis ruber est, ac carneolo similis: sed duriciem habet sapphiri, qua à carneolo distinguitur. dixi enim, duricie præsertim gemmas distingui. Ob id quidam Indum aiunt appellatum sapphirum. Verùm sapphirus omnis cærulea aut diluta esse debet. à Sappho enim poetissa, quæ illũ gestaret, nomẽ accepit. At quoniam dura est, multũ & citò mutat animi mores. Ob colorẽ aũt ad ambitionẽ & constantiã, fzcitq; studiosum rerũ rariorũ et abditarũ: et plerumq; cũ parua utilitate, ut multa talia esse solẽt. nã rara iucũda, trita aũt meliora.

27 Astaci duorum sunt generum, inueniuntur enim in oculis, cum corticem exuere uolunt: & quo propiores mutando cortici, eo maiores fiunt, atq; hi frequenter colore sunt albo ad ruffum tendente, orbiculati exterius, interius caui paulisper noti sunt, ut qui abundent in fluuialibus astacis. leuigati & in pollinem redacti, confringunt lapides renũ, & paruos calculos etiam uesicæ expellunt. Sed melius, si in aquam exusti, deinde calce eorum sub marmore in loco humido positi redigantur. Alius lobæ similis ad unguem, forma, magnitudine, colore, in cheli magnorũ astacorũ fluuialiũ inuenitur. Semel à me, semel à cõtubernali meo uno Christophoro Sacco inuentus est. Gestatũ credo infelici prodesse, & mentem firmare, nec permittere ad inopiam uenire: lunæ enim parêre credendum est. nihil tamen habeo constitutum.

28 Glotis, lapis apud me est, linguæ forma, & magnitudine, sed aliquanto breuior: colore ferrugineo, cum uenulis quibusdam rubris ac sanguineis. in manu detentus, lentum quendam humorem mittit. & uidetur ingenium acuere, industriamq; augere. mollis est: sed qualis qualis sit, uires egregias habere illum uerisimile est. & esse proprij cuiusdam generis. Casu inuenit illum Guglielmus Cataneus Anglus, contubernalis meus.

29 Calais, est gemma paulo durior crystallo: cuius, cum sit rarissima, maxima copia est. nam uitro adulteratur, plurimiq; nobiles uitrum pro ea ferunt in annulis. Inuenitur enim uitri species nõ ampullosi ac durioris, quòd sub terra sepultũ colorẽ cõtraxit subcœruleũ, et aquæ maris similẽ fermè. nã et ipsa co-

lorem habet

lorẽ habet huiusmodi, sed qui ad cœruleũ potius uergat, scilicet inter modicè uiridẽ et cereũ. nec ob hoc ipsum tã uocatur aqua marina, id est calais, quæ alia est à calaide, quàm quòd uelut in aqua maris nullus certus color discerni potest, ita nec gemma hæc firmum colorem habet. ob hoc, ut dixi, uitro adulteratur. Præterea crystallo Scotica, et amethysto immatura, & chrysolitho etiam decocto: ita tot modis adulterari solet. pulchritudo cuius, cum egregia est, etsi non adeò micet, non est inferior adamante, uenustatem afferente sub cœruleo illo colore. Vidi quæ omnem adamantẽ uinceret, nihilominus differt in tribus: quòd nitore inferior sit illo, sed non multum, quia lumen melius ob colorem illum mistum colligit: quòd purum non retineat candorem, sed (ut dixi) uariet: & quòd usu facticiam illam & non genuinam pulchritudinem citò deperdat. Vocatur etiam Augites à Plinio. Sed quòd hæc sit calais, audi uerba illius: Calais sapphirum imitatur, candidior, & littoroso mari similis.

Littorosum ego per libenter exponerem, mari prope littus. Mutabilem & uarium callidumq; reddit gestantem: tum gratiosum, ob coloris naturam, modò tamen genuina sit. Si quis uires ei cambuitis tribuat (sic enim huic simile m uocant gemmam) parum aberrabit. Sunt autem qui ei tribuant, quod faciat eloquentem, hilarem, gratum: hoc enim ex illis. unde etiam amicos & honores: hæc enim ex illis. cum homo nil aliud sit quàm fera fallax, quæ uerbis & blanditijs capitur, fauentq; suo malo. Nec alia uia usi sunt improbi ab orbe condito. Ideò blandum facere, & eloquentem, perinde est ac si dicas, uenatorem hominum facere, unde potentia.

Amethystus eiusdem penè molliciei cum crystallo, simulq; sæpe unà inue- 30
nitur. albusq; à crystallo uix discerni potest. Colore uiolæ purpureæ, uiq; gratus admodum uisui est. ultima penè precio & existimatione gemmarum: ut tamen lima non tangatur. Indicus præfertur. Efficit sedatum, uigilantem. Ebrietatem reprimere, alligatum super umbilicũ, testantur: ad pugnas quoq; & uenationes utilẽ esse. acuit ingenium, & somnũ minuit, uapores enim à capite arcet. lotio illius fœcundos efficit: & uenenis resistere creditur. quòd si ita fit, pro octauo medicamento pulueri salutari adijci poterit.

Cochlias ex capite limacis sine testa extrahitur, albus, satis magnus pro 31
ratione animalis illius. epotus prohibet lapidis in renibus generationem. Suspensum ferunt curare febres.

Cochlias alius, qui effigiem quasi cochleæ lineis depictam habet, apud me 32
est. altera parte colore ferrugineo, maculis fuscis, antea sanguineæ uidebantur: altera autem candido oui similis, scilicet perspicuo & liuido. intus ut tenuis membranulæ oui frustum, haud pura substãtia. somnum tollit manifestè.

multa uaria, mira, & plerunque læta ostendit in somno. solicitum & impigrum reddit: audacem, promptum, memorem ualde, ad atram bilem deducit, & prauas cogitationes. Nulli alij lapidi, quem uiderim, tanta uis est.

83 Astrites lucem quandam ex repercussu ostendit. fit ex onyche Germanica. Chalcedonium etiam effingunt in hanc formam, & candidum carneolum: sed est huic muneri dedicatus lapis, qui fulgorem illum splendidorem reddit in Solis formam. Rotunda forma in nitentibus gemmis hanc effigiem repræsentare solet, si per se niteant iam. Et magis quæ aureo sunt, aut candido colore: quòd colores hi flauis solis radijs ac flammeis conueniant.

84 Asius lapis, qui corpora exedit. Dolores podagræ, inclusis in eo pedibus, sanat. strumas & ulcera uix sanabilia curat. Pthoe etiam: ob id cum melle linctus medetur. Pumici similis est, sed læuior & fragilior, uenis quibusdam mellei lutei'ue coloris profundis distinctus, atque conspersus.

85 Amiantos lapis est lucidus, crustatus, & filis permistus, colore quasi buxeo, similis scißili alumini. fila illius contexta in mappas, quæ non uruntur, transeunt. in Cypro nascitur.

86 Talcum amianto simile est: splendidum, crustaceum, gemma non est. Epotũ dysentericis prodest. lapis est specularis, & mira proprietate (ut existimo) præditus. Scribitur & Talchum, cum h.

87 Alabastrum, marmoris politi & perspicui, ac uasis faciendis maximè apti genus est. facile frangitur, & multa in se arcana continet: nec gipsum est, nec onyx, nec antiquorum alabastrum. album est: sed facile deturpatur. Venosum etiam. Vnguenta seruat: & uinum in aquam mutat.

88 Onyx antiquorum alabastrum est, multo preciosius nostro. hoc seruari debent unguenta: neq; enim remittit. Gemma est, & durior carneolo, cum nostrum alabastrum non sit. Optimus Indicus, subcæruleus, atq; admodum uisui gratus. Ferunt, terribilia somnia ostendere. probaui: somnia quidem gestatus ostendit, terribilia non. mouere bilem fertur, & ad rixas incitare. comitiales creditur prohibere, ne cadant: idq; tanquam ex secundis uiribus. à crudo enim humore & frigido ob id morbus is fieri solet. Quocirca etiam colliquãdo multam in pueris saliuam excitat. Partum accelerare etiam, consentaneum est. Fertur quoq; oculo inditus, illum purgare, ac sine molestia circumferri: quod fermè commune est lenibus læuibusq; lapillis: cuiusmodi Gallus quidam hodie ad nos attulit, diuersi generis. quod etiam semini sertulæ campanæ conuenit. Ergo is ceræ admistus, durities emollit, confertq; doloribus uentriculi: & appensus collo, creditur in pugna uictores reddere. Indicum ferunt inanem reddere

dere uocem, si gestetur: & animam à uanis terroribus tutam reddere, aduersúsq; casus.

Balasius inter gemmas secundi generis prima est, scilicet post Smaragdum, Carbunculum, Adamantem, Margaritam & Sapphirum. colore roseo quasi, 39
scilicet carbunculi dilutiore. magnitudine gratiam sibi comparat præcipuè inter gemmas. Habet se ad carbunculũ, ut prasius ad smaragdum: sed maior gratia balasio quàm prasio, quòd color ruber ob puniceum sibi iunctũ latius extendatur. Declarauimus enim, puniceum colorem multum lucis continere. oritur ex balasio carbunculus. Sedat affectus omnes furoris, iræ atq; libidinis, hic lapis: ideo ad reconciliationes utilis: & mulieribus maximè congruit ob hæc, tum ob uenustatem. Iecoris morbis conferre creditur epotus. Sed & gestatus, ob hanc temperiem homines à morbis præseruat. Quòd uerò in angulis domus positus à fulmine, agros à tempestatibus, et uermibus tutos reddat plãtas, hoc fortuitum est: sed ita fortuitum, ut sit ex his quæ frequẽter euenerunt. Forsan uis aliqua altior, cui consecratus est, illas tuetur.

Beryllus cum crystallo fermè conuenit, sed pinguem quendã colorẽ præfert. 40
uidi olei colore, dicũt tales esse Babylonios: ego uerò credo Germanicũ fuisse. Summa laus Indicis, qui plurimũ fulgẽt. Creditur epati prodesse epotus: atque ideo etiã elephantiasi, cũ argenti pari pondere. Suspensus prohibet paristhmia, et facierum, gulæ, orisq; morbos. Alacres dicitur efficere: ideoq; coniugij amori aptos.

Istricus à fluuio ita dictus lapis, læuis est totus, maculis stellarum instar ci 41
nerei coloris insignis. In aceto, & etiã uino posita mouetur manifesto motu, usque adeò ut palmi spaciũ quãuis in imò posita, uno progressu æquet. Causa est, quòd leues habeat partes intra terreã substantiã cõclusas. unde uapor ille, dũ quærit exitũ, mouet lapidẽ. Verùm dissoluitur, nec in uaporẽ uertitur. ampullas.n. gigneret. Estq; mira lapidis natura. Gestatũ uires egregias habere existimauerim. Iure creditũ est, in pulucrẽ redactum siccare hydropis aquam.

Aelurophtalmus gemma nõ est, ut nec præcedẽs, nec sequẽs. cinerei coloris, 42
ac candidi: atq; ideo uaria. pro ratione enim aspectus lucisq; quã recipit, colorẽ mutat. frequẽs lapis est, & (ut dixi) rarus summo cortice, & opacus. ubi ergo lumen excipere uidetur, cãdidus euadit: ubi non, fuscus redditur, uelut cimis quidã nigrior. nitet tamẽ. Gestantẽ reddit dolosum & cautum, uersipellemq;.

Veientana, lapis est niger, cum albo limite. huic similis est, uel eodem ex ge 43
nere, qui niger est, maculis cinereis rotundis totus scatens. Hunc palàm est curas & solicitudines augere, ob colorum naturam. Proprietate etiam aliqua insigni præditum esse, ueri similè est.

Glotis

44 Glotis alia dura est, & linguæ simillima gemma, quam ferunt esse Iouis te-
lum, id est fulmen ipsum, magnitudine linguæ longiusculæ, & forma ad unguē
illi simili: sed color alius. nam & ferrugineus, & uiridis obscurus: sed quæ
crystallo similis est, nobilior ac pulchrior longè est. Enses hoc lapide poliunt
artifices. Ego habeo frustum uiridis obscuræ. An ex cœlo decidat, cum adeò
frequens sit, & dura, satis dubito. omnino sui generis gemma est. Sunt qui Ce-
raunium uocent. Gestatum læta somnia facere aiunt: hoc est, uitæ nostræ, si ue
rùm sit, dimidium addere. Inuictū quoq; præstat hominem, & (ut ferunt) à
fulminis ictu ac submersione tutum. Vidi, qui crystallini frustum perpetuò fer
ret, emersisse præter spem ex multis calamitatibus. nec constantiorem uidi
quenquam. Is est quem honoris causa nomino, Franciscus Triultius, Musochi
aliàs & Vigleuani dicitur, nepos insignis illius exercituum Gallicorum du-
cis Io. Iacobi. uidetur autem adeò constantem facere hic lapis, ut etiam quasi
pertinacem poßis appellare. Sunt & ceraunij forma, ut ferunt, pyramidis.

45 Pentexoche, seu mespileus, apud me est, colore fusco: durus, non gemma ta
men, magnitudine mespili dicas, mespilum in lapidem transisse, sicq; obduruis-
se. Vbi striæ è uertice descendunt, lapis buxeo est colore, quòd partes illæ at/
46 tritæ sint. Vires inesse existimo non leues, sed quæ ignotæ nobis sint. In huius/
47 modi genere plures sunt species: Cteniter, in pectinis effigiem striatus: Tro-
chites planus, punctum habens in medio, ex quo striæ diriguntur cū tympano
48 leui in ambitu: Pentagonus & Hexagonus trochiti similes, sed radij è medio
49 puncto, non striæ prodeunt. Porphyroides autem cinerei coloris est, clauis
50 purpureis scatens, ut thoracis formam referat. Belenites autem sagittæ for-
ma, intus rimam habet secundū longitudinē: aliumq; continet lapidē, cui au-
51 rea iungitur armatura, trahitq; ut succinum paleas. Eutrochos, ex multis
52 trochitis componitur. Pentacrinos, quinq; librorum formam præbet. Eucri-
53 nos similiter, è pluribus constat pentacrinis, ruborq; lapis ex nigro nascens.
54 Conchites, conchæ similitudine, liris incuruis, atq; aurea decorus armatura.
55. 56 Onyx alius, odoratis unguib. forma nō absimilis. Ostracis, pariter ostreis: sed
57 specularis est lapis. Strombites, in cochleæ formam turbinatus, in acutum ten/
58 dens. Myites, ab extremis in acutum tendens, in medio tumet. Rhombites au-
tem duorum est generum: primùm ex squammis constat, rhombi similitudi-
nem habentibus: secundum autem candidum est, cylindri compreßi forma, ue-
60 rùm suprà & infrà striatus. Omnes hi in Saxonia inueniuntur, iuxta Hil/
61 desheimium tractum. Sed & alij in fodina aluminis Luneburgi, uelut glosso-
62 petra, pici linguæ simili: & Selenites, in formam renascentis in cornua lunæ.
atq; is adamantina modò, modò aurea aut argentea integitur. inuenitur autē

Mariæbur-

Mariæburgi, & in Treuerensi agro Hysterapetra, quæ formam refert pudendi muliebris, niger ac prædurus. Et iuxta Salphedam Thuringiorum, in puteo uiginti orgijs profundo, lapis inuentus est forma pectoris humani ad unguem, nisi quod esset illo angustior cum costis etiam. Pyraustus quoq; rutilus est colore, aurea insignis armatura, cauus, nitens: unde uelut à cauo speculo ignis in Solis radijs accenditur. Hieracites quoq;, strijs & colore pennas accipitris imitatur. Omnes hos Valerius Cordus detulit ad Georgium Agricolam: ambo digni perpetua memoria uiri. At constat unicuique eorum lapidum suas inesse uires. Quod facilè demõstratur: quoniã si forma distinguit plantas, ergo & lapides. at plantis singulis suæ sunt uires propriæ, ut apud Dioscoridem, quòd ad usum attinet medicamentorum, tam exterius quàm interius: igitur & lapidibus gestando. ostensum est enim quas habent plantæ uires medicamenti loco: similes constat habere lapides dum gestantur, idq; magiæ & naturalis proprietatis causa. 63 64 65 66 67

Similem, si quis rectè animaduerteret, differentiã in Achatum generibus, & Iaspidum atq; Onychũ inuenire possemus, cum non ex eodem genere sint: sed ueri simile sit, quamplura esse quæ artifices ipsi in unũ congessere. Quid enim absurdius, q̃ existimare tot diuersos lapides, nigros, albos, uirides, rubros, eiusdẽ esse generis? earundẽ uiriũ? sed singularum specierũ singulæ & diuersæ sunt uirtutes. Ergo Chalcedonius uulgari nomine de tribus lapidũ generibus dicitur, onyche oriẽtali, onyche nostra cõmuni quæ ubiq; inuenitur, nec ullius lapidis copia maior, & chalcedonio antiquo marmoris genere. unde nata tanta cõfusio, ut uix inueniat exitum. Chalcedon regio est Syriæ fertilissima, Chalcis aũt Græciæ insula: sed ex qua illarũ parte sit, nũc non habetur. sed, ut dixi, onychis genus nothi potius. Fertur resistere, si quid aliud, melãcholiæ, uiresq; corporis augere, et libidinẽ coercere. atq; hæc oĩa ex primo, si admittatur, pẽdẽt. Inde etiã uictores in litib. efficere: atq; à tẽpestatib. et aduersis casib. tutos. 68

Chelidonij in uẽtre pullorũ hirundinũ inueniũtur: unde gigni ibi, nõ deuorari, certũ est. nihil cũ gẽma cõmune habẽt. Sed & ob paruitatẽ paruarũ sunt uiriũ. Duplex est. ruber, lunarib. morbis, et stultis prodesse creditur, morbisq; lõgis, et facũdos efficere. niger mãsuetos, et bene fortunatos, febres regiũq; morbũ ac comitialẽ sanare creditur. Illud nõ dubiũ, utrũq; pro collyrio oculis prodesse. Augusto mense uiuẽtibus adhuc pullis, & absente matre, detrahi iubent. 69

Crystallus, ultima & tenerrima gemmarũ, faciendis poculis apta, in quibus liquores non facilè concalescunt. Sphæra ex eodem, ex aduerso in radijs solis posita, ignem accendit in materia non candida. nam in ea, quod figura concretum erat, dissipatur. Prismata ex eo, sed è uitro, at non adeò egregios 70

ostendunt colores plures, illustriores q; : scilicet uiridem, amethystinum, puniceũ, purpureumq;. In ore detentus, sitim sedat. tritus et epotus, lac auget nutricib. mala somnia appensus soluere creditur. aquei coloris est, et uitijs nebularũ et glaciei obnoxius, à calore læditur: & facilius etiam, uelut uitrũ, frangitur.

Topazius uiridis est ex aureo, sentitq; limam: inter gemmas tamen adnume
71 ratur, ob pulchritudinẽ. Dicũt solarib. radijs suppositũ, aureã stellã representare: quod beneficiũ est potius formæ & coloris, quàm naturæ cuiusdã peculiaris. Nullus lapis, tã gestatus quàm bibitus, adeò sapientiæ & prudentiæ prodest, ut hic nocturnis prodest timorib. honores auget. nã hoc, ut dixi, ad illa sequitur: licet nõ omnino semper, sed plerũq; iuuat etiã ebibitus, ut dicũt, asthmaticos. reliqua adeò probaui, ut insanos sanauerim: insanientes aũt antea, lapidem, quem gerebant, prius abiecerint, quàm eruperit stulticia.

Coruina. in capite corui piscis gẽmæ reperiũtur albæ, opacæ, oblõgæ, gib
72 bosæ parte una, altera cõcauæ & inæquales. nitent aliquãtisper. Magnitudine uidi auellanis nucib. æquales. gestatæ et epotæ nephriticis dolorib auxiliãtur. Coracinus etiã hic piscis appellatur à Rõdellitio. sed ipsemet coruũ cũ à coracino distinguat, ubi enumerat pisces lapides gestãtes, et de coruo cõstet, tutius est coruinã appellasse.

73 Malachites, à maluæ similitudine dictus est: uiridis, pallidus, nubilosus totus, quasi pinguedine aspersus esset. mollem eum esse constat, non gemmam. Crescit multum, & pro manubrijs Sarmatæ eo utũtur. In Cypro tamen etiã inuenitur. Infantib. appensus, eos à uanis terroribus tuetur, & illis robur addit: ideò appendi debet. nã et illorũ familiarissimo morbo, quẽ cõuulsionem appellãt, aduersatur. Verùm dicas, cum lapis magnus sit, et uires habeat leues, tãtóne põdere infantẽ grauabo? Dico, frusta lapidis uiuere, ut ramos etiã salicis, diu: quoniã nõ sunt adeò, ut Græci appellãt, organica: & fermè, quãtũ totus lapis, ob substantiæ æqualitatẽ. At ut plantarũ uires manent in ramis, & etiãsi durior sis ad fatendũ ipsa uiuere, uim retinebũt plantarũ exẽplo, qua per calorẽ naturalẽ ad actũ deducta, ut in plantis, effectus suos in nobis producẽt. At modica quãtitas ex eis in infante sufficit, ut etiã modicũ medicamentũ in illis purget efficaciter ob caloris magnitudinem, & substantiam humidã ac tenuẽ: neq; maiore opus est ob uiriũ imbecillitatẽ. Ita ut hæc ratio in tribus consistet: Quod partes lapidũ uiuũt, ob animã quasi æqualiter diffusam in toto lapide: Quòd uiuunt diutius, quia auulsi lapides integri uiuere per secula possunt, non ut plantæ: Demum quòd infantium natura exigit leuiores res, & hæ etiam his de causis quæ dictæ sunt illis magis conueniunt.

74 Hæmatites, à sanguine nomen duxit: exterius ferrugineus est, intus colorem ferri

rem ferri refert. Qui ex Hispania uehitur, durus est, non tamen gemma: atq; hic optimus. Sistit sanguinem, etiam ex pulmonibus manantem. utuntur eo ad enses auro pingendos. Ferunt impositum aquæ feruēti tepidam efficere. Impositus uulneribus, excrescentem carnem tollit.

Aetites, lapis est ab aquilæ nomine dictus. aliū uerò continet lapidem, aut 75
arenam. Præferuntur Africi: ambo paruus, albus & mollis, quòd colore caudā aquilæ referat, continetq; argillam suauem: & qui ferrei coloris est, durus, durumq; lapillū cōtinēs. Optimus, qui è nido aquilæ decerpitur. peßimi, rotūdi, in fluminum alueis inuenti: qui & ipsi resonāt. Constat alligatos brachio sinistro, abortum miro modo prohibere. instāte partu coxæ alligati, facilem eum efficiunt. Si à brachio non remoueantur, prohibent ne pariat: si coxæ alligati à partu permittantur, nec statim soluantur, etiam uterū educunt. Serpentes arcere creditur: ob id enim nido imponi ab aquila. Sed qui serpētes eò adire audēt? Ergo ideo ab aquila nido imponitur, uel ut fœtus suos ex ouis educat, uel ut ipsa oua facilius edat: aut si modò ob serpentes, ne serpentum uirus, quos uenatur (uenatur autem sæpe) ouis noceat. Dicunt præterea, gestantem ab aduersis tueri casibus, diuitemq; efficere. Refert Dioscorides, incoctam cibis, aut permistam, efficere ne illum fures poßint deglutire. Gemma non est.

Capreola, Melichlorum forsan Plinij, uocant autem Garatronium, lapis 76
est mollis, & qui ensium capulis aptus est. ferunt, uictores reddere: satis malè, si ita est, timidißimi animalis lapide pellem æmulante: cum constet, lapides omnes prodesse iuxta colorem & figuram membris hominum. uelut sanguinei, uel iecoris forma, iecori sunt utiles: qui uerò flaui ac splendidi, ut hyacinthus, aut cordis formam referentes, cordi: qui leonis pellem, leontiasq; dicitur, fortem: pardalian autem, deceptorem: & hieraciten, rapacem, accipitrisq; moribus. Itaque agilem efficere, non autem inuictum, capreolam crediderim.

Gagates læuis, aridus, lucidus, opacus, niger, ex genere bituminis est: minus 77
quàm lapis, nedum gemma. Suffitus, detegit comitiales, fugat serpētes, soluitq; philtra & ueneficia uana. pellit fœtum, prouocat urinam, adeò ut in corruptis ferant repentè exprimere. prouocat & menses: & affricatum dentes firmare creditur.

Cinædia lapis est, qui in capite cinædi piscis inuenitur, longus, candidusq; 78
Creditur, cum purus est, tranquillitatem maris præsagire: cum nubilosus, tempestates: & amatores facere.

Nicolus bicolor gēma est, et opaca. color superior cœruleus est dilutus ac pu 79
rus, inferior niger. Fortē facit, ac constantē. indicio est, quòd infiniti adhuc in

ruinis Romanorum ædificiorum inueniuntur: quòd gemma etiam contra mortis terrorem facit, & in concionibus amabilem.

80 Iudaicus lapis forma est glandis, ac magnitudine: adeò leuis & bene tornatus, ac albis lineis distinctus, ut arte fabricatus uideatur. Fœmina, Galeno teste, lapidem uesicæ etiam atterit: masculus autem, solùm renum. est enim imbecillior. Fœmina læuior est, & minor: uterque ruffus, ad cinereum declinans: cote redigitur in pollinem, et exhibetur in potu, ac super os pubis pro emplastro ponitur.

81 Hamonius lapis aurei coloris gemma est, cornibus arietis similis. quam ferunt gestatam ostendere occulta, futuraq; per somnum. hæc est prima triũ rarissimarum gemmarum. Secunda:

82 Orphanus colore purpureo, adeò eximio, ut referant parem non inuentã. lucet autem in tenebris. hodie haberi à regibus Camanæ, emporij Indiæ intra Gangem, quam urbem nunc Calechutum uocant, dicitur à pluribus. Honores regios ea seruari putant. Sunt qui Pyropũ esse uelint: alij album radios igneos emittentem. uterq; inuenitur. Tertia.

83 Opalus est, præstantissimos quoscunq; colores simul reddens: et ipsa perspicua. quantitate auellanam non excedit. precia & nobilitatem in libris de Subtilitate scripsimus. Visui utilis.

84 Succinum lapidis mollis duriciem habet. Aurei coloris est, atq; perspicuus: est & cinerei, eo potentior. trahit paleas: eoq; robur illius facile dignoscitur, utinam ita aliorum. Eius suffumigio, ut expertus sum, reuocantur comitiales ac conuulsi, eadem præstat quæ Gagates. collo appensum, morbos gulæ et faucium, maximè in infantibus, arcere creditur.

85 Sordius colore est carneoli fermè, obtusior ac pinguior, ac si rubra terra perspicua fieret. In Sardinia etiam inuenitur. Sed Babylonicum & Indicum præstantissimos esse ferunt. crassiorum, sed magis concoctarum partium est, quàm carneolus. ideo gestatus exhilarat animum, somnia mala prohibet, ingenium acuit, sanguinem & ipse compescit. Vnde ex his fit, ut uictores reddat in litibus, & diuitias augeat.

86 Sardonica, perspicua & ipsa gemma est, onyche uel chalcedonio & sarda composita: & quandoq; è tribus coloribus constat. ad sigilla utilissima, quòd minimè ceram rapiat. lasciuiam & libidinem comprimit: & mores bonos reddit.

87 Eranon cœruleo colore puro est, opacus, et nõ gẽma. uitiatur calore, aqua, attritu. Visum souet. Equis, ne fatigẽtur, prodesse creditur: & cadẽtib. ex illis, ne lædantur, ita illis auxiliari, ut pro eis frangi soleat. certè fractum sæpius

uidi in similibus casibus: an uero ob id etiam illi, uel bona fortuna quadam ser/
uati sint, nescio.

Chrysolithus, aurei coloris gemma est, unde nomen sumpsit, perspicua & 88
prædura. Refrigerat manifestè, adeò ut sitim detentus in ore extinguat. Debet
tamẽ aqua frigida sæpius refrigerari. libidinis incendia compescit, & hæmor
rhoidas sanat gestatus. iram ac tristiciam temperat: sanguinem è uulnere fluen
tem superalligatus sistit. lunarios animi affectus mitigat, subitam mortem pro
hibet: gratiam principum præstat, & diuitias auget. atq; hæc maximè in non
ignauo alioqui uiro.

Ocellus gemma est tricolor, cuius medium candidum est, extremarum una 8 6
ferruginea, altera nigra opaca est. Verisimile est, ut dixi, mores uarios pro cõ
lorum natura efficere: cum tristicia, ob colores minimum lucis habentes: &
inæquales, ob maximam inter illos differentiam. At qui tales sunt, etsi ali-
quandiu felices esse possint, necesse est tum ut aliquando in grauia ma-
la incidant. quare nec feruidis, nec improbis, nec melancholicis utilis erit hæc
gemma: alijs erit.

Eperlanus lapis est in capite huiusmodi piscis nominatus, quem sic descri- 90
bit Camillus Leonardus: Piscis est rotundus, longitudinis digitorum septem,
capite lato, corporis substantia adeò lucida, ut si lumini obijciatur, intus spi-
na appareat. In cuius capite, ut in cæteris piscibus, duo inueniuntur lapides,
et tertius præterea iuxta tertiam spondylem, à cauda numerando, qui in potu
sumpti, libidinem tota die excitant. Modò audi, quomodo illum describat
ad amussim Petrus Belonius, nisi quod tertij lapidis, quia piscem non dissecue
rat, haud meminit. inquit enim: Epelanus, piscis, seu Eperlanus Anglis (apud
quos frequẽtissimus) sahinelt ab odore uel pinguedine dictus, duplex est. flu
uiatilis paulo crassior ac breuior, marino quẽ nũc describemus. Cæterùm
marinus non ita marinus etiã, quin se fluminibus etiã inferat, ob id & in Sequana
frequens. gaudet enim dulci aqua, uescituŕq; culicibus, caridibus, aphijs, œ-
stris, lendibus, millepedib. pediculis, huiusmodiq; reiectaneis. Eius prouentus
uberrimus est circa uindemias, quo tempore tamen optimus est, quanquam to
to anno non desit. Teres est, ac breuis piscis, ut uix dimidium pedem æquet. o-
re amplo, dentibus circumuallato, qui etiam linguam circumambiunt more
trottarum, & usq; ad gulam extenduntur. habet & aliud simile illarum gene-
ri, scilicet appendicem mollem ad caudam, lingua quasi gemina: in eius enim
radice posterior quædã alia apparet, pluribus suffulta dentibus, qui oẽs eum
reliquis unci in speciẽ reflexi sunt. Capite ad merlutiũ accedente, argenteo co
lore est, & glabro corpore, ut è genere asellorum falsò creditus sit. In dorso

nigra linea, & supra illã pinna exilis, piscem totum quasi per medium distinguunt. Cauda bifida. Quatuor sub uentrem pinnas habet, duas sub branchijs, totidem eregionẽ in superiore parte. Branchias autem habet quatuor pallidas, uiolam olentes. quamobrem quidam Violam uocari iure posse existimãt, ut thymalum à thymo. Calculos habet in ceruice geminos, candidos, quos etiã integro pisce perspicere licet. siquidem illa linea excepta, totus pellucet uitri instar. cor scutiforme, branchijs fimbriatis & semicircularibus ualde propinquum est. cui subsunt duæ caruncułæ sanguineæ, aurium instar in quadrupedibus. Ventriculum habet literæ V forma. septo transuerso iecur à corde dirimitur: lien ruber, seminis atriplicis instar latus, et ex apophisidibus duabus latis instar alterius uentriculi conficitur. intestinum habet rectum usque ad anum, ualde rubrum, quod geniculo intercipitur. uentriculus & intestina adipe undiq; circundantur. mesenterio autem adipis nihil. Quis non uidet, tam dili gentem descriptionem breui illi Camilli Leonardi respondere, ut lapidibus eius tanta uis insit? In uniuersum autem ut discas quomodo gemmæ à gemmis distinguantur, octo sunt considerandæ: color, durities, magnitudo, pondus, substãtia, nitor, mutatio, & proprietas coloris. Sufficiat attulisse exemplum, eiusq; in quo plura genera gemmarum inueniuntur: ut rubri, carbunculi, balasij, hyacinthi, carneoli, achates: quidam tamen iaspides, & ex carbunculis orientales, Germanici, Apuli, granati communes, Syriaciq;, hyacinthi quoq;, chrysopacij & rubri, ut sint undecim genera. Sunt & Indici Orientales quidam lapides, alij occidentales: sed sufficiat prima illa distinxisse. Achates igitur remissum habet, et minimè splendidũ colorẽ, sed quasi languidũ: iaspis aũt etiã magis, & terreũ, atq; aliqua ex parte opacũ. Quæcunq; enim gemmæ et perspicuæ sunt, et opacæ, si perspicuæ, colores habent lãguidos, et opacitatis cuiusdam minus cõspicuæ participes. nec sciuerim cui magis rem hanc accommodare possim exemplo, quàm languentium florum: ut roscidis comparatur. Carbunculus nequaquam puniceus est. granatis hoc commune est. A Germanico orientalis distinguitur, cum & hi ambo niteant, atq; ignibus resistãt, quòd non nigricat. Germanicus enim adeò nigricat, ut artifices cauare in conchæ modum illum soleãt. Aliter obscurus redditur. unde constat, illum partibus exustis conspersum esse. Carneoli totum genus impurum, & pinguedine conspersum sanguinea. est enim quadruplex: sanguinea, adipis, oleagina, ac tenuis, qualis in oleis destillatis. Hyacinthi omnes atq; Syriacus granatus, luci expositi colorẽ croceum referunt: uerùm hyacinthi punicei coloris, maximè chrysopacij (utar enim cõmuni nomine) sunt expertes, & iuxta ignẽ positi colorem augent, & florẽt. Granati remittunt & languescunt. Syriacus granatus

tus etiam pinguior est, ac carneolo similis hac in parte, sed uibrat ac nitet, alacrisq; est, quibus omnibus plurimũ à carneolo differt. Orientalis carbũculus flammeus, et splendor prunæ colori similis: pulcherrimusq; rubro hyacintho, dum in igne est, assimilatur. Balasius ei ex toto similis, & purus, sed remissus, nec alia ratione impar illi. Eadem ratio in uiridibus gemmis, atq; albis, quarũ maxima est copia. Spectare ergo oportet, ad quem maximè colorẽ declinent. Cum enim octo sint colores principales gemmarũ, albus, croceus (qui in perspicuo quasi aureus est) puniceus, ruber, uiridis, cœruleus, uiolaceus, ac niger: septem modis, aut etiam pluribus, si ad plures uergat, gemma uariari potest. Atq; unusquisq; modus quadrifariã contingere potest: scilicet ut uergat, ut permisceatur, ut luci exposita illum induat, aut secundum diuersas partes unumquemq; referat: uelut in calaide parua, sed adeò pulchra, ut omnem uinceret adamantem, empta quindecim coronatis. tum etsi tenera nitebat, tamen adeò ut in candore illo eximio leuis cærulea uiriditas gratam adderet, non impediret puritatem. considera duritiem, & rotis uarijs tum gemmarum cuspide tenta. Adamas durissima, pòst sapphirus, parum inferior chrysolithus, & Orientalis carbunculus, pòst granatus, onyx inde orientalis, achates & prasius, inter quos carneolus. Post prasium smaragdi occidentales, inde orientales, amethysti, crystallus omnium tenerrimus, topacius. at hyacinthus achati proximus, duriorq; carneolo. Minimæ gemmæ opali, hyacinthiq; orientales. inde smaragdi orientales, carbũculiq;, margaritæ, & adamãtes: sed horum diuersa cõparatio. frequentiores longè magnæ margaritæ adamãtibus, rariores quæ sint absolutæ. neq; enim margaritã absolutam tam magnã licebit uidere q̃ adamantem. illa enim ostreæ, hic nature totius opus. Nitoræ adamas gemmas omnes uincit, crystallus infima omnium quæ pingues nõ sint, nec nigræ. est enim mollior. Leues sunt gemmæ omnes quæ ualde perspicuæ sunt, & puræ. Explora etiã pingues, et puras. inde experieris, quo'nam pacto mouentur sole, igne, aqua, sereno, nubilo, crepusculo, tenebris. Quædam enim etiam in tenebris micant, aqua superfusa: aliæ propè calcem, quædam etiam nullo admoto auxilio. Demum proprietas si qua insit, certiorem te reddit ex omnibus alijs conditionibus. ex hac etiam precium accedit. Laudantur in omni genere puræ, & prepriissimæ atq; magnæ, tum efficaces: exceptis pauculis, in quibus inclinatio in alienam naturam gratiam addit; aut si, pro miraculo res habetur.

RIE-

HIERONYMI CARDANI
MEDIOLANENSIS MEDICI
DIALOGVS DE MORTE, CVI titulus est Guglielmus.

Argumentum Dialogi per eundem.

VEniens è Scotia anno M. D. LII. quærebam puerum Anglum, quem ducerem in Italiam. Cumq; essem in ultima iam insulæ parte Doure, eregione Icij, flarentq; uenti aduersi, nona uix die uela pandere licuit. Pridie quàm discederemus, exorto sermone de hoc, hospes ostendit mihi filium nomine Guglielmum, ætatis annorum duodecim, probum, scitulum, & parentibus obsequentem. Auus paternus nomine Gregorius adhuc uiuebat, & erat Ligur: pater Laurentius, familia nobili Cataneorum. Fata illum intruserunt. quamuis enim egregia esset indole, neque tamen ego, neque illi hoc animaduerterunt, puerum nec Italicam communem, nec Latinam tenere linguam. nam si hoc ego considerassem, quod omnium malorum illi fuit initium, haud mecum deduxissem. Mane autem sequenti, cum de hoc solum uesperi uerba fecissemus, pater dum eum deducere properat (iam enim nauis ualde tempestiuè discedere properabat, metu piratarum) cecidit miser in littore, ut uix surgere potuerit à comitibus adiutus: quod etiam signum, ut ab eo audiui, parum abfuit quin illum recipere recusarem. Sed cogitans quàm alacri animo illum pater obtulisset, non sum ausus id facere. Postquam traieci mare, errorem meum agnoui: neq; enim nisi nutu illum aut intelligebam, aut ab illo intelligebar. Verùm urgentibus fatis, quamuis consultò uirgis illum nudum & sine causa uerberassem, rogans, illud quod solum didicerat, ex familiaribus unus, Volgo Doura, id est Vis ire Dourā? respondebat, quod solum norat, No, id est Non. rursus dicebat meus familiaris, Volgo Milan, id est, Vis ire Mediolanum? respondebat, Sic. Itaq; nolens eum adeò tristicia afficere, deduxi Mediolanum: sæpius in itinere leuissima causa eum uirgis cædens acriter, ut redire uellet. nam Ioan. Angelum Anonum mecū habebam, qui ultro causa mea se obtulerat deducturum. Vbi Mediolani essem, nec ille quid uellet, quid ue pollicitus illi esset pater, intelligere poteram. Id tamen dum in itinere esset accidit, ut nocte quadam, cum aliàs esset intrepidus, significaret, uidisse se mortui caput, faciemq;: quod nos paruifecimus. uerùm ubi fuimus Mediolani, intelleximus patrē illius obijsse. Neq; ergo mittere eum uolui

uolui ad ludum literarium: de quo pòst, cum didicisset linguã, anno scilicet fermè uno cum dimidio, quæstus est. nihilo secius Musicæ, quòd gens illa ei negocio apta uideretur, tradidi. Sed magister parum solicitus, quamuis anno uno decem acciperet coronatos aureos: & puer ad discendum ualde deses fuit.

Inde cum libellum emissem, neq; illi operam dabat, ut saltem legere disceret. erat enim immodicus societatis puerorum amator. Et quamuis ego negligens fuerim, ob multitudinem negociorum in curando, ut doceretur: nihilominus hoc me solatur, quòd apparuerit, ipsum ad omnia hæc satis ineptum esse: nihilo secius fidus, obediẽs, probus & ingeniosus erat: optimaq; uidendi acie præditus, laborum patiens, nec unquam querulus. quas ob causas adeò à me diligebatur, ut nil magis: idq; etiam impẽsius, quòd ab officio meo deficere uiderer. Verùm interim tot impedimenta ex filijs occurrêre, ut neq; respirare potuerim, assiduè modò uno modò altero undas uelut pristes exagitante: sæpe ambobus simul. Agebatur, ni fallor, sextus iam annus. at me pudebat tam malè instructum dimittere, nec remuneratum: ob multas impensas, quas tunc facere cogebant filij. Blanditijs ergo retinui illum. Sed cum septimo exacto anno Papiam me recepissem, cogitans ut illi benefacerem, iam proposueram ut aliquam artem disceret, legere ac scribere, canere atq; pulsare. quæ omnia facile facturus erat, quòd iam paululum didicisset legere, & canere etiam mediocriter, & in domo uictum haberet ac uestitum. ars uerò ipsa quam proposueram, erat caligarum formandarum, quæ admodum leuis est, & etiam non adeò humilis: sed fortuna quæ illius saluti & meis uotis aduersabatur, effecit, ut statim miserabilis ille casus filij mei natu maioris accideret. Ex quo coactus sum, toto anno operam dare conscribendo Theonosto: quod supererat, explicandæ Arti medicæ Galeni intentus: oblitusq; sum rursus negocij alumni mei. Post sex menses, conscripta magna parte Theonosti, eaq; præcipuè quæ de animorum immortalitate agit, rursus destimaueram sequi propositum. nam iam octauus annus à discessu ex Doura exactus erat: sed ob quasdam causas tum mihi ualde graues, nunc mihi leuiores (ut in iuuene, imò adolescente, alumno, fido, mei amante, qui patrem auumq; ac tres fratres ob mei amorem parum curauerat) uisas, proposueram ipsum extra domum collocare. Itaq; dixi: Guglielme iam iuuenescis, nihilq; didicisti. ut tamen ostẽdam quàm te diligam: ego iturus sum Papiam, ut scis: si libet, in domo te artificis cuiuspiam collocabo: per soluam illi pro uictu, uestiam te. ubi artem didiceris, uel numatus domum redibis: uel pecuniam tantam suppeditabo, ut mercaturam & artem simul exercendo, commodè uiuere possis. Placuit quod obtuleram. subiunxi tamen: Et interim festis diebus legere scribereq; disces. Annuit. Sed quæ nam ars arridet? (tum: uerò erra-

rò erraui, laboriosissimam simplici iuueni offerendo) uestiaria'ne? Annuit, atq; eo libētius, quòd iam cum uestiario meo sæpius colloquutus erat, M. Antonino Daldo. At ego eundē illum ei proposui: quo factū est, ut cū ille iam'rem notam haberet, statim de precio conuenerit, ut triginta duos coronatos post sex menses illi numerarem. Atq; hic secundus error. debuerā enim in singulos annos (nam de tribus annis conueneramus) solum tertiam partē pecuniæ numerare. Sed et tertius error. nam Papiæ, ubi habitare solebam, non Mediolani, illum collocare debui. Quartus etiam error fuit, quòd in domo non tam fidum alumnum, contemptis erroribus adolescentiæ (postquam nec de periculo uitæ, nec honoris mei, nec fortunarum aut coniuncti agebatur) creditum fidei meæ à patre tam facili, retinere debui, aut dimittere nō nisi ad domū propriam debueram. Venere sex menses. uafer ille uir blandiebatur iuueni optimo. id ego cernens esse ē re sua, nec quicquam fraudis suspicatus, ex me familiaq; mea & contubernalibus iudicium de alijs faciens, numero triginta duos aureos coronatos. Ille per ætatem, quòd ei esset rus exiguum, adolescentem ducit ad ludos: sensimq; ex uestiario custodem uineæ facit. Simul etiam, si opus erat, redibat eadem die (aberat enim locus paulo plus duobus M. P. ab urbe) atque noctem suendo consumebant. Saltabat præterea cum rusticis, amore puellæ ardens. Itaque dum Mediolani essem, febrire cœpit. Venit ad me. neglexi rem, multis causis: tum quia ipse parum conquerebatur: tum quòd causam morbi ignorarem fuisse labores superfluos, & insolationes: tum quòd apud me cum ægrotasset bis aut ter simili febre, quarta aut quinta die releuatus esset: tum denique, quòd & filius & puer fugam arripuissent. Quid plura? cum tamen sanguinem mitti iussissem, post quatuor dies ueniunt nocte rogantes ut eum inuisere uellem: parum enim, iudicio suo, illi superesse uitæ. Corripuerat eum conuulsio, sensumque amiserat. Ego tamen pugnaui cum morbo, ac releuatus est. coactus autem sum Papiam redire, ob profitendi munus. Is uerò, cum iam è lecto surgeret, celebrauit quasdam nuptias herus suus, coegerunt'que illum in apotheca dormire: ubi ex frigore & mala uictus ratione, cum miser serò destinasset Papiam uenire, grauatus est rursum morbo. Ibi impius ille dominus suus, ad xenodochium transferri iussit: ex quo tum ui morbi, tum angore animi, tum nocturno frigore correptus, sequenti mane obijt. Hoc casu adeò perculsus sum, ut diceres filium mihi alterum obijsse.

Igitur cum nullum huic dolori solatium inuenirem, sed uigilarem, cogi-

cogitarem, nec unquam ea cura me linqueret, ad solidum præsidium me conuerti, ut ratione cum sensu pugnarem, & memoriam nominis illius æternam facerem: cum minoris famæ longè spe multi, uoluntariam & acerbam etiam mortem iuuenes ac diuites subierint. Itaque hic exordior.

Personæ Dialogi.

HIERONYMVS CARDANVS.
IOANNES PETRVS Albutius.

VAlde admiror, ô amice, hunc tuum dolorem: ut qui alios consolari soleas, tu tam paruo succumbas. Memento quanta de Consolatione scripseris, quàm fortiter filij casum tuleris, & quidem acerbum, tot tantáque alia prudenti animo maiora: hic casum familiaris & ignoti tam turpiter deploras, ut tria maxima pericula subeas. Primum, ne te amentem dicant: secundum, ne suspicentur in delicijs hunc iuuenem habuisse, uel etiam habere: tertium, ne Dei iram aduersus te prouoces. Filium unicum habes in carcere, quod pro medicamento est, ut dicis. iudica quantus sit morbus, cuius medicamentum adeò acerbum est: & luges familiarem morbo extinctum, totus in illum intentus. Pudeat te (liberè, ut soleo, tecum loquar) uel tanti criminis, uel tanti ominis (quæ absint) uel tantæ stulticiæ. CARDANVS. *Pudet me sanè, & maxima ex parte uera te dicere intelligo: nec tamen dolori resistere possum, cum dies noctes'que nil aliud cogitans, inter tot ærumnas, peruigil ab hora noctis decima, qui solitus sim ad multam diem (nisi interpellent negocia: & si interpellent, nunquam ante duodecimam) dormire, illius effigiem imaginari non desino, & facta mea ac socordiam accusare, non minus quàm si uolens sciénsque occidissem, uelut Alexander Clitum, & Solimanus puerum quem in delicijs habebat, suo illo puluere hic, uino ille temulentus. Quamobrem suppliciũ hoc esse meum uereor, non amorem, non luctum. Quod enim ad amorem attinet, non ita eum amabam, ut si prorsus persuaderi possem illum sine mea culpa periisse, uel tota die doluissem. Sed hoc me angit, quòd culpa mea perierit,*

rierit, qui à patre mihi in custodiam traditus, tanta fide me atq; amore prosequebatur, ut de reditu ad patrem, ad auum, ad tres quos habebat fratres, ad domesticos sociosq; pueros, nunquam uerbum audire uoluerit. Expleuerat septennium, quod sibi præfixerat ad reditum: sed amor creuerat manendi. in tractandis rebus adeò fidelis, ut nihil unquam defuerit. Deinde alacris ad omnes obeundos labores, & longè facilior ad subeundos quàm ego ad imperandum: diligentißimus, cautusq;. Quî ego possum obliuiſci tantam insaniam meam, ut non ego illum apud me retinuerim uolentem, aut domum suã (ut par erat) remiserim, suisq; (quandoquidẽ patri non licuit) restituerim?

ALB. Rectè monent omnes, luctum suffusioni aßimilari. hæc enim pruritũ maximè commouet, & refricando augetur. ita tu mihi non lenire dolorem, sed causas augere uideris. Cogita miser (liberè, ut dixi, tecum loquor) quid agas, quo in statu sis, quam de te opinionem præbeas hominibus, & æmulis malè dicendi ansam: quanto periculo (si te alia non commouent) te exponas: seu obires, relicto infante nepote, totque pulchris (ut audio) uoluminibus adhuc imperfectis: seu in insaniam, quod deterius esset, deuenires. Quiesce igitur, & parce tuis, & gloriæ, si te tui cura non mouet. Pertulisti repulsam collegij, ut patuit, iniustam: quandoquidem illimet te postea receperunt, post decem annos. Pertulisti, ut dixi, filij egregij, & tantæ spei necem, & crudelem, & miserabilem, & turpem (hanc non refricarem, nisi, qui medicinam uelut tu profitear, scirem, & medicamenta lethifera ad sanitatem conducere: & cum conducunt, omnium esse præstantißima) & alterius filij periculosa initia, & metu plenam expectationem: deinde mortem parentum, uxoris, aliáque multa aduersa grauia: nunc in adolescentis externi naturali morte adeò discruciari, uel (ut dixi) ominosum est, uel turpe, uel insaniæ iam inchoatæ argumentum. Non iacuit Socrates, fœda morte eadem die periturus, trésque filios paruulos sine ullis opibus relicturus: cum etiam iniustè damnatus esset. Crede mihi, qui morbo perit, quouis modò pereat, à Deo eripitur: qui gladio aut ueneno, ab hominibus. at si Deus eripit quod suum est, cum eripiat, dolendum non est. secus in illis. Deinde cogita quòd senex es: et dictum Augustini, Senex diu uiuere non potest. hoc te angat & torqueat, non aliena mors, cuius culpæ insçius es: etiamsi non omnino esses.

CAR. Verißima commemoras. & meipsum reprehẽdo: sed causam tristitiæ ac mœroris abolere non possum. nimis enim me torquet, atque excruciat. consolor itaq; his rationibus: nam omnes has, aliasq; plurimas, pluribus in libris

bris conscripsi. sed non possum resistere mœrori. ALB. Scio te has scripsisse: atq; ob id in medium attuli, & ut maiorem apud te fidem haberent, & ut intelligeres, me tuorum operum esse studiosum. CARD. Gratias ago. sed illud dicam: Cum ualemus, optimè consilia ægris damus. ALB. Sed ego inexpertúsne sum harum calamitatum? Scis me paupertatem quamdiu pertulerim (neq; enim turpius duco, fuisse, quàm pulchrum nunc, non esse iam pauperem) calamitates meorum atq; dissidia, mortem præterea filij optimæ spei: ut tamen nec tua consolatione, nec multo minus alterius cuiuspiam indiguerim. Sapientis est, non solùm fortis uiri, necessitatem perferre: tum magis, cum ægrè ferendo malum malo addideris. CARD. Rectè omnia: sed fatigatum multis aduersis, oppressit me hæc extrema calamitas. ALB. Vtinam sit, & opto. CARD. Dico ultimam earum quæ præterierunt, quasq; iam sustinui: non omnium. neq; enim futura diuinare possum. ALB. Sed & filij in uiriculis calamitatem non hac minorem duxerim, quæ tamen impendet nunc: sed mittamus hoc. CARD. Mittamus sanè, & de hac mea fortuna sermonem habeamus. ALB. Placet. Verùm cogita primùm, si libet, quanto in periculo sis. Senex, excessisti annum sexagesimum. Pauper: neq; enim plus est tibi in reditibus, aureis (ut à te audiui) quadraginta. sed sint modò quinquaginta, sexagintáue, quid hoc ad tantos quos sustines sumptus? Cum odio, ut dicis, Senatus: saltem id ego dicam, non cum gratia. Ademptum seu imminutum stipendium plusquam centenûm coronatorum aureorum. Nepos nondum bimus, filius unicus in carcere, filia sterilis ad hanc usq; diem: autoritas tua casu filij imminuta longè apud ciues, ut non nisi cum summo labore ibi ex arte quæstum mediocrem facere possis: corporis habitus speciosior quàm ualetudo firma, ut ex te audio. Si pereas, quæ nam spes supereſt stirpis tuæ? Si uiuas, & in alterum duorum incidas, ut uel desistere cogaris à profitendo (quòd facilè ab æmulos, & Principum iam senescentem gratiam acciderit) uel ut morbo aliquo longo (quòd senibus, & maximè studiosis, frequenter euenire solet) opprimaris, quis te miserior, quòd ad publicam opinionem attinet (nam miserum uerè dicere non audeo, ne à tuis institutis omnino recedere uidear) dici poterit? ergo in tanta mole curarum, Guglielmi (nónne sic nominatur, qui nuper obijt?) recordari poteris? Quin parum abest forsan, ne statim librum consolatorium scribas, atq; edas. ita cum mœrebis maximè, ut apud Comicum, illi ridebunt maximè. CARD. Quid in hoc faciam? Credo diuinus es. tria enim (postquam id agere cogor) emolumenta ex hoc colligam. lenibo dolorem: immortale illi nomen parabo:

eritq; hic liber forsan illius Hegesiæ adeò famosi oratoris, qui Aegyptios laudatione mortis ad mortem uoluntariam compellebat, orationibus persimilis: qui nisi comminatione mortis Ptolemæus ab eo munere illum deteruisset, pro uinciam hominibus exhaustus uidebatur. ALB. Ita qui mortem alijs suadebat, illam extimuit? CAR. Ita est. Sed dicam quid me angat in huiusmodi morte præcipuè. ALB. Dicas quæso. nam hoc est quod audire malim. CARD. Id maximè me torquet, quod infelicissimus sim: & quod eos qui mihi maximè sunt obsequentes, in easdem infelicitates deducam. Quid enim attinebat ut miserum illum abducerem è patria sua, tanquam alterum redditurus Theophrastum, cum in domo sua rex Philippus cũ Regina Maria paulopòst (ut audio) hospitati sint? si pauper ille fuisset, non adeò dolerem. Qui cadunt, dum coguntur à miseria tentando euadere casum, æquo animo ferre debent: & qui sponte se in pericula præcipitãt. ALB. Sed de hoc pòst uiderimus. Dicas quæso, quæ sit hæc maxima cura? CAR. Vidistine meipso infeliciorem unquam hominem? In utero matris, abortiuo medicamento tentatus sum primò. duos fratres & unã sororẽ peste amisi: Papiã ob id mater aufugit: profugus antè, quàm natus: exanimis natus: uitricũ peste una die amisi: in infantia æger, & toties deploratus, superuixi, credo ut deteriora experirer. reiectus à collegio medicorum inuidiosè, ne dicam iniustè, similem rursus repulsam in filio natu maiore expertus sum. apud patrẽ longã seruitutẽ sustinui, & pro spurio ab illo iactatus, etiã indecora matri simul audiebam. Inde ubi ab hac ærumna liber euasi, in deteriorem incidi, ut decem annis perpetuis frigidus, atq; id ipso iuuentæ flore, essem. Soluit hanc calamitatem deterior quædã alia. tabe enim correptus septimestri, me fusis lachrymis deploraui: liberatus rursus ab ea, tantã paupertatẽ expertus sum per annos decem nouẽ perpetuos, ut exemplo phratriũ Capucinorũ prandenti mihi cœna incerta esset: idq; ad annum usq; quinquagesimũ. Omitto minas et uexationem Barbiani, alioqui illustris uiri, sed meæ fortunæ parum amici, totq; aliorum: mortes parentum. Nihil commune aut mediocre his connumerabo. Successere nuptiæ illæ infaustæ filij natu maioris, inde mors tetrior: deniq; tot stulta facta alterius filij, ut illum uinculis coercere coactus sim (omitto nunc stipendij imminutionem, quam nuper commemorasti: herniam inguinis dextri deploratam aliquot annis: decimo-octauo loco, miseri huius adolescentis mors intempestius subsecuta est) ut fatear ingenuè, me neminem nunc habere in quo fidere possim: Filius hostis & inconstans, filia apud coniugem, nepos imbellis: agnati parum amici, cognati pauperes, affines omnes procul, amicus nullus præter te, non cliens, non familiaris: hic solus adolescens, quanquã externus, credo ob probitatem & educa-

tionem

tionem longam in officio præstabat. cui ego ob tantã fidem, per socordiam et desidiã hanc gratiã retuli. et non uis me deflere eius mortem? ALB. Sed tamen si casum filij fortiter pertulisti, turpe est (fateor causam esse non leuem) cur uis nunc immoderato dolori succumbere? tum maximè, ut dixi, quod res hæc periculo ingenti nõ uacat. CAR. Rectè mones: sed in filio anima nõdũ erat magno ullo uulnere saucia. uides homines uulneratos parua puluinaria, molliaq; tũ lintea grauius ferre, quàm ipsum uulnus: quòd caro saucia, nihil ferat: sana, omnia contẽnat. Quis eorũ non ægrius stupas fert, quàm sanus grauissimas cõpedes? Deinde ibi affuit diuinum præsidium, ex smaragdo in ore detenta. Cõscripsi etiã librũ Theonoston, qui omnes curas sedare, omnẽq; tristiciã quã tumcunq; graue sistere potest. Adest & in hoc causa, ut dixi, erroris, & desidia: in filio nihil deliqui, quòd sciam. nihil est quòd probum uirũ magis torqueat, quàm cõsciẽtia sceleris uel negligentiæ. Hic etsi scelus omnino abest, in diligentia fateor me deliquisse. ALB. Sed si Theonosti liber omnes curas sedare potest, habẽsne illum apud te? CAR. Habeo. ALB. Cur ergo non & hunc illius lectione luctum sedas? CAR. Vera dicis: sed in eo libro nil agitur de his infortunijs quæ nostra culpa, & maximè circa nostros euenerunt. Non me torquet hæc iactura, sed socordia stulticiaq; mea. utroq; enim modo peccaui. Nam omitto reliqua: nec cum uestiario, qui totas uigilat noctes, collocare oportuit: & cum ad me miser, cui totus fidebat, uenisset, omissis omnib. alijs negocijs illi succurrere debui. ALB. Video quàm sit anima tua hoc morbo saucia. Sed dic quæso, hócne præuidisti, qui omnia mala præuidere soles?

CARD. Existimo equidem. ipso enim primo die anni, scilicet Calendis Ianuarij, tremuit cubiculum, cum tamen nullus esset terremotus. unde quòd esset initium anni, monui omnes è domo, & filium præsertim, ut caueret diligenter. scire enim me, aliquem è domo interiturum: quòd dirum semper mihi fuerit hoc prodigium, tum etiam alijs, atq; nimis certum: ut in patre seu patruo Comitis (sic appellare liceat more Longobardico) Hippolyti Mayni.

ALB. At ille tamen in domo erat tua? CARD. Nequaquam, sed iam ad uestiarium se contulerat. ALB. Quid ergo illi cum tremore cubiculi?

CARD. Et ille è numero fuit domesticorum: unde etiam de eo sortem in Saturnalibus duxeramus. Imò & pro nepote timebam, timeoq; etiam nunc. nam paucis pòst diebus idem repetijt prodigium, circiter mensis medium: nepos autem extra domum meam educatur. ALB. Sed nepos necessarius est tuus, è familia tua perpetuò, possessurus etiam bona tua, si nil ei enim aduersi euenerit: at hic neque tuus erat necessarius, nec forsan in domum quoq; tuam amplius rediturus: non certè diu apud te moram

ductiurus,

ductarus, nisi & hoc cogitaueras, ut eum hæredem etiam relinqueres. CAR. Nil tale. iocaris: plus dedi uestiario, quàm ei ex testamento relinquebam. sed tamen amabam plurimùm illum, & præficere mercaturæ destinaueram.

ALB. Itaq; non uidetur hoc somnium ad illum pertinere. securus uiuas: fortuitò orimur, fortuitò magis etiam perimus. CARD. Non omnes. ALB. Excipere oportuit ergo famulum tuum. CARD. Non illum sui causa, sed mei. ALB. Deliras ô amice, dum talia dicis. Sed altius hanc defensionem exordiri oportet. CARD. Vnde uis: sed scito me de illis non fabulari. utinam ad hanc usq; diem non tam fuissent, quàm uera fuere huiusmodi ostenta. ALB. Credo: sed nihil tamen mihi tale contigit. uerũ omittamus hæc: dicasq;, dolésne causa tua, an illius, an amborum, an suorum propinquorum? CARD. Omnium certè. ALB. Quanquam magis arduum negocium imposuisti quàm sperabam, nihilo secius enitar ostendere, te non solùm tristari non debere hac causa, sed egregiè lætari. Beneq; factum existimo & pro illo, & pro te, & pro propinquis suis: ipsum uerò, si posset reuiuiscere meliore multo cõditione quàm erat, illustriq; fortuna, non recepturum reuiuiscendi optionem. CARD. Omnes hoc dicunt: sed Deus nouit, quomodo res se habeat. uulgatũ certè est illud, Omnia esse cupiunt. ALB. Nihil proficio eminus tecum, uideo: cominus pugnandum est. CARD. Age si quid habes: nihil non absolutum ex te proficisci posse spero. ALB. Et tamen etiam abstinebo, quòd multi non faciunt, à calumnia. pleriq; enim ex uitijs, quibus nemo carere potest, nedum ille, odij causam & doloris lenimenta quærunt. Et si etiam mihi illius uita intimè nota esset, longè plura dicere possem. CARD. Cogita illum inter iuuenes optimum fuisse, adeò ut ne inimicum ullum haberet. ALB. Sit ita, quando etiam præstat decipi quàm contendere. nam audiui aliquando discessisse. CARD. Ita est: sed ex iniuria, qua illum affeceram: redijtq; intra secundam horam. erat enim omnis contumaciæ expers. ALB. Sit ita: uideo te fauere dolori tuo, & gloriæ illius, si qua in barbaro adolescente gloria fingi potest. CARD. Vtinam alium similem haberem Italum, sed perge: iam enim lenimenta doloris non solùm non refugio, sed spõte quæro. ALB. Omnes qui de anima aliquid dixerunt, in quatuor opiniones diuisi sunt. Alij eas mortales esse uolunt, aut unam tantum: quod ad idem redit, licet specie quædam magnifica de illa loquantur. alij perpetuas ac diuisas, præmia & pœnas subire dicunt: ut leges omnes, Platoq;, sed adeò frigidè hoc docet, ne ineptè dicam, ut multum detraxerit suæ autoritati hac in parte, ubi omnes neruos intendere oportuit. Tertia est opinio eorum, qui certo numero annorum eas superesse uolunt, sed satis magno. Quarta est tua, ut ex te audiui, ut sint unà omnes, &

omnes, & diuisæ tamen sicut radij Solis & membra corporis. Quòd enim sentit pes, manus non sentit, & tamen pes & manus unius sunt, ne unum dicam. Quicunq; igitur animam æternam & diuisam esse dicunt, seu omnes sunt felices, seu bonorum tantum (quandoquidem hunc bonum fuisse contendis) nihil melius accidere ei potuisse, fateri coguntur. quod idem in tua opinione dicere necesse est. CAR. Ne labores amplius, hæc nimis perspicua sunt. ALB. Nã si improbum fuisse affirmes, impiũ fuerit dolere pro eo: qui, si uixisset, quamuis tibi amicus, multos probos malè habiturus esset, et iniustè læsurus. CAR. Vera nimis hæc: non labora. neruos omnes huc dirige, si mortalis sit, aut una. ALB. Non credideram his opus esse apud te, qui toto uno anno (ut ex teipso audiui) nil aliud egeris, quàm ut ostenderes animas nostras esse immortales. CARD. Vera dicis. sed tamẽ cupio audire, quomodo etsi mortales essent, ostẽdere possis mortẽ nõ esse malam: quod diu frustra conatus est Seneca. Quid Alexander, Themistius & Auerroes dicturi essent? nam legisse me memini Theophrastum, qui eiusdem fuerit sententiæ, doluisse sortem suam cum esset senex, grauiter, nec quicquã frequentius quàm questũ de conditione hominũ, & illorũ breuitate uitæ. Itaq; si quid potes in hoc, age. ALB. Primùm illud fateberis, quod poeta scripsit: Atq; iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

Quod luculenter adeò demonstratum est à te, exemplo argenti in aquam redacti, idem infinito numero reuerti: ut nemo dubitare possit, unumquenq; hominem reuerti in hunc mundum, ac perinde esse ac si quis intermedio dormiat: uariamq; subire sortem, quam παλιγγενεσίαν tu uocare soles, mediam immortalitatem: ut uerè quisquam nostrûm latitet uelut in cinere scintilla, ut astra sub terra, redeatq; suo tempore longè felicior: aut si feliciter uixit, aliam subire cogatur sortem. nec hoc immortalitatis genus ullus philosophorum refugere potest. Porrò tempus hoc quo interim dormimus, felicitati potius quàm infelicitati, & tranquillitati proculdubio, imò maximè ascribi debet. CAR. Tam pulchri inuenti, ut & multorum aliorum, sed huius præcipuè, in quo maximè salus humani generis reposita est, gratiam uni mihi tota debet posteritas. ALB. Sed tu dic quæso, & melius explica rem tuam: nam in hac, ut dici solet, omnes leges & prophetæ conueniunt. Hæc immortalitas est, quam nullus expugnare potest philosophus, nullum experimentum redarguit, nulla ratio reprobat: sed omnia undiq; consentiunt. CARD. Dicam, postquam audire placet, solùm demonstrationes ipsas tacebo, quòd in Theonosto abundè sint explicatæ, ne bis idem repetere uidear. à quo uitio, quantum memoria ualeo, me uindicare soleo. At dices: Vel ipsam rem bis dices?

Nequaquam. nam rei seriem explicare ibi neglexi: nunc accuratè expediam, quòd iucundũ tibi fore existimabo. ALB. Vt nihil magis. Sed perge. CAR. Principio scire debes, cum homo ex forma illa humana atq; materia & mente perpetua constet, si omnino refugias animi immortalitatem, remq; eò deducas ut lateribus similes simus (neq; enim formam aliam uniuersalem, qualem commentus est Auerroes, imaginari oportet: tum quòd nos ipsi sumus, et singuli seipsos esse agnoscant, non alios: & quoniam omnes homines aliter essent unus homo. sed fac ut libet, & omnia tibi concedam ab Auerroe posita quæ in nostram opinionem faciunt: quandoquidem quanto plura habebimus communia, tanto minus proprij restabit ad nostram resurrectionem) unam saltem rem assignare oportet, qua singuli ab alijs distinguuntur. ea non est accidens, nam distinguimur hisdem quibus sumus: sed materiæ portio, non totius corporis: quoniam & puer & senex non unus idemq; essent, nec amputato brachio uel effosso oculo idem homo esset: sed portiuncula illa in corde, in qua fixa est anima, si modò illam affirmes esse mortalem. Vbi ergo homo interit, materia manet, & forma illa in potentia in ea residet, uelut in cinere fomes igniculi: & forsan actum etiam, licet exiguum, aliquem habent. Sed non assumo mihi, nisi quod negari nullo pacto potest: sic in somno profundo quiescimus, sic astra sub altero latent horizonte. sic in musca uitæ fomes: sic quidam, ut de Iuba fertur, adhuc calente corpore resurrexerunt (quod etiam ex Fortunio Affaitato liquet & approbatur) ubi exigua pars illa rursus imbuerit & humanam animam & mentem, surgit idem homo. atq; ita omnes uere resurgemus cum carne nostra, neque semel, sed infinitè: quoniam tempus infinitum est. At si uel diecula superuiuant, necesse est unumquenq; hominem infinito tempore superuiuere. Sic etiam parum hæc opinio differt ab illa, quæ animas nostras ab obitu dormire censet usque ad diem iudicij. Vnde etiam illud toties repetitum: Dormiuit in pace.

Sed lex nostra ultrà progreditur: philosophi coguntur ad sensus usq; consistere. Vbi cor illud fabricatum fuerit, alia sibi exornat membra, atq; ideò alios mores, fortunamq;. Credendum est etiam, ita constitutam esse hanc resurrectionem, ut qui felices fuerint, euadant infelices: aut saltem qui mali. relinqui etiam uestigia amoris & odij, si quando eodem tempore ijdem qui amici fuerant, aut inimici, eadem ætate nascantur. quod ut non necesse est statim, necesse est tamen aliquando ut eueniat: & qui supplicio affectus est ab aliquo, eum rursus supplicio, uel aliter male afficiat. Ostendo autem

ita esse

ita esse necesse. nam cum tempus infinitum sit, & infinities reuertantur, & numerus animarum finem habeat: sequitur, ut non solum semel, sed infinitò quilibet homo cum quolibet in eandem incidant ætatem. Hic planè uides omnia in unum consentire, esseq; ueri similia. Quominus mirandum primò est, si multi philosophi sine cura uixerunt, tanquam redituri. nemo enim est, qui si se prorsus extinguendũ existimaret, tristis nõ uiueret. Deinde quòd omnes religiones hãc immortalitatẽ asserant: tã multi etiã intrepidè se morti offerant. Reliqua aũt quæ ex hoc pendent, planè eò usq; ignota sunt, eruntq; nobis, donec uenerit homo feliciori ingenio. uelut, an ijdem erunt filij singulis, an post obitum quicquam in ea materia resideat, actum habens. Illud pro comperto habeo, optimos esse illos, atq; etiam felices, quibus cum nemine est negocium ut occidant aut occidantur, iniuriam inferant autem recipiant. Signum est enim tales iam pridem fuisse, talesq; futuros eße. ALB. Mira hæc sunt: sed tamen ualde dubia, ob unum solum. Si quis enim dicat infinitos esse homines, diuidiq; materiam illam per partes minimas, ut nunquam prorsus sub eadẽ forma eadẽ sint materiæ partes: Deinde, quòd uerear, etiãsi sint, non eundem esse hominem tanto interiecto tempore: hæc duo si dilueris, fateor omnes nos redituros. CARDANVS. Dicam primùm de tempore, inde de numero. De tempore quidem: quoniam si eòusque uiueremus, palã est eosdẽ nos futuros esse: modò interceptio hæc temporis nihil officit unitati. Vides in argento, in his qui ex longo somno expergiscuntur, ex longo morbo, in quo sui immemores facti conualuerint. Nulla enim prorsus dubitatio esse debet, quæ ex eisdem fiunt, eadem esse debere.

Sed ad primùm ueniamus, ex quo etiam hoc secundum clarius eluceſcet. Si ergo hominum incertus atq; infinitus esset numerus, nullus horum Deo notus esset: quorsum hæc inordinata incognitaq; infinitas? at quanto satius, exemplo aliorum orbium proposito, certo numero mortalium efficere, ut quemadmodum corpora cœlestia, ita ille numerus reuertatur ad pristinum? In hoc certè seruabitur ordo sapientiaq; diuina, similitudo omnium, infinitas abominanda numerorum euitabitur: inutilis & incognita multitudo iusticiæ etiam diuinæ exemplum habebitur. Præterea si non ita sit, incidant autem aliquæ materiæ partes sub humana forma, ut alij quidem restituantur homines, alij non, quàm iniustum erit hoc? restitui quosdam, quosdam non restitui? Si uerò nulli? ALB. Nulli prorsus. CARD. Fugere oportebit ergo hanc colluſionem, magnaq; Deus solicitudine tenebitur ne quisquam redire posit.

Quòd si & istud adeò absurdum tibi concedam, negare non poteris, quin pars illa materiæ ex pluribus portionibus constet: ita ut in me (gratia exempli) pars sit alia Galeni, alia pars Iri, alia Themisonis, atq; alia Maximi Planudis: illi ergo, uelis nolis'ue, ex parte resurrexerunt in nobis. Sed quæ confusio? at quanto dignius, diuina sapientia eosdem planè post aliquot secula redire? ALB. Stupeo in his: hæc sanè meliora sunt epistola Auerrois de Resurrectione. Mirum: non sufficit his malè sentire, nisi etiam honestißima nomina impijs libris imponant: hic de Resurrectione, cum interire omnia præter quid commune: ille de immortalitate, cum nihil minus quàm animi immortalitatem credat, inscripsit. O beata Guglielmina (nam scio te adolescentem sincerum & optimum sæpe ita nominare ioci causa consuesse) qui tui nominis gloriæ talem nactus es præconem, qualem aliquando frustra desiderabunt reges. Et quanto tu rursus Guglielme beatus es, qui causam serendi hos sermones exhibuisti? O glorioſum fatum, & Curtij temeritate immortalius atq; honestius. Hæc alia sunt ab his quæ audire soleo in Scholis contentioſè clamari: Aristoteles dixit, Galenus sentit: Medicina scientia est: At non est, sed ars: Quid dicit Textus? at non, sed quæ uel quod. Sed perge, si quid habes, ulterius. iam enim persuasisti me. CARD. Imò ego à te hoc exigo quod es policitus, ut omißis omnibus rationibus animi, modò me (ut uolebas) consoleris. ALB. Præsto adsum, & pro uiribus conabor egregiè. uerùm, ut uera fatear, perlibenter habere uellem unam Hegesiæ illius rationem, qui adeò uitæ huius fortunam detestabatur, ut homines ad mortem ultro obeundam cõpelleret. CARD. An putas fuisse rem magnam? Certè non. in quo enim uis potuisse Ciceronem uinci in Tusculanis? quis potuit uidere hoc in argumento, quod ille non uiderit? aut uisa et cogitata melius proferre, aut facundius quàm ille fecerit: & tamen nihil tale ille efficere potuit, nec hanc opinionem in hominum mentibus gignere. ALB. Forsan nec optauerit: imò etiam Hegesias ad immortalitatẽ animorũ deuenit, uelut & Cicero. Vnũ fateor durũ uideri, sine hac immortalitate posse iuueni & diuiti persuadere, mortẽ esse potiorẽ uita. CAR. Et tamẽ hoc à te nũc expeto. sed quomodo credis id illi cedere potuisse? ALB. Si modò uera sunt quæ dicit Valer. Max. existimo nihil fuisse præcipuũ, sed potius facundiã quandã popularẽ, quæ (ut dicit Eurip.) magis suadet imperitis, quàm quæ arte ac ratione cõstat. CAR. Quid audio? unde hoc miraculũ? ALB. Dicã: fieri potest. nã facũdia popularis magis propria est idiotis, & illos magis mouet splẽdida & uerè ornata oratione, ob quatuor causas. CAR. Quatuor causas? hui uix unam tota die inuenire posse cõfiderẽ. ALB. Dicam, ut scias.

ut scias. Prima est, quòd huiusmodi incompta facundia melius percipitur ab illis qui craßiore sunt Minerua, quàm subtiles rationes. tum etiam, quia fundamentis innituntur, quibus illi magis fauent.

Secunda, quòd inæqualior sit oratio (quod etiam Quintilianus animaduertit) & ob id magis concutiat popularium mentes. Tertia, quòd gestibus homines minus graues (qualem Hegesiam illum, alioqui ignotũ, fuisse credo (uerba sua adiuuant. at saltem minus graues Aristotele, Platone, Demosthene atq; Cicerone esse fateberis: unde percutiendo suggestum, exclamationibus, lachrymis, suspirijs, casu uocis, has suas nænias fulciunt: quæ ut ridicula sapientibus & artis peritis, ita admiranda imperitis, mulieribus pueriśq; sunt. Quarta est, quòd mendacia etiam impudentia, nec credenda, tales immiscent.

CARD. *Intelligo nunc: sed si quid habes Hegesia isto dignius in hac causa, deprome.* ALB. *Dicam planè, atq; ut sermo sermoni iunctus uideatur. Quid est, nisi hæc uita esset prorsus infelicißima, quòd tot uiri nulla ex causa seipsos occiderent? Narrant enim, in Othonis funere quàm plures milites se iugulasse sponte, cum nihil esset quod illos premeret. Centurio, qui Caßio serum attulerat responsum, seipsum iuxta cadauer domini confecit. Quot liberti, serui, mulieres, omitto parentes ac fratres, qui uel ob dominos, uel ob socios, semetipsos occiderunt? Quid ergo boni illi in uita essè rebantur?*

CARD. *Sed hi forsan animos existimabant immortales.* ALB. *Nihil minus. paucis ad hanc diem hoc persuasum est: & tanto paucioribus, quanto plures id credere se simulant. Sed si modò hoc persuasum est: probis id est: tum quia simpliciores, tum quia ipso uitæ genere quam habeant opinionẽ ostendũt. At qui se sic interfecere, uiri omnes erant improbi, atheiq;, præter unum Catonẽ, cuius mentem (saltem cum floreret) Deus nouit. Sed fac ut etiã immortales existimarint animos: eã spẽ cõpensabat dolor ipse mortis.*

At nunc disputatio non est, an mori expediat cuiquam: sed, an melius sit his qui mortui iam sunt, quàm qui uiuunt. Quid ergo eiusmodi homines uitam morte deteriorem existimarunt, si mortem non poterant bonam esse sperare?

CARD. *Hæc ratio planè conuinceret, si plures eiusmodi fuissent homines, aut sapientes. illud enim fide dignum solum habetur, quod uel pluribus, uel sapientibus maximè probatur: modò hic neutrum est.* ALB. *Sed ueniam quocunq; uocor. Certè qui uiuunt, nihil plus habent mortuis, quàm quod mortem ipsam experiri coguntur, malorũ maximum atq; terribilißimum. nã cætera paria fermè sunt in uita: metus, spes, dolor, uoluptas, iucunda, ingrata, dulcia, amara. Atq; id nimis etiam est, si demus bona malis posse æquari. nam mala & diuturnitate & magnitudine bona superare solent. Adde, quòd ma-*

gis mouent mala quàm bona: quòd mala in extremo, bona in medio: & mala in sensu, bona in indolentia reposita sint. Quid iuuit Ciceronem, cum tantis opibus (supra trecenta enim millia aureorum coronatorum possidebat) cũ tanta potentia, ut tertius esset Romæ (post Pompeium enim & Cæsarem, mortuo Crasso, iam primus habebatur) cum tot amicis, ut uiginti millia ciuium ob eius exilium uestem mutasse dicantur: cum tot gestis, de quibus gloriabatur: cum consulatu, ordine Senatorio, collegio augurum, alijs q; multis magistratibus, sospite adhuc filia, incolumi filio, fratrem, nepote, cum tot libris pulcherrimis conscriptis, demum cum peritia tanta rerum singularum philosophiæ, inde incomparabili illa eloquentia, corpore non solum sano, sed uegeto? Vide quid dicat, & ex animo? Attico enim scribebat (sola fratris iniuria lacessitus, qui tamen adeò pro illius salute ac dignitate pugnauerat, ut uitam illius mortis falsa opinio tutata fuerit: namq; in illa seditione, ut mortuus inter mortuos iacuit:) Hæc ad te natali die meo scripsi, quo utinam susceptus non essem. Vides quàm longè magis mala nos bonis afficiant: imò parua & pauca mala, multis bonis. CARD. Quòd dicas, nil plus habere uiuentes mortuis, nisi quòd sint morituri: fateor. nam hoc ipso uidentur fœliciores: quoniam qui uiuunt, commutare conditionem possunt: qui mortui sunt, coguntur retinere. melior ergo est conditio uiuentium. ALB. Subtiliter, & digna te obiectio: sed ipse transitus è uita tam grauis est, ut nemo, quod ad hoc attinet, uelit non euasisse. Si quis enim ex morbo ad sanitatem non possit, ut in uesicæ lapide (ambo enim medici cum simus, & (ut dixi) artis professores, exemplis medicis utar) redire, nisi execto lapide, quis non malit exectum, quàm exigendum? CARDAN. At si, præter id, grauius sit ægrotaturus à sectione, quis non malit non exectum, quàm eum frustra subijsse dolorem, ut grauius torqueretur?

ALB. Ergo eò deuenit res, quandoquidem qui mortuus est, malè non possit habere: quanto minus peius? ut uideamus, an uita bona sit, an mala. nam si mala, cum mors mala sit, mortuis malum non sit, ut nec bonum, mortuis melius erit dupliciter: & quod malis uitæ, & quod dolori mortis non sint obnoxij. Sin autem bona, uiuere melius erit, quàm mortuum esse. CARD. Rectè inquam. ALB. Sed & hoc uideamus. Postquam mortui sunt, ac perinde ac nunquam nati: illud spectare solum sufficiet, an homini nasci bonum sit. Sic enim hoc quæsito omnia determinãtur. nã qui nascitur, ea conditione nascitur, ut mori ipsum necesse sit. CAR. Video quorsum me trahas. quatuor enim simul difficultatib. implicare meuis. ALB. Imò explicare potius. Scio quid dicere uelis. Primũ, quòd (ut dixi) Cicero alij-

que

que multi leuißimis ex cauſis mortem deſiderauerunt. Secundum, ut dolorem mortis, bonis quæ poßidemus opponas: quæ non leuis pars malorum eſt, tum per ſe, tum propter metum. Tertium, ut obijcias Philoſophi dictum illud: Mortem optare, & conſciſcere ſibi, ad mollitiem pertinere: quaſi durius ſit longè dolores uitæ perferre, quàm mortem, & non eſſe. Quartum, ut illud Sileni adducas: Optimum homini, non naſci: proximum eſt, ſtatim ubi natus fuerit, mori. Hæc erant, puto, quæ obijcienda tibi exiſtimaueras, quia uerè obijci poterant. CARD. Ita eſt: ſed leuiter eadem diſcutiam. Optabam magis propria, et diligentius examen de ſingulis. Quod enim de Sileno adducitur, tam fabuloſum eſt, ut etiam fabula mera ſit: quæ originẽ ducit à fabuloſo animali, ac prorſus confecto. nec opus illud Ariſtotelis eſſe exiſtimo, cuius etiam nullus Peripateticus philoſophus meminit. De mollitie, certum eſt mollitiem eſſe, non perferre poſſe dolorem, & ob cæcitatem atque ſtulticiam ſemetipſum conficere. Mors non perfertur ſponte: ſed ubi in illam te conieceris, uelis nolis ue perferre cogêris. unde illud Virgilianum:

—Oculiſq; errantibus alto
Quæſiuit cœlo lucem, ingemuitq; repertam. Vnde etiam alibi clarius:

—Quam uellent æthere in alto
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores?

ALB. Effinxit Virgilius ſordidarum animarum curas ac mores, quæ quiduis malũt pati ac ſubire quàm mortẽ. Vnde & illud, Gaudia uitæ. Vulgus ſic uiuit, ut nil potius uita eſſe ducat: ita etiã corporeas delicias animi iucunditati præfert. Sed quis ſcit, an Poeta mortuorum affectus pro moriturorum deſcribat? Sed perge. CARD. Nolim hæc prodeſſe cauſæ (ut ita dicam) meæ, modò ne obſint: ut nec mihi illud, quòd naturaliter omnes appetant eſſe: nam hoc generale eſt. Igitur uita morte potior eſt. Sed ad alia. Qui moriturus eſt, perpetietur non duriora, quàm is perpeſſus eſt qui iam ſit mortuus. Finge ſupereſſe, uide æquam eſſe conditionem: niſi quòd ille iam ſuperauit malum, hic expectat. nec nos morientem mortuo comparamus, ſed uiuum, qui uix unquam mori ſperat, qui nullum putat eſſe in morte dolorem. nam de moriente non contendam, quin melius ſit eſſe mortuum, quàm mori. Quin etiam multi nullum putãt eſſe in morte dolorem, quòd unà cum uita etiam ſenſus extinguatur. Quod ſi ita eßet, quid haberes quod obijceres? ALB. Legi hoc aliquando in libris tuis de Conſolatione: ſed an par ſit linqui animo & mori, dubito. nam qui linquuntur animo, ut non dolent, ita nec aliquod doloris ſignum edunt. qui moriuntur, uel tum, uel parum antè, non mediocris

diocris doloris signa ostendunt: torquentur, lamentantur, peruigiles sunt, oculis intentè toruisq; aspiciunt, subsiliunt, exilire uolunt, terrentur, clamant. Sed nil aliud adduco præter rhechmonem illum quo diutius tenentur, et haud dubium est illos sentire se suffocari. hæc omnia non solum dolere eos qui moriuntur, & mediocriter, sed maximè, signa sunt. Si tamen non uis, quid dicam non habeo. CARD. Aristoteles scripsit, ultimo senio confectos nullo dolore mori: tanquam cum aliquo eorum post obitum collocutus fuerit. Gualterius Corbetta, cum hæmoptoi perijt, paulò defecit. ubi redijt, dixit: talem se expertum dolorem, ut maior in morte esse non posset, nolleq; se reuixisse, quoniam periturum se nouerat. hæc fauent opinioni tuæ. Sed quid plura? ego ipse mortuus sum. ALB. Quando oh? iampridem scio, sed non mortuus. nónne memor es dixisse, hoc me legisse in tuo opere de Consolatione? CARD. Non: dico, nuper, & uerè. ALB. Quando? iocaris, aut insanis? cuinam persuadebis unquam? CARD. Nocte quæ subsecuta est septimum Calendas Decembris, huius anni M.D.LXI. ALB. Quomodo? ais seriò? si mortuus es aliquando, quomodo uiuis? resurrexisti ne? CARD. Nisi possem ostendere, miraculum huiusmodi proferre non auderem. ALB. Quod? quod mortuus resurrexeris? CARD. Nequaquam, sed aliud. ALB. Quod? CARD. Quòd cũ hernia intestinali lateris dextri per decemocto menses laborassem, omniaq; obessent auxilia, repentè proiectis omnibus medicamentis, sanus prorsus ut nunquam aliàs factus sum. ALB. Mira hæc quanquam sint, non tamen id ad resurrectionem quicquam facit. Quid enim herniæ cum resurrectione? CARD. At non resurrexi. ALB. Imò: nónne mortuum te dixisti, & uiuis, ergo resurrexisti? CARD. Non mortuus sum, sed mortis dolorem sum expertus. atq; utinam tam tibi possem significare, quàm illum percepi. Credo etiam in ægris minorem esse. ALB. Cur ergo non perijsti? Dormiebas' ne, an uigilabas? CARD. Dormiebam: sed perhorresco. ALB. Oh, dormiebas? somnium ergo est hoc. CARD. Non: sed eum sensi dolorem, quem scio ad unguem morti esse persimilem. ALB. Et hoc secundum mirum: Dormiebas, & non est somnium: mortuus es, & uiuis, nec resurrexisti? CARD. Rectè dicis. sed omnia in me quandoq; supra fidem sunt. seu ad id Genius quidam me ducit nescientem, seu donum est Dei, ut patefacere possim quæ uix nota sunt ulli alij: certè ignosco tibi si non credas, quandoquidem mihi uix ipsi credam. ALB. Dic quomodo res acta sit, & cur non interijsti? CARD. Momento solo perdurauit, & (ut dicunt) instanti: nec dubium est quin si uel per momentum perdurasset, quin animam efflassem. ALB. Quid uidebatur? CARD. Non possum explicare. ALB. Explica seriem facti.

cti. CARD. Visus est mihi quispiam, nescio quis, dicere, hoc est mortis exemplum, hic dolor. Vnde statim mecum dixi: Nõ ergo moriar nunc. Et in ipsa cogitatione uisa est mihi omnis uita è corde extirpari, atq; in auras euanescere, simulq; omnia confundi, & nullus esse cum terrore magno. Et statim solutus sum somno. Palpitabat autem cor, sed subitò cessauit: & quod ex corde euanescebat, calidum erat aliquanto plus quàm par erat. Itaque ego, qui miraculum seu ostentum de hernia uidi, facilius credere possum mortem ad unguem talem fore. Et eo magis, quòd etiam uerum esse expertus sum somnium illud, quo admonebar, si smaragdum quam collo appensum ferebam, in os ponerem, futurum ut obliuiscerer filij: non mortis illius, sed tanquam nullus mihi antea talis fuisset. Ego qui talia uidi, & multa alia, cur hoc quod minus est, & ualde uerisimile, uel ob hæc duo quòd neq; quicquam simile habeas, nec adeò terribile. ALB. Dic quæso, cuiquam'ne alij hoc narrasti? CARD. Non nisi contubernali. Sed cur? ALB. Scire cupiebam, quid illi de huiusmodi re sentirent. CARD. Nemini dixi, nisi Herculi contubernali meo. ALB. Magna sunt hæc, atque miranda. Et si uera sunt, argumentum satis euidens immortalitatis animorum nostrorum. Sed dic, quid putas interesse inter mortem hominis, cuius post mille annos anima denuò reuiuiscet, & cuius anima interim sopita expergiscetur? ostendit enim ratio quædam, hos eosdem futuros, illos autem diuersos: quamuis non habeam quid dicam, cum materia et forma eædem sint in ambobus, & silentium intermedio tempore par in utroque casu. CARD. Operatio & essentia rerum, sunt causæ differentiæ. hæ cum sint eædem, uidentur parum effectum habere. Sed habeo hac in re satis accommodatum exemplum. Sol illucescat per fenestram in cubiculum tuum, phialæ ibi duæ aqua plenæ, quas radijs illustret: ex ambabus iris in pariete refrangatur: sed una quidem perpetuò maneat, nullo obiecto Soli impedimento: alia obducta poste modò, modò aperta uideatur, quandoque non uideatur. quæritur igitur, an eadem utraq; sit iris? nullum est discrimen, nisi quod una continuata est, altera uerò interrupta. Si hanc unam esse dixeris, dic & homines illos regenitos eosdem esse: si non, non. ALB. Sed quid dicis tu? CARD. Ardua quamuis sit dubitatio, uidetur tamen quòd una sit. ALB. Ergo ueram omni modo resurrectionem non solum hominum, sed animalium omnium, atq; etiam plantarum ostendisti. Imò, ut dubitabam, cùm hoc, tum maximè animorum immortalitatem. utcunque igitur cedat, animi ipsi sunt immortales. Solum hoc in dubium uertitur, an interim intelligant, uel non. nam quod sint, aut non, omnino nihil interest quando & medium & extrema similia prorsus sint. Nam dum homines illi uiuunt inuicem utroque modo com-

parati, ut ego nunc & iampridem, idem sumus, si de intermedio tẽpore loquamur: ubiq; par silentium, seu anima supersit, seu non, cum non intelligat, etiãsi sit. igitur solum omnis hæc dubitatio in duo membra discindi potest: uel, ut animi supersint, & à corpore disiuncti intelligant, aut non. Præcipuè etiam, quoniam si non supersint actu, potentia tamẽ sunt: atque ita quilibet dum moritur, ad unguem ad eam reuertitur conditionem qua fuit ante ortum: & denuò rediens, solum mutat fortunam. Hoc igitur modo parum interest, an cum filijs moriamur, an nõ. in παλιγγενεσία enim qui habent, non habebunt: qui nõ habent, habebunt: & occident multi eos qui aliàs parentes sui fuerunt, atque etiam filios. CARD. Sed libet apertius demonstrare hoc. ALB. Habẽsne quid melius? CARD. Ita opinor. ALB. Dic quæso. CARD. Materia prima in potentia est (ut utar uocabulo & formula dicendi potius usitata, quàm latina) ad omnes formas, & omnis illius pars quæ sub actu non est. Materia igitur Socratis, cum Socrates uiueret, si fuisset in potentia sub forma humana, potuisset uel alter Socrates uel alius homo generari: non Socrates qui erat iam, nec alius: nunquam enim ex uno in alium in eadem specie fit transitus. Cum ergo mortuo Socrate perit actus, fit potentia in materia ad formam humanam, aut non? Si non, igitur illa pars materiæ desinit posse esse sub forma humana: pariter & quælibet alia pars. & cum tota materia finem habeat, extinguetur potentia humanæ formæ in tota materia: et sic desinet humanum genus aliquando. Sed si non extinguitur hæc potentia, uel erit ad alium, quàm ad Socratem: & ita potuit etiam esse dum Socrates uiueret. & si ad Socratem, igitur cum non possit frustrari in specie, erit aliquando sub forma humana iterum, & ita iterum Socrates. Similiter ut partes cœli ad locum, ita partes materiæ ad formam: & ut partes cœli ad motum, ita materiæ ad mutationem. Sed partes cœli, utpote Sol semper est in potentia ad primum punctum Arietis, cum non est in illo, & ita ad omne aliud punctum: igitur quælibet pars materiæ est in potentia infinitis uicibus ad humanam formam, & ad idem igitur idem homo generabitur infinitis uicibus. ALB. Diceret forsan aliquis, hanc potentiam esse & in tota materia, & in qualibet parte ad hominum formam, uelut cinerem ad lixiuium. CARD. Vel ergo ad uniuersum genus Socratis materia est in potentia, uel ad singulos. Siquidem ad omnes, id fieri non potest: nam Plato Socrates esse non poterat. & non differunt nisi per materiã: igitur materia Socratis non est capax Platonis. non ergo ad uniuersos. Sed neq; ad quos: nam per successionem esset ad infinitos, & semper ita ad hunc quòd non ad illum. istud aũt esse non potest. relinquitur igitur, ut sit ad unũ tantum, scilicet ad Socratem. igitur Socrates semper redibit in

bit in eadem materia. ALB. Satisfaceret mihi & opinio & argumentum, nisi esset, quòd uidetur hic reditus futurus ualde serotinus, & ultra annum magnum, annorum scilicet xxxvi. Præterea reditus Solis cum sit per partes non commensas, nunquam forsan erit ad idem punctum. scio enim hoc te demõstrasse in undecimo libro Arithmeticæ tuæ. CARD. Non scribimus quæ uolumus sed quæ uera sunt. nam cum iam constet materiam Socratis non habere nisi unam potentiam ad unam speciem, si ad singula & diuersa erunt infinitæ potẽtiæ & ordo & confusio: si ad unũ, igitur non nisi ad Socratem. ALB. Forsan dicam, ad hominẽ, non ad Socratẽ, neq; Platonem. CARD. Vel igitur ad quemcunq; hominem: & ita ego nõ differam à te per materiã. Breuiter, omnis alia uia est confusio ipsa. Sed de tempore quid refert? Forsan quod pars animæ mundi habet ibi (quod uerisimile est) appetitum: quoniam non est inferior illa materia quæ appetitu nõ caret. Sed iam ad institutũ sermonem rogo reuertaris. ALB. Explicasti mentem meam à longo ueterno. sed huic negocio, quod à me exigis, satisfaciet liber ille Platonis, seu Luciani (nam utriq; inscriptus est) nomine Axiochus. ibi enim damna uitæ recensentur humanæ, adeò ut ille tandem cogatur optare mortem. Quid aptius huic negocio? nisi exigas, ut eloquentia superem Platonem? CAR. Non: sed librum illum legi, & meliora à te expecto. siquidem facile est inuentis addere. ALB. Patieris saltem ut ordinem illum sequar, et eius rationes explicem atq; expoliam. Pulchrum enim est natare cum cortice. CARD. Fac ut libet, modò noua aliqua & meliora audiam. ALB. Agam pro uiribus, quanquam impar oneri. Primùm illud consydera, uitam nostram inauspicatam esse, ut quæ à fletu semper incipiat. Infans ubi natus est, statim plorare didicit, ridere nisi post quadraginta dies haud didicit. Quod nam potest esse certius signum, & euidentius infelicitatis nostræ, cum à fletu sumat initium? Et ne fortuitum hoc esse credas, in somnis tamen ridet, memor credo prioris uoluptatis ac uitæ. nam ob quæ alia ridere tunc potest, cum nec quæ uidet probet, nec intelligat? Sed dolet in hunc mundum uenisse, & augurium sibi miseriæ facit. Plura de hoc dicerem, sed ad sermonem uereor immortalitatis reciderem animorum, à quo prorsus propter petitionem tuam abstinere cogor. Verùm ut quàm breuissimè agam, de uitæ huius initio uerba facturus non sum. neque enim quisquam est tam huius mundi laudator, ut stercora, fascias, molestiamque illam infantium (ubi sensus acutissimus, defensio aut tutela nulla est) non detestetur & abhorreat. CARDAN. Ne labora. Infantia ob iuuentutem, non sui gratia fertur. est enim quouis carcere tetrior. Nam in eo cognoscere multa,

ATENEO VENETO VENEZIA

gratia fertur. est enim quouis carcere tetrior. Nam in eo cognoscere multa, legere, scribere, amicos alloqui, petere quæ cupis, scalpere, mouere se uel paululum potest uinctus: infanti omnia mala, solatium nullum. ALB. Ad puritiam deuenio: ibi tormentis adduntur ludibria ætatis. quòd si quis omnino non splendida fuerit fortuna, aut patre acerbiore, cogitur omnia mala perpeti. Nudi uerberantur, ieiunant, uigilant, laborant, irridentur, colaphis cæduntur, discere coguntur, in ludo literario esse uelut compedibus alligati, totis diebus fame, æstu, frigoreq; conficiuntur: nulla uoluptas quæ non eis exprobretur: hinc minæ, hinc iurgia, minis apud ingenuos pueros grauiora. Coguntur furtim omnia surripere. O calamitosam uitam: in qua omnes perirent, nisi spe iuuentutis subeuntis recrearentur. Omitto senectutem, in qua nemo probus & firma mente esse uelit, etiam defensore Cicerone. neque me-
» lius illam damnare autore illo possum: Hinc iam fallens subrepit senectus, in
» quam confluit quicquid est infirmum fragilisq; naturæ. Quòd nisi quis uitam ocius uelut æs alienum reddiderit, astans supra caput natura tanquam fœnerator reposcit usuram. Ab alio quidem uisum, ab alio auditum, persæpe u/
» trumq;. At si quis cunctetur debilitat, eum excruciat, membrisq; destituit. Alij
» itaq; multa senectute repuerascunt, animoq; bis pueri fiunt senes. Adde, quæ uidet, quæ patitur interim? mortes suorum, luctus, iniurias, incommoda omnis generis.

Sed mittamus accusare id, quod accusatione ipsa fit leuius: nam si dentium casum, oris fœtorem, irrisiones commemorare uoluero, non finem unquam inueniam. De senectute maledicere, est mortuos iugulare uelle. Alias prosequi ætates, una iuuentute excepta, prorsus inane est, atque superfluum. Si enim iuuentus bona non est, quæ ætas probari poterit? Nolim poetarum uti testimonijs, quæ ille adducit, tanquam pondus apud te habitura sint. quale illud:

Quàm superi miserum stamen mortalibus æui
Neuere, ut uiui desienda per omnia durent. Ac rursus:
E' cunctis, hominum generi sors pessima uitæ,
Stant quæcunque supra terram, spirant'que, meant'que. At contrà de Amphiarao:
Iuppiter hunc totis animis, hunc magnus Apollo
Diligit, & iusti metas non attigit æui. Quid illud etiam:
Nascens
Fleat, qui tanta uitæ intrat mala.

Hæc

Hæc tamen addere uolui, quòd ad propositum maximè esse uideantur, cum de morte adolescentis doleas, tanquam immaturè erepti: imò condoleas quasi illi, atq; miserearis. Sed non omittam illa duo quæ ibi narrat de Agamede & Trophonio, qui cum Pythij Apollinis templum exædificassent, pro gratia quam rependi sibi postularant, retulerunt, ut ipsa nocte perierint. Et Iuno similiter matri adolescentum, qui pro iumentis eius simulachrum uexerant, petenti ut quod optimum esset daret, ambo sine morbo ipsa nocte mortui sunt. CARD. Magna testimonia, si uera sunt. Sed quis scit, non perijsse ambos ex immodico labore? alios ex inuidia, ueneno dato: inde in religionem conuersum? Non requiro rationes ullas, ubi admiserimus, à morte supereesse animos singulorum: non peto hinc auxilium. Videntur omnia hæc testimonia eò tendere, ut ad Deorum munus mors, tanquam animi supersint, referatur. ALB. Prosequar, hæc linquens. Illud primùm considera, eos qui uiuunt, si rectè rem æstimare uelint, cum neq; horulam tutam habeant, tot imminentib. periculis undiq;, non solùm sibi, sed filijs, fratribus, ac his quos maximè diligant, miserrimè uiuere. Si quis morbos, tegulas, fulmina, lapsus, ruinas, iactus lapidum fortuitos, insidias, inimicos, uenenata animalia & medicamenta consideraret, nunquam nisi miserrimè uiueret. Quod miseriam lenit, est stultitia ipsa, & ἀβλαβία proprie, quæ iucundè inter tot mala uiuere nos sinit: ut appositè laudetur à quibusdam declamatorib. Sed quid maius casibus? Meministi, cum hic in ciuitate quidam emens aromatis pauxillum, ubi quadrantem æreum tanquam adulterinum reiecisset, ea sola causa pistillo ferreo ictus ab aromatario, statim mortuus est. Non paucos uidi ex huiusmodi causis non maiore mercede perijsse. Quid hac uita infelicius esse potest? Iam uerò quis ille est, cui omnia membra bene ualeant? nullus fermè. Vnum dicam: timor mortis & consuetudo sola efficiunt, ut non omnes sponte nos neci ob calamitates dedamus. sic ferimus, tanquā quod quærendum esset, omnino perpeti cogamur. Liberabit nos (dicere solemus) mors. Si carior esset illius aduentus, si non tantam sui copiam faceret, si dubium esset an nunquam uentura, plures illi occurrerent. Cur adeò magno cum cruciatu aduenit? quoniam ni hoc factum esset, omnes fermè sibi manus inferrent: quandoquidem uel sic plurimi id agant, & legibus prohibitum sit, semetipsum occidere. Si non esset res optanda, plurib. id minimè sancitum esset. CARD. Huius argumenti memini in Theonosto. Natura enim sæpem mortis inter uitam hanc & interitum adeò duram & spinosam posuit, ut homines à transitu coerceret. Quid enim fuisset omnia potenti opifici, constituere ut aduentus mortis somno esset simillimus? Sed omnes immatura ætate interijssent, hominumq; genus defecisset. ALB. Euge,

pulcherrimum aliud inuentum in mentem reuocasti, & dignius hoc primo, ut existimo: scilicet, quòd causam inuenerimus, cur idem opifex abscondidit tam quæ ante ortum nostrum habemus, quàm quæ post obitum. nam ex uno alterum intelligimus: ne homines id intelligentes, properarent ad exitum ex hac uita: tum etiam, ne coacti benefacerent, ac secundum uirtutem uiuerent. Ambraciota enim ille iuuenis, cuius & tu meministi, lecto Phædone Platonis, se præcipitauit è muro, ut ad eam uitam, fabulosam tamen, properaret. Quid si constaret? Quem carcerem princeps posset constituere, quo inuiti continerentur in uita? CARD. O pulchrum inuentum, pulchra ratio. Delectat, perge. ALB. Omitto malam ualetudinem, & pericula. Subijciamus uitæ genus: quotidie uestes induere, atq; exuere, hoc parum esse putas? Indi hoc tanti faciunt, ut multi eorum, cum nudi degerent, mortem potius, quàm hanc perpetuam seruitutem elegerint. Inde noctes insomnes: hyeme frigore, æstate æstu torreris: pulices, culices, muscæ, tormenta æstatis: pediculi, cimices, omnis tẽporis. Quid fœdius aut molestius potest excogitari? Sed omitto rursus hæc. Quid de cibis ac potibus, quàm fœda omnia? ancillæ, coqui, quib. manibus ea tractant? capillos, muscas, & sordidiora quæq; inuenies. Quoties uerò pediculi, pulices, uermes etiam, caro putrida, pisces marcidus, sordida putei aqua: uinum pedibus rusticorum exprimitur, puer è latrina defert illotis manib. in mensam. Vna est medela, nihil cogitare: si cogitaueris, insanies prorsus. Mittamus hæc. ueniamus ad contubernales: nihil est miserius. furantur, rapiunt, coeunt, maledicunt, insidiantur, nihil hac pugna durius: adeo ut plerosq; uiderim hoc dolore mortuos. multi ad desperationem deuenerunt: nulla fermè domus hoc malo caret. Et quanto opulentior & potentior, tanto maioribus malis premitur. O quàm dira est res contumacia et seditio domesticorũ. nihil peius, nihil acerbius. In principum domibus adeò magna est hæc miseria, ut aulã sedem damnatorum appellent. Conditio hæc tam tetra est, ut homini nil possit contingere peius. perpetua est illa pugna, & insidiæ intimæ, & dolor ac cruciatus assiduus. Quòd si in his malis uxor uel filij sint, millies in die perimus, & uita tam odiosa efficitur, ut nemo sic uiuere uelit. Cogita qualis sit animus eius cuius uxor mœchatur, aut filius alea scortisq; perditus pergræcatur. ô hominum sortem infelicissimam. Alia animalia nec sobolem aut coniugia norunt: & quæ norunt, ut turtures & delphini, neq; uxores habent mœchas, neq; filios discolos: ut miserrimum sit hominem esse, & omni calamitate maius. Dicas fortè, oblectari illum sensibus. Quid nouum uidetur? quotidie per eadem uolutatur, duodecim aut paulo plures res spectando: cœlum, terram, domos, solem, lunam, astra, rura, flumina, homines, equos, boues,

boues, canes. hæc fermè summa uoluptatis, ad eadem semper redire. Idem de auditu, atq; etiam magis euidens. Quid de alijs tribus sensibus? qui potius ad dolorem quàm uoluptatem creati uidentur. Obijcies scientiam. Quis magis te hoc nouit, quàm pauci sint qui literis operam dent? deinde hoc nostrum scire quàm sit fabulæ & pœnæ similius, quàm scientiæ: obscurum, imperfectum, confusum, dubium, inane, laboriosum, leue, ut omne uitium contraxerit. Quæ uoluptas est tam diu laborare, ut nihil scias? uel ut etiam grauiter & pernicioſe decipiaris? Deinde, quot quantisq; opus est, ut ad id peruenias? Primũ discere oportet elemẽta, inde Grammaticã, inde dialecticã, scribere, disceptare, philosophiæ operam dare: tot tantisq; rebus, ut miseram unam orationem intelligas, partim falsam, partim ineptam, semper incertam? Sed mittamus hanc uoluptatem, quæ longè aberat ab illo tuo adolescente. Veniamus ad felicitatis iuuenilis culmen: amorem & uenerea, quibus ille (ut audio) miſellus perijt. Quid hac nostra ætate infelicius? Amare cum dolore est seruire fœminæ nequissimæ. nũc maximæ uoluptati peßima calamitas admista consultò mihi uidetur, ut quod unum esset pulchrum hominibus, ex toto periret: lues scilicet illa Indica, tam perniciosa, contumax, inexpugnabilis, fœda & horribilis, elephantiasi simillima: imò pleriq; ipsammet esse credãt. Quid amplius sperare poßumus, quando etiam reges pauci malo hoc careant? Veniamus ad ciuilia negocia: hui, quid deterius? quæ nam regio nunc tuta est? Discunt inuicẽ, & certant principes cũ principib. ministri cũ ministris. Melius est esse capreolũ, quàm hominẽ. uterq; in periculo, uterq; secure occidi potest: sed homo deteriore conditione uiuit, quòd interim timet, quòd facilius capitur, quòd longiore cruciatu multisq; modis torquetur. Non tua uxor, nõ liberi, non opes, tuta ab iniuria ministrorum. Paucæ sunt nunc prouinciæ ab hoc malo immunes, ut Ditis domus urbes et uillæ nunc uideantur. Diues quod habet, exponere cogitur: pauper, quod dare cogitur, non habet. nescias utrum miserius sit, aut mendicare cum sis diues: aut non immunem esse, cum pauper. Olim erãt, qui non censiti uocabantur apud Romanos, & apud Græcos ἀπογραφόμενοι. nunc nulli sunt huiusmodi: quinimò quanto pauperior, tanto magis oneratur. Quis ergo pauper hoc pati potest, aut bonus uidere? Dij auertant mihi omnibusq; probis mortẽ: sed gratius fuisset donum non nasci, quàm nasci ut sic uiuerem, sic interirem. Semper hoc fuit: non enim queror de seculo, non culpo principes: semper dico hoc fuit, ut maiores pisces glutirent minores. Quis angulus orbis ab hac calamitate immunis est, ut non cogaris aut malè facere, aut pati? ô humanam sortem? non enim (ut dixi) uitupero iura, non magistratus: sed sortem adeò acerbam,

ut cogamur

ut cogamur miseri esse utroq; modo. O infelicem conditionem nostram. Sed mittamus hæc. modò intelligas congaudendum esse mortuis, condolendum uiuentibus. Quid, non te mouet illud, ob quod ferunt Democritum se excæcasse? quòd scilicet optimis uiris malè sit, peßimi autem sint felices? te premant, te irrideant? Hanc iniuriam, hanc improbitatem, hanc iniusticiam perferre potes, & uiuere? Si alieno arbitrio uiuendum est, & peßimorum, quæ mors potest esse hac uita deterior? aut quæ uita hac morte miserior non est? Satis esset hoc solùm inter tanta mala ad obeundam mortem, & eis qui iam mortui sunt ob hæc omnia non inuides? O nimium amorem huius lucis, ô stultam cogitationem: si non mortuos beatos uel hoc solo iudicas, quòd omni miseria, omni metu careant. Fac ut bona malis æquentur, quod tamen nunquam efficies: neq; enim multitudine, magnitudine, perseuerantia paria esse poterunt. Sed fac ut sint: timorémne auferes, suspicionemq;? aut hæc conferes cum spe? quæ si miseris solatium est, ut minor cruciatus: ipsa tamen per se cruciatus est, & non leuis. Qui sperat, timet semper, expectat frustra, anxius perpetuò est. Mitto, quanta his miseris, qui inter religionis fluctus uiuunt, ubi nec tutum quicquam est, nec tranquillum: mitto generales calamitates, pestis, bellorum, penuriæ, terræmotus, inundationum, sexcentorumq; malorum: & dubitas, an melius sit mortuum esse quàm uiuere? Vitam nostram ô amice, credis ne uitio naturæ factam adeò breuem, quin superare posßit cornicum & coruorũ secula? quæ iniuria, quæ dementia fuisset illius? trecentos uitæ annos sortita est: sed breuem facit perpetua anxietas, in qua uiuimus. & debilitata ob hoc natura. tametsi non adeò curiosus sit filius, breuem tamen uitam sortitur hæreditario iure, quòd pater, auus, proauusq; in perpetua molestia uixerunt: nec illi soli, sed & mater, auus, auiaq; materna & proaui. ô infelicem nostrum statum, in anxietate & curis semper uiuere, imò macerari. Ob quod ferunt Aristotelem morientem dixisse illud: Fœdè hunc mundum intraui, anxius uixi, perturbatus egredior: Causa causarum miserere mei. Quid sapientius, si dixit? aut quid uerius, etiamsi non dixit? Quem igitur sanæ mentis pigere poterit, uitam hanc tam molestam, quæ solùm est anxietas, relinquere? CARD. Persuasit hæc oratio tua, ex amico profecta animo, cum opinione quam de te habeo optima, uehementiæ huic adiuncta. nec dubito quin si ille etiam sit (modo miser non sit, quod esse non potest) & quis uelit eum superis reddere, non recusset: multisq; opus esse ut conditionem (modò non coactus) suscipere uelit. Hocq; illud esse Virgilianum, cum dixit de animis iterum reuersuris: Et longa obliuia potant. Quasi dicat, nisi magna obliuione deciperentur, nemo uellet ad superos, ad tantas miserias, ad tot pericula, ad tot curas, tamq; graues,

graues, ad tam duram seruitutem reuerti: cogimur seruire sensibus: cumq; seruierimus, infamia adest, pericula ac pœnitentia: si recusamus, torquemur perpetuò, donec succumbamus. Quæ hæc tyrannis? quæ iniusticia? Sed perge quæso, si quid aliud habes, adijcere. ALB. Penè expleuisti partes meas tu ipse: gaudeoq; non propter me, sed propter te, te esse persuasum. Sed omiseram spem illam quasi perpetuam, delicias ciborum ac potuum, quæ solæ sunt in quibus diuites felicitatem suam reposuerunt. nam uenerea norunt senectute aboleri: et si coneris, præter id quod recusent mulieres, illis iuuenibusq; esse ludibrio. Opes non per se uoluptatem afferunt. Alea parum senem delectat: & si perseueres, non iam ludunt, sed illuduntur. Magistratus autoritas, exercitatio, omnia cum senio conficiuntur. Dico conficiuntur? intereunt. Familiaritas quoq; principum maximè exolescit. irrideris, sperneris, uitaris. Ergo in sola uoluptate ciborum & potuum reposita est felicitatis spes: atq; ideò tota iucunditas. nam iucundum esse non potest, nisi tutum. Hoc solùm tutum est, posse frui gustus uoluptate semper. At uide etiam huic tam exiguo bono quanta se immiscent mala: primùm pauperibus hoc non conuenit, sed & palatum senectute corrumpitur. deinde si non exples desiderium, potus maximè, cœna redditur Tantalea: si exples, grauatum te sentis, & ob breuissimam uoluptatem longo dolore torqueris. ô infelicẽ statum, et turpẽ etiam. Sed dic amabo, disputásne de uitæ præstantia secundum rectam opinionem, aut uulgi sensum? CAR. Secundũ rectam opinionem. ALB. Huc te uenisse uolo, esseq; cupiebam. nã quæ uoluptas uera esse potest, nisi posideas quod optas? Quæ enim uita est, in cruciatu perpetuo esse? neq; enim mente sanus quispiam cupiat perpetuò uiuere tabidus, aut cum carcinomate, uel pthoe, aut hydrope, tum maximè, cũ horum finem mors sit exceptura. CAR. Fateor, ita est. ALB. Sed cruciatus animi maiores sunt quàm corporis. etenim ob cruciatus animi, plurimi mortem sibi consciuerunt: ob corporis cruciatum pauciſsimi, imò uix unus aut alter legitur mortem oppetisse uoluntariã. Præterea animi cruciatus nunquam deserunt hominem: corporis uerò non possunt esse perpetui: aut enim occidũt, aut intermittunt. cruciatus etiã animi ipsum tangunt hominẽ: corporis aũt, si quis patienter ferat, prorsus sunt ac si non essent. Animi etiã cruciatus medelã non recipiunt, non medicamentis leniũtur ut corporis. Demũ animi dolor, illiusq; causa, cõtemptũ et multa mala externa affert, ut iniuriæ, aut repulsæ, aut iniusti iudicij: dolor corporis aũt commiserationẽ sine contemptu. Quapropter si ita est, maior dolor est animi quàm corporis, ac magis angit. CAR. Fateor. ALB. Vidésne quò te deduxerim? CAR. Non profectò. ALB. Si animi cruciatus maiores sunt, & digniores ut pro illis oppetamus mor-

mus mortem, quàm corporis: & ob cruciatus corporis mortem oppetere dignum est, optare necessarium, ferre commune, mortuum exuisse (si ita dici potest) iucundum: cur non ob cruciatus etiam animi aßiduos? Intelligis ne? CARD. Intelligo, sed non assequor quò tendas: assentior tamen. ALB. Duobus modò uerbis aperiam. qui iniuriam patitur, qui existimationem suam non retinet, cruciatur perpetuò. Vnde illud Ciceronianum: ubi non sis quod esse uelis, cur uelis uiuere? Intelligis modò? CARD. Ah quàm pulchrè deduxisti hanc rem. ALB. Tu modò cogita, an ille posset suam retinere existimationem, si his temporibus quibus ego & tu uix tuti uiuere possumus, atq; nos tueri, ille posset absq; iniuria ad senectutem ducere uitam: & intelliges, morte beatum esse. CARD. Sed exple reliquas, quas suscepisti, partes: in hac enim perbellè mihi satisfecisti. ALB. Quas partes? CAR. Vt etiam ostendas, non è re mea fuisse ut uiueret: inde nec utrorumq;, nec suorum. ALB. Faciam hercle: sed uolo mihi concedi, quoniam me urges, ut si quid occurrat quod ad primam partem attineat, quoniam illa præcipua est (neq; enim Hieronymum Cardanũ sui causa dolere & in luctu esse dignũ est) intermiscere poßim. CAR. Licet. AL. Ergo statim mihi aliud succurrit argumẽti genus, quo mortẽ quisq; mente sanus præoptare debet, etsi nulla eum uexet calamitas aut cura. Nónne hi beati censentur, qui beati mortui sunt? hi miseri, qui in miseria? Alexandrũ & Cæsarem beatos fuisse dicimus, Priamum autem miserum? Vnde sunt qui dubitant, utrum Priamus, si ante mortem filiorum mortuus esset, beatus dici potuisset. & sunt qui à morte illud præfiniant, iuxta Poetam:

- Vltima semper
Expectanda dies homini est: diciq́; beatus
Ante obitum nemo, supremaq́; funera debet.

Ergo præuenire calamitates in fortunæ bonis connumeretur, & beneficij loco repositum sit, si damnentur parens & filius, ut parens occidatur ante. Vnde apud Plutarchum, cum Cleomenis filij & uxor ducerentur ad supplicium, nec mater impetrare potuisset ut ipsa ante filios occideretur, Stratesiclea (sic enim mater appellabatur) inquit: Etiam τέκνα ποῖ ἐμόλετε; Id est, ô filij quò abijstis? in misero beneficio esse ducebat, antè illos interficisi impetrasset. Cur qui omnia mala morte præuenit, beatus et fortunatus dici non debet? neq; enim cuiquam mortalium nihil euenit, si ad senectam perueniat, quod miserũ sit. quod si contingat: hunc Ioue Iunoneq́; genitũ dicemus. Quamobrem Poetæ, ut reor, nullum ex ambobus filium genitum dixerunt, quòd nullus expers sit omnis calamitatis. Quid ergo felicius homini contingere potest, quàm sic mori, ut non poßis esse infelix? Sed uenio ad rationem tuam.

Si quid

Si quid tibi moleſtum eſſe debet aut poteſt, duorũ altero contingit: uel ob amorem, qui generalior eſt amicitia (unde neſcio quomodo illum in amicitiam, & eũ qui eſt uoluptatis cauſa uel utilitatis, diuiſerunt. ſed omitto ſalebras & nodos nunc quærere) uel ob commodũ. certè neutrã ob cauſam tanti illum facere debes, ut doleas ac affligaris. nã minore ſumptu, quòd ad utilitatẽ attinet, aliũ inuenire poteris: atq; eo magis, quòd alij liberius quàm huic imperabis. parcebas enim ob charitatem, & ille ob ſecuritatẽ facilius delinquebat. CAR. Noli iſta dicere ô amice: nihil hoc adoleſcente ſincerius, fidelius, humanius, patientius, obſequentius. ALB. Omnia in ius. Sed quid profers inter hæc? CAR. Hic primùm plurimum me diligebat. ALB. Dupliciter peccas. Quî ſcis? quid ad rem? nam de commodo nunc agitur. CAR. Vigil erat, ac diligens, probus. ALB. Quî ſcis? amor hæc, non res ipſa ſuadet. Argumenta in contrariam partem habeo, ſed non expedit adducere. CAR. Adducito: nam forſan ad leuamen doloris facient. ALB. Non eſt opus: quandoquidem ubi de commodo agitur, turpiſſimum ſit uelle conſolari Cardanum, omnium non ſolùm commodorum, ſed multorum etiam neceſſariorum contemptorem. CARD. Fidus erat admodum, ut nil ſupra, mearum conſuetudinum gnarus, patiens, laborioſus, humanus, modeſtus, diligens, obediens, mei & meorum amans, pudicus, pius, non obſcœnus, neq; fœdus, nec inconſtans: non auarus, qui modico contentus erat: non iactabundus, inde totus bonus ac probus. ALB. Sint omnia hæc: meliorem, quòd ad utilitatem attinet, inuenies, & minore ſumptu. CAR. Fateor, quia liberius illi imperare uolam, non quia melior ſit. Sed & poſtquam è domo exiit, hoc anno pluſquam duodecim famulos exegi ac mutaui: nullus enim menſem ſuperauit. Vtut res ſic ſe habeat, commodiorem ob ea quæ dixi inuenturum me poſſe confido, ſed qui mihi adeò gratus ſit neminem. ALB. Ergo de amore agendum eſt: nullus tibi gratior erat, nullus eſſe poterit? At qua de cauſa, ſolùm quòd in domo ſit educatus? nullam potes aliam afferre cauſam. Tuliſti filij mortem patienter, & alumni non poteris? pudeat tandem harum nugarum. CAR. Vera refers: ſed tamen miſeret ſuorũ, qui illum expectabant. nam de ambobus, me ſcilicet, & ipſo, eadem quæ de ſingulis dices. duæ enim notæ nullius, nihil prorſus ſignificant inuicẽ iunctæ. ALB. Id graue mihi non eſt: ſed parum torquere te debet incommodum alienum. Nihil ille mali habet: ſi diuites erant fratres, ditiores ſunt: ſi nõ erant, nec curabunt an uiuat, niſi illius uita eis fuiſſet utilis. at uix eſſe poterat. Inde eſt etiam illud conſideratione dignum, quòd Angli parum aut nihil mortem curant. Et rectè quidem, ut quæ ultimum ſit omnium malorum, & quam ſubire aliquando neceſſe ſit: ac minus malum, ſemel experiri

quod experiri oportet, quàm toties atq; tam diu timere. Itaq; si propriam mortem non horrent, uerisimile est multo minus de aliena uel fratrum uel amicorum dolere. Constat enim, ex te ut audiui, parentibus illum caruisse. Verùm ne illa uera sunt quæ de eis feruntur, scilicet promptos & alacres ad mortem non solùm, sed ad supplicium accedere? CARDANVS. Verissima: salutant suos, & deosculantur: filios fratresq; illis commendant. Dicunt se ad uitam ire immortalem, ibi illos expectare, memoriam ut uicissim colant hortantur: læti, nullo pallore, nulla balbutie, constanter suprema ferunt. Digni prorsus misericordia, qui tam alacri animo morti occurrant: nec sui misereat. Ex hac gente fuit hic alumnus meus. ALB. Quali forma corporis? quali habitu utuntur? CARD. Forma Italicæ simillima, candidi sunt, & nobis candidiores: non adeò rubri, lato pectore. Sunt inter eos quidam eximia corporis proceritate, moribus mansueti, ac aduenis amici: sed faciles ad iram, tumq; timendi. Fortes in bello, sed minus cauti: cibi & potus satis auidi, non tamen adeò ut Germani: ad libidinem proniores quàm prompti. Ingenia inter illos præclara. Indicio est Scotus, & Suisset: quibus nulli anteponi possunt. Habitus, qualis Italis. se enim propiores illis libenter iactant, ideoq; studeant quantum possunt moribus ac uestitu eos imitari: quandoquidem forma etiam, & Germanis & Gallis & Hispanis illis sint similiores. Italos certè Europæi omnes barbari magis diligunt, quàm inter se quæ differunt gentes. Parum abfuit in Belgicæ uicinia, quòd quendam Hispano similem adolescentem mecum haberem, ne nos omnes trucidarent. at nesciunt illi nostra scelera forsan. ALB. Non omnes mali: nec ubi / que tot improbi. Sed perge. CARD. Fidi sunt, & liberales, ambiti osiq;. Sed quòd ad fortitudinem attinet, magis mira sunt quæ sylvestres Scoti faciunt: qui cum ad supplicium ducuntur, tibicinem sibi conducunt. atq; ille persæpe etiam ex damnatis cum sit, pulsando saltantes illos ducit ad mortem. ALB. Minus ineptè forsan, quàm quæ apud nos eam deplorant. nam, ut axi, cum omnino immortales sint animi, nulla mors hac uita, qualecunq; sit di mortalitatis genus, bono uiro non potior est. Sed tu penetrasti ad Scoim s usq;? CAR. Maximè: atq; etiam uoluptatem magnam cæpi, tot inuito ndo prouincias. itaq; hæc saltem uoluptas est uiuentibus. ALB. Imò miseie a, & ipsa non leuis est. Cogita quot æstus animi, quantum frigoris corpori e, quot uitæ pericula, quanta incommoda pertuleris. CARD. Vera dicis: red non animaduertebam. ALB. Ita existimo: sed non ob id minora dici debent, quia non sentiebas. Et si nihil aliud esset quàm non intelligi, nec intelligere illorum linguam, nónne id maximum erat incommodum?

CARD.

CARD. Verum hoc. Et mirabar, præsertim cum in Anglia essem, ubi regionem prope Londinum inequitarem, in Italia esse uidebar: ubi ipsos Anglos una sedentes inspicerem, inter Italos omnino me esse putabã: forma, ut dixi, moribus, habitu, gestu, colore. sed ubi os aperuerant, ne uerbum quidem intelligebam: ac quasi Italos insanientes ac deliros admirabar. Lingua enim in palatum inflexa, contorquent ore uerba, dentibus stridulum quiddam imitantes. ALB. Sed & quæ suauitas esse poterat filiorum recordanti? Hoc uel solo non poterat quicquam gratum esse. Deinde, cui mortalium hæc rara auis contigit, pecunia aliena atq; locupleti tam procul aduocari? atq; hominem omnibus gentibus ac prouincijs ob scripta non solum cognitum, sed etiam gratum? CARD. Vera dicis: nam me adeò torquebat memoria meorum, ut ob id statim reditum quæsierim, & impetrarim. ALB. Ergo si modò illa peregrinatio iucunda fuit, proprium hoc tuum munus fuit, non omnium, neque plurium, neq; peregrinationis aut peregrinantium. CARD. Sed non fuit iucunda, nisi quantum stulticia & obliuione adiutus sum. ALB. Sed neq; dolere aut admirari debes de tot aduersis quæ tibi acciderunt, maximè circa filios. nam reliqua leuia sunt, & exigua, si ad tantam molem seu malorum seu gloriæ comparentur. Deus enim omnia æquare solet. Sed forsan etiam aliquã do lætiora aduenient. CARD. Quando? cum ero ψυχρὸς. ALB. Nónne scis Aristotelem, quando de Fortitudine loquitur, dicere, Fortem beatũ mori: quòd in ipso mortis momento tantam uoluptatem ex uirtute, qua tum moriendo fungitur, capiat, ut beatum se existimet, ac dici mereatur? Quid ergo si uel extremis mensibus hoc accidat tum magis, quòd nemo tam senex sit, qui non sibi triennium uitæ possit polliceri. atq; ideò etiam tempestiuè satis restitutus uidebere. CARD. At filius restituetur inquam? ALB. Ostendam paulo pòst, quantum id interfit. sed hoc tui iam muneris, ut ex te audio, fuit, consolari, in Theonosto. CARD. Sed noua est addita cura, quæ me conquiescere non sinit. ALB. Quæ? CAR. Detractio stipendij, omnino iniqua.

ALB. Oh, inter tam graues luctus, locúsne est memoriæ acceptæ tam leuis iacturæ? CARD. Non ob id, sed cum per eosdem sit facta hæc imminutio, per quos damnatus est, filius, intelligo iam id de quo suspicabar, scilicet odio mei damnatũ iniustè adolescentem. hoc est quod me torquet. ALB. Forsan illud accidit, quod apud Aristotelem legitur, Coruscante cœlo Socrates cecidit: ut hæc detractio ex alia causa acciderit. Sed si adeò hæc cura te torquet, ut par est quid ergo de alumno illo comminiscebaris? CARD. Hæc non possunt paucis explicari. superuenere quædam, dum alumnum lugeo, per quæ intellexi filium odio mei potius quàm crimine suo perijsse. atq; id etiam declarauit, detra

ctionem illã eandem radicem habuisse. Vnde posimodũ hæc illa pro firmo argumẽto habita est crudelitatis in filiũ. ALB. Factũ malè, si sic est. Sed caue ne decipiaris. Omnia in mitiorẽ partem interpretanda sunt, non solum quòd ita deceat: sed quia his qui affligũtur, etiã conducit, ut paulo pòst dicturus sum. Dicturusq; essem mox, nisi duplex cura me tangeret eorũ quæ iã dixisti: scilicet, ne reditus ille hominũ uerus nõ sit, quod nõ eandem materiam primã, sed secundã, scilicet idẽ corpus, formatum ex elemẽtis, cuius forma est anima, esse necesse sit, ut idem homo restituatur. At hoc nunquã accidet in æternum. Altera dubitatio est, cum surreptus est puer bimus à barbaris, & translatus in Asiam, quod non semel his annis contigit ob bella, ubi sui oblitus prorsus linguã barbaram discat, nesciat parentes, nesciat patriam, in quo magis unus est infans ille sibi iuueni iam, quàm alteri barbaro? nam sibi idem certè est. Et si à parentibus recognoscatur ac redimatur, non secus quàm in domo educatus perpetuò charus erit: nec tamẽ meminit quicquã. quid ergo attinet iuueni illi, eum fuisse infantem uel alium? Nescio an intelligas quod dico? CARD. Non, ut uellem. ALB. Neq; ego, ut uellem, possum explicare. Si tu interijsti, nunc iterum natus es, anima mansit intermedio tempore, sed expers sensus: quid attinet ad te iam prius natum quòd tu sis, an ego? quandoquidem nec ille tum hoc nouerat futurum esse, nec continuata est hæc cognitio tui ipsius, nec tu tunc scias. nón ne illi tibijpsi (nõ possum dicere ut uolo) tam est ut sis ego, quàm tu? CARD. Et tamẽ interest plurimũ. ego enim ille sum, et securitas nũc me illa iuuat quod sim reuersurus, & pro moribus ac factis cõmutata fortuna. ALB. Rectè inquã: sed id est de quo maximè dubito, quo pacto sit habeatq; sẽ hoc discrimen, tui primo à teipso, secũdo uel à me. CAR. Idem in dormiẽte, in ægro qui sensu destitutus diu iacuit, in eo qui insaniuit. ALB. Scio esse hoc discrimẽ in omnibus, sed quæro quale sit. CAR. Nõ habeo, ut uerè fatear, quid dicã. uideo, & nõ uideo: sed iungi potest tribus illis alijs dubijs, quorũ solutionem (quanquã res præ oculis propositæ uideantur) nunquam quæ mihi prorsus satisfaceret inuenire potui. ALB. Quæ sunt illa? CAR. Vnum est illud, Ego dico falsum: an falsa sit, an uera oratio? Secundum, Omnes emptiones uno numo paruo dirimi posse: quod etiam per absurdum uidetur. Tertium, quomodo corpora densentur, ut aqua & aer, cum quæ diuersa sunt forma se penetrare non possint. ALB. Sed de his aliàs cogitabimus. Verùm nũc primũ saltẽ, si potes, eximè scrupulũ. CAR. Faciã ut dicis. Cõstat materiã hãc quã uocas secundã, si nulla alia anima interponatur, esse formã humanã: ideoq; cõmunem partem aũt materiæ primæ subiectã, originẽ esse diuersitatis. ALB. At communis nõ est, sed pro hominũ natura hæc uaria. CAR. Siquidem accidentiũ ratione

& stellarũ adiuuãte influxu, nõ tamẽ secundũ essentiã. Si. n. forma humana idẽ est quod anima, & utraq; producitur ex elementorũ mistione, cõstat eam formã esse unã, sed propter materiã uariari. nec enim est forma habere duos oculos, unã linguã, duos pedes, ac reliqua huiusmodi: sed potentia quædã & perfectio in corde, quæ semper absoluta est in omni homine: hæc ergo nullã recipit uarietatẽ, nisi ex materia prima. ALB. Satis est. Sed si libet, hãc disputationẽ hodiernã ad pauca redigamus, & colligamus quæ diximus. CAR. Perpulchrũ id erit, maximè tũ si etiã præter id illa quæ colliges exornaueris. ALB. Placet.

Primùm ergo ostensum est, animã esse immortalẽ, quomodolibet de propria cuiusquã anima loquẽdo, nõ generali illa cõmenticia. Sed & homines planè ipsos etiã immortales: uerũ per interualla occidere atq; resurgere, infinitoq; numero singulos in hũc mundũ reuerti. nã colligere animas infinitas sine corporibus, homines aũt infinitos semper mutatis animabus, absurdissimũ est. Sed necesse est eas infinitis uicibus reuerti, ut earũ definitus numerus satisfaciat æternitati: reuertẽtibus aũt, neq; eadẽ forma, nec mores, nec fortuna, nec nomẽ. Sed persæpe accidere, ut ijdẽ filios, antea qui fuerint, & fratres & parẽtes perimãt. contrà habeãt pro filijs, quos peremerint: et eadẽ uicissim pati, quæ peregerint iniustè in alios. mẽdicare etiã opulẽtos, & ditari mendicos. omniaq; hæc quodã circulo circunuolui, ut omnia æquẽtur fermè exẽplo discursus siderũ: tametsi nõ exactè, nec adeò breuibus, ut cuperent mortales, interuallis. Interim uerò trifariam contingere posse de animabus ipsis à corpore seiunctis uel ut superueniant & intelligant, quod uerisimilius est, atq; optandũ magis, atq; rationi consentaneum. nam ut qui uigilant, recordãtur eorũ quæ in somnis uiderunt, non qui dormiunt eorum quæ per uigiliam uiderint: ita post obitum & ante recordamur præteritæ uitæ, & præsentia certius inspicimus: ubi in hũc somnũ, id est præsentẽ uitã descenderimus, non recordamur nisi in ipsa prima infantia. Demũ superueniẽtibus nouis imaginibus præsentiũ rerũ uelut efficaciorib. obliuiscimur statim & prorsus eorũ quæ in priore uita uidimus.

Secũda est, ut remaneat anima immersa materiæ cuipiã, expers oĩs fermè cognitiõis: nõ tamẽ omnino expers, sed cuiuspiã obiecti, qđ etiã ppetuò appetit, nõ ignara. cui opinioni fauẽt plurimũ quæ in dæmoniacis et lymphaticis uidẽtur, in quibus oĩb. uel ad imprecatiões, uel ad diras, uel ad preces pias uidemus collũ intumescere, faciẽ colorari, oculorũ aciẽ turbari: qđ uix uoluntariũ esse potest, ac fictũ, præsertim in tot hoĩb. & præcipuè sexu et cõditione rudibus.

Tertia est, ut prorsus intereat, et post eadẽ redeat, ut diximus ac demõstrauimus. in oĩb. aũt modis hæc cõmunia esse necesse est: scilicet reditũ hoĩm eorũdẽ infinitis uicib. Eadẽ oĩtingere nobis post obitũ, et ad eadẽ reuerti q̃ ante obitũ

mutari:

mutari mores, fortunam, reliquáq;: et miseris probisq; beatam contingere uitam, improbis infelicem: Demum eos qui damnati sint, fuisse quondam & filios & parentes, & fratres, & charissimos: & quos amas, aliquando à te plectendos: iusta iniustaq; pariter misceri, æquari, aboleri certo circuitu. quæ omnia sic esse oportere, iam demonstrasti. CARD. Quàm pulchrè hæc, quæ diximus, et melius longè quàm à me dicta sint, tenes.

Secundum est, quòd ubi fieri posset, ut animi nostri nullo modo essent immortales, nullum prorsus esse discrimen uitæ ac mortis in his qui uel sine sobole pereunt, uel quorum stirps tandem extinguitur, nisi quòd qui uiuunt, dolorem mortis subeunt, mortui uel non nati id non experiuntur. Ex quo patet (si modò uerè dictum fuit illud à Sileno) Sileni dictum quàm sit uerissimum, Optimum esse non nasci: his tantummodo, qui sine sobole obeunt, aut quorũ stirps tandem extinguitur: quoniam hæc uita prorsus cum in nihil redigatur, nihil præter mortis dolorem plus habet. ideoq; optimum esse non nasci. Atq; quod mirum satis uideri forsan pluribus potest, uerissimum tamen est, Ciceroni & Alciato præstitisse (quod ad illos attinet) non nasci: & perinde est cum tanta gloria, ac si non essent nati, nisi quòd plus habuerunt mortis cruciatum. utriusque enim stirps in unicis filijs, quos susceperant, extincta est. Cæterum quòd ad gloriã, opes, potentiã, nomen, libros etiam ipsos, si mortalis est animus, nihil primum nunc ad illos: & omnia certo annorum spacio extinguuntur atq; delentur: quod quamuis nobis longum satis uideatur, tamen ad perpetuitatem quæ semper instat collatum, & quam subterfugere non possumus, prorsus nihil est. Sed ubi animos supposuerimus esse immortales, quouis modo ex illis tribus melius est his solum nasci, qui per egregiam uirtutem uitam ducunt, memoriamq; perennem sui relinquunt, quoniam sic quasi perpetuò uiuere uidentur: & dum uiuunt uerè per uitam ipsam, & interim per gloriam, maximè si si quid ad eos ex illa permanauerit, tunc uerò soboles & procreatio parui momenti erit: tum ob auras graues & educationem, tum ob reuolutionem illam & reditum singulorum ad singulos: ut quoniam tibi nascetur filius qui aliquã do teipsum peremit, tum quia minor debet esse solicitudo perpetuitatis in stirpe, cum simus nos ipsi perpetui. Omnesq; futuros reges & sapientes, & miseros atq; mendicos, & non semel, sed infinitis uicibus.

Tertium est, quòd hominum supposita animorum mortalitate, quicunq; sine sobole pereunt, aut quorum stirps aliquando extinguitur, hi similes sunt omnino surculis illis siccis, qui excindi solent à rusticis ueris tempore, dum arbores purgant. reliqui, quorum proles multa se toti generi hominum immiscet germinibus plantarum cohærentium: aut in fluminibus aquæ, quæ in flumine

tendit

tendit unà ad mare. tanta uerò sit mistio horum, ut etiam seminaria pereant. Quapropter si fieri posset ut mortales animi nostri essent, summa diligentia huic propagationi prospiciendum esset. Modò pleriq;, cũ neq; huic quæ ad immortalitatẽ pertinet, neq; sanctitati uitæ prospiciãt quæ ad immortalitatẽ, palã est hoïes prorsus insanire. At uerò si nõ procreãti sobolẽ inutilis est et odiosa uita, procreãti incertũ est an supfutura sit, & laborioſum alere, et habẽtib. fratres filij eorũ loco filiorũ propriorum sunt. huic uerò (ut dicis) duo superſunt ex utrisq; parẽtib. fratres, nihil prorsus amißũ esse puta: imò res melius lõgè & pro eo & pro suis sic se habet. Multa nos decipiũt, propter affectus quæ in singulos dies errores nostros conuincũt. Seu fabula sit, documentũ præbet: seu historia, pro exẽplo est: Paridem excidio parentum & fratrum atq; sororum & patriæ natũ esse. cũ tamen natus est, qualia fuere omniũ illorum uota, quale gaudiũ? Hoc firmũ habeto, nihil melius ei contingere potuisse: deteriora infinita, nõ solum pro te, sed pro illo. Qui lucri exortẽ mercaturam exercet, cauere debet quàm diligentißimè, nec quicquam ex sorte pereat. Ita cum nihil melius, ut dixi, homini esse poßit, ut adolẽscenti illi, malles superfuisse, ut dum natus occideretur à carnifice, in carcere maceraretur, in lecto marcesceret, aut ut tibi causam daret interitus, aut alicui ex tuis, ut serò amisso aliquo tuorum optares ei mortem: sunt fortunæ casus multi aduersi, mutantur facile ingenia hominum, & maximè iuuenum & pauperum, & qui uoluptatibus dediti sunt: quibus illum addictum fuisse, non negabis. Quid si bene illi fuisset, quòd (ut dixi) difficile erat, nactus autem occasionem, grande aliquid surripuisset uestiario illi? pericula undequaq;: si cautus, ab eo, & minora: si simplex, à cõsultoribus, & maiora. Sin autem aliquid (ut ostendi) supereſt, non est ut doleas.

Quartum, quod ostendimus, est, uitam nostram pluribus et maioribus malis quàm bonis abũdare: bonaq; non sentiri, quoniã in indolẽtia reposita sint: nec ullum esse bonũ sine malo, multa esse mala omnis boni expertia. Si edis, fames præceßit, aliter insuaue est quicquid editur: persæpe tamen contingit ut fame premaris, nec tamẽ poßis edere. si pecunias habes, custodia opus est, solicitudine angeris: si nõ habes, torqueris: ita ut nemo sui causa natus uideatur, sed potius aliorũ. Præstat ergo, nõ esse. Recẽsuimus præterea undiq; difficultates et causas dolorũ. Quare nil melius quàm nõ nasci, aut statim natũ interire: si ad propriũ commodum respiciamus. Quid ergo est hoc in casu quod dolere poſsis? CARD. Dolorẽ certè leuasti: uincor rationibus, quamuis sensus quippiã retineat moleſtũ, et ut puto fallax. Nõ amplius illũ uidebo: fidũ habebã familiarẽ: destitui eũ, qui ut me cõmitaretur, oẽs suos reliquit: socors fui in curãdo eũ, & ingratus: qualẽ gratiã fratribus, qualem si uiuerent parentibus rependere

possem? Non me mouet, quod in xenodochio perierit: nam ego in agro perire uelim sepeliri in gurgite: facilis iactura sepulchri. Moses, tantus uir, & tam prudens, sepulchrum suum ignorari uoluit. ALB. His omnibus oppone duo hæc: Infortunia tua assidua, ut si omnino culpa aliqua tua sit, non tua est, sed eorum qui tibi causam præbuerunt huius impedimenti: Pecunia data uestiario ab infamia, animus probus & conscientia à culpa omni te liberant. Alterum est, gloria nomini illius atque parentibus fratribusq; æterna tuis laboribus & industria parta: qui alioqui domi manens, etiam si Cræso ditior eua fisset, ignotus fuisset. An parum est hoc, nomen suum posteritati perpetuis his tuis monumentis commendari? Existimo, si animus illius ac parentum aliquid intelligit, ut credo, lætari hac tua diligenti historia ac commendatione nominis sui atq; familiæ. Neq; enim dubito, te, qui etiam minoribus ex causis soles omnia conscribere, tua hæc pulchra inuenta, nugasq; nostras simul immistas conscripturum, & (ut soles) etiam expoliturum. CARD. Nugas? proh Iupiter, nunquam melius dici, quàm ab Albutio, in hac causa potuisse credo. atq; utinam tamen liceat memoriter, ut dicta sunt, tradere: nedum ut quicquam addere audeam, nisi forsan paucula hæc carmina in adolescentis laudē, quæ pro ornamento monumenti illius erunt.

Venisti iuuenis, dulcissima cura tuorum,
  Infœlix nostrum ut prosequereris iter.
Excepta est à te, quæ in me directa sagitta:
  Non tua, sed mea sors, inuida sic rapuit.
Delebar morti, patriæ iam odijsq; meorum:
  Suscipit hoc telum filius ipse meum.
Errarunt superi: quid mirum errasse senatum?
  Insontes iuuenes sic periere duo.
Quantum nunc lucis, quantum est nunc uita superstes,
  Debebo utriq;, & sit licet impar amor.
Queritis, unde mihi nata est hæc ira deorum?
  Crediderant cœli fata recluſa sui.

ALB. O beate. Rectè enim ille Iulius Scaliger, quanquam ex professo tibi inimicus, appellauit ingenium tuum felicissimum: quod ego tum non credebam, sed, ut uideo nunc, hæc carmina extemporaneè fabricata, ut nec horulæ dimidium consumpseris. intelligo de te illud Horatianum uerè dici posse:

Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo
  Musa loqui.

CARD.

CARD. Hui, quoniam operam (ut dici solet) & oleum perdidi. ALB. Cur ita? CARD. Nonne dixi, etiamsi Cicero sis, aut Homerus, nihil referre: & inutilem & inanem esse hanc uitam prorsus, nisi animi nostri immortales sint. Verùm & hanc de me opinionem amor ille in me tuus facit, non ipsa res. ALB. At ego persuasus iam optimè sum, et immortales esse animos nostros, & eo optimo immortalitatis genere quod esse possit: scilicet, ut omnia probè cognoscant singuli: quod & te credere & scire non dubito. Nec magis in hoc decipior, quàm in existimatione de te mea.

HIERONYMI CARDANI
MEDIOLANENSIS MEDICI
DIALOGVS QVI DICITVR TETIM, seu de Humanis consilijs.

Interlocutores, Tetim, Ram.

VTinam, ô amice, colloquijs illis quæ heri in cœna apud Charum habuimus, interfuisses: cum Min & Maamin ualde & quasi pro fortunis omnibus contenderent. Ego enim utrique eorum impar uidebar uel ut iudicarē, uel ut eos inter se conciliarem: reliqui autem omnes, tanquam de uita aut maxima quapiam alia re ageretur, silebant. RAM. At de quibus sermo hic erat quæso? TETIM. De qua prorsus non satis memini: sed uidebatur initium fuisse de tyranno quodam, qui multa piè instituit: sed neque nomen palàm referre audebant: contrà de rege quodam optimo, qui tamen non pauca impiè admisit. RAM. At ego diuino, qui nam fuerint. Rex ille fuit Ludouicus Gallorum, undecimus eius nominis: tyrannus autem, Castrutius. TET. Diuinasti certè: existimo te latuisse sub mensa. Sed quomodo resciui/sti? RAM. Omnia mihi narrauit * Verùm non de huiusmodi principibus loqui gratum est: demirorq; illos tam diu adeò suspectum traxisse sermonem. Sed Bacchus maiora facit ac potest. TET. Quid ergo tu censes de illa contentione? RAM. Ego non satis noui quales fuerint utriusq; sermones, sed tutius puto huiusmodi silentio obtegere. TET. At si tu affuisses, quomodo

sermonem instituisses? RAM. At si tu rex esses, quomodo subditos tractares? FET. Vtinam tam facile mihi esset regnum obtinere, quàm administrare. RAM. Sed quid acturus esses? TET. Conuiuia ludosq; celebrarem: mitis in omnes, beneuolus in amicos, iusticiam pietatemq; colerem. RAM. Recte equidem, si posses hæc omnia. Sed quomodo simul & iustus & mitis, & quomodo beneuolus in amicos esse posses, si iusticiã colere uelles? TET. At utinam tamen possem regnum adipisci, quàm facile esset mihi & multo maiora facere. RAM. Sed quomodo tandem? TET. Meis facultatibus atque opibus cunctis satisfacerem. RAM. Sed unde sumpturus has opes? TET. Ex uectigalibus. RAM. Qualia & quanta esse uelles? TET. Vt sufficerent impensæ, atque donationibus. RAM. At magna esse oporteret. TET. Quid ni? RAM. Quomodo ergo beneuolus esse posses in amicos omnes, si grauia uectigalia ex eis exigeres? TET. At non ex illis solis, sed etiam ex alijs. RAM. At satis est te non in illos futurum beneuolum, à quibus exigeres. TET. At non ab his tantum exigerem, quantum darem. RAM. Vnde ergo residuum sumeres, quod dares? TET. Ex alijs. RAM. Quomodo ergo iusticiam coleres, si ab his sumeres quod alijs dares? TET. At saltem pietatem colerem: & in iure dicendo iustus essem. RAM. Quomodo, si amicus cum incognito tibi litigaret, non uelles aliquo modo amico patrocinari, ut esses beneuolus illi? TET. Vellem, si possem. RAM. Quomodo ergo iustus esses? TET. In his tantum quæ essent mei arbitrij. Præterea adhortarer litigantem illum, ut cedere uellet aliquid: de compositione tractare. RAM. Omnes hæ sunt iniusticiæ partes. Ius, non persona spectanda est. Laudatur Græcus ille, qui preces filij quem diligebat, pro patre fonte surdus audiuit. TET. At, ut uideo, iustus esse non possem, essem tamen pius. RAM. Quid hæc iniusta pietas quæso? TET. Sed, si placet, non de me loquar. Subijciam tyrannum aliquem ac regem ex antiquis, ut prorsus sermo uoster inuidia ac suspicione careat. RAM. Faciamus: sed quem uis? TETIM. Vespasianum audiui egregium fuisse principem, & Titum etiam: Domitianum autem, tyrannum. Duos hos, si placet, pro exemplo, fratres subijciamus. RAM. Rectè. TETIM. Agamus ergo de pietate, postquam Princeps & iustus & simul bonus esse non potest? RAM. Hoc non dico, sed perdifficile est. Verùm quomodo pius esse poterit, si iniustus sit? TETIM. Modum uideo nullum, nisi ut credat, se quæ agit iustè agere. RAM. Ita est: sed hoc non satisfacit. TETIM. Sed liberè loquaris. Ergo quomodo principes hi, uelut Titus, multa peregerit impiè & iniustè, & tamen bonus princeps habitus

sit:

sit: & rursus quomodo Domitianus multa bene, cum esset tyrannus? RAM. Ita est: sed decet ab initio rem, quemadmodum se habeat, exordiri. Principes omnes aut in philosophia exercitati sunt, atq; hi admodum pauci: aut naturali quadam prauitate mali atq; impij: aut simplices & religiosi, qualem Vespasianum fuisse haud dubium est, Titum uerisimile. Qui religiosi erant, inferos & tartara & Elysios campos esse credebant. consultores id animaduertentes, autoritate religionis seruata, illud idem consulebant, quod hominem impium solum deceret: hoc prætextu, quòd imperij seruandi causa, sub cuius umbra tot insontes miseri atq; impotentes tuti uiuerent, liceret omnia facere. Hi ergo, cùm quòd religiose aliqui uiuerent, tum quòd etiam in iudicijs alijsq; rebus ad principem pertinentibus satis iustè agerent, boni principes habiti sunt: tametsi multa patrarent quouis tyranno iniustiora atq; crudeliora. Qui è consilio horum sunt, neq; bonum, neq; tutum putãt, uelle quod ipsi sentiunt de humanis negocijs, de Deo, de anima, principibus patefacere: uerùm tantũ quod expedit pro conseruatione regni. et aliquibis deteriores, ut gratiam principis demereantur, quæ nefanda sunt, tanquam pia sint consulũt. Ille ergo, se putat sic cum multis sceleratis factis piè uiuere. Eoq; fit, ut huiusmodi principes maxima mala sine respectu committant: in paruis quibusdam superstitiosi sint admodum, quoniam contra mandata legum esse uidentur. Ita sub utroq; horum fratrum expilasse totam unam prouinciam, insontes plurimos seruos occidisse crudeliter, nullum peccatum erat: at Deos suos non coluisse, seruum sedisse iuxta Augusti statuam, imaginem principis in lupanari secum habuisse, uel in latrina, accusasse pessimum Senatorem milleq; dignum supplicijs, nec potuisse plenè probare, capitale erat. Qui uerò philosophia imbuti uel ab obitu nullam putant esse animam, aut omnibus commune, pœnarumq; ac meritorũ expertem, hi iuxta sectæ suæ rationem uiuunt, plerumq; satis boni. TET. Sed ô amice, dic quæso quid sentias de animorum nostrorum natura. RAM. Certè anceps ualde sum. & cum ad iuuenes respicio, omnia ad immortalitatem adblandiuntur: robur illorum, prudentia, alacritas, dignitas, sapientia, fortia facta: rursus cum consenui, desperatione quadam agor: quoniam omnia mecum, etiam mentem ipsam, consenescere uideo, adeò ut plerique repuerascere uideantur. Quod si in tã breui tempore pueris similes maiori ex parte fiant, quid speras futurum si in aliquot secula senectus extenderetur? Profectò homines muscis & uermibus fierent simillimi: amissa enim memoria, etiam proprij nominis, inde omnis sermonis obliuiscerentur. TET. Sed dic quæso, quid de hoc sentias? RAM. Falluntur. TET. Qui? RAM. Qui ob id existimant animos esse mortales.

sed non est tempus nunc de hoc disputandi. TETIM. Audirem perlibenter. RAM. Dicam, si uis: sed omittam cœptum iam sermonem de humanis consilijs, si libet. TET. Nihil minus: sed expedi primum sermonem. RAM. Hac igitur cogitatione (cui è Philosophis & Medicis præcipui Hippocrates & Galenus, & quod magis mirum est, Theologi primarij, nec Christum nec Augustinum nec ueritatem secuti, dum philosophos perbellè agunt, subscripsere. Vnus enim inquit: Nisi Christus immortalitatem animi declarasset, quod ad naturalem rationem attinet, mortalem illum existimarem. Alter uerò ait: Aristoteles licet uerbis animum dixerit esse immortalem, ea tamen iecit fundamenta, per quæ illius mortalitas appareat. Subijcit que illa, & referre pudet: securi uiuunt, nec piè, nec simpliciter, nec ob gloriam honestè uitam ducentes. Itaque omnia iam pessum eunt. TETIM. Sed quid alij? RAM. Omnes eodem morbo laborant. quæcunque enim principes sequuntur, eadem & populi, seu ob autoritatem, seu ut illis blandiantur, seu quod sperent fortunam cum moribus æquare, faciunt. TET. At possunt hi uel illi sic esse felices? RAM. Certe non: sed sufficit illis, ut reliqui ipsis sint infeliciores. TET. O stultam opinionem. uerùm quomodo uiuunt priuati? RAM. Et ipsi omnia ad speciem collocant: cæterùm omnia aguntur Græca fide. TET. In quo ergo deterior fuit Tito Domitianus? RAM. Qui probi sunt, & religiosi, cum arbitrio aliorum, nec sibi imperantium, sed obedientium, nec idem sentientium peccent, rarius peccant, quàm qui suopte ingenio. Ita Domitianus eò peruenit sæuitiæ, dum humana contemnit, diuina non timet, ut Nerones tres superauerit. TET. Sed quæ nam uoluptates sunt principum? RAM. Odium, amorem, & uoluptatem explere. ulciscuntur quos oderunt, ditant quos amant, & uoluptatibus fruuntur. TET. Quæ uoluptates? RAM. Communia, lusus & alea, tum uenatio & aucupium. TETIM. Sed & feræ ludunt, etsi non alea, & uenantur. at gregales conuiuantur. lupi soli, quod sciam, ex his qui carnes edunt, gregatim incedunt, ursorum uel leonum metu. itaque parum uita hæc, quòd ad uoluptates attinet, à lupina differt. RAM. Vera dicis. Sed possunt prodesse, atque obesse. Parum in hoc est, cum iniustè id fit. nam nemo tam securus esse potest horum mendacium adhortationibus, qui non à morte sibi aliquid metuat. Præterea offensiones illæ graues haud tutæ sunt: & dum ultione iniuriam tueri uolunt, immensum numerum inimicorum pariunt. Itaque parum prodest plurimum posse, si non tantundem sapias. TETIM. Verum. Cur ergo pœnas non statim dant, adeò immites & inconsulti? Do-

mitianus

mitianus enim plus regnauit quàm pater & frater simul. RAM. Sors & uecordia hominum plurimum potest. nam et priuati et nobiles, dũ inter se inimicitias excercent, occasionem miluo prædandi utrosq; præbẽt. Itaq; et hoc tyrãnicũ est uaframẽtũ, discordias inter subditos serere, ut tutius grassentur. Habent et ministros, qui prætextu Iusticiæ aut pietatis, uotis pniciosis nõ solùm principum (hoc enim forsan esset tolerabile) sed potentiorum & pernicioßimorum adulatorum satisfaciant. Quot enim Tiberius, aut Nero, aut Domitianus (sed hic uiolentior) sine Senatus illius corruptißimi autoritate dãnauerũt? penè nullos. Itaq; duo optima & diuina bona concessa mortalibus lenas tyrannidis effecere. Deinde credere possunt, non esse Deos, nec ulcisci hanc tantã illorum propriam iniuriam: & animos cum corporibus interire? Hoc enim, dum sapiens nimis ac catus uideri uult, philosophorum maximus docuit. Deinde proclamat, ubiq; desertã omnibus bonis, ac ab eo spoliatam uirtutem. Quanto satius fuisset uel de naturalibus rebus aliter statuere, uel unumquemq; suo arbitrio ac uiribus relinquere? ne tertia improbis principibus & tyrannidi lena Philosophia accederet. TET. Sed quis ergo bonus erit princeps? RAM. Bonus princeps pluribus benefacit, paucis malè: malus autem pluribus malefacit, paucis autem bene. TET. At sic, qui optimos perdet uiros (qui certè pauci sunt semper) malos autem euehet, hic bonus erit princeps. at ego oppositum antea existimabam. RAM. Et rectè quidem. nam qui bonos perdidit, is necessariò multos perdit. omnibus enim qui media natura sunt, qui plurimi sunt, infestus est. malis etiam plerisq; cogitur, esse immitis, tũ specie quadã iusticiæ, tũ metu potentiæ, tum etiã ob priuata odia. At bonus bonos euehẽdo, mediocres omnes bonos facit, nec malis omnibus infestus est: sed his tantum, qui nec exemplo, nec metu, nec leuib. pœnis corrigũtur? Itaq; tyrãnus etsi nõ uideatur ferro sæuire in plurimos, plurimis tamẽ grauis est, tributis pauperes exhauriẽs, ut paucos ditare possit, & gurgiti illi uoluptatum immenso satisfacere. At non par est, imò deterius, innoxios fame frigoreq; ac laboribus intolerandis interficere, & gladio? Et qui gladio sæuiunt, saltem filijs parcunt: at hi filios coram parentibus inopia perimunt. TET. Maxima audio. atq; ego nec Cyrus esse uellem, aut Alexander: nec ex purpuratis illis, qui ex eorum consilio essent. Sed dic amabo, fuit'ne quisquam princeps bonus forsan, ut audio, Augustus, aut M. Antoninus Philosophus: hos enim intelligi optimos fuisse principes. RAM. Certè fuit aliquis: sed neuter istorum. quinimo hi ex his fuere, qui pluribus malefecerunt, ut paucis gratificarentur. Atq; horum uterq; ultimum improbitatis

experi/

experimentum dedit, in eligendo successore: cum primus improbitati stulticiam coniunxerit: priuignum hæredem, uirum sanguinarium & improbissimum, nepti, uxori optimi uiri Germanici ac pronepotibus præferendo. Secundus uerò, quòd cum filium pessimum esse intelligeret, alium ad imperium non elegerit. Solent priuati boni uiri, filios nepotes lurcones & nequam exhæredare, ubi nemini iniuria fit: aut periculum est, si hæreditatem accipiat. & bonus Imperator nepharium hæredem relinquet? ualeant ergo Bruti illi, & Manlij, Cassij, Scauri, & Damatriona, Talantiaq;, ac mater Pausaniæ, omnes Spartanæ mulieres, & Clotharius Gallorum rex, & Antonius Venereus Veneti Senatus princeps, qui filios unico ex scelere peremerunt, quanquam uiuentibus illis salua posset esse Respub. si M. Antonius, ut orbem perderet, flagitiosissimum filium Imperij reliquit hæredem. Ergo unus Alexander Seuerus princeps bonus fuit: alium ex antiquis noui neminem. TET. Quid ille agebat, ut talis esse potuerit? aut quid omnino agere debet bonus princeps, ut tutus etiam sit? RAM. Facile est principi, si uelit, bonum esse: tutiorq; multo erit improbo principe. Iusticiam & pietatem colat. quæ ut faciat, præponat bonos malis. Bonos hoc uno argumento deprehendet, qui pecuniarũ auidi non sunt. Huiusmodi uiros inter Phratrios, non tamen multos, reperies. Qui enim facile contemnunt pecunias, facile omnia flagitia uitare possunt. Bis uerò in singulis septem diebus audiat causas subditorum, quartam horæ partem singulis impendendo: Pridie autem omnes suos moneat aduersarios. Quadraginta audiet uno die, qua die audit: ut octuaginta sint singulis septem diebus: in anno autem, supra quatuor millia. Antequam uerò aduersarij uocentur, sorte ducantur hi quadraginta: nisi si qui pro sontib. quibus capitis damnatio immineat, supplicare uelint. hi enim inter illos qui audiri uolunt, primi audiendi sunt. Pòst audiantur, qui quinquies à sorte exciderint: pòst, ad quadraginta usq;, sorte ducti qui fuerint. Nec quisquam admittatur, nisi peractum fuerit iudicium ab ordinario iudice: aut cum ultra terminos iudici præstitutos adhuc lis pendet. Semper uerò uel iudex puniatur, si errauerit: uel supplicio ultimo puniatur, si iniustè ob præmium iudicarit: aut laudetur, si rectè sententiam tulerit. Atq; si, qui appellauerit, non omnino sit pauperrimus, nec iudex deliquerit, iudici persoluat ille reditum unius anni totum. Porrò ipse princeps, cum uiri sapientis & optimi amicissimiq; consilio de re cognoscat, non (ut nostro æuo) ad eos releget qui à secretis sunt. Crimina autem omnia eorum qui suæ fidei creditos perdunt pecunia uel muneribus, ut iudices, tutores, causidicos, & procuratores, medicos utriusq; generis, pharmacopolas, molitores, pistores, sacerdotes, nõ sine exquisito mortis

sito mortis genere perdat, aut principis aut Reipub. proditores. Sed alios omnes etiam uiarum obsessores, homicidas, fures, adulterinæ monetæ fabricatores, uel ad triremes (si grauia sint crimina omnino, uel sæpius ad uomitū, ut dici solet, redierint) aut ad excidendos montes damnentur, ubi pane & aqua pascantur, quantum satis sit. Et si uiuente patre aut matre hæc fiant, mitius aliquanto agatur, si dilata ob id solùm mors fuerit. Neq; enim par est, parentes qui non peccarunt, in filiorum supplicijs affligi: & sic etiam patria pluribus hominibus abundabit, & ditior fiet illorum laboribus. At quale emolumentum belli tempore, seu epibatas, seu milites, seu operarios legere uolueri-mus? ad urbium expugnationem, ferenda onera, ducendas machinas, duratos laboribus homines, ob pœnam, uitæ contemptores, tunc etiam adeptæ libertatis beneficio lætos & gratos? Hocq; institutum ne putes nostrum esse commentum: sequuti sunt Reges quondam Aegyptiorum, ut Diodorus Siculus refert, qui inuicti fuere ac felicissimi. Sic Christum opere, nō uerbis fallacibus, exprimemus. Nunc sub Christianis principibus crudelitas plusquam barbara exercetur. Adulteria tamē grauiter punienda: annonæ ubertas, triticū, uili precio, nullo uectigali, sed pro censibus & reditibus exigatur: uini & carniū amplum, exiguum salis, olerum nullum, piscium perexiguum. tam paucis præceptis optimus princeps instituetur. Et tamē multo fœliciorem atq; liberiorem aget uitam, quàm nunc reges: longēq; tutius regnum administrabit. Sed malos abigere contentus non sit: insidiabuntur enim illi, & leues maledictis corrumpent populorum animos. sed illos ad lapides, adulatores autem ut ueros proditores morte sæua damnabit. TETIM. Placent hæc, sed demiror cur tam diu ista latuerint omnes: aut si non latuerunt, cur nemo hanc uiam ingressus sit? RAM. Hæc institutio tam aduersa est purpuratis ac potentib. quàm salutaris Principibus. Si enim ita agatur, unus erit princeps fœlix: cæteri proprijs opibus cogentur esse contenti, nec iniuria quenquam afficere poterunt. At hoc illis monstris non placet. ob id principes primò, deinde etiam seipsos perdunt. Quod si aliter principibus consulerent, & illorum animas & uitam & regnum, seipsosq; seruarent, innoxiq; obirent: & pro paucis malè beatis, plures pura fœlicitate gauderent. Vides quàm parum nūc regna in eadem familia perseuerant? TET. Intelligo. Sed cum duo proposuisses, alterum caput, scilicet de pietate, reliquisti. RAM. Nunc agam de illa: quanquam, ut audisti, seruando parentibus filios, mitiusq; agendo in cunctos, præterquā proditores, etiam pietatis partem absoluisse uideor. TET. At ego non partem, sed totum negocium explicari uolo: postquam ob id, de immortalitate animi, quem cupiebam, sermonem audire prætermisi. RAM. Dicam:

Pietas in Deum atq; patriam ac parentes dirigitur. De patria satis dictum est, cum nullum maius illi præstari possit obsequium iusticia, clementia, & auxilio in miseros. De parentibus, uix est Princeps qui patrem habeat: non enim principatum obtineret. De matre, forsan plus tribuunt quàm par sit mulieri, ambitiosæ, luxuriosæ, impotenti, ac illius plerumq; sordidis ministris. quamobrem non est ut quenquam ad huius pietatis genus adhorter. Transferantur hæ adhortationes ad priuatos: in quibus plus est debiti erga parentes, & in illis minus delicti, & maior necessitas beneficij. De principibus autem cum loquamur, de pietate erga Deum dicere satis superq; fuerit. Quamobrem ab initio rem repetamus. Si Deorum munere cuncta se recepisse cognouerit Princeps, si reddendam rationem post mortem de administratione intellexerit, Pium ipsum, & maximè cum iam iustus sit, facilè fuerit efficere. TETIM. Hui, quòd (ut in prouerbio dici solet) pro uno duo lucratus sum. nam & de animi immortalitate, quæ sperabam, optabamq;, iam iam audiam. RAM. Principiò illud animaduertendum, quòd multa sunt, imò (ut uerius dicam) omnia diuina nobis incredibilia, & omnino obscura, ac minus intellecta uidentur. Quis enim potuit unquam deprehendere, quónam pacto cœli moueantur? nam quæ Ptolemæus statuit, experimentis satisfaciunt: absurda tamen sunt. quæ uerò Auerroes & Fracastoreus, minimè absurda: sed talia, ut nugis proxima uideantur. Quis, quomodo anima uel mens nobis assistat, intelligit? aut ut cœlum moueat, cum in eo non sit, sed potius cœlum in mente, & nos cum uita ipsa? Quis cogitatione apprehendit, eandem animam tam præsentè esse Antipodibus, quàm nobis, cum illa sine magnitudine sit, nos uerò tam longè distemus ab illis? necesse est enim dicere, animam aut mentem quæ corpore adeò distant, tanquam nullo sint in loco, nec interuallo aliquo disiuncta sint, simul (ut ita dicam) tangere atq; amplecti. Sic & præsentia atq; præterita futuraq; ambit: modò assistit, modò non, ipsa omnis expers temporis. Itaq; mens nostra ubi hominem exuerit, ut affecta ad iusticiam fuerit, ita gaudet aut angitur parum aut multum, ut non solùm tartara & delicias experiatur, sed unusquisq; pro qualitate improbitatis ac uirtutis torqueatur aut gaudeat. Quòd si enim tormentum hoc aut gaudium paruum esse putas, cogita quàm multi diuites, potentes, iuuenes, incolumes, minima ex iniuria adeò torqueantur, ut cum Oratore illo uerè dicere possint, uitam sibi acerbam putare. nam eorum qui ob dolorem mortui sint, qui insanierint, qui sibi manum etiam intulerint, non desunt exempla. Quare nil mirum est

ibi summam

ibi summã esse constitutam pœnam, ubi dum uiuerent etiam summam constituerint uoluptatem. Ita qui minus peccarunt, qui moderatius appetiuere opes, honores, uindictam iniustam, aut inferre iniurias: hi etiam moderatius & mitius torquentur. Sed quod maius est hac in re, cum anima sit expers æui, ut dixi, nihilominus & ipsa quandoq; affici desinit: ut ibi sint differentiæ temporis, ubi tempus nullum inuenitur. Et hoc est quod dixi, huiusmodi excedere mentis humanæ cogitationem. Id facilè esset in nobis deprehendere, dum à curis quiescimus. Sed forsan idem concedi postulare uidemur, quod demonstrare propositum est. An forsan cum aliquo corporeo uehiculo omnes, aut aliquæ coniunctæ sunt? Sed omittamus futura, præsentia prosequamur. Existimo uitam Principum ualdè infelicem esse, aut illos omnino neminem amare. TETIM. Cur ita? RAM. Nam si amant, quos amare se ostendunt, cum præcipuè eis tot sint alumni, necesse est ex alumnis singulis annis fermè, ex amicis singulis mensibus aliquem perire. At quàm molesta sit mors charissimorum, satis cuiq; perspicuum est. Si cor ergo est principibus, ut esse existimo, nemo illis infelicior est tot amicorum continuo interitu. Sed hoc nihil esse uelim. Quid, cum iussu suo, in prælio, pro illius salute, tot charissimi occumbunt? TETIM. Certè uera narras: sed hi forsan nihil curant. Verùm dic amabo, postquam adeò mihi uideris harum rerum etiam plus quàm speraueram gnarus, deducta spe compensationis ab obitu, licètne omnia tutò mala agere, periculo deducto legum ut in potentib. sic ut in quibuscunq; præstet malè agere, ac pro arbitrio uiuere? RAM. Magna atq; ardua quæstio: beneq; feciisset (quod sæpius soleo dicere) Aristoteles, hoc docendo. namq; si uirtus commodum nullum affert, cur sectanda est? Quid illius encomium, & quorsum nam tendit, ab Aristotele tam disertè celebratum? Sed existimo prudentiam primùm cuiq; necessariam, & utilem ad bene beatèq; uiuendum. Sed fieri haud potest ut quis uiuat beatè, nisi etiam securiter. Post prudentiam summa laus est fortitudinis: non formidare mortem ut necessariam, sed uitare ut fortuitam, quantum licet: ferre quoq; labores ut necessarios, uel ut corporis salubritati utiles, aliaq; aduersa: quæ etiam si ægrè tuleris, nihilosecius beatior uiues. Ita etiam assuescendum laboribus, & patientiæ quæ lucrum afferre potest. TETIM. Istud perinde est ac si dicas, dimidiũ fortitudinis habere. RAM. Rectè ais. Sed comitatis tanto plus. sexquimensurã scilicet. hæc enim nulla tactura et amicos et famã parit. TET. Nullã uirtutẽ tã omnes norunt à supremo ad infimum, ut hanc. Sic uideris iam tres mensuras impleuisse uirtutis. Est'ne alia? RAM. Temperantia & abstinentia. quantũ satis est ad sanitatẽ tuendã: in reliquis ne

cura rem hanc. uiuere enim uolupe, uiuere est: si post obitum nulla spes uitæ alterius supereſſet TET. Sufficiunt hæc? RAM. Est quiddam aliud: ut sis gratus in beneficos, ob utilitatem: in tuos & alumnos, ne si malè eis contingat, dolore distorquearis. Cauenda enim tristicia est, ut fœlicitati contraria. Ergo tuos non amabis, sed quantum potes illis benefacies: sic tamen, ne beneficium in eos tibi fiat maleficium. TET. Est ne quid aliud? RAM. Non utiq;, si desperes futura. TET. Tam paucis constat humana felicitas? RAM. Imò apud quosdam etiam paucioribus. TET. Quid posit minui, non uideo. Sed iustitia, pietate, liberalitate, misericordia, fide, innocentia, studijs bonarum literarum, nihil ergo opus erit? RAM. Imò omnes damnosæ erunt, præter eruditionem: sed hæc uirtus non est. reliquis non opus est nisi in suos. TET. Sed quid adimi potest ex illis quinq;? RAM. Duo etiam improbi adimunt, scilicet relationem gratiæ, & suorum curam. quanquam hæc inter illas quinq; non numerata sit. TET. ô corda uiperarum, & mores Lucianos, quos ferunt etiã propriam sobolem deuorare. Sed quid adegit ergo Aristotelẽ, ut uirtutes adeò ardenter laudaret? non illas quinq; tantum, sed ex æquo fermè omnes: postquam hic cultus uirtutum plerisq; semper cesserit infœliciter, neq; nũc solùm. aut nouum est illud Poeticum: Omne in præcipiti uitium stetit.

Sed & suis temporibus deteriores multo erant, quàm nunc sint. Quid ergo est causæ, fuitue, ut suos clientes, laborumq; suorum studioſos, tam perfidè falleret? RAM. Dicam, quid sentiam. (tametsi quod dixisti de temporibus suis, nõ admittã facilè: sed existimẽ maiori in precio fuisse nõ solũ eruditionem, cuius minor copia erat, sed et uirtutẽ. nã quis audeat, ut ille tũ, Diuæ alicuius solẽnia sacra cõcubinæ celebrare, etsi princeps sit, quemadmodũ ille fecit) uir primùm fuit ambitioſus admodũ, et gloriæ cupidus. ob id uirtutẽ celebrauit, ut nõ solũ pius, sed etiã præstãs haberetur, ac ubiq; de illius sentẽtia sermo esset, plerisq; admirãtib. uel hominis sentẽtiã, uel paradoxũ. Deinde ipse prædiues, nõ tantũ diues erat. nõ laborabo ut ostendã, quod luce clarius esse potest. Diuitibus autẽ uirtus conuenit, saltem ob tres causas. Prima, quòd uitijs opus habemus ut ditemur: namq; ad id nil eis commodius. at diuiti per scelera minus conuenit, quàm per mercaturam ditari, etiamsi totus sis Epicureus: quanquã, ut dixi, homines nostra ætate deteriores sint, quàm qui tũc erãt: et quanquã diuites nõ desinũt rapinis augere, quod breui totũ simul relinquendũ est: ita multo minus principib. Secunda causa est, ut laudẽ consequãtur, unde iactura nõ metuũt. Tertia, quàm optimè norũt potẽtes ac principes, ut sic uiuendo trifariã securiores sint, et opinione probitatis ac pietatis, ut curæ Dijs esse uideantur:

deãtur: & ut minus odio sint hominib. ac contemptui: & quòd cæteri exẽplo illorũ sic uiuentes, minus ad uindicandũ iniurias, aut ultro inferẽdas, erũt pro cliues. Accedit, quòd Aristoteli fortasse hoc incertum fuit, an animæ post mortem præmia aut pœnas consequerentur. Credidit certè, ut reor, non consequi: sed non adeò firmiter, ut quidam opinãtur: sed addubitauit, ut existimo, egregiè. Credo etiam ab illo multa de hoc tradita, quæ periere. Sed & illud ad hoc induxit, quod huiusmodi bonum esset commune. Et nemini dubium esset, si nõ omnes dico, sed potentiores solum, ne dicam maior pars hominum, uiuere destinaret secundum uirtutem, quin omnes cõmodius uiuerẽt, etiam his qui nunc suo arbitrio uiuunt, quanquam sunt opulẽtissimi ac beatissimi. Ad simpliciter igitur bonum, non quorundam, respexit philosophus. Addo aliã causam: quòd ut dixi iam, magna pars harum uirtutũ & improbissimis est necessaria ad beatam uitam: in reliqua parte tantum est uoluptatis in bene agendo etiã pauperibus, tantũ doloris in uitio ac scelere, si quis (gratia exẽpli) ob auaritiam è tuis pereat, ut pleriq; horum improborum despõdentes animum moriatur: cũ probis uel in pestilentissima fortuna id uix accidit. Forsan & id animaduertit uir acutus, quòd animus flagitijs imbutus, etiamsi specie fœlicior propter exteriora uideatur, est tamen infelicior calamitoso probo, cuius animus integer est à scelere. nam uidemus uulneratos & acriter laceratos grauius longè perferre plumeos puluinos, quàm sanum compedes. Aristoteles aũt ad ueram, nõ fictã felicitatem respexit. Forsan et alias ille habuit rationes, & firmiores: sed mihi modò hæ solũ succurrunt. TET. At mihi satis hæ esse uidentur, ut iam non demirer. Saltẽ cauendũ existimo ab his sceleribus omnibus, uel quæ alios nimium torquent, aut nobis paruo sunt usui, etiamsi quis peccare uelit. RAM. Ita existimo rectum esse, & hoc ad minus uoluisse Aristotelem. TET. Sed neq; id obseruãt hac tẽpestate homines: sed uelut cacodæmonibus (ita enim fertur) nihil tam suaue & iucũdum, quàm alios etiam immerentes discruciare. RAM. O' homines nomine solum Christianos, uita aũt idololatricis ac Mahomedicis (nam de Hebræis non dicam, quos assidua mala fregerunt) ac uiperis sæuiores ac crudeliores. Meministi cum Henricus rex Anglorum Bononiam Neustriæ oppugnaret, ipsa media die iubens per præcipitia & rupes eò ascendere ubi nullus esset accessus? cecidere tot millia hominum, nec obtinuit tamen, sed deditione accepit, puto altera die. Quam uoluptatem capere poterat, cum tot amicos, non cæsos, sed (ut ita dicam) præcipitatos à se aspiceret? TET. Ferina omnino corda. RAM. Et tamen inter reges sui seculi splendore uirtutum, amoreq; eruditionis enituit. Quid putas agitare alios, qui eo sunt inferiores? Deinde potes illorum inuidere sorti? Dispeream, ni malim esse custos peco

rum quàm princeps. TET. Sed quid Turcarum reges, quos tu clementia uideris nostris præponere? RAM. Nihil minus Christiani peccant: quia qua parte Christiani sunt, aliquid sani habent, illi furiunt. Verùm insania illorum nostros, ut sapiant, non efficit. TET. At dicunt aliter seruari regna non posse. RAM. Hic tota excusatio. sed si ita esset præstaret (ut dixi) reges illis qui sunt non esse. At non ita est. sed facilius longè seruarentur, si quod donant adulatoribus, si quod surripiunt improbi ministri, in milites egregios insumeretur. Industria, uirtute, pecunia, non cædibus suorum, bella uincuntur. Sed neq; Cæsar, qui militibus suis adeò amicus fuit, illos amabat, quos ob occupandam tyrannidem morti exponebat. at quorsum tanta cædes? quis nunc supereſt ex eius familia? quàm breui usque ad felem (ut dici solet) consumpta est? Imperium in alienos peruenit. Patria oppressa, inde euersa facta est ludibrium gentium. nam quæ nunc paret Pontifici, tota ex aduenis constat, nihil antiquum habet. Ille Anglus rex uix toto quadriennio ab illa inclyta strage superuixit, mortuus aqua intercute: tam grauiter tulit eam mortem, ut inuideret his qui in acie iamdudum perierant. Vrbs illa nec toto biennio regi Gallorum, paucis pecunijs, nec decima parte earum quas ille ut obtineret insumpserat, per uxoris fratrem proditio infantis nepotis restituta est. Vnde etiam capite multatus. Hunc finem omnia hæc immoderata desideria, cum cædibus amicorum, obtinere uolunt: quod uirtute & continentia, sapientiaq; facilius esset occupare. Horum omnium malorum causa est, auaricia ministrorum. TET. Sed iam redeas ad nostros, Titum atq; Domitianum. Hic quamuis tyrannus, pulcherrimam tulit tamen legem, ne mares castrarentur. Vnde etiam mirum in modum à Martiale extollitur.

RAM. Pulchra coniugatio. author uterque ipsum factum, etsi egregium esset, infame reddit: Martialis, nequissimus assentator: Domitianus, tyrannus crudelissimus, quam legem humano generi utilem ferre potuit?

TET. Sed quid de re ipsa censes? castrari ne mares ac feminas licet? Et si licet, conducit? RAM. Ad libidinem castrabantur pueri, qui mos etiam apud Turcas adhuc uiget. Et testatur Martialis hãc caussã in suo Epigrãmate. Hoc non detestor, quòd non sufficerem tanto flagitio damnando coniungere tria simul grauissima scelera: concubitum præter naturam, atq; ei miserum illum meretricis loco assuefacere: crudelitatem cum uitæ summo discrimine: & spem immortalitatis stirpis, etiam leporibus cõcessam, tollere. At quoniam in utroque sexu fidelissimi custodes euadunt, dedecoraq; domus auferunt, si contingat habere, laudo. Solos ergo morti damnatos ob immane flagitium castrari permitterem: & ni lex prohiberet, castrari possent empti ad hoc ex aliena le-

ge

ge Mauri: ita tamen, ut parentes scirent ad hoc ipsum emi. TET. At nulli uenderent. RAM. Imò facilius filios quàm pecora uendunt. Nec magnum puto flagitium, illos spe posteritatis priuare, qui tam impij sunt, & insani. TET. Sed & mulieres possunt castrari? RAM. Cur non? sed tamen maiore longè periculo: si tamen adsit ars, ususq;, propè nullo. Sunt tamē qui credant longo usu uiticis mares, & periclymeni fœminas eunuchas fieri. TET. Quotidie disco aliquid, ut nunquā perire uelim. RAM. Imò, etiāsi nihil disceres. TET. Sed redeas quæso ad institutum sermonem. RAM. Diuinum esse existimant regnum, quod fortuitis casibus distribuitur. Sed postquā uidemus eos qui regna acquirūt, nō esse segnes: qui segnes sunt, plerumque regna amittere: non xistimo fortuitam esse prorsus regnorum possessionem, nec etiam diuinam, sed præmium esse uirtutis humanæ. Dico humanæ, non diuinæ. nam uirtus illa quam inertes hi philosophi non solum iactant, sed uenditant, humani generis exitium est. tamen maximè, ut dixi, quod propter ambitionem animos mortales, aut saltem non distributos affirmant, deinde uolunt aduersus tot commoda & illecebras uitiorum pugnare. TET. O insanum genus, & planè perditum. RAM. Sic est: sed sunt quædam uitia principum, quæ non tam citò pernicioſa sunt, quamuis successu non longo & ipsa regnum adimant: uelut crudelitas, & libido, atq; stulticia. Præter hæc quatuor nulla sunt exitialia, quamuis mala mortalibus ac subditis. TET. Quomodo? RAM. Velut lentitudo, auaricia, iracundia. Sed miraberis quòd dicam: deteriores (dicebat Hieronymus Cardanus) probis sunt principes, nimis mansueti, quàm nimis sæui. TET. Quid dicam? quid ue audio? RAM. Ille iratus, & forsan meritò, erat. uixerat sub Antonio Leua, nil mali passus, uel boni: quamuis uiro acerrimo. inde sub Cardinali Caracio, uiro optimo: sub Alphonso Daualo satis fœliciter, à quo etiam donatus fuerat: sed & apud illum, quod mitis esset, cœpit inuidia laborare, non tamen nocuit. Post optimè sub Ferrando Gonzaga, uiro asperrimo, sed omnis uirtutis & bonorum fautori: sub Cardinali Tridentino, uiro & ipso iracundo, sed uirtutum & egregiorum uirorum cultori. sub Ioanne Tigarolo, Duce etiam (ut uocant) Albæ. ab his nil boni consecutus, nil mali expertus, ob temporis breuitatem: quanquam ab ipsis nihil timendum. uirtute enim insigni uterq; præditus. cū ecce uenit Sueſſæ Princeps, eruditionis non expers, eruditorū amans, se cū ille dicebat: Quid si cū his tā bene, qui literarū studijs addicti non erant: cū hoc tam liberali, magnanimo & satis erudito principe, mansuetißimoq;? non decepit illū (ut aiebat) iudiciū, sed euētus. nam & eruditus erat, & pecunia donauit, & mitis, si quis alius, & comes, mansuetus, benignus: deinde fortis, ma-

gna

gnanimus, splendidus, supra omnem expectationẽ: uerùm casu quodam ob lentitudinem nullo sub principe infelicior fuit, amisso optimæ spei adolescente filio. TET. Sed quomodo ille tot aduersa fert? RAM. Aequissimo animo. nam reliqua dolorem acerbissimum filij potius distrahunt, quàm augeãt, præter duo. TET. Hoc saltem habet commune cum egregijs uiris, Anaxagora, Socrate, Aristotele, Anaxarcho, Zenone Eleate, Aesopo fabulatore, Demosthene, Cicerone, minore Africano, Miltiade, Themistocle, totq; alijs: sed hic mihi acerbitate casuum ac multitudine alios omnes superauit. Magna res est spontaneum exilium, quod etiam sibi maior Africanus imperauit. Verùm non satis pro nomine, neq; pro titulo librorum quos edidit de Vtilitate capiẽda ex aduersis, egisse uisus est. RAM. Hoc ego illi obieci, cum quereretur. TET. Quid respõdit? RAM. Nihil, nisi nõ potuisse, & impeditum fuisse, quemadmodum & Socratẽ. TET. Quid hoc de Socrate? RAM. Non puto perperã adiectũ, sed historiã uno uerbo significasse. TET. Quam? RAM. Vis ut dicam? credo illi geniũ esse comitẽ, qui serò illi se prodidit, antea per somnia et strepitus monere solitũ. nam quid maius? sine ullo medicamẽto liberatus est hernia intestinorũ in latere dextro. quæ si ei non superuenissẽt ab obitu filij, statim eò discessurus uidebatur, unde forsan multa mala & magna processissent: liberatus tamen, ab hoc proposito se recepit: liberatus etiã ab urigine urinæ. tot tantaq; ei mira in uita acciderunt, ut suspicari cogar & ipse, qui illi intimus fum, Genium ei esse & magnum & potentem & rarum, ut non sit suarum actionum dominus. Sed quæ cupit, non habet: quæ habet, non concupierit, nedũ ut sperarit. ille tamẽ hoc abhorret: sed cũ cogitat Deo omnia parêre, acquiescit. TET. Sed cuius naturæ? ferũt enim quosdam esse Saturnios, alios Iouios, atq; ita de alijs. RAM. Suspicatur esse Venerium, Saturno Mercurioq; mistum. TET. Tales omnes miserè uiuunt, & pereunt: quamuis quorundam magnũ sit nomen. RAM. Hoc nescio, cum neminem nouerim præter hunc, & illius patrẽ, ac Socratem, qui huiusmodi Geniorum familiaritate usus fuerit. TET. At pater quo modo obijt? RAM. Honestè, & ex senio: sed multo antea eum Genius ille reliquerat. Sed de his nescio. hoc unum scio, bonis uiris ac sinceris nullum periculosiorem esse genium, Principum consuetudine, & patria, ubi odijs & gratia res agatur.

(.·.)

FINIS.

HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI, DE Minimis & propinquis,

Liber unus.



VM duarum falsarum opinionum, quibus mortales maximè infelices fiunt, altera sit in æstimatione boni, altera magnitudinis illius: propterea de ambabus dicere propositum est. atq; eò quidem, ut ostendam, ad utrunque non parum conferre scientiam somniorum. Dico autem homines in duobus maximè falli. Primùm est, quòd putant felicitatem nostram in magnis bonis repositam esse, utpote longissima uita, opulentia, potentia, eximijs honoribus. Falluntur igitur bifariam in hoc uno, & quòd in eis felicitatem esse credant, cum nil minus: & quòd hæc maxima bona esse existiment. Quòd enim ad primum attinet, nil absurdius. Diu si uiuas, senex fies, quomodo ergo beatus? Si honoribus fruaris, maximè occupaberis: ut Siccus cum non posset ferre magistratum (erat enim prætor capitalium omnium iudiciorum) pila luderet perpetuò, amisit magistratum, alioqui uir sagax & cautus. sed de hoc sequenti libro. At nunc id agimus, non esse quæ diximus magna, quia nihil magnum ex bonis apud mortales, duntaxat excepta uirtute. Quomodo igitur hæc, quæ dixi, bona magna erunt? Hoc uerò errore quantum emergit mali? dum enim opes, potentiam, gloriam adepti, magnum aliquid possidere se existimant, impij primũ euadunt, Deumq; contemnunt, aut illius qui minus mali sunt obliuiscũtur. inde crudeles, ambitiosi, auari, cæteros mortales nihili esse putant, & in omnia flagitia erumpũt, obliti Dei beneficiorumq; illius, tũ uirtutis humanitatisq;, qua cum alijs hominibus necessariò coniuncti sunt: nec non sortis humanæ. ita unus uxorẽ alterius palàm, ac quasi per uim corrũpit: alter sæuo, nõ seuero iudicio filium patri eripit: alius premit pauperem indignè, imò uniuersum genus quotidie, & in illorum pignora omnia sibi licere putat: quidam agellos aut domos auferunt: alij ita se luxu perdunt, ut uelis nolis ue, fateri cogaris, his certè beneficium fortunæ exitio esse. At reliquis, quos diximus, nónne præstaret carere illis bonis, etiamsi maxima essent, quàm tãtis uitijs animi laborare, adeoq; orbi & humano generi exitiales esse, atq; funestos?

At dico, illa non esse magna bona, cum nihil hominibus magnum sit, præsertim bonum. breuitas temporis, conditio fragilis, exitus diuersi, incon-

stantia maxima, id docere possunt. Sed quod ad id sequitur, quod credunt, id prorsus declarat nihil huiusmodi adesse mortalibus. Hi enim sic ratiocinãtur: Si maxima sunt quæ habemus, opes magnæ potentia, bona ualetudo, uoluptates eximiæ, & hæc breui comparantur, utpote toto decennio uidemus commutari fortunam, necesse est initia magna esse. Ex paruo enim in breui tempore magnum euadere nihil potest: quod quidem demonstrat argumentum. atq; ob id ego sic conuerto: sed omnia initia uidemus esse exigua: ergo bona omnia mortalium parua admodum sunt, & non maxima. Ita sanè me docuit Dialectica mea. Etenim initia quæcunque esse exigua, adeò clarum est, ut probatione haud indigeat. & ignis qui maximus inter omnia statim euadit, etiam initia habet exigua: licet breue sit tempus initij, ut etiam reliqua, Verùm nihil simile est inter mortalia. scintilla enim ignis momento horæ, si totus orbis pyrius esset puluis, quantuscunque esset orbis, ipse conflagraret. Sed si & huius parua semper sunt initia, ita & magis aliarum quarumcunque rerum. Nec ergo omittere parua decet, cum nec minima oporteat. Vt enim qui ignem accensurus est, non frumenti aceruos, aut enses prægrandes, aut pecuniarum cumulos, aut magna quæuis uel nobilia uel preciosa colligere debet, sed modicum scintillum, ac cumulum uilis stipulæ & lignorum: ita in rebus humanis non magna aut preciosa captare oportet, sed initia & alimenta illius boni quod parare in animo est, quoque indiges. At minima esse initia etiam maximarũ rerum, adeò palàm est, ut nulla historia huiusmodi exemplis careat. Etenim Romuli ortus & educatio qualis? quam etsi fabulosam esse contendas, certum est tamen exigua fuisse illius primordia: ciuitatem è fugitiuis coactam, & pastoribus, millies potuisse abrumpi eius incrementa: atque ex minimis occasionibus seruatam, atque restitutam. Nouissimè ex negligentia & auaricia decem aureorum nónne totus orbis conflagrauit incendijs, rapinis, tumultibus, prælijs, supplicijs sæuissimis? Quid maius in humanis, cum diuina etiam sit, Pontificia dignitate? Et quàm exiguis discriminibus unus uel alter ei succedat? Ita parum ante hæc tempora, & nostra memoria simile miraculum in Aegypti regibus uidere licuit. Quid de uiolentijs bellicis, aut seditionibus, quibus cãusis aut oriantur aut extinguantur? Nostra eadem ætas uidit, quàm paruo discrimine atque leui occasione in hanc stirpem translatum fuerit Gallorum regnum, cum tres certarent.

Sed omittamus externa. nullum mihi maius meipso exemplũ admiratione dignum occurrit. Qui cũ aliquando fortuitò in campo Iouis occurrẽs Principi, uitã felicissimam in miserrimam transmutaui. quodq; magis admirabile: ille fa-

uendo

uendo me perdidit. Senatus parum beneuolus obstando si perstitisset seruasset: neq; filium amisissem optimũ, ac crudelissimè: ut nisi Dei opt. max. præsidium memoriã excuteret, ea me cõcuteret. Inde authoritas, lucrum amicitiæ, omnia pessum iere. Nouissimè etiam stipendij parte quã Princeps superaddiderat, spoliarunt. ita ea parua causa tantum momenti attulit ad perditionẽ rerum mearum, ut cõtra editi libri de Vtilitate capienda ex aduersis, conscriptum Theonoston, cõmentaria in Hippocratis Aphorismos, libri de Somnijs, de Natura, Paralipomenon, Neronis encomium, totq; alia, non solum suppeditãte tẽporis copia maiore, sed ut tædium depellerẽ. Itaq; nemo est qui nõ uideat etiam in seipso, similia exempla, tametsi nõ adeò euidentia. Quid cum deliberaui? paulum enim abfuit ne non reciperẽ. neq; enim me latebat, magnum mihi malũ imminere. Verùm par periculũ existimaui, seu reciperẽ conditionẽ, seu respuerẽ.

Cum igitur somniorum prædictio in ius uocetur tribus ex causis: quòd de minimis sit: quòd de incertis: & si certa sint, quòd prodesse nequeant cognita, ut meuitabilia: his duobus quòd respõsum fuisset in opere ipso, par fuit ut huic primæ calumniæ responderem. Nam somnia si sint de paruis, sunt de rerũ initijs, ex quibus tota rerum series atq; exitus pendet. At si non de initijs, erũt certè de magnis: quapropter illorum obseruatio uitæ mortalium utilissima erit.

Sed uideo quid dicturus sis. Primum forsan illud, non omnibus sunt tam exigua initia, sed hæc solum sunt fortuitorũ. Qui enim è prædiorum redditibus uiuunt, non tam tenui filo pendent. Stultum etiam fermè uidetur, aut saltem leue, tam infidæ coniecturæ omnia nostra committere, uitam propriam ac filiorum, tum opes atq; honores. Quid opus esset prudentia, si somniorum monitis parêre debemus? Omitto subtiliores argumentationes, qualis illa est. Vel ipsa conueniunt cum prudentia, et sic sola prudẽtia opus habemus. uel dissidẽt: & sic, si prudentiæ credere uolumus, superflua est eiusmodi cognitio: uel somnijs, tum uide quid sequatur. quo duce reges res tuas prudentia relicta? Numerãtur ut in uotis deorum, nõ qui periere, qui multi sunt, sed qui seruati, qui pauci sunt. sic in somniorum prædictionibus. At nos, ut aliàs etiam diximus, non negamus hominem oportere gnauiter se gerere: hæc uerò non tanquã fundamenta fortunæ nostræ atq; existimationis statuere, sed solum tanquam auxilia. In quacunq; tamen fortuna superuenerint, multum iuuant. Et nonnunquam splendori aut miseriæ superueniunt, nonnunquam uerò etiam tales efficiunt. Multi enim neglecta futurorum cognitione, ex magnis statibus corruere. Cæsar si somnium uxoris obseruasset, si Spurinæ prædictionem, superuixisset. cum multis diuersa ratione hæc obseruatio fortunam pepererit, & ex humili conditione ad maximam potestatem euexerit.

Porrò huiusmodi uirorum exempla in ipsa narratione retulimus. Reliquum est, ut quæcunq; de somniorum obseruatione dixerim, non de illis solum intelligas, sed etiam de tota humana prudentia: ut exemplo præcepti Hippocratis discas, nihil negligere. Est cuiq; sua felicitas, atq; calamitas etiam, si nõ euertatur ex propria dignitate. Et quanquam diuersa uideatur fortuna hominum omnium, tamen (ut dixi) exigua est. nec quicquam splendidum, præter uirtutem. in reliquis sat est, ut non in extrema decidas. Sutor cum dulcem sobolem alere potest, ut nil ei desit, cum domuncula & officina bene munita, felix est. Rex uerò orbus, & uictus in prælio, infelix. Non est omnium commutatio sortis suæ per somnia: quanquam aliquibus contingat, ut ex humillima fortuna ad clarissimam euehantur: alijs contrà, ut ex clarissima decidant ad humillimam. Et quanquam non omnibus per somnia hæc eueniant, omnibus tamen hæc obseruatio conducit. omnibus etiam, quicquid aduenticium est, & excellens, extra nostram prudentiam & communes labores positum est: sicut ediuersõ, quod nos ex alto fastigio in profundũ demergit. Neq; credas hæc quæ tanti nos æstimamus, tanta esse ut remur. Sicut homo è puluere fit, & in puluerem redigitur, sic & maxima ex minimis ortum ducunt: & cum tempus uenerit, seu in ipsis met, seu filijs, nepotibus aut alijs posteris, in eadem minima redeunt.

Quòd uerò fidendum sit huiusmodi cognitioni, haud dubium est, si rectè omnia peragantur. Primum, quoniam si esse non deberent, non præuiderentur ab ipsis uitis immortalibus. deinde, quòd omnis ars est rerum uerarum qualiscunq; sit, artifices tamen decipiũtur. At, & si aliquãdo decipimur, quæ nã est ars in qua non aberremus? Militaris, medicina, nautica, lõgè frequentioribus scatent erroribus, maioribusq; ac periculosioribus: quis tamen malit nauigare sine nauta, exercitum nulla ratione ducere magis quàm cum perito imperatore? agrum non omnino curare, quàm erudito committere medico? Quid etiam in musica, in fabrili, sutoria, non ne quotidie errores contingunt? quæ nam est ars illa, quæ errorem non admittit, qualiscunq; sit? uidi homines qui solœcismum in Geometria committebant. Sed neque uelim hominem à solita prudentia aberrare. Confisus somnio, profitendi munus renunciaui, quòd scirem coacturos. at ita tamen renunciaui, ut multa haberem præ manibus maioris spei, non tamen adeò commoda. Aderat certa causa repudiandi, tametsi omnia malè cessissent: iniuria, summa ἀχαριστία, respectus nullus, neque modus seu ætatis seu paupertatis, seu quod nulli alij negocio uacarem, multaq; alia quæ etiam lubam illum patientissimum ad iram prouocare possent.

Non ergo soli somnio confisus hoc egi, sed prudentia naturali comitan-

ta.

te. Sed quid acturus fuissem, si somnium defuißet? Ferre forsan melius erat, & maiorem opportunitatem quærere. Soleo enim dicere, quinq; rebus malam frangi fortunam: inducijs ac dilatione (nam maiora facilius ac celerius dißoluuntur paruis, quod ex pluribus concreta sint, & etiam tempus dum inchoatas res ac paruas auget, magnas & adultas corrumpit & deterit:) uel repentè inuadendo: uel sensim comminuendo aduersarij uires, dum carptim illum aggredimur, aut ea parte qua minus ualet (ut fultum fauoribus, uirtute, doctrinaq;) superando fauores illius nonunquã reddemus inutiles. quanquam nunc ea conditio temporum sit, ut quàm minimum uirtuti seu eruditioni tribuatur. Vel si auxilia detraxerimus: quod prudenter à patricio quodam nostro excogitatum, non parum profuit. cum enim sororij exulis opibus oppugnaretur, reducto exule inimicum spoliauit præsidio, & alium etiam hostem suscitauit dum ille expensas pecunias repetit. Palàm est igitur, omnib. in casibus præsagiendo rectè ex somnis, paruis uiribus occurrere poße magnis etiã hostibus.

Cæterũ latus heptagoni paulo maius est dimidio lateris trigoni eidem circulo inscripti, cum ambo fuerint æquilateri. nam latus heptagoni est partium fermè LII, minutiarum IIII, & secundarum XXXV. at uerò dimidium lateris trigoni est partium LI, minutiarum LVII, secundarum XLII. discrimen igitur horum est, minutiarũ VI, secundarum minutiarum LIII. hoc autem est minus quingentesima trigesima parte dimidij lateris trigoni, quare omnino insensile.

Quadratum quod fit ex secunda linea, porportione media inter diametrũ circuli & latus quadrati in circulo descripti, paulo maius est area circuli. nã si demetiens circuli est septem, circuli area erit paulo minor trigintaocto cũ dimidio. latus igitur erit fermè sex, & ex quadragintanouem partibus decem. at secunda illa linea erit latus solidi c CXLII $\frac{XI}{XX}$ fermè. at hoc est quasi sex & $\frac{XI}{XLIX}$. igitur differentia hæc est ex CCCIIII partibus, una tantum: & ideo etiam ipsa insensilis. Quidam uerò longas rationes de hoc scripsere, existimantes etiam idem esse, cum non sit: atq; etiam falso demonstrasse hæc ita se habere, cum nil sit turpius.

Latus præterea figuræ quadraginta basium triplum, lateri fermè figuræ centum uiginti basium, et sexquialterum, quasi figuræ sexaginta basium. nam latus figuræ sexaginta basium, fermè duplum est lateri figuræ centum uiginti basium. Et similiter latus figuræ triginta basium, propè quadruplum est late-

ri eidem figuræ, scilicet centum & uiginti basium. & latus figuræ uigintiqua tuor basium, eidem penè quintuplum. Latus quoq; figuræ nouem basium, & latus figuræ uiginti basium, fermè iuncta æquantur latere hexagoni in eodem circulo inscripti. Et latus figuræ undecim basium, & pentagoni, efficiunt latus fermè trigoni æquilateri. multaq; talia huiusmodi inuenire licet.

Similiter & in numeris, ubi cœperis primos, scilicet unum & duo, erunt in proportione habente medium & duo extrema fermè, & semper productũ minoris in coniunctum erit unitate minus quadrato medij, & sic in perpetuum ratio incrementi illius seruabitur, ut unum duo tria, & duo tria & quinque, & tria quinq; & octo, & quinq; octo et tredecim: & sic deinceps in infinitum, iungendo duos semper ultimos. Proportio quoq; reflexa duplicata est fermè inter hos numeros, & ualde prope, CXLIII, CXIIII, LXIII. Et ita cum uolueris mediam proportionem inuenire inter $\frac{X}{XIII}$ & $\frac{VII}{XI}$ exempli gratia, iunges superiores semper simul, & inferiores similiter, & habebis $\frac{XVII}{XXIIII}$. Et si propior sit maiori quàm oporteat, iunges minori: ut in exemplo addam $\frac{XVII}{XXIIII}$ cum $\frac{VII}{XI}$ & habebo $\frac{XXIIII}{XXXV}$ & rursus repetã, donec oportebit. nunquam enim hoc modo poterit euadere minor $\frac{VII}{XI}$ minore, nec maior $\frac{X}{XIII}$ maiore. Poteris etiam addendo unitatem semper augere ut $\frac{VII}{XI}$ addita unitate superius & inferius, fiunt $\frac{VIII}{XII}$: quod est $\frac{II}{III}$ semper enim ad minores numeros reducere debes, si potes. & ita detracta unitate, semper reddes minorem proportionem: ut $\frac{VI}{X}$. & rursus $\frac{V}{VIIII}$ & $\frac{IIII}{VIII}$; quod est medietas.

Et in Musica ditonus à sexquiquarta differt sexquioctogesima tantũ, & semiditonus à sexquiquinta eadem sexquioctogesima: & similiter interuallũ sex uocum à proportione quinq; ad tria, et octo ad quinq;, ut in Musicis abũde declaratum est.

Eodem modo supposita cœli æternitate, idem sola individua superficie ab æthere mortali disiungitur: ita mortale ab immortali tam paruo discrimine seiun-

seiunctum est. Nec est quòd dicant, Aetheram maximo annorum spacio perdurare: nam quotquot annis perduret, infinito spacio temporis tam distat ab immortalibus, quàm etiam ephemerum. hæc enim sunt commenta & figmenta, imagines q; imperitorum, qui uanam speciem rerum solum cognoscunt, & à sensibus proprijs decipiũtur. itaq; tam paruo discrimine mortale ab immortali seiungitur. Quod si tam paruo discrimine mortalia ab immortalibus seiunguntur, quanto magis mortalia ipsa inter se? species quidem metallorum, lapidum, plantarum, atq; huiusmodi? Hæc igitur ita se habent.

Quæ uerò ad actiones ipsas nostras pertinent, eodem modo minimis differentijs, et magis quàm naturalia cõstant: quòd uolubilitate opinionis uariẽt. Diximus alias (quod et uerissimũ est, licet uanũ uideatur) uenditiones obolo, quantumuis maximas, irritas fieri posse. At nunc si quis animaduertat, quàm paruis occasionibus multa malè aut benè cedant, satis miretur. Paulo serius aut tempestiuius à prandio, ante prandium occurris in uia: in fõro, multa cũ negocia habeas, modò omnia ritè peraguntur, modò nihil. quantũ momentũ est rem sic uel sic inchoasse. Damnatur iniustè Valentinianus imperator ab Amiano Marcellino, quòd tot peremerit crudeliter, quoniam de successore magicis artibus quæsiuerunt. At non animaduertit, Valentiniano fuisse filium Gratianum: qui si non fuisset, puto Valentinianum uix grauiter laturum hanc curiositatem. at modò successore filio ista quæsisse, quis non uidet hoc crimen fuisse apertum læsæ maiestatis, atque omnino impium? Simili ergo ratione singula quæque, quàm exiguis discriminibus fiũt impia, licita, fœda, honesta, felicia infelicia, iusta iniustaq;? Quamobrem si quis totam naturã uitam huiusmodi minimis animaduersionibus, casibus, opportunitatibus, euentibus constare dicat, is sanè non solum uera dicet, sed etiam pro conditione sua, temporis loci q;, beatè & sine reprehensione uiuere poterit. Quid ergo huic rationi commodius est prudentia primum, inde scientia somniorum? At nunc tota sapientia humana tribus constat præceptis: uerbis pulchris, factis pessimis, et opinione probitatis ab initio per simulatam iusticiam comparata. Verùm non diu hi mores stare poterunt, & uel seipsam hæc fera conficiet: uel iratis superis dabunt pœnas. at prudentia prouidentiaq; perpetuò ac sine impietate stare poterunt. Nec tamen tantum scire prodest, sed & uti opportunitate decet. Tria autem sunt in hac præcipua auxilia: continentia, promptitudo, & fortitudo. his si destituamur, ualedicere possumus prudentiæ atq; prouidentiæ.

Quin etiam multis sua bona exitio fuere: arma M. Antonio, facundia Ciceroni: philosophia Socrati, Pasiphylo, Simonidi (primus enim cicutam hausit,

hausit, secundus gladio perijt, tertius flammis absumptus est) poesis Gallo & Naſoni, medicina Petroleoni nostræ fermè ætatis uiro erudito, astrologia Asceletarioni. Quid est tam sanctum, quod si siniſtrè utaris, non noceat? Ego sanè ni somnijs monitus essem manifestißimis, in hac tam ingrata calamitate peribam, cum odium potentium ira, me premerent, mihi nullus amicus relictus esset. Miraris lector? mirum non est, reputanti temporum conditionem, hominum mores. Multi amicos se habere putant, quòd uolunt eos qui nō sunt esse. Deinde quòd fieri non poßit, ut Deo & hominibus placeam: & his moribus arcesso procul has lamias. Itaq; nil mirum esse debet, eum qui recta colat, hoc tempore nullum habere amicum. Sunt mala hæc, sed maiora fuere sub Repub. Romana, sub Caligula, Vitellio, Domitiano, Cōmodo, Caracalla, Valentiniano. Qui uult aduersa ferre placidè, historias legat. difficile est superare maiores nostros scelere atq; crudelitate: sed longè difficilius æquare uirtutibus. Sed ista extra aleam.

Illud ergo dicendum: minima esse omnium bonorum atq; malorum initia: eáq; plerūq; in nostra esse potestate. Quòd si ita est, quāta cōmoda afferre potest scientia somniorum? Peccamus tamen maximè, cum peccare non posse confidimus. Pauci peccant uolentes: & si peccauerint, cautius saltem peccant. Et si non tam cautè, saltem ob magnas solum causas, atq; ideo rarius. At ubi peccare non timemus, sæpius peccamus & incautè, & nullam ob causam. Quoties uerbum inconsultè prolatū euertit hominem? nemo est cui hoc sæpius non contigerit. At uel hoc solo monitu, quod in periculo uerseris, cōsultius ages. Quàm cautè, quàm considerate respondent homines interrogati de criminibus capitalibus, etiam si simplices natura fuerint? Et nisi essent tormenta, tormentorūq; metus, nemo aberraret. Vnde causa? nisi quod imminere sibi periculum animaduertunt. Duobus in casibus paucula solemus commemorare exempla: uel cum rarò contingunt talia, uel cum infinitò quotidie, ut hac in re. Ergo præmonitus hæc deuitabis: aut si uitare non potueris, malo statim occurres. Principijs obsta, dici solet.

At dices fortasse: Felices isti aliam uiam compendioſiorem atq; faciliorem ad beatam uitam inuenere: dolum, iniusticiam, fœnus, furta, siniſtrum usum conuentionum, scilicet per fraudes: ac demum etiam uim ipsam. Fateor. sed in his tria sunt maxima incommoda, atque adeò grauia, ut sic esse felices haud præstet: Dei offensa: atq; cum ea facti conscientia, quæ hominem stimulat, agit, torquet, nōnunquam etiam usque ad desperationem agit: inde molestia ipsa facti, cum & inimicos sibi pariant, & cum inimicis pericula & lites & infamiā: & quod maius est omnibus, ipso premuntur exemplo. nam et à filijs

& ab

& ab hæredib. urgentur: scientib. his quomodo eas opes parauerint, et quàm inuisi sint superis. Itaq; ubi unus est tyrannus, necesse est plures esse tyrannos. Et filij nisi ui ac metu contineantur, eadem in patres parant, quæ boni in hostes. nec multum interest, seu ueneno, seu dolo mortifero, aut ui, aut peruicacia (quod frequentissimum est) patrem adigant ad mortẽ, seu patruum. O quot uidi sic peremptos, sine periculo legis: sed non minus certo exitio, et duriore morte. Tertiũ incommodum, quod omnibus maius est, est ipse uiuendi modus, qui etiã sine ira Deũm, ac dolo propinquorũ, seipsum ita aggrauãt, dum ab omnibus cauere coguntur, dum periculis undiq; circunueniuntur, dum maiora metuũt, instantia admirantur: dum in perpetuis litibus, suspicionibus, cõtentionibusq; uitã funestã agunt. Vita hominũ per se molesta est, etiãsi nullis externis afficiatur incõmodis: at sic ærumnosior est uita ferarũ, etiã ægrarũ. illæ enim multa patiuntur, multis sunt periculis expositæ: at saltem nec incõmoda, quandiu permansura sint, intelligunt, nec periculum uitæ norũt, nec inuident alijs quæ nil tale patiuntur. omnium ergo uiuentiũ miserrima est hæc uita improborum: hocq; solo beata, quòd multos existimant sibi inuidere. At prouidentia futurorũ eadem præbet, & multo plura quàm scelera: nam & in tuenda ualetudine, cauendis insidijs, erudiendo filios, longè melior est improba illa uita, & grata dijs, minusq; anxia, nos illis similes reddit.

Sed redeo ad institutum lunaris motus, atq; aspectus ad Solem. eam fermè obseruat rationem, ut addito uno numero annorũ Christi, & toto diuiso per unũ de uiginti, quodq; relinquitur per undecim ducto, ac per triginta diuiso, residuo si addas numerum mensium à Martio inchoando, residuum ad triginta est numerus dierũ coniunctionis luminarium, ad quadraginta quinq; autem oppositionis. Quòd si numerũ dierum à cõiunctione per quatuor duxeris, per nouemq; diuiseris, habebis numerũ signorũ distantiæ lunæ à Sole, partiũq; signi. Sol aũt die decima Martij ingreditur Arietẽ, et post mensem propè ingreditur Taurum, atq; deinceps per reliqua signiferi decem initia diuisionum.

Angulos diuides prope æqualitatẽ in quotquot uolueris partes, diuidendo primò per æqualia, donec fiãt acutissimi. deinde produces lateræ æqualiter uinius partis, & basim in tot æquas partes diuides. ductisq; ab angulo ad basis partes lineis, habebis angulum illum diuisum ut uoles. inde idem de singulis faciendo, atq; iungendo iuxta numerum diuisionem, perficies intentum. & hoc est quod Carolus Bouillus uoluit: sed credidit exactam esse.

Neq; recta quæ in tabula delineatur recta est, neq; circulus circino descriptus exactus est circulus. Proportio uerò periferiæ ad dimetientem, minor est quàm XXII ad VII, & maior quàm CCXXIII ad LXXI.

Cum è puncto lineæ ad perpendiculum lineã extendere uolueris, hoc quod ad unguẽ facere cõtingit, puncto alio quouis accepto hinc inde secundũ distã tiam propositi puncti, deduces periferiarũ portiones, quæ se secabunt in medio punctorum propositorum: inde duces ex aduerso puncto rectam per punctum communis sectionis circulorum ultra tantundem extendendo, & ex extremo illo ad punctũ datum recta ducta ad perpendiculum eidem insistet.

Oui figurã sic describes, ex Durerio datã: lineã in decẽ æquas partes diuides, inde ex puncto medio secundũ quantitatẽ duarũ partiũ circulũ describes, cuius periferiã in octo æquas partes ex lineæ terminis diuides. rursus altrinsecus ex totius lineæ extremis distantia septẽ partiũ portiones circulorũ describes, tangẽtes in linea ipsa circuli descripti perferiã, quæ se in aduersis secabunt punctis. duces etiam lineã contingentẽ circulum in puncto eregionẽ ocursus illarũ portionum, recta intellecta ex sectione ad sectionem. altrinsecus ergo in punctis sectionum circuli constituto circini immobili pede, atq; alio ad punctũ aduersum occursus contingentis ad portiones circulorũ, portiones rursus quatuor, duas ex superiori lineæ parte, & duas ex inferiore describes, quæ similiter sibi occurrent è directo primarum, sed inferius.

Rursus diuisa parte rectæ inter locũ cõtactus, et secundũ cõcursum per æqualia, et medio puncto tanquã cẽtro facto, describes secũdũ quantitatẽ breuioris lineæ ex eo puncto ad portiones circulorũ ultimo ductas, portionẽ unam circuli quæ inferius cadet, et sub puncto secundæ sectionis, oualẽq; explebis figuram. hæc tamen apud illum errata sunt, seu illius seu typographi uitio.

Spiralem lineã quotquot uolueris circunuolutionibus describere: et sit, ut gratia exempli uelim tribus reuolutionibus. describã circulum satis magnũ, et filum annectam, aut mobilẽ uirgulam æneam, iuxta semidiametri quantitatẽ. inde diuidã circulum in duodecim partes æquales: et quia uolo tres reuolutiones, diuidã filum aut uirgulam in triginta sex æquas partes: & si uellem quatuor, quod esset difficilius, assumerẽ quadruplũ numeri diuisionis circuli, id est quadraginta octo. inde sensim ducto filo ad primã partẽ circuli eregionẽ primæ diuisionis à centro numeratæ, et in eadẽ distãtia à centro signabis punctũ primũ: & cum peruenerit filum seu uirgula ad secundam sectionem circuli eregionẽ secundæ diuisionis in uirgula, & secundum quantitatẽ distantiæ puncti in uirgula à centro, signabis secundum punctum. et ita procedes perpetuò, donec oẽs reuolutiones et puncta uirgulæ quæ simul perficientur, absoluãtur. Vltimus enim pũctus uirgulæ perfectis integris reuolutionibus, ad circuli periferiã terminabitur. Huiusmodi sexcenta inuenire licet. Velut, uolo latus figuræ tredecim basium. diuido latus quadrati in tres partes æquales: & si uo-

luero

luero latus figuræ decemseptem basium, diuidam idem per quatuor.

Quantum uerò possint minima, ostendunt præparationes ciborum, paulo magis cocta, aut minus salsa, insipida, ingrata uehementer, modico interuallo quàm iucunda: uestes, calcei, omniáq; humana: lecti, equi, ignis, aqua, minimis uariationibus delectant, aut molestia nos afficiunt. Idem in pactis, in cõuentionibus, in itineribus, in pugna, prælijs, curatione morborum. Quot in itineribus breui mora inciderunt in latrones? quot alij ob eandem uitauere periculum? uidi hominem, qui ob modicum gelu prolapsus interijt. Anno præterito stiria glaciei occidit puerũ. Simile exemplum apud Martialem legitur. Quid hoc nos docet? nil aliud, quàm nostra omnia momentanea esse: uitam ipsam perexiguam: & quantumuis prolixa uideatur, breuissimam esse. unde & recte uiuere, & contemnere aduersa, & non discruciari secundis rebus aliorum, & minima quæq; obseruare, & nihil negligere: & quæ naturaliter nobis ad prouidentiam offeruntur, considerare decet atq; oportet. Istiusmodi cum cogitaueris, & tranquillius & honestius uiues: intelliges q; nec regibus, nec principibus quicquam tam iucundum esse, quàm est sapientia.

HIERONYMI CARDANI
MEDIOLANENSIS MEDICI, DE Summo bono Liber.

QVoniam summum bonum unicuiq; illud est, quod nec ulla in parte deficitur, & in optima operatione consistit: hominis autem optima operatio est intelligere: propterea summum hominis bonum est in intelligentia, sine defectu alicuius rei. At ergo si bonum summum est id posidere, scireq; posidere (nam si nesciamus, id iam deficit quod ad columen beatitudinis maximè pertinet) ideo quid sit summum bonum, et si multipliciter dicatur, & quomodo parari possit, scire necessarium est. Iam uerò de summo bono, quanquam id optimum sit quod post mortem haberi speramus, sermo non est: quoniam id neq; adeò apud plerosque certum est, nec nostri arbitrij est ipsum consequi: & id ubi fas sit consequi, totam felicitatem animæ amplectitur. Verùm de eo tantum quod uiuentes assequimur, nunc dicere propositum est.

Est igitur primùm dubitatio, an omnium sit unum summum bonum, an per paronymiam dicatur de omnibus, an unicuique suum sit summum bonum? Ergo unicuique suum esse summum bonum, & dici per homo

nymiã, perabſurdũ eſt. Vnũ uerò eſſe ſimpliciter, et ſecundũ eandẽ rationem dici, Regibus & mendicis, ſapientibus & idiotis, flagitioſis & ſecundum uirtutem uiuentibus, impoßibile eſt: nam ſic uel miſeri ſummo bono frui poterunt, uel ſoli reges. at reges quidem pauci: ſummum autem bonum humanum maiori parti, aut ſaltem pluribus communicari debet. Sic etiam in cæteris animalibus: in uitis autem proculdubio uniuerſis. Quocirca ſi pluribus commune eſſe poteſt, pauciſsimi autem eo fruuntur, id aliter contingere nõ poteſt niſi quia ipſum adipiſci non norunt. Quapropter ſcientia de ſummo bono maximè neceſſaria eſt. At quoniã diffuſè in libris de utilitate capienda ex aduerſis tractata eſt, reliquũ eſt ut hic cõpendioſè doceatur: nõ ſolum ut promptior paratu ſit, ſed ut anteactam de Somnijs doctrinã huic negocio perneceſſariã eſſe doceamus. Dubitari igitur poteſt, an hoc ſummũ bonũ in re aut opinione ſolum cõſiſtat, aut in utriſq;. Deinde, an præterita aduerſa hominẽ prohibeãt à ſummo bono poßidendo: nam de præſentibus et futurorũ expectatione haud dubiũ eſſe debet. Rurſus qualia ſint quæ hominẽ à ſummo bono poßidendo prohibere poſſunt: ac etiã quæ maximè ad hãc poſſeßionẽ cõferãt. neq; enim ueriſimile eſt in tanta diuerſitate bonorũ animi corporis et fortunæ, in tot generibus actionũ, omnia eſſe neceſſaria: utpote exercitationẽ in arte gloriosam, & ociũ: et quæ ſunt neceſſaria, omnia ex æquo eſſe neceſſaria. ſed bona animi atq; corporis præcedere: et in ipſis fortunæ bonis potiores amicis eſſe filios, et honoribus potentiã, atq; huiuſmodi. Vtrũ etiã ſummum bonum ſeni conuenire poßit, et mulieri? nam de puero haud dubium eſt, nõ poſſe. Demum, quæ et quanta et quomodo neceſſaria ad ſummum bonum parandũ, retinendumq;. Vnde illa: Mortis expectationẽ non impedimento eſſe ſummo bono. An ſummũ bonũ excidere poßit nobis? Et rurſus, an reparari? An ſummũ bonum in aliena poteſtate? An ſint plura genera ſummi boni? Quinam fuerint potißimè beati? unde totius operis concluſio.

Duo igitur ſunt capita adipiſcendi ſummũ bonũ: ipſum dignoſcere primũ, deinde quõ adipiſci poßit intelligere. At ſummũ bonũ eſt in operatione animæ perfecta, ſine defectu. Vtrum uerò ſine defectu ullius rei? certè nõ: nã ſic nemo ſummi boni cõpos eſſet, quãdoqdẽ etiã maximis regib. plura deeſſe neceſſe ſit. Ergo quinam defectus impedient ſummũ bonũ? an neceſſariorũ tantũ? Nõ: nã ſi alia ſuperueniãt bona, habebit aliquis ſummo bono quippiã maius. hoc aũt eſſe nõ poteſt, ut ſcilicet ſummo aliquid in eo genere maius ſit. licet enim filios habens beatior ſit nõ habente, & probos improbis: unicuiq; tamen (uelut uaſi alicui, cum plenum eſt, tunc ſummum quod continere poteſt adeptum eſt) ſuũ ſummum bonum eſt, cuius eſt capax. quo fit, ut & ſeni ſuum ſit ſummum bonum,

num, cum quæ ſeni congruũt adfuerint. Mulieri autẽ & puero nõ ita, quoniã nõ ineſt ſapiẽtia. quæ ſi adſit, nihilo minus ſummũ bonũ poterit adipiſci ac cõſequi quàm uir. Seni enim nihil obſtat niſi uitæ breuitas: at omnis uita breuis eſt, ut in libro de Minimis edocuimus. Cætera paria ſunt, aut etiam maiora in ſene quam iuuene: ut mortis certa expectatio, imbecillitas, ac reliqua. Summũ igitur bonum dici debet id, cuius quilibet eſt pro natura capax. ut enim uas, ue lut diximus, exactè plenum dicitur, non cum certam menſuram liquoris continuerit, ſed cum nil ei deeſt ad oram: ita ſummum bonum dicitur, cum quis habet quod natura et per ætatẽ ei conceſſum eſt. Et ut plenum dicimus uas, etiam quum aliquid deſit, ſed minimum, ad oram uſq; : ita etiã ſi aliquid deſit ad ſummam perfectionem cõditionis ſuæ, nihilominus, modò exiguum ſit quod deeſt, felix & ſummo bono potiri dici poteſt, ac etiam meretur. Quæ ergo erunt quæ deeſſe non oportet? non neceſſaria ſolum, non prorſus nihil: ſed, ut diximus, ea erunt, quorum ille capax fuerit. non omnia hæc: nam capax ego ſum regni, an ergo non beatus niſi Rex fuero? nemo prorſus ſic beatus erit. atq; eo magis, quod omnes maiorum quàm ſint capaces ſe exiſtimant. Quæ igitur deeſſe non oportet, palàm eſt neceſſaria eſſe, non ſimpliciter, ſed ad commodũ uictũ. Iam ergo ſcimus, in quo ſummũ bonũ conſiſtat neceſſariorũ ratione.

Quæ uerò efficiunt ſummum bonum, quoniam in anima id conſiſtit, eſt ſciẽtia poſſeßionis eius. poſſeßio aũt aut eſt in uirtute, aut in ſciẽtia. De ſcientia & experimentum docet, & exemplum. nam Dij qui ſummum bonum poſſident, ſapientiſſimi ſunt. Diſcendo quoq; cum ſummam capiamus uoluptatem, indicium eſt, in ſcientia ſummum bonum conſiſtere. At de uirtute maior eſt dubitatio: rectéq; feciſſet Ariſtoteles, ſi paradoxum hoc euidentius demonſtraſſet, quod etiam & ipſe & qui eum ſecuti ſunt parum obſeruauere. Nanq; uirtutum operationes non ſolum felicitatem párere non uidentur, ſed omnes fermè nos contriſtant: continentia, patientia, fortitudo, manſuẽtudo, miſericordia, liberalitas. Prudentiæ etiam habitus nos reddit ſolicitos, licet opus ipſum commodum pòſt ſit. At contrà uoluptates omnes in uitijs repoſitæ ſunt: concubitus, lautæ comeſſationes, uindicta, rapina, dolus, inertia, atque flagitioſa deniq; uita tota, alea, ebrietas: & quanto nequiora, eo iucundiora.

Itaq; ſummum bonum in ſapientia collocauerim, & ut nil deſit commodi: optarim autem, & ſecundum uirtutem hominem uiuere, ſaltem ob eam quæ poſt obitum felicitatem expectatur. Atque ſic iam habemus alterum membrum ac principale ſummi boni, ſcilicet ſapientiam.

Sed qualis ſapientia? rerum aut nobiliorum, aut certiorum, aut utilium. Nobiliorum quidem, Dei, Mundi, Vitarum, originis Animæ, Dæmonum:

certiorum, hæ sunt Mathematicæ: utilium, naturalium, et ornatus dicẽdi, tum dialecticæ. Quamobrem magna stulticia laborant perlegendis his libris, qui nil horum continent: eripiuntq; nobis charißimam omnium rem, tempus scilicet. Dum etiam illud iactant, nullum esse librum tam malum qui non aliquid boni contineat. At cur non ergo nucem asse non emit? hoc tam stultum putat, perdere assem, cum quadrante decem nuces emere liceat: & tamen nux aliquid est boni: & non summam dementiam esse putas, perdere octo dies in lectione inutilis libri? At qui sint libri utiles, aut de rebus altißimis, aut certis, aliàs diligentißimè docuimus.

Nunc uerò illud consideremus, in quo felicitas optima consistat: an in rebus, an in opinione, an in utroq;? Si quidem in rebus ipsis, homo summum bonum poßidere poterit, nec scire se poßidere: itaq; non in solis rebus consistit. Si uerò in sola opinione, stulti ac miseri summo bono frui poterunt: quod absurdissimum est. relinquitur igitur, summum bonum consistere in rerum optimarum posseßione, & opinione recta.

Porrò opinio hæc triplex esse potest: aut ut arbitremur habere, quod habemus, tanquam necessarium: aut nõ habere, nec esse necessarium, nec esse: aut esse utile. nam existimare se habere quod non habemus, aut nõ esse necessarium quod necessarium est, non est summi boni, sed amentiæ nõ mediocris pars. Ergo existimare necessarium esse quod est, & non necessarium quod non est, ad summum bonum facilius consequendum cõducit. Quod uerò utile est, bonũ est existimare non esse necessarium, esse tamen utile. uelut, qui uas plenum habet, non tamen usque ad marginem, si etiam curauerit æquare, rectè fecerit, & si neglexerit. ita de utilibus, non autem necessarijs dicendum erit.

Porrò necessaria ut cognoscamus, non alia ratione fieri potest, quàm si illorum genera constituamus, & magnitudinem. ueluti genera sunt certè, sapiẽtia, incolumitas, opes, ac libertas. reliqua omnia, præter filios, non nisi ad usum, & ob ipsum conducunt: honores dico, gloria, magistratus, amici. Nam huiusmodi non necessaria sunt: & si eis non indigeas, inutilia, & etiam grauia. Quamobrem & Aristoteles, qui adeò amicitiæ fauit, paucorum admodũ esse uult: nostra autem ætate præstiterit forsan nullius. quandoquidem hoc unum illud omnes considerant, amorem amanti inutilem esse.

Sed neq; familiares, neq; coniunctos habere bonum est, nisi pro ratione opum. Quatuor igitur illa sufficiunt.

De filijs autem dubitatio magna est. nam seu animus sit immortalis, seu communis aliquando omnium hominum interitus, filios non habere aut melius erit, aut summum bonum non impediet. at si animi interirent, generatio uerò

animan-

animantiũ æterna esset ei qui susciperе potest filiorũ generatio inter necessaria numeranda erit. nam filij ob id suscipiuntur, ut quod mortale est, per propagationem reddatur immortale: sed si animus est immortalis, non indigemus, cum simus nos ipsi nobis superstites: sin autem generatio aliquando tota extinguitur, frustra quærimus quod haberi non potest. Itaque meo iudicio, ne nimis non premamur, inter utilia tantum reponi debet.

Quantitas uerò sapientiæ definienda non est: sed quanto maior fuerit, eo capacius fiet uas illud summi boni. reliquis modus imponendus est. Verùm libertas modo opus non habet: perfecta enim esse debet incolumitas tanta, ut neque aduersa ualetudine uita breuior reddatur, nec incommodè ad negocia peragenda se habeat. In opibus solum quæritur hæc mediocritas. Aristoteles sic metitur, ut se & ancillam alere queat. Diximus autem de hoc suo loco, nempe in libris De utilitate capienda ex aduersis.

Reliquum est, ut agamus de impedimentis summi boni: quandoquidem summum bonum in scientia possessionis eius consistat. Sunt autem duo quæ maximè obstant, ne adipiscamur: non dicam, quæ adeptum euertant. neque enim hoc adeò tam facile est. Siquidem quæ prohibent adipisci, sunt, inconsulta ratio uiuendi atque loquendi, & non satiari bonis. uno enim impedimur, ne parare possimus necessaria beatitudini: altero, ut etiam partis uti non liceat. Quocirca deterius hoc est primo, cum utrique periculo, qui hoc uitio laborat, obijciatur. Ergo qui iam adepti sunt summum bonum, his uitijs carent: & si carent, non facilè amittunt, nisi fortuna aut casu. Principiò igitur summa diligentia uti decet, ut sub tyrannis non uiuamus. nam nulla felicitas, nulla sapientia tanta esse potest, quæ summum bonum nobis præstet, ubi iusticia non colitur habitantibus.

Duæ enim uirtutes maximè faciunt ad bene beatè que uiuendum: priuata una, prudentia scilicet: altera publica, siquidem iusticia. Ergo qui hanc curam neglexerit, is operam (ut dici solet) atque oleum perdet. Sunt autem multa genera tyrannidis & regni, de quibus loqui præsentis non est instituti.

Patria inuenta optima, obfirmabis animum ad fortuita, & ad moderationem, ne uel repentinorum aduentu frangaris, uel nunquam contentus uiuas. itaque imponere modum omnibus decet. Et id cogites, quòd si mortem aliquando perferre cogeris, multo facilius alia minora

pati

pati decet. Inde in uictu parcus & diligens, & rei simul & ualetudini consules. Cauebis uerò ab ignotis, ab inimicis etiam reconciliatis, ab improbis, mendacibus, lusoribus, uanis, inconstantibus, qui nulla arte uiuunt, qui'ue mendici sunt. Et secundum loci mores uiues. Id tecum etiam reputa, nemini esse curam recti aut æqui, uel fidei uel amoris: uerba omnia simulata, ficta, & ad fraudem detorta: quanto blandiora, tanto magis metuendum. homines omnes in suo commodo felicitatem reposuisse: aliquot etiam in alieno incommodo. amicitiam constare utilitate communi: reliqua omnia esse mania, præter impudiciciam, quæ & ipsa locum inuenit. qua tamen exacta, gratia etiam perit.

Cum uerò aduersa fortuna premeris, noli pugnare acriter: sæpe enim nauigantes aduersis uentis, etsi eos superent, submerguntur. Multo minus iratus uerbis contendes: hoc enim prorsus leuis hominis est, et magnorum malorum causa, boni nullius.

Coniecturis ages, & somnia expende: eaq; ratione quæ in priore libro dicta est, utêris. His in casibus nil nisi consultò age: meditare singula uerba. cum his qui inimici non sunt, blandis utêris uerbis: cum inimicis autẽ si loqui cogaris, puris, sed ambiguis, quæ tamen à minis omnino absint. Ventosi enim hominis est minari, nec lædere: stulti autem, minari, cum uelis lædere, si per minas ille se tueri possit: quanto stultius, cum etiam offendere? Pati oportet: & tum Epicteti illud maximè conducit, Patere et abstine. Vide etiam cum quibus rem habeas, quæ tempora, quæ regio, quæ alijs eueniant. Absurdum est, procul exemplum petere, quod tibi propius est.

_ Multos alterna reuisens
Lusit, & in solido rursus fortuna locauit.

Iam uerò uideamus, an præteritæ infelicitates, quæ non manent, euertere possint summum bonum, aut prohibere: uelut mors unici filij, amputata manus iudicio publico: quorum malorum uestigia extant. nam de his quæ nihil relinquunt, non est dubium: quinimo creditum est, etiam augere felicitatis opinionem. Itaq; de his sic statuendũ est: quod quæ aliquid de necessarijs minuunt, ut manus amputata, & totius patrimonij amissio, prohibent summum bonũ. quæ uerò de filijs dicuntur, si spes stirpis auferatur, tollunt summum bonum, si filij inter necessarias partes connumerentur: si non auferatur de summa plenitudine, & ad marginem usq; aliquid auferunt, non tamen summum bonum prohibent retinere aut adipisci: præsertim in excellenti uirtute. Ergo in bonis ipsis ordinem constituere decet: ut primùm uitam præponamus, inde unicum filium, inde corporis incolumitatem, pòst libertatem, inde patrimonium uniuersum, pòst filij salutem, unius de pluribus. nam honores, gloria,

gratia,

gratia, omnia'que huiusmodi, facilius reparantur.

Vitia uerò, quæ obsunt post illa duo: & uirtutes, quæ prosunt ad possidendum beatitudinem, hæc sunt: stulticia, uanitas, ira, garrulitas, prodigentia, simplicitas, inertia summa, timor, & immensæ cupiditates, ac uoluptatum desideria. atque hæc tria præcipuè summo bono, etiam si nil desit, frui prohibent. At quæ iuuant, sunt: continentia, prudentia, efficacia, parcitas, grauitas, fortitudo.

Quomodo uerò quis ferat mortis expectationem, nec summum bonum amittat, nunc est considerandum. Videtur enim graue, mori necesse esse, & felicem uiuere talia meditantem. Verùm, ut dixi, summum hoc bonũ, hominis summum est bonum, uelut formica magna, non simpliciter bonum. nam si nihil supereſſet, nihil est bonum: sin autem supereſt anima, in illius successu bonũ omne ac malum repositum est. Bonum ergo hoc summum est, uelut lusus puerilis, exiguus, breuis, inconstans, impurus atq; imperfectus. Et tamen summum est bonorum humanorũ. At dices: Huiusmodi bonum summum minus est alterius non summo bono. Verum est: sed quoniam capacitatem illius non explet, nec summũ est, nec etiam felicem magis reddit illum: sed uelut uitrea uasa, si arca contineantur, ita ut nil desit, nilq; uacui relinquatur, tutò deferuntur: si nõ expleantur, franguntur. in minore etiam idem accidit. ita uniuscuiusq; summum suum bonum, felicem illum reddit, etiamsi paruum sit.

Maxima ergo pars summi boni est, non torqueri aduersis. Et si quis iniuriam passus sit, & non discruciatur, summo bono potiri potest. at cum dedecus et infamiam cogitat, pudet exire, libertatis partem amisit: ideo nec summo bono potitur.

Sapientiam discere ad summũ bonum pertinet, libros scribere minimè, itaque quædam non faciunt ad summi boni possessionem: ut gloria, decus, honor, forsan & filij: quæ tamen amissa impediunt. Scribere libros magnus est labor: non quicquam adijcit ad ea quæ summi boni sunt partes, nisi quis nouam inuenerit sapientiam. At legere ac scire, ad summum bonum conducunt: imò ipsum scire, ut dixi, præcipua pars est summi boni.

Vitandæ ergo sunt causæ dedecoris, ne libertatẽ amittamus. Quod si in illud inciderimus, aut ferendum constanti animo, aut abeundum in aliam regionem: quod multos feciſſe uidi. Vitandi labores superflui: expensæ magnæ, & causæ inopiæ, & impedimenta sapientiæ.

Videretur autem absurdum, summum bonũ excidere posse in nobis, si quicquam in nobis aliud perpetuum esset. Verùm cum cũcta non solum caduca, sed etiam breuis temporis esse uideamus, haud mirari debemus, et hoc ipsum quod

natura sua perpetuum est, ac quasi perfectũ, excidere. ob id errarunt plerique philosophi, maximè Stoici, non ad hominis, sed solum rei naturã respicientes: qui dixerunt, felicitatem esse constantem, & ob id eam in uirtute sola collocarunt. ita ex uno falso supposito multa absurda euenerunt. Sed non est ita. nam nec summum bonum, ut dixi, in ipsa uirtute: multo minus sola, collocatum est: & si esset, morte etiam abrumperetur: & nobis etiam uiuentibus, dum ex uirtutibus, quod homini familiare est, ad uitia prolabimur.

Quo fit, ut si excidere possit, possit & reparari. ea enim est natura rerum, ut quæ excidere possint, & possint reparari, modò subiecta res maneat. Non facile, ut nec alia, in senibus huiusmodi reparantur: ut si ob obliuionem aut morbum quis euadat infelix. at si amisso patrimonio, uel libertate, quid prohibet? Sed neq; exilium tollit summum bonum, sed solum illud absolutissimum, quodq; ad marginis limbum peruenire deberet. Minusq; quàm mors filij: siquidem minus graue est, & in integrum restitui potest. Cauenda est enim diligenter in his qui summum bonum (ut nos, & rectè) in sapientia, cui commodi nihil desit, constituunt, ne in aliquod irreparabile malum quod summo bono obstet, tametsi minus sit, incidãt. Vnde melius est in exilium mitti, quàm digito manus priuari, aut debilitari oculo, aut claudum fieri. In exilio enim solum est læsio libertatis, ac diminutio, non ablatio: & restitui potest homo, & interim spe alitur, quæ omnes miseros sustentare solet. At si uincula et periculum mortis iungantur, ut etiam labor, uelut triremis: tunc debilitari crure minus malum est, autem etiam oculo, quàm sic damnari, propter mortis periculum.

An uerò mors sit summum malum, atq; oppositum summo bono, considerãdum est. Ergo mors ipsa cũ sit ultimum terribilium, teste Aristotele, summũ erit homini malorum. Mortuum autem esse summum aufert bonum, & prorsus: sed & omnia mala, ipsumq; mori. Ergo mori summum est malorum, præsertim his qui (ut nos) de summo bono rectè sentiunt. mortuum autem esse, omnino indifferens, neq; bonum neq; malum. Itaq; & mortis dilectißimorum recordatio dolore nos afficit, & meritò. at quòd iam obierint, discruciare non debet: quandoquidem à summo malo iam liberi, scilicet morte, atque illius formidine, quod tam magnum est ut ægrè tueri possimus dari in hac uita summum bonum. Ob hæc, si summum bonum ad mortis tempus referatur, eiusq; memoriam, in illis erit alijs in rebus quæ eam memoriam tollunt collocandum: quod et plerique faciunt mortales. sed hoc non est summo bono frui, sed malum malo, & forsan etiam deteriore trudere.

Vnde difficillimæ quæstionis solutio emergit. Dicet enim quispiam: Purpurati

purati & proceres, ducesq́; qui plus habent quàm quod commodum sit, non ne beati sunt, & magis quàm in mediocri fortuna? uel ergo aliquid maius est summo bono, uel illi non sunt beatiores quàm in priuato statu. Cur ergo tanto impetu ad potentiam & opes & gloriam feruntur, ut uitam periculo non semel exponant, obliuiscanturq́; Deorum, recti, amicorum: ac quod maius pluribus uidetur, his uoluptatibus scilicet, & propria salute? Et uulgus etiam eos suspicit, & beatos esse affirmat.

Dicimus ergo, esse in summo bono idem quod & in cæteris rebus mortalium. Optimus cibus bene ualentibus, panis & caro: potus, haud dubiè uinum. ægris tamen nihil horum, sed aqua pro uino, ptisana pro pane & carne danda est. ita his qui mortis aduentum timent, qui cupiditatibus uexantur, nulla est uia ad summum bonum possidendum, ut diximus. Quare ipsa mortalibus admirabilia, potentia, gloria, honores, opes, pro medicamento sauciæ sunt: tametsi cum dolore, tristicia, metu, periculo, uitæq́; iactura sint. Simili enim modo qui scabie graui laborant, solatium scalpendo & cutem unguibus laniando recipiunt, nulli tamen sano hoc iucundum est, nec simpliciter inter bona & uoluptates hoc numeratur ab aliquo rationis compote, imò ne ab ipsis quidem ægris, sed necessitatem omnium dominam solum excusant. Vt uerò his melius tamen est scalpi, & cutem proscindere, quàm prorsus disrumpi, quod in tam leui (ut uidetur) affectu summum malum sit, adeò ut tyranni regesq́; Persarum, quos oderant, maximè omissis gladijs, rotis, palis, ignibus, melle oblitos & nudos in Sole muscis exponerent, ut sic grauius perirent: sic huiusmodi homines suis immoderatis in cupiditatibus exerceri permittere oportet, nõ quòd sic agendo summum bonum possideant, sed quod à summo tantum malo, scilicet irritis cupiditatibus liberentur. Cæterum rectè consideranti, hi homines nequaquam sibi, sed aliorum uotis uiuunt: & quanto celebriores fuerint, & maioribus in dignitatibus constituti, præsides prouinciarum, Senatus, Quæstores, atque etiam Reges ipsi. Quòd si modò quid blandum excogitari possit, est spes potentiæ successorum: quæ quàm fallax sit, quàm parum (etiamsi bene cedat) compenset tot labores, molestias, curas, pericula, metus, atque iniurias in Deos, facile quisque intelligit. non est ergo huiusmodi hominibus beata uita in his, sed miserrima, si cessare cogantur.

An uerò summum bonum in aliena sit potestate, præstandi quidem, uix unquam tollendi, nemo dubitare debet: quandoquidẽ in illa mera uirtute, ut Philosophi antiqui, illud non reposuerimus. nam nec res ita se habet, nec experi-

rimentum suffragatur: stultumq; existimamus, in mortali re immortale aliquid comminisci uelle. habeat hoc anima uinculis soluta corporeis: dum detinetur, mortale illi sufficiat bonum. Magnis casibus itaq; concidere solet: at rarò. quod frequens est, est ob immoderatos amores rerum caducarũ. ob id, qui summo bono potiri cupit, studeat nil plus amare quàm præstet, sed minus potius quàm debet. id enim utilius est.

Vtrum uerò summi boni humani seu beatæ uitæ sint plura genera, considerandum est. Videntur sanè, ut dixi, uera summa bona in eisdem consistere, pro ratione personarum. Quæ autem non sunt uerè summa bona, & quæ parum aut multum deflectunt, uaria habent genera: ut adulterina in omnibus rebus. At sutorum, fabrorum, studiosorum, nobilium, differunt beatæ uitæ, non quidẽ genere ipso, sed magnitudine: quandoquidem in illis quatuor aut quinq; rebus quas diximus, sint constitutæ.

Beati ergo fuere pleriq; philosophi, ac fermè omnes præter Diagoram, ob impietatem: ac Epicurum, ob eandem causam: Diogenẽq;, ob nimiam pauper tatem: Anaxarchum, pauculosq; alios. Xenophilus musicus, & Aglaus Pythophidius, Gorgias quoq; Leontinus, Antonius, Castor, Eubippus Argiuorum rex: nec desunt singulis temporibus multi in ea conditione.

Sed ediuerso unum sufficiat exemplum alienæ, sed quam pluris homines faciunt, infelicitatis. Franciscus Buffalus Romanus ciuis, duos filios uidit ob seditionem securi percussos: duos alios, qui se mutuis uulneribus conficiebant: alium, qui nouercam occidit: filiam, quæ præsente marito uenenum sumpsit. hæ sunt scenæ mortalium, & calamitates maximè. quas tamen si quis eo iudicio secum reputet, dicens, Nudus in hunc mundum ueni, quicquid habeo pro lucro est, precariò id accepi, omnia sum relicturus: æquo animo cuncta feret ac tolerabit. Phratrios in hoc negocio libenter adnumerarẽ, si qui sponte adierint: his enim necessaria non desunt, studijs operam dant: libertatem habent, sed nõ absolutam: plurimi grauius premuntur.

Cæterùm illud consideratione diligenti indiget, an exercitatio in arte, utpote medendi, uel causas tuendi, uel alia huiusmodi, ad summum bonum conferat, an illi repugnet. Videntur enim aliqui ex ocio torqueri, alij ob nimios labores: alij feliciores esse ob lucrum & gloriam. Verùm omnia hæc ad summum bonum, in eo qui iam commoda consecutus est, nihil pertinent. atq; ita est. Nisi enim filios habueris, aut fratrum uel sororum germanarum filios, nihil prosunt hæ curæ, sed pro delicijs & exercitatione diurna habendæ sunt: secus uerò, graues & molestæ. At si filij adsint, alterum genus summi boni exsurgit, uel si filij fratrum scilicet, ut illi possint commodè

uiuere.

uiuere. Id autẽ quomodo, iam superius dictum est. In uniuersum ergo si felicitas, beata uita, summum bonum in habendo consistit, quod optimum est, & ut non desint commoda (omitto modò quæ de libertate & incolumitate dixi. optimum autem est scientia, eaq; sola uix auelli à nobis possit: ut sit nobilissimum nõ solum, sed etiam securissimum eorum quæ optari possunt) manifestũ est, omnium aliarum rerum curam & amorem deponere oportere, aut maxima ex parte imminuere, eum qui optimum bonum possidere uelit. Itaq; hoc summũ bonum consistit in sapientia, et summo illius amore: tum libertate: incolumitate & commodis: eademq; in his qui ad perpetuitatem attinent, scilicet filijs, fratrumq; uel sororum filijs: & ut nihil aliud ita ames, ut si pereat, tibi lugendum sit; aut dolendum. Quæ autem maximos æstus leuant, etiam luctus, sed præsertim amoris, sunt, concubitus usq; ad uirium defectionem: sunt enim ex eodem fonte, & hauriunt; unde ignes: & sanguinis similiter ad deliquium animi euacuationes, & dolores atq; labores magni, & per uim tolerati: & longa rerum obliuia, uelut per ea quæ omnem sensum obtundunt: et ludus, præsertim latrunculorum, quamuis alioqui malus: et cogitatio eius æqualitatis quæ est post mortem, maximum hac in causa auxilium afferunt.

FINIS.

ERRATA INTER LEGENDVM
obseruata sic emendabis.

Pag.4.lin.5.quisquam. 48.30.sphondylorum. 86.à f.3.scisitanti. 105.2.uidere. 32.proueniant. 110.23.honestas. 114.19.artis. 127.3.balsamine. 132.30.curam. 138.ult.uel. 148.33.legiones. 156.10.repetere. 161.ult.ostenderem. 166.27.excogitata. 168.9.ducis ereptam. ult.furoris plena. 175.25.mirantur. 179.30.spectes. 180.30.afficiunt. 185.20.nulla crimina. 193.19.quidam. 29.damnabas. 203.32.augustiorem. 215.8.inexercitatum. 216.26 tum. 224.ult.præoptauerit. 225.7.Nero. 13.Augustum. 231.à f.9.seu. 240.4.pertinent. 235.4.uestra. 249.2.Deos. 251.26.harmoniæ causa. 253.penult.hæc enim. 255.32.admoneantur. 266.22.dira. 267.26.quam tu. 268.10.estut. 13.uos. 269.1.omittere. 270.25.poßint. 277.5.præcipit. 279.1.sunt. 284.8.lectio. 9.uitarum. 287.4.Ita spes. 312.26.opaca.hæc.hæc. 314.7.interius. 23.uideantur. 315.10.continet abundat. 11.in se continet. 320.5.torreat. 326.1.forma. 29.nigris. 327.7.carioßus. 328.14.autem. 331.11.carneolum. 332.9.redderentur. 333.20.fauetq;. 30.sit. 343.14.gratiam. 24.nitore. 349.27.ob. 350.33.intempestiua. 351.1 perstabat. 355.27.certum numerum. 356.4.nolis. 358.8.fratre. 16.dicis. 360.5.nec. 361.23.parem. 367.21.dißident. 373.25.nunquã. 375.10.cuiusq;. 376.20.pertinet. 380.22.tractarem. 34.parte. 384.11.sic 389.15. moriuntur. 390.2.Christianis. 18.proditione.

BASILEAE, EX OFFICINA
HENRICI PETRI, ANNO SA-
lutis M. D. LXII. Mense
Septembri.

43097
S

